Digitized by Google

Digitized by Google

DE JURE, JUSTITIA ET ANNEXIS, TRACTATUS QUATUOR,

THEOLOGO-CANONICE EXPOSITI,

Juri communi, & variorum Regnorum particulari,

MAXIME TAMEN

JURI BELGICO

ACCOMMODATI,

AD USUM FORI SACRAMENTALIS,

ÆQUE AC CONTENTIOSI.

AUTHORE

FLORENTIO DE COCQ,

Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ordinis Præmonſtratenſis Canonico, Sacræ Theologiæ Lectore.

BRUXELLIS,

Typis EUGENII HENRICI FRICX, Typographi Regii. M. DCC. VIII.

Cum Privilegio & Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CLARISSIMOQUE SENATUI URBIS ANTVERPIENSIS.

VEtus eſt illa Theologorum æquè ac Philoſophorum ſententia, quâ aſſerunt, nec Deo, nec Patriæ, nec Parentibus unquam reddi poſſe ad æqualitatem. Tanta enim eſt Patriæ prærogativa, tantaque omnium erga illam eſt obligatio, ut omne omnium conamen ſuperet; & verè nihil ſit, quod rependunt, ſi ad exactas gratitudinis, & pietatis regulas menſuretur. Quo tamen non obſtante, urget unumquemque ipſa lex gratitudinis, æquè ac pietatis, de ſe juxta Docto-

Digitized by Google

rem Angelicum inclinantis, ut Patriæ debitum benevolentiæ officium quilibet impendat: adeo ut ad virtutis exercitium pertineat, & vivere Patriæ,& vivere propter Patriam,uti
Lib. 19. c. 1. de Civitate Dei ſcribit magnus ille Auguſtinus. Et hæc prima eſt ratio, Viri Ampliſſimi, eaque patentiſſima, quòd qualeſcumque hos ſtudiorum fructus, ac labores Clariſſimis Veſtris nominibus audeam conſecrare. Accedit ſingularis Veſter erga rem litterariam, artes omnes, & ſcientias affectus, in quo præ cæteris ſemper enituit præclariſſimus hujus Urbis Senatus, quo viros litteratos, & reliquis artibus excellentes ſummo amore, & honore coluit, ac fovit; uti id ipſum toti mundo non ſemel de Vobis Juſtus Lipſius commendavit. Noverant enim Majores Veſtri, noſtis & Vos, Reipublicæ bonum à bonis artibus potiſſimùm dependere. Et hinc Urbem noſtram, omnium artium ac ſcientiarum Scholam, ac parentem hucuſque admirantur univerſi. Urget me inſuper rara Urbis noſtræ in Communitatem noſtram munificentia, quam ab ipſis Abbatiæ noſtræ primor-

Digitized by Google

primordiis ſenſimus, & luculentiſſimè teſtantur varia Archivorum noſtrorum monumenta. Unum hîc ſolummodò proferam jam inde à 500. annis id idem Imperatorio teſtimonio confirmans, & Vos ſummoperè eâ de re commendans. Eſt illud diploma Friderici Barbaroſſæ, aliàs Ænobarbi Imperatoris ad Urbem noſtram olim directum, in quo inter alia habet Imperator: *De hoc quoque vos plurimùm commendamus, laudes vobis, & praconia referimus, quòd prout noſtra Majeſtatis auribus eſt intimatum, Eccleſiam S. Michaëlis Beneficiis veſtris, & eleëmoſynis ſuſtentatis, & in ſancta religione, & honeſtate laudabiliter fovetis.* Idem & alia in particulari teſtantur de benevolentiâ veſtrâ, noſtra & aliorum documenta. Singulariter quoque tutelam nominis Veſtri exigit ſubjecta materia, quam propono. Juſtitiam deſcribo, cui conſervandæ toto ſtudio collaboratis, ne eâ deficiente, degenerent Regna in latrocinia, qualiter definit S. Auguſtinus Lib. 4. de Civit. c. 5. Regna hâc virtute deſtituta. Leges quoque Veſtræ ſunt, & Conſuetudines, quibus Juſtitiam

ſtitiam Theologicam, ac Canonicam elucido, & confirmo; quâ ratione ſpeciali titulo Veſtrum eſſe dignoſcitur, quod hîc tracto; & Juſtitiam legalem ipſe violare convincerer, qui Juſtitiam defendo, ſi hunc conatum noſtrum ſuâ ſponte, & obligatione ad præſidium Ampliſſimi conſeſsûs veſtri properantem, vellem remorari. His & aliis ritè perpenſis, nec præſumptionis, nec arrogantiæ notam reformido, ſi hîc Vobis id offeram, quod etſi rude ſit, ac impolitum; pleno tamen jure vobis debetur. Hoc unum deſidero voveoque, ut benevolentia veſtra ſupplere dignetur, quidquid in hoc opere noſtro, vel ex parte materiæ, vel defectu politioris ſtyli, vel denique ex parte ſcientiæ competentis poſſet deſiderari. De cætero rogabo D.O.M. ut omne Conſilium veſtrum confirmet auxilium de ſancto, ut populum veſtrum in ſumma pace, & tranquillitate gubernetis, ut Juſtitiam inter ſubditos infatigabiliter conſervetis, donec tandem perveniamus ad immarceſſibilem Juſtitiæ Coronam.

Nobiliſſ. Ampliſſ. ac Clariſſimis D.D. V.V.

Fam. Obſequentiſſimus,
FLORENTIUS DE COCQ.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

MAteriam propono Theologis quidem neceſſariam, Canoniſtis, Juriſtis, aliiſque utiliſſimam: ſed à variis eruditè, ac operosè diſcuſſam, & reſolutam; necdum tamen omni ex parte abſolutam, aut tam facilè abſolvendam. Tot etenim fraudes, & injuſtitias adinvenit quotidie fallax hominum nequitia, ut ab accuratiſſimo quoque obſervari vix queant; multò minus proponi, aut explicari. Accedit, quòd ſicut plurimi Authores Theologi de hâc materiâ differentes, ſolummodò Theologicè, ſive ſolis ejuſdem ſcientiæ regulis, ac principiis inhæſerunt: ita plurimi Juriſperiti de eâdem re tractando, intrà ſolos Juriſprudentiæ limites ſeſe continuerunt, Theologica vix attendendo. Utrumque hoc Libro conjungere ſtudeo, maximè tamen Theologiæ (quam ſolummodo profiteor) inſiſtendo principiis: ita tamen, ut Theologicè dicta, etiam Juriſprudentiæ, tam Canonicæ, quàm Civilis authoritate ſæpiſſimè ſint confirmanda. Magna enim Theologicæ, ac Canonicæ ſcientiæ eſt connexio, dum utraque habet plurima inter ſe communia; puta, quòd utraque per ſe, ac directè ad Religionem ſpectet, hominum mores ad debitum Dei cultum ordinando, & componendo: quòd eaſdem habeat utraque ſcientia regulas, & principia; ſcilicet, Scripturam ſanctam, Traditiones, Conciliorum, & S. Eccleſiæ Decreta, SS. Patrum placita, &c. adeo ut S. Antoninus *P.* 3. *tit.* 5. *Cap.* 2. §. 2. utramque ſcientiam ex quintuplici capite diſtinguens, ſcribat hanc differentiam eſſe magis ex parte modi alicujus accidentalis, quàm ex parte eſſentiæ, aut modi eſſentialis; & ità demum addat, & concludat: *Eſt ergo ſcientia Canonica, quadam practica Theologia.*

Enimverò, cùm Theologus (niſi ſibi ſoli vivat) omnia ſua ſtudia referre debeat ad Eccleſiæ utilitatem: idipſum oppor-

opportunè confert ſcientia Canonica, ex qua juxtà legitimum Eccleſiæ ſenſum colligenda ſunt, quæ ad debitum Dei cultum, ad ordinatam Sacramentorum adminiſtrationem, ad cujuſvis Eccleſiaſticæ perſonæ miniſterium, honeſtatem ac vitam, ad juſtam Beneficiorum proviſionem, denique quæ ad exactam Eccleſiæ diſciplinam exiguntur. Hinc jure meritò à Cæleſtino Papa ſtatutum fuit Can. *Nulli*, Diſt. 38. *Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare.* Ad quod reflectens Proſper Fagnanus in cap. *Cùm ſit ars*, de ætate, & qual. Ord. num. 10. ita ſcribit: *Nota, promovendos ad Sacerdotium, & regimen animarum eſſe examinandos ſuper divinis Officiis, & Eccleſiaſticis Sacramentis, quod plenè fieri non poteſt ſine ſcientiâ Canonum..... hæc autem ſecundùm Hoſtienſem, ignorant puri Theologi non ſine periculo animarum, quia ad Canonum obſervationem, quæ cenſetur regula omnium, & omnes Catholici conſtringuntur..... & Religioſi, qui Canones ignorant, reputandi ſunt Idiotæ, ut legitur, & notatur in Cap.* Ex MULTA, *de voto, & voti redempt.* Hinc etiam teſte Joanne Gerſone *in recom. licent. tom.* 4. *fol.* 833. per 400. ſæcula, nulla inter Theologos, & Canoniſtas fuit diſcretio: quâ demum ratione à Theologiæ Candidatis requiſita dudum fuit ſacrorum Canonum, æquè ac Theologiæ competens ſcientia, uti loco præcitato refert S. Antoninus.

Neque ſolùm ſcientia Canonica Theologo, & maximè illi, cui animarum cura incumbit, ſubſervire poteſt: ſed etiam Juriſprudentiæ Civili id competit; juxtà illud, quod ait Lucius III. cap. 1. de novi op. nunt. *Quia verò, ſicuti leges non dedignantur ſacros Canones imitari; ita & ſacrorum Statuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Sæpè etenim poſitivæ leges pro diverſis locis ſolent variare, quæ & in foro conſcientiæ ſedulò ſunt obſervandæ, dum aliis Eccleſiaſticis legibus, aut etiam legi naturali, aut divinæ non contrariantur.

Theologi quidem, & Confeſſarii munus eſt proprium, animas juxtà Fidei, & Chriſtianorum morum regulas dirigere, quod potiſſimum ex Theologia, & ſcientia Canonica eruitur: mirum tamen quoque, quantopere idipſum adjuvet, noviſſe, & attendiſſe Leges Civiles, ac legitimas Pa-

triæ

Digitized by Google

triæ Conſuetudines, quibus etiam Chriſtianorum mores componuntur, & Leges Eccleſiaſticæ ſæpiſſimè adjuvantur : adeo ut hujus rei defectu aliquando accidat, ut etiam in foro conſcientiæ (in quo Leges Civiles etiam obligant) ſubindè conſtringantur ſubditi, qui ſunt ſoluti : & è contrà abſolvantur ii, qui ſunt conſtringendi.

Idipſum verò magis neceſſarium eſt Theologis, & aliis Curatis, in Regnis, ac locis conſuetudinariis, prouti conſtat eſſe Belgium noſtrum, Gallias, &c. in quibus locis, etſi Jus commune ſuâ gaudeat authoritate : prævalent tamen conſuetudines Patriæ, nec niſi illis deficientibus jus commune præcipitur obſervari, ut latius dicetur mox infrà. Hinc etiam illud hìc præſto, quod rarò præſtitêre alii Scriptores Belgæ de hâc materiâ tractando, ut Theologicè aſſerta, & juri communi conformia, juribus quoque particularibus, tam Eccleſiaſticis, quàm Civilibus confirmem : item, ut alia juri communi quidem conformia, juri tamen particulari difformia eſſe demonſtrem. Patriæ tamen noſtræ id maximè præſtiti, ac ſubindè praxi Gallicæ, cui proximè conjungimur, & in obſervantia jurium conſuetudinariorum magnâ ex parte conformamur, ut jam dudum multi de Belgico regimine tractantes obſervarunt. Hâc ratione præſtantiſſimorum Juriſconſultorum, ac Canoniſtarum Belgicorum, uti & Gallorum authoritate, ſæpè utor in decurſu; quorum authoritate, & rationibus magis, quàm noſtris volui dicta noſtra comprobare.

Theologum tamen (ut initio prædixi) principaliter agere, & inſtruere intendo; adeoque ante omnia ad leges Theologicas attendendum hìc volui (quotieſcumque tamen in hâc materiâ attendi illis poteſt) puta, ad Scripturam ſanctam, Traditiones, Concilia, SS. Eccleſiæ Patres, & ante omnia ad Legem naturalem, & divinam, dicendo cum pſalmiſta pſalmo 118. *Conſilium meum juſtificationes tuæ* : & juxtà monitum Apoſtoli Epheſ. 5. *Probantes, quid beneplacitum Deo* : ad quod Theophylactus : *Si qua doctrina, aut opinio probanda ſit, probanda eſt ad lucem fidei, non humanæ Philoſophiæ.* Hâc enim ſtaterâ ponderari debet omnis morum rectitudo ; adeo

ut

Digitized by Google

ut in dictum Apoſtoli locum rectè ſcribat D. Fromondus, quod peſſimè de Eccleſiâ mereantur illi, qui ſententias, & caſus conſcientiæ levibus quibuſdam, & ſæpè ſophiſticis ad conſuetudinem mundi depravatas accommodant. Unde S. Auguſtinus de Catechiſ. rud. cap. 25. *Tene te ad legem Dei, & non ſequaris prævaricatores ejus; non enim ſecundùm illorum ſenſum, ſed ſecundùm illius voluntatem judicaberis.*

Opiniones plerumque ſequor tutiores, laxiores rejicio, ſtrictiores tam ſtrictè non amplector; dum probè nótum, quod inter utrumque veritas incedere ſoleat, ſemper attendens illud S. Bonaventuræ lib. 2. compend. Theol. verit. cap. 52. *Cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta: nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem: item prima dicit ſæpè malum bonum, ſecunda è contrà bonum malum: item prima ſæpè ſalvat damnandum, ſecunda è contrà damnat ſalvandum.* Et poſt pauca: *Error conſcientiæ*, inquit S. Doctor, *cauſatur ex ſingularitate, quâ homo ſequens ſenſum proprium, non conformat ſe aliis, nec ſequitur communes vias* BONORUM.

In hâc tamen materiâ ſubindè benignitati indulgere poſſumus, dum obligationes ſunt juris merè humani, in quibus præ obligationibus aliis Epyckiam cadere, eſt in confeſſo. Et in hoc dignoſcitur aliquando gravis aliquorum error, qui in legibus merè Eccleſiaſticis, v. g. jejunio, ſunt ſuprà modum opinionis ſtrictæ, & ſcrupuloſæ: in aliis autem legibus ſuperioribus, puta divinis, ac naturalibus, ut de mendacio vitando, &c. ſunt juſtô laxiores. Neminem interim (niſi neceſſitas urgeat) ſpecialiter ſermo meus pulſavit, aut acrior cenſura perſtrinxit, quod jam dudum ſeverè inhibuit Eccleſia: ſed malui multorum authoritatem venerari, quàm aliquorum criminari: imo omnium malim eſſe Laudatorem, quàm vel unius rigidiorem eſſe Cenſorem.

Adverſantium opinionum fundamenta ſubindè allego ſolummodo, non definio: malens aliquando in re dubiâ, & utrimque validis rationibus ſubnixâ, peritiorum cenſuræ, ac determinationi remittere, quàm noſtrâ cenſurâ eamdem definire. De politioris ſtyli nitore ultima mihi cura fuit, dum

malui

malui bona dicere, quàm benè. Ordinem ſervavi Theologis hanc materiam pertractantibus uſitatum : quam totam diviſi in 4. Tractatus : quorum prior Jus, & Injuriam latè deſcribit : ſecundus Contractus omnes, eorumque proprietates exponit : tertius agit de Judiciis, eorumque formâ : de Juſtitiâ quoque diſtributivâ, & Juriſdictione, ac immunitate Eccleſiaſticâ. In hâc elucidandâ videri potero Eccleſiaſticis perſonis zeloſioribus magis frigidus, aut jejunus; ſæcularibus verò Juriſdictionis ſuæ limites plus juſtô aliquando extendentibus, nimium immunitati Eccleſiaſticæ indulgens; quibus quoque hoc tempore ſimul in hâc materiâ placeri vix poteſt: unde & libentiſſimè fateor, non per omnia ſperare illud à me obtinendum; neque quod aliis præſtantiſſimis Authoribus negatum eſt, mihi audeo hîc polliceri. Condonabit pars utraque, ſi ob temporis, aut loci qualitatem, exactè utriuſque deſiderio hic non ſatisfaciam.

Quartus denique Tractatus materiam Beneficiatam latiori methodo pertractat, ac vitium Simoniæ elucidando percurrit. Rigidior fortè in diſpenſatione fructuum Eccleſiaſticorum, ac eorumdem conſecutione apparebo plurimis, qui ad ſolam hujus ſæculi conſuetudinem ſolent opiniones ſuas ponderare, & eâ illas approbare : Verùm, etſi conſuetudinem omnem non rejiciam; omnem tamen non licet quoque comprobare, uti patet ex variis Eccleſiæ Decretis, & ſignanter ex Synodo Tridentinâ, quæ varias hinc inde conſuetudines, ut meras corruptelas in hâc eâdem re proſcribere ſolet, & abolere. Nec enim tempori conformandi ſunt mores, & leges; ſed veritati, quam præſcribit lex CHRISTI, & Eccleſiaſtica oſtendit diſciplina; non corrupta ſæculi conſuetudo in multis ſubindè prædictis legibus contraria.

Cùm verò praxi Belgicæ principaliter attendam, pauca velim hîc prænotanda, quoad Juris communis, tam Canonici, quàm Civilis in his locis obſervationem. Primò quidem, quod etſi omnia Chriſtianæ Fidei Regna Jus Canonicum admiſerint, & ſequantur; non omnia tamen æqualiter id ſuſceperunt. In Galliis Jus Canonicum maximè novum, magnâ ex parte non admittitur, dum juriſdictioni Eccleſiaſticæ ordinariæ derogat,

aut adverſatur, ut refert Bugnion, de Leg.abrog.lib.1.Sat.150. maximè verò ibidem recurri ſolet ad Jus Canonicum antiquum, quotieſcumque jus novum ſtatui repugnat, in quo aliqui magnâ ex parte fundant libertatem Eccleſiæ Gallicanæ. Juri etiam Canonico ibidem derogarunt varia Concordata, varia Arreſta ſupremi Concilii, variæ Ordinationes Regiæ, & alia in eo Regno ſedulò attendenda.

In Belgio autem ſolent Eccleſiaſticæ Curiæ procedere juxtà ſacros Canones teſte Zypæo lib. 1. Juris Pontif. de Conſtitut. num. 12. Præterquam, quod ex Concordatis Epiſcopi Leodienſis, & Cameracenſis cum Carolo V. in Brabantia, in materia Teſtamentorum Statuta locorum, & Ordinationes Principum ſequi oporteat. Varia quoque ex patriæ conſuetudinibus in ſuum forum hîc admiſerunt, ut varia Arreſta, & alia his ſimilia. Imo addit idem Author, quod olim in Tribunalibus ſæcularibus poſt Conſuetudines, Statuta, & Edicta, tertio gradu locus fuerit ſacris Canonibus.

Cùm verò teſte Guicciardino in deſcript. Belg. gener. in fine, & aliis, eaſdem hîc habeat Princeps in ſua ditione cum Pontifice conventiones, quas in ſuo Regno habet Rex Galliæ: hinc non tam exactè attendi hic ſolet Juri Canonico novo in materia Beneficiorum, quoad collationem, confirmationem, electionem Beneficiorum, quoad jus patronatûs, quoad jus decimarum, &c. prout id latius patebit in decurſu. Et hinc fortè factum eſt, ut Jus novum Concilii Tridentini, etſi à Rege Catholico juſſum fuerit hîc promulgari, & obſervari, ut teſtata eſt Margareta Duciſſa in ſuis litteris 24. Julii 1565. non ita exactè tamen hîc fuerit receptum in illis maximè punctis, quæ Regalia immutare quoquo modo poſſent, aut etiam jura, & privilegia ſuæ Majeſtatis, ejuſque Vaſallorum, Statuum, aut ſubjectorum, maximè circà juriſdictionem laïcalem, jus Patronatûs, Indultum, ſeu jus nominationis, cognitionis cauſarum, materiæ poſſeſſoriæ Beneficiorum, decimarum, &c. Hinc etiam Conſtitutiones Pontificiæ, tametſi Romæ jam promulgatæ, in Belgio ante Placitum Regis non ſolent obligare; quod Zypæus ibi ſuprà, reſtringit ſolummodo ad reſcripta in materia beneficiali: cui tamen adverſatur Bertrandus Loth

dicens,

Digitized by Google

dicens, quod uſus Belgii ſcientibus ſummis Pontificibus, & Nuntiis Apoſtolicis, nec contradicentibus obſervatus habeat, quod pro *quocumque Diplomate Pontificio* petatur placitum Regium: quale privilegium cenſet dictus Author competere Regi Catholico ex concordatis, & privilegio ſummi Pontificis; etſi alii velint id obtinere ex longa conſuetudine legitimè præſcriptâ; quod aliis diſceptandum relinquimus.

Jus Civile autem, per omnes propemodum Europæ provincias obtinet, etiam illas, quæ Romanorum Majeſtatem aliàs non agnoſcunt, ut ſunt Galli, Hiſpani, imo & ipſi Turcæ, qui teſte D. Stockmans Deciſ. 1. num. 9. & aliis Codice Juſtiniani Græco utuntur. Hoc autem ex eodem Authore hîc obſervandum, quod jam ante 300. ultrà annos in Legibus Principum noſtrorum nullum veſtigium appareat Juriſprudentiæ Romanæ, nullamque loquendi formulam ex ea petitam: ſed omnia eſſe ſimpliciſſima, & ſine ſpecie artis, prouti conſtare ait ex tabulis Cortenbergenſibus Joannis Brab. Ducis: donec ſæculo decimo-quarto è Galliis Juriſprudentiæ obſervantia, & loquendi formula ſit hîc introducta. Porrò, etſi Leges Belgicæ ſint conſuetudinariæ, ut notant paſſim Authores Belgæ; ſæpius tamen in Belgio conſtitutum fuit, ut deficiente Jure proprio, ſive patriis conſuetudinibus, ac Regiis Conſtitutionibus, recurreretur ad Jus commune; quod & ſingulæ Belgicarum partium conſuetudines ſolent expreſsè indicare, & ſub ea conditione eæ ſunt confirmatæ, exceptis ſolis Hannoniæ conſuetudinibus, quas excipit Stockmans loco citato. Hinc Juri Romano hîc locus non eſt, 1. In illis punctis, in quibus per Edicta Principum eſt illis derogatum: 2. Quando contrariâ conſuetudine ab eo jure eſt receſſum, de quâ re latius videri poteſt Groenwegen in proœmio; qui & rectè addit, quod cùm ſæpè obſcuri ſint mores noſtri, ſoleamus in ea ambiguitate recurrere ad conſuetudines locorum vicinorum. Tenaciſſimum interim eſt Belgium ſuarum conſuetudinum, & privilegiorum; adeo ut omnis nova conſtitutio hîc ſuâ novitate perturbet: quâ de causâ etiam Brabanti in læto Introitu Art. 57. à Principe ſtipulari ſolent obſervantiam omnium ſuarum conſuetudinum: quod juxtà Zypæum Not. Juris Belg. de legibus, ita obti-

Digitized by Google

obtinet, ſi rationi non ſint illæ adverſariæ, aut cum jure nobis ingenito non pugnent: & ideo Albertus & Iſabella expreſsè ſtatuerunt Edicto 12. Junii 1611. art. 1. ut omnes toto Belgio conſuetudines à Principibus non probatæ, ſcripto conſignatæ ad ſuprema Concilia deferrerentur examinandæ, & comprobandæ. Variæ etiam conſuetudines tempore hæreſeos compilatæ ſunt, aut immutatæ, uti de noſtræ Urbis conſuetudinibus conſtat: quâ ratione in iis, quæ Eccleſiaſticam immunitatem, & alia quædam concernunt, non adeo exactè ſunt obſervandæ, uti alibi patebit in decurſu.

Poſt conſuetudines in Belgio jus ſtatuunt Edicta Principum, eorum Conſtitutiones, Ordinationes, & Placita, dummodo expreſsè conſuetudini non derogant. Solent autem in condendis legibus, ait Zypæus in Proœmio Not. Belg. Principes noſtri præmittere conſultationes cum ſuis Conciliis plerumque Supremis, & aliquando Provincialibus: ac olim frequentius, cum generalibus Ordinibus, ſeu Provincialibus: prouti apud Brabantos olim factum eſt in Conventu Cortenbergenſi, & prouti tabulis legum Brabanticarum juxta Ducem magna Nobilium pars ſua ſigilla appendit. Poſt Principum Edicta, recurrere hic ſolent ad Jus commune; de quo ante, & de quo plura vide apud Stockmans Deciſ. 1.

Pauca hæc obſervanda propoſui, ne in decidendo hìc quis cœcutiat, aut à verâ juris obſervantiâ recedat. Cætera in particulari proponam in decurſu, ut nobis obſervaſſe licuit; & varias aliorum obſervationes non ſine labore in unum collegiſſe.

De cætero, ſi quid profuerim, veritati, & juſtitiæ adſcribendum velim, cui ſoli elucidandæ intendo, & ſcribo. Sicubi erraverim, quod homini proprium, emendari deſidero, & pleniùs edoceri. Omnia interim dicta S. R. Eccleſiæ Cenſuræ ſubjicio, & in omnibus, non niſi juſtitiam exopto, donec nobis illuceſcat ipſe Sol Juſtitiæ CHRISTUS Deus noſter.

IN-

INDEX CAPITUM.

TRACTATUS PRIMUS.

CAPUT I.

De Juſtitia, Jure, & Dominio.

Sectio I. *Quid ſit Juſtitia, & quotuplex.* Pag. 1
Sect. II. *Inter quos poſſit eſſe vera Juſtitia.* 8
Sect. III. *De objecto proprio juſtitiæ, ſive jure.* 9
Sect. IV. *De Dominio.* 11
Sect. V. *De fundamento, & ſubjecto Dominii.* 13
Sect. VI. *Quinam habeant Dominium.* 15
Sect. VII. *De dominio Religioſorum.* 17
Sect. VIII. *De dominio Clericorum ſæcularium.* 22
Sect. IX. *Quænam ſit juſta Clericorum ſuſtentatio.* 31
Sect. X. *De objecto dominii hominis.* 35

CAPUT II.

De modis acquirendi Dominii.

Sectio I. *Quot modis acquiratur Dominium.* 38
Sect. II. *De modo acquirendi dominii per Venationem, &c.* 39
Sect. III. *An, & quatenus venatio ſit Clericis interdicta.* 42
Sect. IV. *De modo acquirendi dominii per Præſcriptionem.* 44
Sect. V. *De reliquis, ad legitimam præſcriptionem requiſitis.* 46
Sect. VI. *An, & quouſque præſcriptio valeat in foro conſcientiæ.* 49
Sect. VII. *De modo acquirendi dominii per commixtionem, accretionem, &c.* 51

CA-

CAPUT III.

De Injuriis, earumque compenſatione, ſive reſtitutione.

SECTIO I. QUid ſit, & qualiter fiat injuria. 52
SECT. II. Quid ſit reſtitutio, & unde oriatur ejuſdem obligatio. 53
SECT. III. An, & quatenus reſtitutio ſit neceſſaria. 55
SECT. IV. Quæ culpa requiratur, ut reſtitutio obliget. 58
SECT. V. Ex qua culpa oriatur obligatio reſtituendi, vi contractûs, vel Officii. 60

CAPUT IV.

De Injuriis in corpus proximi per occiſionem, aut mutilationem.

SECTIO I. AN, & quo caſu licitum ſit occidere. 64
SECT. II. An liceat occidere injuſtum invaſorem vitæ propriæ. 67
SECT. III. Quænam requirantur, ut dicta occiſio ſit licita. 72
SECT. IV. An liceat occidere injuſtum invaſorem bonorum temporalium. 75
SECT. V. An liceat occidere injuſtum invaſorem famæ, vel honoris. 77
SECT. VI. An liceat occidere injuſtum invaſorem pudicitiæ. 79
SECT. VII. An non liceat alio caſu alium occidere. 81
SECT. VIII. De occiſione ſui ipſius. 85
SECT. IX. An ille ſit homicida, qui ſe, vel alium caſualiter occidit. 88
SECT. X. De Mutilatione. 91
SECT. XI. Quænam ulterius prohibeantur lege, Non occides. 93
SECT. XII. De Duellis. 94
SECT. XIII. De pœnis Homicidii. 98
SECT. XIV. De reſtitutione faciendâ per homicidium, aut mutilationem. 101
SECT. XV. Corollaria aliquot ex dictis de homicidio deducta. 105

CAPUT V.

De Injuriis per ſtuprum, & adulterium illatis, deque earumdem reſtitutione faciendâ.

SECTIO I. DE injuriis, quæ inferuntur per ſtuprum. 107
SECT. II. Quid reſtituendum ſit puellæ non conſentienti. 109
SECT. III. Quid reſtituendum ſit ratione adulterii. 113
SECT. IV. De pœnis ſtupri, adulterii, &c. 116

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Injuriis in bonis temporalibus, eorumque reſtitutione.

SECTIO I. DE Furto, ac Rapinâ. 118

SECT. II. De gravitate Furti ex parte materiæ. 121

SECT. III. De furtis Filiorum, Religioſorum, Uxorum, &c. 123

SECT. IV. An ſurripere aliena in neceſſitate, ſit furari. 128

SECT. V. An liceat alicui rem ſuam occultè recuperare. 130

SECT. VI. An fur continuò peccet, donec reſtituat. 134

CAPUT VII.

De obligatione reſtituendi rem alienam.

SECTIO I. DE obligatione reſtituendi rem alienam à poſſeſſore bonæ fidei. 136

SECT. II. De obligatione reſtituendi rem alienam à poſſeſſore dubiæ fidei. 140

SECT. III. De obligatione reſtituendi rem alienam à poſſeſſore malæ fidei. 142

SECT. IV. Quos fructus rei, debeat reſtituere poſſeſſor rei alienæ. 145

SECT. V. De reſtitutione bonorum incertorum, & inventorum. 150

SECT. VI. An acquiſita pro opere aliàs debito, aut opere per ſe malo ſint reſtituenda: item, quando dominus ſuâ re eſt abuſurus. 155

SECT. VII. In quo loco, & cujus expenſis debeat fieri reſtitutio. 157

SECT. VIII. Quando, & quomodo facienda ſit reſtitutio. 158

SECT. IX. De ordine in reſtitutione obſervando. 161

SECT. X. De reſtitutione illius, qui alium injuſtè impedivit in conſecutione alicujus boni. 166

SECT. XI. Quomodo reſtituere obligetur ille, qui alium læſit in bonis ſpiritualibus. 168

CAPUT VIII.

De Coöperatoribus damnorum; eorumque obligationibus.

SECTIO I. QUot modis fiat talis coöperatio; ac primò de præcipiente, ſeu juſſione. 173

SECT. II. De Conſulente. 176

SECT. III. Conſenſus, palpo, recurſus, participans. 178

SECT. IV. Mutus, non obſtans, non manifeſtans. 179

SECT. V. An, & quomodo dicti coöperatores teneantur ad reſtitutionem. 182

SECT. VI. De excuſantibus à reſtitutione faciendâ. 184

TRACTATUS SECUNDUS.

De Contractibus.

CAPUT I.

De Contractibus in genere.

SECTIO I. Quid, & quotuplex ſit contractus, & quot modis perficiatur. 191
SECT. II. Quinam poſſint contrahere, per varia. 196
SECT. III. Quomodo error, aut dolus obſtet contractibus. 205
SECT. IV. An, & quomodo metus contractum vitiet. 207
SECT. V. An, & quomodo juramentum firmet contractum. 210
SECT. VI. An contractus ſine ſolemnitate juris initus valeat in foro conſcientia. 213
SECT. VII. Quatenus valeat contractus ſub conditione initus. 214
SECT. VIII. De beneficio reſtitutionis in integrum. 218

CAPUT II.

De Promiſſione, & Donatione.

SECTIO I. Quid promiſſio, & quomodo obliget. 222
SECT. II. An ſimplex promiſſio legitimè facta, & acceptata, debeat ſub peccato mortali adimpleri. 227
SECT. III. Quandonam promiſſio debitè facta, & acceptata deſinat obligare. 228
SECT. IV. De Donatione. 229
SECT. V. Quinam poſſint donare, per varia. 232
SECT. VI. Quibus donari poſſit, & quantum. 235

CAPUT III.

De ultimis voluntatibus.

SECTIO I. Quid, & quotuplex ſit ultima voluntas. 239
SECT. II. De ſolemnitatibus ad Teſtamentum requiſitis. 240
SECT. III. Quinam poſſint teſtari. 243
SECT. IV. Quinam poſſint inſtitui hæredes. 246
SECT. V. De modo, quo Teſtamentum debeat diſponi, aperiri, & revocari. 251
SECT. VI. De executione Teſtamenti. 255

CAPITUM.

CAPUT IV.

De Emptione & Venditione.

SECTIO I. *De Contractu emptionis.* 260
SECT. II. *De Negotiatione, quibuſque ſit licita.* 263
SECT. III. *De variis Mercatorum ſpeciebus.* 268
SECT. IV. *De materiâ venditionis, ſive, quæ res vendi poſſit.* 269
SECT. V. *De pretio rerum vendibilium, ejuſque juſtitiâ.* 271
SECT. VI. *De ſubhaſtatione, ſive auctione publicâ.* 275
SECT. VII. *De pretio legitimo obſervando.* 277
SECT. VIII. *An, & quando res poſſit vendi pluris, quàm valeat, aut emi minoris.* 278
SECT. IX. *De venditione cum pacto revendendi, & emptione cum pacto reëmendi: item de retractu.* 283
SECT. X. *De obligatione venditoris ad exponendum defectum rei venalis.* 284
SECT. XI. *De Monopoliis.* 288
SECT. XII. *De variis ad legitimam emptionem pertinentibus.* 391

CAPUT V.

De Mutuo & Uſurâ.

SECTIO I. *Quid ſit mutuum, & quotuplex.* 293
SECT. II. *De uſurâ, quid ſit, & quotuplex.* 297
SECT. III. *An uſura ſit illicita, & quo jure prohibita.* 299
SECT. IV. *Uſura prohibetur etiam jure poſitivo.* 303
SECT. V. *An ſaltem uſuræ licitè permittantur, aut poſſit in eis diſpenſari.* 305
SECT. VI. *Ob quem finem liceat ſine uſurâ mutuare.* 307
SECT. VII. *De titulis, ob quos liceat in mutuo aliquid exigere ultrà ſortem.* 311
SECT. VIII. *An liceat aliquid ultrà ſortem exigere in mutuo ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis.* 316
SECT. IX. *An pecuniæ pupillorum, & aliorum ſimilium poſſint dari mutuo ſub certo intereſſe ſine uſurâ.* 323
SECT. X. *An fructus percepti ex pignore, debeant computari in diminutionem ſortis.* 328
SECT. XI. *An ſemper liceat mutuatori paciſci, ut ſibi reddatur mutuum in eodem pondere, numero, & menſurâ, quibus ipſe mutuavit.* 331
SECT. XII. *An uſurarius fiat dominus uſurarum. Item de reſtitutione per uſurarium faciendâ.* 332
SECT. XIII. *De aliis ad reſtitutionem uſurarum obligatis.* 337
SECT. XIV. *De aliis ſpeciebus uſurarum.* 341

Digitized by Google

Sect. XV. *An Montes pietatis ſint liciti, & de Lombardis.* 345
Sect. XVI. *Quid Confeſſariis agendum cum uſurariis; ac de eorum pœnis.* 348

CAPUT VI.
De Contractu Societatis.

Sectio I. *Quid, & quotuplex ſit Societas.* 351
Sect. II. *An in Societate liceat pecuniam inferenti paciſci, ut ſors aſſecuretur, & inſuper paciſci de certo lucro.* 355
Sect. III. *De effectu Societatis, ejuſque diſſolutione.* 360
Sect. IV. *De diviſione inter ſocios facienda finita Societate.* 363
Sect. V. *De Societate animalium.* 365

CAPUT VII.
De Cenſibus.

Sectio I. *Quid ſit Cenſus, & quotuplex.* 366
Sect. II. *An Cenſus reales ſint liciti.* 368
Sect. III. *An Cenſus perſonalis ſit licitus.* 373
Sect. IV. *De Cenſu temporali, & vitalitio, an ſint liciti.* 376
Sect. V. *De Cenſu utrimque redimibili, & irredimibili, eorumque juſtitia.* 378
Sect. VI. *An Cenſus fieri debeat in pecunia numerata.* 381
Sect. VII. *Super quas res poſſint Cenſus conſti ui.* 382
Sect. VIII. *Quodnam ſit juſtum pretium in conſtituendis Cenſibus.* 386
Sect. IX. *De ſolutione Penſionum.* 388
Sect. X. *De variis pactis Cenſui adjectis.* 392
Sect. XI. *De redemptione Cenſuum.* 394

CAPUT VIII.
De Cambiis, Locatione, & Conductione, & aliis Contractibus.

Sectio I. *Quid, & quotuplex ſit Cambium.* 398
Sect. II. *An Cambium locale, ſive per litteras ſit licitum.* 402
Sect. III. *De Cambiis ad certas nundinas.* 405
Sect. IV. *De Cambio Biſantino, & Cambio cum recambio.* 407
Sect. V. *De Locatione, & Conductione.* 409
Sect. VI. *De Feudo, & Emphyteuſi.* 417
Sect. VII. *De Depoſito, Commodato, Mandato, Precario.* 420
Sect. VIII. *De Pignore, & Hypotheca, Fidejuſſione, & Aſſecuratione.* 422
Sect. IX. *De Ludis, & Sponſionibus.* 424

CA-

CAPUT IX.

De injuſtitiâ Linguæ.

SECTIO I.	*DE Detractione.*	433
SECT. II.	*De gravitate detractionis, & contumelia.*	439
SECT. III.	*De reſtitutione famæ à detractore faciendâ.*	441
SECT. IV.	*Quinam pro aliis teneantur ad reſtitutionem famæ.*	444
SECT. V.	*Quomodo, & coram quibus fama ſit reſtituenda.*	446
SECT. VI.	*Quænam excuſent à reſtitutione famæ.*	448
SECT. VII.	*De reſtitutione honoris per contumeliam læſi.*	451
SECT. VIII.	*De Suſurratione, & Deriſione.*	453
SECT. IX.	*De judicio temerario.*	456

TRACTATUS TERTIUS.

CAPUT I.

De Judiciis.

SECTIO I.	*QUid judicium, & an judicare ſit licitum.*	460
SECT. II.	*De Judice, ejuſque officio, & obligatione.*	462
SECT. III.	*An Judici liceat munus accipere.*	464
SECT. IV.	*An, & quomodo Judex judicare debeat juxtà leges.*	467
SECT. V.	*Quomodo Judex procedere debeat in caſu dubii.*	469
SECT. VI.	*An, & quomodo Judex judicare poſſit juxtà propriam ſcientiam, & conſcientiam.*	472
SECT. VII.	*De modis, quibus Judex procedere debeat contrà crimina.*	475
SECT. VIII.	*De Teſtibus, eorumque obligationibus.*	479
SECT. IX.	*An Teſtis, item Reus legitime rogati, poſſint uti reſtrictione mentali, æquivocatione, &c.*	483
SECT. X.	*De Reo, ejuſque obligatione in Judicio.*	486
SECT. XI.	*Quomodo Judex poſſit Reum adjudicare Torturæ.*	489
SECT. XII.	*An Reus poſſit rogari de aliis criminibus, & de complicibus.*	491
SECT. XIII.	*De ſententia Judicis injuſtâ, qualiter obliget.*	493
SECT. XIV.	*Quomodo Reus debeat ſententiæ obedire.*	495
SECT. XV.	*De Advocatis, eorumque obligationibus.*	498
SECT. XVI.	*De Procuratoribus, ac Notariis, eorumque obligatione.*	502
SECT. XVII.	*An Clerici, ac Religioſi poſſint obire officia Advocati, Procuratoris, aut Notarii.*	506

SECT.

Sect. XVIII. *Quomodo Confeſſarius ſeſe gerere debeat cum Reo.* 509
Sect. XIX. *De Judiciis Eccleſiaſticis.* 510

CAPUT II.

De Juſtitiâ diſtributivâ.

Sectio I. *De perſonarum acceptione, quot modis fieri ſoleat.* 514
Sect. II. *Quomodo ſit acceptio perſonarum in diſtributione Officiorum ſæcularium.* 516
Sect. III. *De impoſitione Tributorum, & vectigalium.* 520
Sect. IV. *An defraudantes vectigalia teneantur ad reſtitutionem.* 524

CAPUT III.

De Immunitate, ac Juriſdictione Eccleſiaſticâ.

Sectio I. *Quid, quotuplex, & ex quo jure ſit Immunitas Eccleſiaſtica.* 528
Sect. II. *De emptione à Vectigalibus, & Tributis.* 531
Sect. III. *De Immunitate Eccleſiaſticorum à foro ſæculari.* 535
Sect. IV. *De Immunitate Eccleſiarum, & locorum piorum.* 541

TRACTATUS QUARTUS.

CAPUT I.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

Sectio I. *Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum, & quotuplex.* 549
Sect. II. *De Beneficiis Regularibus.* 552
Sect. III. *De Beneficiis ſæcularibus in particulari.* 556
Sect. IV. *De Paſtoribus, & Canonicis.* 562
Sect. V. *De Commendis.* 567
Sect. VI. *Quibus modis ſoleant conferri Beneficia.* 569
Sect. VII. *De jure Regalium, & inveſtituræ.* 572
Sect. VIII. *De jure Patronatûs.* 576
Sect. IX. *Quibus competere poſſit jus Patronatûs: quomodo probandum, & quot modis ad alios transferatur.* 580
Sec. X. *Quibuſnam competat jus conferendi Beneficia.* 583

CA-

CAPUT II.

Qui, & quales ſint ad Beneficia promovendi.

Sectio I. *AN liceat ad Beneficia promovere indignos.* 585

Sect. II. *An ille, qui confert indigno, vel qui digniore prætermiſſo promovet minus dignum ad Beneficium aliquod, teneatur ad reſtitutionem.* 590

Sect. III. *De qualitatibus requiſitis ad Eccleſiaſticum Beneficium ritè obtinendum.* 593

Sect. IV. *De pluralitate Beneficiorum.* 601

Sect. V. *An, & quâ ratione liceat plura Beneficia obtineri ab eodem.* 605

Sect. VI. *De unionibus Beneficiorum Eccleſiaſticorum.* 611

Sect. VII. *De reſignatione & permutatione Beneficiorum, item de jure regreſsûs.* 614

CAPUT III.

De obligationibus Beneficiatorum.

Sectio I. *QUid proviſo de Beneficio ſit agendum.* 621

Sect. II. *De obligatione recitandi Horas Canonicas.* 623

Sect. III. *Quomodo, & quando Horæ Canonicæ à Beneficiato ſint recitandæ.* 627

Sect. IV. *De obligatione reſidendi, & ex quo jure illa ſit.* 637

Sect. V. *De cauſis à reſidentiâ excuſantibus.* 642

Sect. VI. *De pœnis non reſidentium.* 650

Sect. VII. *De reſidentiâ Canonicorum, & aliorum Beneficiatorum.* 653

Sect. VIII. *De diſtributionibus à Canonicis, & aliis percipiendis.* 657

Sect. IX. *De vitâ, & honeſtate Clericorum.* 665

Sect. X. *De Penſionibus: quid ſint, & quomodo imponantur.* 673

Sect. XI. *De legitimâ diſpenſatione fructuum Eccleſiaſticorum.* 681

Sect. XII. *An Clerici beneficiati habentes ſufficiens patrimonium, poſſint eo reſervato vivere de fructibus ſui beneficii.* 688

Sect. XIII. *De rectâ bonorum Eccleſiaſticorum conſervatione, alienatione.* 690

CAPUT IV.

De Decimis, Primitiis, Novalibus, & Oblationibus.

Sectio I. *QUid, & quotuplices ſint Decimæ, & quomodo debeantur Eccleſiæ Miniſtris.* 695

Sect. II. *Quinam Decimas dare obligentur, aut ab illis dandis eximantur.* 700

Sect. III. *Quibus competat jus decimarum, & de quibus decimæ ſint perſolvendæ.* 705
Sect. IV. *Quandò, ubi, & quomodo decimæ ſint perſolvendæ. De oneribus, quibus decimæ ſunt ſubjectæ: ac de pœnis non ſolventium decimas.* 710
Sect. V. *De Novalibus, Primitiis, & aliis Oblationibus.* 712
Sect. VI. *De Portionibus Canonicis, Portione congruâ, & aliis Eccleſiaſticorum fructibus.* 716

CAPUT V.
De Simoniâ.

Sectio I. *Quid ſit Simonia, quale peccatum, & quotuplex.* 720
Sect. II. *De pretio, ſeu munere Simoniaco.* 724
Sect. III. *An temporale debeat appeti tamquam motivum principale, ut committatur Simonia.* 730
Sect. IV. *An Pontifex poſſit eſſe Simoniacus.* 734
Sect. V. *De Simoniâ in Sacramentorum adminiſtratione.* 737
Sect. VI. *De Simoniâ in collatione Ordinum, & in Sacramento Matrimonii.* 743
Sect. VII. *De Simoniâ in Sacramentalibus, diſpenſationibus, & aliis Eccleſiæ miniſteriis.* 747
Sect. VIII. *An ſit Simoniacum exigere aliquid pro tradendâ ſcientiâ Theologicâ, pro ſepulturâ, pro anniverſariis, &c.* 752
Sect. IX. *De Simoniâ circà ingreſſum Religionis.* 757
Sect. X. *An, & quomodo hic conſuetudo juvat in contrarium. Item quandonam cenſeatur Monaſterium eſſe inſufficiens in ordine ad recipiendam dotem. Item aliquot hanc rem concernentia.* 767
Sect. XI. *De Simonia in Beneficiis Eccleſiaſticis.* 773
Sect. XII. *De Simonia in collatione, nominatione, confirmatione, inſtitutione, permutatione, & reſignatione Beneficii.* 779
Sect. XIII. *De Penſionibus Simoniacis, & de Annatis.* 788
Sect. XIV. *De pœnis Simoniacorum.* 792
Sect. XV. *De reſtitutione rerum Simoniacè acceptarum.* 796

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATUS PRIMUS.
DE JURE ET JUSTITIA.

CAPUT PRIMUM.
De Juſtitia, Jure, & Dominio.

SECTIO PRIMA.
Quid ſit juſtitia, & quotuplex.

JUSTITIAM generalius cum aliis accipit S. Hieronimus epiſt. ad Demetriad. ubi ait: *Omnis virtutum ſpecies uno juſtitiæ nomine continetur.* Ab hâc dicitur homo *juſtus*, faciendo Dei legem, quæ ipſa ſæpè dicitur *juſtitia*, & *juſtificatio* apud Pſalmiſtam, maximè per totum Pſalmum 118. S. Auguſtino autem admodum familiaris eſt *juſtitiæ dilectio*, ad quem conformiter juſtificandorum diſpoſitiones deſcribens S. Synodus Tridentina ſeſſ. 6. c. 6. indicit, quod inter alia, Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant. Hanc dilectionem juſtitiæ ad omne opus bonum neceſſariam, docet dictus Eccliſiæ Doctor l. 2. de pecc. merit. c. 18. ubi ait: *Mirum, ſi voluntas poteſt in medio quodam ità conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit: aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt: & ſi magis diligimus, magis bona: ſi minus, minus bona eſt: aut ſi omninò non diligimus, non bona eſt. Quis verò dubitet dicere. voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo*

Juſtitiæ deſcriptiones.

Juſtitiæ dilectio.

Digitized by Google

eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? Quid verò ſit dicta juſtitiæ dilectio, alibi explicat dicens, ut nihil ſit aliud, quàm dilectio Dei propter ſe. Innuit illud tractatu 100. in Joan. ubi ait: *Si ſe quiſquam juſtum fingat, & non ſit, ſed totum, quidquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc eſt, propter veram juſtitiam. Eſt enim planè*, ait epiſt. 222. *ille ſummus Deus vera juſtitia, vel ille verus Deus ſumma juſtitia, quam profectò eſurire, & ſitire, ea noſtra eſt in hàc peregrinatione juſtitia, & quà poſtea ſaturari, ea noſtra eſt in æternitate plena juſtitia.*

Hanc etiam dilectionem juſtitiæ opponit S. Doctor formidini pœnæ, ex quâ ſolâ pœnitentiam veram, ac ſalutarem proficiſci poſſe, negat idem Doctor, dum ait, in Pſalm. 77. *Ex corde nullo modo fieri poteſt, quod fit formidine pœnæ, non dilectione juſtitiæ.*

Quis verò neget veram, ac ſalutarem pœnitentiam debere ex corde proficiſci? Hanc ergo quoque pœnitentiam in vero pœnitente exegit Synodus Tridentina, requirens, ut Deum tamquàm omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat; ut bonum benè fiat, dicente eodem S. Patre l. 2. ad Bonif. c. 9. *Quando timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum.* Et quamvis fatendum ſit, juſtitiæ reſpectum haberi poſſe, dum timetur pœna, & quæ eam infligit, divina juſtitia, cujus juſtitiæ ſubindè meminit Apoſtolus; puta, juſtitiæ veteris teſtamenti, & ſpiritus ſervitutis in timore: eamdem tamen etiam paſſim rejicit, dilectionem juſtitiæ, tamquam filiis N. T. propriam ubique præferens, & commendans.

Famoſa inſuper eidem S. Doctori dicitur juſtitia eſſe dilectio Dei, & proximi, prout eam expreſsè definit l. 83. qq. q. 61. cui conſonat Doctor Mellifluus, vel quiſquis alius l. de ord. vitæ dicens; *Juſtitia dilectionem Dei, & proximi ſervat*, adeoque & plenitudinem legis, quæ duabus dictis legibus ſolet comprehendi. Hinc fit, ut ſicut ordo amoris exigit, & ille juſtè, ac ſanctè vivat, qui rerum integer eſt æſtimator; ne aut diligat, quod non eſt diligendum; aut non diligat, quod eſt diligendum; aut amplius diligat, quod minus eſt diligendum; in quo abſolvitur ordo amoris: ità etiam juſtitia, uti & dilectio ordinata, ſua cuique tribuit; ſive ex ſtricto jure, ſive ex obligatione charitatis illud debeatur. Juxtà hanc juſtitiæ notionem, ait dictus Doctor ſerm. 3. de adventu: *Juſtitia virtus eſt, quod ſuum eſt, cuique tribuens. Tribue ergò tribus, quæ ſua ſunt: redde ſuperiori: redde inferiori: redde æquali, cuique quod debes.* Et S. Proſper l. 3. de virtut. & vit. c. 26. *Juſtitia*, ait, *opus eſt proprium, ſua cuique tribuere, Deo nos, à quo ſumus facti, reddamus: nec dominari ea nobis, quibus naturaliter præpoſiti ſumus, permittamus. Dominetur vitiis ratio, ſubjiciatur corpus animo, animus Deo.* Hoc enim exigit ipſa dilectionis ordinatio. Ex eodem fonte docet S. Aug. c. 70. de naturâ & grat. quod ſicut creſcit ipſa dilectio, ità pariter creſcat juſtitia, ità ſcribens ibidem: *Charitas inchoata,*

inchoa-

Digitized by Google

incboata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.

Alibi inſuper accipitur juſtitia pro eleëmoſynâ, ut Matth. 6. ubi dicitur: *attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus:* & Pſal. 111. *diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Quod verum habet illa maximè ſententia, quæ meritò tenet, eleëmoſynam ex juſtitiâ ſtrictè dictâ pauperibus eſſe erogandam. Et hæ quidem juſtitiæ notiones generales.

Propriè tamen eam breviter definit S. Aug. l. 19. de civitate c. 21. dicens; *Juſtitia eſt virtus, quæ ſua cuique diſtribuit.* Conformiter ad dictam definitionem à Theologis æquè, ac Juriſtis, hæc commendatur juſtitiæ definitio data ab Ulpiano: *Juſtitia eſt perpetua, & conſtans voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Juſtitiæ definitio.

Dicitur 1. *Perpetua*, non perpetuitate actûs, ſed objecti: id eſt, non quòd debeat actus juſtitiæ perpetuò durare; ſed quòd debeat eſſe conſtans voluntas dandi ſemper, & perpetuò cuique quod ſuum eſt. Aliud eſt enim velle aliquid dare perpetuò; & aliud eſt, perpetuò velle illud dare.

Dicitur 2. *Conſtans*, ut indicetur, quòd voluntas illa, ejuſque propoſitum, ſuum cuique tribuendi, debeat eſſe firmum, conſtans, & planè ſerium, ac forte. Hinc notandum, non eſſe idem *perpetuum*, & *conſtans*; illud enim dicit ſolùm propoſitum ità ſemper, ac perpetuò operandi: hoc verò ſolùm importat talis propoſiti firmitatem, ac conſtantiam.

Dicitur 3. *Voluntas*, non potentia, ſed habitus in voluntate, aut ejus actus, prout poſteà dicetur, quod proprium juſtitiæ ſubjectum ſit voluntas: neque enim ideo quis dicitur *juſtus*, quod cognoſcat, quid cuique de jure competat, ſed quod conſtanter velit illud alteri tribuere.

Dicitur 4. *Jus ſuum cuique tribuendi.* Quâ parte diſtinguitur juſtitia tamquam differentiâ ſuâ, ab aliis virtutibus moralibus, cum omnis virtus debeat eſſe conſtans, ac perpetua. Quid autem ſit hic *jus*, poſtea dicetur.

Patet interim ex dictis, juſtitiam eſſe ad alterum, dum alteri cuique reddit, quod ſuum eſt. Et quamvis ſæpè partes ſibi mutuo dicantur dare, quod ſuum eſt, uti etiam dare dicitur appetitus rationi, quod eſt rationis, prout ante dictum eſt ex S. Proſpero: tamen ejuſmodi juſtitia, generalis tantum eſt, & metaphorica; non verò propriè dicta.

Cùm autem juſtitia diſponat aliquem ad alterum duobus potiſſimum modis; vel ut ad perſonam ſingularem, vel ad commune bonum; hinc primò diſtingui ſolet juſtitia in generalem, & particularem. Prout ergò aliquis particulari perſonæ tribuit, quod ſuum eſt: vel illud idem tribuit Reipublicæ, Communitati, &c. dicitur juſtitia *particularis* vel *generalis*. Dicitur etiam hæc *legalis*, eò quòd non ſit ex particularibus pactis, aut conventionibus, ſed legibus communibus, quarum de ſe eſt procurare bonum com- Juſtitiæ diviſio.

Digitized by Google

Variæ quæſtiones. mune, & conſequenter habet eumdem ſcopum cum lege. De hâc legali juſtitiâ ſolent quærere. 1. an ſit Virtus ſpecialis. 2. an ſit Vera juſtitia. 3. an in Principe, & ſubditis ſit ejuſdem ſpeciei.

Et ad primum reſpondent alii, legalem juſtitiam ſpectare ad eam virtutem, è cujus affectu exercetur. v. g. vult quis dare Reipublicæ, quod ſuum eſt ex affectu obedientiæ, erit actus obedientiæ, & ſic de cæteris. Alii tamen videntur melius docere, quod ſit virtus ſpecialis. Quod ſit virtus, per ſe patet; cum diſponat hominem in ordine ad procurandum bonum commune, in quo juxtà S. Auguſtinum in Regulâ, ſita eſt principalis Religioſorum perfectio; quod quantò amplius communia, quàm propria curaverint, tantò ſe amplius profeciſſe noverint. Quod itidem verum eſt, in omni aliâ communitate, etiam politicâ; dum ex boni communis profectu, omnium proſperitas, & profectus dependet. Quod autem ſit virtus ſpecialis rectè probat hîc Sylvius ex eo, quod habeat objectum formale ab aliis virtutibus diſtinctum, ſcilicet debitum partis ad communitatem; ſive, ut detur communitati, quod communitati debetur. Hinc quoque virtus illa ſpecialem habet in operando difficultatem, & verſatur circa bonum aliquod ſpeciale. Neque hîc ullatenus refert, quod omnis omninò virtus ordinetur ad commune bonum: quia hoc ſolum fit mediatè, ac ſecundariò; dum per ſe, immediatè, ac principaliter ordinatur ad finem proximum tali virtuti correſpondentem.

Neque ulteriùs refert, quod S. Thomas q. 58. art. 6. dictam juſtitiam vocet *generalem virtutem*, non quaſi ad omnes alias virtutes illa pertineat: ſed vel ex eo, quod non reſpiciat perſonam particularem, ſed communitatem, ſeu generalitatem. Vel etiam ex eo, quod omnes alias virtutes ordinet, ac dirigat ad bonum commune promovendum, & in eo ab illâ dependeant. Sic etiam charitas dici ſolet virtus generalis; tum, quod ab illâ, tota lex pendeat: tum etiam, quod omnes alias virtutes ordinet ad finem charitatis; id eſt, ut Deo placeant, & ejus gloriam promoveant, ad quem finem omnis vera virtus eſt ordinanda.

Ad ſecundum verò, an juſtitia legalis ſit vera juſtitia; verius, ac ſolidius reſpondetur, eam eſſe veram, & propriè dictam juſtitiam: rationem dat S. Thomas q. 101. art. 3. dicens, quod juſtitia ſe habeat ad generale, & particulare ſecundùm propriam rationem, quibus vult reddi, quod ſuum eſt; in quo ſita eſt formalis ratio juſtitiæ.

Objiciunt aliqui, quod Reipublicæ, uti & Parentibus, ac Deo, nil poſſit dari ad æqualitatem, quod tamen vera juſtitia exigit, ac requirit. Reſp. dum dici hoc ſolet de Republicâ, intelligendum illud eſt, prout Reſpublica eſt objectum pietatis. Pro quo ulteriùs eſt notandum, quod Reſpublica dupliciter poſſit conſiderari: ſemel, ut eſt principium ortûs, ac ſubſiſtentiæ; quâ ratione verum eſt, quod eidem non poſſit dari æquivalens.

lens. Alio modo, ut eſt communitas aliqua civilis, ſive plurium aliquorum civili ſocietate conjunctorum: quâ ratione inter illam, & cives poteſt eſſe vera æqualitas, & inæqualitas; adeoque & vera juſtitia. Hinc, ſi Reſpublica ità conſiderata Civi cuipiam mutuaret v. g. deberet ille mutuum reddere ex ſtrictâ juſtitiâ: uti etiam, ſi civis operas ſuas elocaret Reipublicæ, deberet illa reddere mercedem Civi operanti ex juſtitiâ ſtrictè dictâ.

Ex dictis patet, quomodo juſtitia illa differat à pietate, & obedientiâ. A pietate quidem, quod juſtitia dicta reſpiciat bonum commune, quâ tale, & inclinet ad dandum Patriæ, quod illi debetur; non conſiderando, an ſit Patria eſſendi, an gubernandi principium; ſed quid procuratio boni communis à particulari exigat. Pietas verò, etſi ſit virtus ſatis generalis, tamen per illam inclinemur, ad dandum Patriæ id, quod illi debetur, prout eſt naſcendi, & gubernandi principium. Differt verò ab obedientiâ, quod hæc opus ſuperiori exhibeat, ut præceptum eſt; quod juſtitia exhibet ut debitum, etiamſi ſæpè contingat, & debitum oriri ex præcepto, & præceptum ex debito. Ità Malderus Dub. 2. **Differentia juſtitiæ à pietate, & obedientiâ.**

Ad tertium verò, an ſcilicet in Principe, & ſubdito juſtitia legalis ſit ejuſdem ſpeciei, quamquam eâ de re non multum interſit, hoc tamen certum ſit, in Principe dictam juſtitiam adeò eſſe neceſſariam, ut ſine eâ non tam Principis, quàm tyranni titulo meritò indigitetur, ſi cuncta ſua ſtudia ad privatum commodum, non verò ad commune bonum ſtudeat ordinare. Reſpondent hîc interim, eſſe in illis ejuſdem planè ſpeciei juſtitiam legalem, cum tam in Principe, quàm ſubdito reſpiciat idem objectum formale, ſcilicet bonum commune. Vide Sylvium q. 56. art. 6. quæſt. 3.

Dividitur ulterius Juſtitia in diſtributivam, & commutativam. Pro quâ diviſione Notandum ex Doctore Angelico q. 61. art. 1. quod poſſit duplex ordo attendi, qui ſit ad partem: *unus quidem*, ait, *qui ſit partis ad partem, cui ſimilis eſt ordo unius privatæ perſonæ ad aliam: & hunc ordinem dirigit juſtitia commutativa, quæ conſiſtit in his, quæ mutuo fiunt inter duas perſonas ad invicem.*

Fit etenim commutativa juſtitia communiter in commutationibus, unde etiam vocari ſolet *commutativa. Alius autem ordo*, ait dictus Doctor, *attenditur totius ad partes, & huic ordini aſſimilatur ordo ejus, quod eſt commune ad ſingulas perſonas, quem quidem ordinem dirigit juſtitia diſtributiva, quæ eſt diſtributiva communium ſecundùm proportionalitatem.* **Juſtitiæ commutativa, & diſtributiva.**

Fit etenim illa, in diſtributione bonorum communium, unde etiam vocari ſolet *diſtributiva*, v. g. in diſtributione beneficiorum, officiorum, tributorum, &c.

Hinc licet colligere illarum diſcrimen, quod ſcilicet commutativa ponat æqualitatem rei ad rem, adeoque reſpiciat proportionem arithmeticam, id eſt, ut quantum ſit acceptum, tantum reddatur ad æqualitatem rei ad rem, **Diſcrimen earundem.**

Digitized by Google

rem, non conſideratâ proportione meritorum, qualitatum, conditionum, &c. diſtributiva verò juſtitia reſpicit proportionem geometricam, ut qualis eſt proportio inter merita, talis etiam obſervetur proportio in diſtributione bonorum communium.

Obſervandum autem, quod juſtitia commutativa ſæpè ſit annexa diſtributivæ, ſi non ſolum ſit obligatio diſtribuendi bona aliqua ſecundùm proportionem geometricam, ſed etiam arithmeticam: v. g. ſi teſtamento relicti ſint 1000. floreni pauperibus certæ communitatis diſtribuendi juxta cujuſque indigentiam: debebitur quidem illis pauperibus ex juſtitiâ commutativâ dicta ſumma; adeo ut vera illis fiat injuria, ſi iiſdem non diſtribuatur: debetur tamen quoque iiſdem ex juſtitiâ diſtributivâ, in quantum iiſdem diſtributio facienda eſt, juxtà cujuſque indigentiæ proportionem.

Sola violatio commutativæ inducit obligationem reſtituendi.

Obſervandum inſuper, violationem juſtitiæ commutativæ ſolum inducere obligationem reſtituendi, non autem diſtributivæ, niſi in quantum concurrat violatio juſtitiæ commutativæ illi aliquando connexæ, juxtà mox dicta. Ratio hujus diſcriminis inde deſumitur, quod juſtitia diſtributiva non ſupponat ſtrictum jus in illis, quibus bona communia ex illâ juſtitiâ ſunt diſtribuenda; unde per ejus violationem nemo privatur re ſuâ: obligatio autem reſtituendi ſolum currit, quando ablatum eſt alienum, & conſequenter ſupponit ſtrictum jus violatum. Sicuti ergo per violationem obedientiæ, aut charitatis non naſcitur obligatio reſtituendi, etſi obedientiæ obſequium, vel benevolentia alteri debeatur ex jure minus proprio: ita etiam ex eo, quod illud, quod diſtribuitur, non ſit alteri, cui deberetur, ex ſtricto jure, quamvis ex jure minus proprio debitum: non naſcitur tamen obligatio reſtituendi ex violatione juſtitiæ diſtributivæ.

Ratio autem hujus à priori eſt hæc, quod juſtitia commutativa formaliter reſpiciat bonum æqualitatis, id eſt, quod quiſque habeat, quod ſuum eſt; nec quiſquam privetur re ſuâ: hoc autem poſt læſam juſtitiam commutativam etiamnum perſeverat, dum furtó v. g. perpetrato, ſemper manet obligatio, inæqualitatem per furtum factam reducendi ad æqualitatem; id eſt, ne ullus maneat re ſuâ privatus. Juſtitia verò diſtributiva quidem exigit, ut bona communia diſtribuantur juxtà proportionem geometricam; ſed illo neglecto, illud motivum ceſſat, dum jam bona illa non ſunt amplius diſtribuenda: adeo ut, ſi poſtea ex bonis propriis diſtribuens ſuppleat, quod requiritur ad æqualitatem; jam non ponitur illud, quod juſtitia diſtributiva intendit, ſcil. ut bona communia proportionaliter diſtribuantur; cum per illam reſtitutionem, aut ſupplerionem non habebitur aliquid de bonis communibus, ſed de bonis diſtributoris. Ita Lugo diſp. 1. ſect. 3.

Si tamen Judex indigno officium conferat, tenetur omninò ad reſtitutionem damnorum Reipublicæ obvenientium, cùm ſeſe obligavit eidem, ad damna

damna omnia ex officio ſuo avertenda, & procuranda. Verùm hæc reſtituendi obligatio, non oritur ex violatione juſtitiæ diſtributivæ, ſed commutativæ, quatenus agit contra ſervitium, & obſequium Reipublicæ promiſſum, & contractum virtualem non obſervat, de quâ re latiùs de contractibus, & alibi. Ex quo & illud liceat colligere, quod violatio juſtitiæ diſtributivæ annexam habeat obligationem reſtituendi, dum ſcilicet illa violatio annexam habet violationem juſtitiæ commutativæ.

Obſervandum quoque, quod diſtributiva juſtitia potiſſimum reſideat in ſuperioribus, dum ejus actus eſt diſtribuere bona communia, quod eſt poteſtatis publicæ, & ſuperioritatis. Si verò aliquando eadem diſtribuantur ab inferiori, ſeu ſubdito, ſolum operatur tunc ex facultate ſuperioris ipſi ſubdito communicatâ. Poteſt quidem actus ille, ſed imperfectus eſſe in ſubdito, dum v.g. vult bona communia debitè diſtribui, qui actus reducitur ad juſtitiam diſtributivam, uti etiam voluntas ejuſdem, quâ deſiderat ſcelera puniri, ſpectat ad juſtitiam vindicativam, quæ etiam propriè reſidet in ſuperiore. Diſtributiva maximè eſt in ſuperioribus.

Juſtitia verò vindicativa, quâ Judex v.g. inclinatur ad puniendum reum juxta proportionem culpæ, ſecunùdm D. Thomam q. 80. art. unico, reducitur ad commutativam. Ratio eſt, quod in illâ ſervetur æqualitas rei ad rem, quod & hic fit, quando Judex reum puniens, reddit ei pœnam juxtà leges debitam, & peccatis æqualem, juxtà illud Apocalypſ. 18. ***Quantum glorificavit ſe in deliciis: date illi luctûs, & pœna.*** Adde, quod Judex ex officio teneatur non ſolum proſpicere bono communi, ſed etiam bono civium, ſervando eos innoxios, quantum poteſt: ex quo ſequitur, quod ex juſtitiâ commutativâ debeat punire reos, & curare, ut pars læſa habeat ſatisfactionem: pro eo enim accipit à Republicâ ſtipendium ſuum, ut injurias alteri factas ulciſcatur, & partes læſas ſervet innoxias. Juſtitia vindicativa.

Quæres, an ergo violatio juſtitiæ vindicativæ inducat obligrtionem reſtitutionis. Reſpondeo affirmativè. Sicuti enim mercenarius accipiens ſtipendium, ut hortum colat, & cuſtodiat, tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex ejus negligentiâ inferuntur horto: ità & Judex, ſi ejus negligentiâ in puniendo patiantur ſubditi injuriam, tenetur illis ad reſtitutionem. Verùm de eâ re poſteà, agendo de coöperatione ad furtum, de non obſtante. Violatio vindicativæ cauſat obligationem reſtituendi.

N. tamen, quod quamvis juxtà dicta, vindicativa juſtitia ſit actus elicitus juſtitiæ commutativæ: eſt tamen imperatus à legali, eò quòd vindicatio illa per ſe, & primariò reſpiciat bonum commune; pacem ſcilicet, & quietem Reipublicæ, & ut cæteri timorem habeant. Ità Salonius q. 61. a. 1.

Addunt alii juſtitiam œconomicam, quæ ſit inter patrem, & filium; virum, & uxorem; dominum, & ſervum; ex eo autem, quod illarum perſonarum una ſit quaſi aliquid alterius, ideo ad hujuſmodi perſonas, non eſt ſimpliciter juſtitia, ſed quædam juſtitiæ ſpecies, ait S. Thomas q. 58. art. 7. ad 3. de quâ re mox plura. Juſtitia œconomica.

SE-

Digitized by Google

SECTIO II.

Inter quos poſſit eſſe vera Juſtitia.

PAtet ex dictis, quòd juſtitia ſit ad alterum, ex quo ulteriùs multi deducunt, quod juſtitia propriè dicta non poſſit eſſe inter patrem, & filium: virum, & uxorem, &c. Ex eo, quod una perſona ſit aliquid alterius perſonæ. Notandum quoque, multos cum Wiggers hîc dubio 2. num. 7. docere, quod juſtitia reddere debeat ad omnimodam æqualitatem, quâ ratione juſtitiam diſtinguunt à pietate, religione, & juſtitiâ legali; eò quòd numquam Deo, parentibus, aut Reipublicæ poſſit dari ad omnimodam æqualitatem. Illud tamen meritò multis diſplicet, ut mox patebit.

Inter Deum, & hominem

Reſpondeo ergo 1. Inter Deum, & hominem poteſt eſſe propriè dicta juſtitia. Ratio eſt, quod omnis perfectio, nullam in Deo ponens imperfectionem, Deo ſit adſcribenda, qualis eſt dicta juſtitia: eſt enim honeſtum, jus ſuum cuique tribuere, nec de cætero aliquid in Deo ponit imperfectionis. Hinc ſæpè dicitur Deus *juſtus*, dum homini juſto reddit coronam juſtitiæ, bonorum operum mercedem; adeo ut juxtà S. Aug. lib. 4. contra Julianum c. 3. *Deus erit injuſtus, ſi ad ejus regnum non admittatur juſtus.* Et Apoſtolus Hæb. 6. *non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.* Quæ omnia, uti alia, intelligi poſſunt, & conſequenter debent, de juſtitiâ propriè dictâ.

Pro quo N. quod ad juſtitiam propriè dictam nihil aliud requiratur, niſi quod ponatur æqualitas rei ad rem. Hoc autem hîc fit, quia inter opera juſtorum, prout à gratiâ, & Spiritu ſancto proficiſcuntur, intercedit æqualitas ſufficiens inter illa, & regnum cælorum. Deinde requiritur ratio dati, & accepti; ſive, ut unum detur pro alio, quod hîc quoque fit. Denique requiritur, ut ex datione unius oriatur obligatio in accipiente ad reddendum æquivalens accepto, quod etiam hîc fit: eò quòd poſitâ promiſſione Dei reddendi coronam juſtitiæ homini benè operanti, oriatur obligatio in Deo, illam bono operi reddendi. Quæ contrà objici poſſunt, rejecta habes in Principiis noſtris tom. 2. tract. 5. ſect. 3. quamvis hæc materia propriè ſpectet ad materiam de merito.

Aliundè tamen etiam veram juſtitiam inter Deum, & hominem agnoſcit S. Auguſtinus l. 19. de civit. c. 21. ubi docet, quod ſicuti ille injuſtus eſt, qui aufert fundum ejus, à quo emptus eſt, & tradit ei, qui nihil in eo habet juris: ità, qui ſe aufert Deo dominanti à quo factus eſt, eſt injuſtus. Neque dici ullatenus poteſt, quod hoc intelligendum ſit de jure minùs proprio, ſeu debito largè ſumpto; quod apertè repugnat comparationi S. Patris in furto, ubi læditur jus propriè dictum; ita etiam læditur jus Dei propriè dictum, quod habet ratione primi principii in omnes creaturas,

turas, dum homo non dat illud, quod primo principio debet. Ex quo ulterius collige, quod ſicuti ſervus à Domino fugiens, facit Domino veram, & propriè dictam injuſtitiam: ità etiam homo per peccatum à Deo domino ſuo fugiens, veram illi facit injuſtitiam, & ſe illi tenetur reſtituere.

Reſponſio 2. inter patrem, & filium intercedit vera juſtitia. Pro quo notandum, duplex eſſe fundamentum, quo filius dicitur eſſe aliquid patris. 1. Ratione generationis, quâ ratione eſt pars patris. 2. Ratione ſubjectionis filialis, quâ ratione ante emancipationem eſt ſub patria poteſtate. Ex hoc duplici fundamento oritur in utroque duplex debitum, & obligatio: in patre, quod debeat filium nutrire, regere, & gubernare: in filio verò, quod filius debeat patri obedientiam, & aſſiſtentiam, bona adventitia, &c. Probatur ergo reſponſio, quia filius eſt dominus ſuæ famæ, uſûs vitæ & membrorum, actuum liberorum, &c. Hinc ſi pater filio detrahat, cum occidat, mutilet, &c. erit reus detractionis, homicidii, &c. & conſequenter peccat verè contrà juſtitiam, non ſolum contra pietatem, ut vult Caietanus, & alii. Neque hîc conſideratur ullatenus ratio generationis, ratione cujus eſſet aliquid patris, adeoque dici poſſet, inter eos non eſſe æqualitatem, ſive inæqualitatem; ſed hîc conſiderantur, ut ſubjecta omninò diverſa, inter quæ intercedere poſſit vera æqualitas, & inæqualitas; & conſequenter vera juſtitia, & injuſtitia. Eadem ratio docet, etiam inter Dominum, & ſervum; virum, & uxorem poſſe conſiſtere juſtitiam propriè dictam. Inter Patrem, & filium.

Colligi quoque ex dictis poteſt, quâ ratione ſuprà dicat S. Thomas, juſtitiam œconomicam inter patrem, & filium, dominum, & ſervum; non eſſe veram juſtitiam, & ſimpliciter dictam: dum ſcilicet conſiderantur, ut ſunt eadem perſona, quod & ratio ejuſdem S. Doctoris ibidem allata ſatis probat. Eâdem ratione docet Salonius diſp. 57. art. 4. Magiſtrum Sotum non dixiſſe repugnantia, dum ſemel ait l. 3. q. 1. art. 4. *inter patrem, & filium non reperiri jus ſimpliciter*: & eodem libro q. 2. art. 2. *inter patrem, & filium eſſe veram rationem juſtitiæ.*

SECTIO III.

De objecto proprio juſtitiæ, ſive jure.

Cum juxtà D. Thomam q. 57. art. 1. ad 1. conſuetum ſit, quod nomina à primâ ſuâ ſignificatione, ſive impoſitione detorqueantur ad alia ſignificanda: ità etiam hoc nomen *jus*, primo impoſitum eſt ad ſignificandam ipſam rem juſtam: poſtmodum autem derivatum eſt ad artem, quâ cognoſcimus, quid ſit juſtum; & ulterius ad locum ſignificandum, in quo jus redditur, ſicut dicitur aliquis *comparere in jure.* Et ulterius dicitur etiam, quod jus reddatur ab eo, ad cujus officium pertinet juſtitiam facere; licet etiam id, quod decernit, ſit iniquum. Ità D. Thomas. Quocumque tandem modo *jus* ſumatur, ſignificat quodam ordine id, quod eſt juſtum, adeo-

Digitized by Google

que ordinem dicit ad juſtitiam; ex quo colligi jam inde poteſt, quomodo jus ſit objectum juſtitiæ. Cum enim juſtitia de ſe in illud inclinat, ut reddat, quod alteri eſt debitum; ſequitur, quod pro objecto ſuo proprio habeat juſtum debitum alteri, quod jus importat.

Quid ſit jus. Variant tamen Authores in aſſignandâ juris definitione. Et quidem Leſſius l. 2. c. 2. num. 1. cum aliis definit jus per injuriam; ſive, dicit eſſe illud, cujus violatio conſtituit injuriam. Verùm minus rectè: ſicuti enim debitum obedientiæ non rectè deſcribitur, dicendo eſſe illud, cujus violatio conſtituit inobedientiam, dum æquè ignota eſt ratio inobedientiæ, ac obedientiæ; ita etiam æquè ignota eſt ratio injuriæ, ac juſtitiæ, dum quæritur, quodnam ſit debitum illud, cujus violatio conſtituit injuriam. Ita Lugo diſp. 1. ſect. 1. num. 4. quod maximè etiam verum eſt, dum poſtea injuriam definiunt, *juris alieni violationem*, quod ſine vitioſo circulo nequit prætermitti.

Rectè proinde jus definiri poteſt, *quod ſit poteſtas legitima, diſponendi de re aliquâ in proprium commodum tanquam tuâ, per ſe obſtans, ne alius eâ de re diſponat, te rationabiliter invito.* Dicitur verò *poteſtas legitima*, ſive à juſtâ lege alicui conceſſa, ſive à lege naturali, uti eſt jus ad tuendam vitam: vel lege divinâ, uti eſt jus ad percipienda Eccleſiæ Sacramenta: vel lege humanâ, uti eſt jus ad communiter vivendum in Republicâ. Et hâc legitimâ facultate fit, ut nemo alius poſſit de re illâ diſponere, te rationabiliter invito: quod ſi fiat, læditur jus illud, & committitur injuria. Solet autem dici, quod

Titulus juris. omne jus fundetur in aliquo titulo, vi cujus habet quis eam poteſtatem; quâ ſignificatur fundamentum juris illius; ut puta, quod quis jus habeat, vel à lege aliquâ, juxta mox dicta, vel etiam aliunde, ut à mutuo contrahentium conſenſu, à conſuetudine, &c.

Objectum formale juſtitiæ. Ex dictis jam patet, quod dicta facultas legitima, non ſit objectum formale juſtitiæ, ſed illud ſit, æquale alteri debitum, dum juſtitia inclinat in hoc, ut alteri tribuatur, quod illi debetur ad æqualitatem; idque ideo, quia illud alteri debitum eſt. Vocari interim ſolet illa poteſtas legitima, *objectum formale cui*, dum nihil alteri eſt debitum, niſi ratione juris, quod alter habet.

Objectum materiale. Objectum verò juſtitiæ materiale, ſunt actiones illæ, quibus alteri datur ſuum debitum ad æqualitatem, v. g. redditio depoſiti, mutui, ſolutio pretii, &c.

Diviſio juris. Dividitur verò jus generaliter ſumptum pro lege, in jus naturale, jus civile, jus gentium, jus militare, jus publicum, jus Quiritum, &c. de quibus videri poteſt diſtinctio 1. & 2. Canonici juris.

Jus ad rem, jus in re. Famosè dividitur in jus in re, & jus ad rem. *Jus ad rem* eſt, quod necdum ipſam rem habet devinctam, ſed ſolam perſonam: undè dici ſolet, quod pariat ſolum actionem perſonalem, ſive in perſonam, ut eamdem legitimâ viâ compellere poſſit, ad rem illam conferendam, ad quam habet jus ad rem. Hinc poteſt tale jus exiſtere ad rem necdum exiſtentem, v. g. ad fructus necdum natos. Tale jus habetur per promiſſionem, donationem, emptionem ante traditionem rei. Tale quoque habet legitimè electus, poſtulatus, præſen-

ſentatus ad beneficium, ante confirmationem, aut inſtitutionem. *Jus in re* eſt, quod tribuit actionem realem, ſive immediatè in ipſam rem, quam per tale jus ſibi habet devinctam, ut eam poſſit inſequi, ubicumque illa fuerit. Hinc etiam non eſt, niſi circà rem exiſtentem, eſtque longè firmius, & perfectius, quam jus ad rem, ut rectè obſervat Wiggers cum aliis c. 3. dub. 2. & patebit in decurſu. Tale jus habet quis per donationem, emptionem poſt traditionem rei: in beneficium poſt confirmationem, aut inſtitutionem.

Alii dividunt jus ex parte principii, ex quo habetur, ſive originis, prout eſt à Deo, ab homine, &c. item etiam ex parte materiæ, ſive rei, in quam quis habet jus, v. g. in hominem, in prædium, &c. quâ ratione jus foret certè multiplex, præ multitudine objectorum.

SECTIO IV.

De Dominio.

Dominium aliquando ſumitur generaliter pro poteſtate aliquâ ſuperiori in rem, vel perſonam, quomodo Princeps dicitur *Dominus ſubditorum*, pater filii, vir uxoris. De ſe tamen dicit *dominium*, facultatem aliquam de aliquâ re diſponendi. Ut tamen eſt perfectior juris ſpecies, ſolet definiri dominium, quod ſit *jus in re, quo fit, ut quis poſſit diſponere de re aliqua tanquam ſuâ, ad omnem uſum lege non prohibitum.* In quâ definitione, Quid dominium.

Nota 1. omne dominium eſſe jus quoddam, ſed non è contrà, omne jus eſſe dominium: jus enim ad rem non eſt dominium: vir habet jus in uxorem, & uxor in corpus viri juxta Apoſtolum 1. Cor. 7. non tamen propriè vir eſt dominus uxoris, nec uxor viri eſt domina.

N. 2. quod ſit jus utendi re *tamquam ſuâ*, cum ſæpè detur facultas diſponendi de re aliquâ ad proprium commodum, ſed non tamquam ſuâ, ſeu ſibi propriâ, uti fit in poſſeſſionibus rerum ex ſola lege permiſſis, quarum quis non eſt Dominus.

N. 3. addi in definitione ad *omnem uſum*, *&c.* ſub quo etiam intellige abuſum, id eſt, rei conſumptionem, uti fit in rebus unico uſu conſumptibilibus. Debet verò eſſe uſus ille à lege permiſſus, ſive non prohibitus; quo pacto comprehenditur dominium pupillorum reſpectu ſuorum bonorum, quorum ſunt veri domini, cum de illis poſſint diſponere ad omnem uſum, qui illis lege permittitur: quod enim eadem alienare non poſſint, hoc ſpeciali lege prohibetur, uti & alii eorumdem uſus. Hinc quod ait Apoſtolus Galat. 4. *Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo:* intelligendum eſt, quoad bonorum uſum, non verò proprietatem, dum Apoſtolus continuò ſubdit: *cum ſit Dominus omnium.*

Notandum verò cum Dominico Soto l. 4. q. 1. art. 1. diverſam rem eſſe, titulum dominii ab ipſo dominio: *quod*, ait, *negligentius quidam Pariſienſium conſiderant: arbitrantes cum ſuo Cancellario eamdem facultatem, quæ eſt domi-*

Digitized by Google

nium, eſſe & titulum. Enimverò titulus eſt baſis dominii, ſeu radix, ex qua dominium pullulat. Sicuti ergò antea dictum eſt, illud ſuper quo fundatur jus, eſſe titulum ad jus requiſitum, quod vel ex natura, vel lege humana, vel divina proficiſcitur: ità & titulus dominii eſt radix dominii, ex qua oritur, quod tamquam Dominus poſſit diſponere de re aliquâ tamquam ſuâ ad omnem uſum lege permiſſum.

Quæres, an ad omne dominium requiratur, ut poſſit illud Dominus à ſe abdicare. Reſp. negativè. Deus enim habet perfectiſſimum dominium omnium creaturarum, quod tamen à ſe nequit abdicare, cum Deus ſit eſſentialiter Dominus omnium. Poteſt autem Deus uti omni re creatâ ad omnem uſum legitimum, idque etiam in propriam utilitatem extrinſecam, ſicuti etiam omnia propter ſemetipſum eſt operatus. Quod tamen non poſſit uti re aliquâ ad utilitatem propriam intrinſecam, non oritur ex imperfectione juris, aut dominii, ſed ex perfectione ſubjecti, quod bonorum nullorum indiget, ſed in ſe omnem perfectionem comprehendit.

Diviſio dominii.

Dividitur autem 1. dominium, in dominium proprietatis, & juriſdictionis. De priori hucuſque egimus. *Juriſdictionis* verò eſt, poteſtas gubernandi ſubditos tamquam ſuos; qualem Rex habet in ſubditos: actus ejus proprii ſunt *præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, præmiare.* Confundunt alii hoc dominium cum juriſdictione, quâ ratione illud idem dividunt ut illam, in ſæculare, & Eccleſiaſticum. Illud eſt, quo quis in ſæcularibus rebus ſubditos regit, & gubernat, procurando quietem, ac pacem temporalem, & publicam. Hoc verò eſt, quo quis eos regit in rebus ſpiritualibus, procurando ſalutem ſubditorum, ac Dei gloriam, & honorem. Ex quo colligitur, quomodo ex parte finis proximi illa diſtinguantur, dum unum de ſe reſpicit finem temporalem, aliud ſpiritualem.

Dominium juriſdictionis.

Directum & utile.

Dividitur ulterius dominium in directum, & utile. *Directum* eſt; quod rei proprietatem, non verò emolumenta complectitur, vel rei uſum. *Utile* eſt, quod ſolum dat rei utilitatem, non verò rei proprietatem importat. Si verò ambo concurrant, ſcilicet tam rei proprietas, quam ejuſdem utilitas, dicitur *dominium perfectum, ac plenum.*

Bona vinculata an poſſideantur vero dominio à poſſeſſoribus.

Quæres, an bona fidei commiſſa, majoratus, & ſimilia bona vinculata poſſideantur vero dominio. Reſp. diſſentiunt hìc authores. Fundamentum opinionis affirmativæ eſt, quod ſæpè videamus per indultum Principis eadem bona à poſſeſſoribus alienari: quo caſu volunt à Principe vinculum, quo non poterant alienari, diſſolvi: quod vinculum nihil obſtitit, quo minus dicerentur veri eorumdem Domini. Deindè, quod aliàs dicta bona viderentur eſſe ſub nullius dominio. Adde, quod eorum poſſeſſores ſæpè dicantur, & vocentur in jure eorum *Domini.* Hinc Wiggers, dub. 2. n. 6. docet, eadem bona poſſideri perfecto dominio, eo nixus fundamento, quod ſicut pupillus, ſolummodò lege prohibeantur eadem bona alienare.

Lugo tamen cum aliis rectiùs videtur loqui, negando eadem bona perfecto domi-

Digitized by Google

dominio à poſſeſſoribus poſſideri. Ratio eſt, quod talis poſſeſſor, non ſolum à lege prohibeatur eadem alienare : ſed hoc prohibeatur à juſtitiâ commutativâ; adeò ut alienando faciat ſuis ſucceſſoribus veram injuriam, & illis teneatur ad reſtitutionem : ex quo etiam ſequitur, quod ad eadem non habeat jus in re, adeoque nec perfectum dominium eorumdem. Ad fundamentum alterius ſententiæ dici poteſt : quando à Principe tollitur illud vinculum ob aliquam cauſam, non ideo fuiſſe, vel eſſe poſſeſſorem illorum Dominum ; ſed ob ſuum altum dominium ex præſumpta rationabiliter teſtatoris voluntate, interpretatur ejus mentem in hoc caſu, eadem non eſſe vinculata, & ſolum alienationem facit eſſe validam, dum ſæpè expedit bono communi, bona inalienabilia, alienari. Dominium verò eorumdem directum eſt penes poſſeſſorem, & totam familiam, quæ prout comprehendit ſucceſſores, eſt quaſi perſona quædam ficta fictione juris. Quod autem poſſeſſor aliquando in jure vocetur eorum *Dominus*; ideo fit, quod non ſit alius, qui in eadem bona habet majorem facultatem, quam ipſe poſſeſſor.

SECTIO V.

De fundamento & ſubjecto Dominii.

FUndamentum juris, uti & dominii eſt radix & origo, undè ultimatè reſultat poteſtas diſponendi de re aliquâ, cujus quis dicitur habere jus, vel dominium, de quo aliqua dicta ſunt ſect. 4. & 5. præcedenti. Modò agendum de fundamento, ſeu potius ſubjecto dominii capace. Et quidem Waldenſes, Wicleff, & Joannes Hus, fundamentum dominii ſtatuebant in fide, & charitate, adeò ut ſoli juſti, & exiſtentes in gratia eſſent veri domini, & amiſsâ gratia per peccatum mortale, perderet homo dominium, & juriſdictionem. Error ille jure merito in Conc. Conſtantienſi damnatus eſt ſeſ. 8. in hoc articulo : *Nullus eſt Dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali*, qui eſt articulus 15. Hæreſis hæc, Dominico Soto l. 4. q. 2. art. 1. fatua eſt, ſæpè, ac ſæpius condemnata. *Licet enim iniquus*, ait, *per modum meriti non ſit dignus pane, quo veſcitur, neque quâ vivit vitâ (ut Auguſtinus, & reliqui Sancti aiunt) perſtat tamen in eo natura jus, ut ſole fruatur, quem Deus oriri facit etiam ſuper malos.* Idem claret in variis Regibus, & Principibus impiis, ac ſceleſtis, uti in Nabuchodonoſore, Saüle, Cæſare, cui tamen cenſum tamquam Domino ſolvi jubet Salvator. Unde S. Auguſt. l. 5. de civit. Dei c. 21. ubi poſtquam oſtenderat Monarchiam à Deo eſſe datam, ità ſubdit: *Quæ, cum ità ſint, non tribuamus dandi Regni, & Imperii poteſtatem, niſi Deo vero, qui dat felicitatem in Regno Cœlorum ſolis piis : Regnum verò terrenum, & piis, & impiis; ſicut ei placet, cui nihil injuſtè placet.* Eumdem errorem condemnat ipſa ratio. Cum enim titulus, ſeu fundamentum dominii debeat eſſe manifeſtum, quo poteſtas dominii poſſit probari : ſequitur gratiam, quæ occulta eſt, non poſſe dominii eſſe fundamentum. Hinc & ſubditi ſeſe ab obedientiâ dominorum eo prætextu

textu facilè eximerent, quod eſſent impii, neque in gratiâ conſtituti: ubi tamen Apoſtolus Petrus, 1. cap. 2. jubet ſervos obedire Dominis, etiam diſcolis; unde ultimatè ex eodem errore ſequeretur maxima ubique confuſio.

Dictæ opinioni aliquatenus accedit opinio Gerſonis & aliorum, ſtatuentium domininm aliquod, quod vocant *gratificum*; quo fit, ut juſti, ratione gratiæ, acquirant novum jus in res creatas, quod jus amittunt eo ipſo, quo gratiâ excidunt per peccatum mortale. Differt tamen multùm hæc opinio ab errore dicto, quod equidem amiſsâ gratiâ relinquat homini jus illud, quod antea juſto titulo poſſidebat.

Tertiò, alii ſtatuerunt fundamentum dominii fidem, nullum dominium agnoſcentes, niſi in Eccleſiâ, & conſequenter nullum eſſe apud infideles. Verum dicta opinio ex dictis ſatis reprobatur, dicente Chriſto, Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum.*

Fundamentum ergo dominii juxta S. Thomam q. 66. art. 1. & alios, ponitur natura intellectualis, ut talis, ſive fidelis ſit, ſive infidelis; ſive in gratiâ, ſive extrà illam. Indicat hoc Scriptura Sacra Gen. 1. ubi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ratio ſubditur: *& præſit piſcibus maris, & volatilibus Cæli.* Hìc enim illa ſimilitudo Dei requiritur tamquam aliquod prærequiſitum, & tamquam fundamentum, ut homo præſit tamquam Dominus piſcibus maris, & volatilibus Cæli. Similitudo autem illa, & imago Dei, ſita eſt in intellectu, & voluntate. Secundò, fundamentum dominii illud eſt, per quod quis eſt aptus uti re ſuâ ad certum finem, quod ſola voluntas poteſt, & intellectus: ordinatio enim ad finem, non poteſt fieri, niſi per rationem.

Ex dictis ſequitur, inanimata, & irrationabilia dominii eſſe prorſus incapacia, dum carent dominii fundamento, puta libero arbitrio. Sic S. Aug. l. 83. qq. variè docet, bruta non habere propriè uſum, ſed tantum metaphoricè, adeoque nec dominium. Ratio quoque patet, quia aliàs, qui bruta privaret rebus ſuis, faceret illis injuriam, cujus ſunt incapacia: ille enim ſolus patitur injuriam, qui eſt invitus ad illam; puta, quod velit retinere ſuum jus, quod violatur: hoc autem fit per voluntatem, quâ bruta carent. Hinc, ſi quando in S. Scripturâ, brutis, aut aliis inanimatis tribuitur uſus, vel dominium, omnia illa intelligenda ſunt metaphoricè, & ſecundum quamdam dominii ſimilitudinem: ſic Leo dicitur *Rex beſtiarum*, Sol præeſſe diei, Luna nocti, herbam datam eſſe beſtiis terræ Geneſ. 1. &c.

Sequitur ulterius, Deo perfectiſſimè competere dominium; deindè Angelis, tamquàm naturis intellectualibus præſtantioribus. Imò nec defuerunt, qui cenſuerunt Deum eſſe ſolum dominum univerſorum, dum dicitur de eo Iſaiæ 22. *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum.* Et in miſsâ: *tu ſolus Dominus.* Pro quo ſit,

§ I.

SECTIO VI.

Quinam habeant Dominium.

Dicendum 1. Deus eſt Dominus totius Univerſi. Eſt de fide, juxta illud Pſ. 23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus.* Et Jud. 9. dicitur *Dominus totius creaturæ.* Fundatur autem dominium illud in titulo creationis, dum eodem Pſalmo continuò ſubditur: *quia ipſe ſuper maria fundavit eam, &c.* & Iſaiæ 44. *Ego Dominus faciens omnia.* 2. Fundatur dominium illud in conſervatione omnium, gubernatione, & continuâ à Deo dependentiâ. Ratione hujus primi principii deducit S. Auguſt. & alii SS. PP. omnia ad Deum eſſe referenda, ut ſicut omnium rerum Deus eſt author; ita omnium ſit ultimus finis: verùm de his alibi latiùs eſt actum. Dominium Dei.

Dicendum 2. dominium hoc Dei eſt perfectiſſimum, competens illi per eſſentiam, quod proindè à ſe nequit abdicare. Perfectio verò illa importat, quod omnia omninò creata in ejus ditione ſint poſita, & ſit Dominus univerſorum: quod per eum etiam Reges regnent, & omnis poteſtas ſit à Deo: quod nemo imputare poſſit illi, ſi perierint omnes nationes, quas fecit, ut dicitur Sapientiæ 12. quod nullius indigeat, ſed omnia bona ab ipſo deſcendant, de quo dicit S. Auguſt. ſerm. 50. de temp. *nullius indiget Deus, ideò verus eſt Dominus.* Et iterum lib. 8. de Geneſ. c. 11. *dominatio Dei*, ait, *non ſibi, ſed nobis utilis eſt; ille quippe noſtrâ ſervitute non indiget, nos verò indigemus dominatione illius, ut operetur, & cuſtodiat nos. Et ideo verus, & ſolus Dominus eſt, quia non illi ad ſuam, ſed ad noſtram utilitatem, ſalutemque ſervimus. Nam ſi nobis indigeret, eo ipſo non verè Dominus eſſet.* Hinc etiam alibi negat, hominem eſſe verè dominum ſervi, eò quòd egeat ſervo, ut adjuvetur à ſervo. Vide tract. 8. in Joan. rectè quoque loco ſuprà citato obſervat S. Doctor, Deum ante hominem conditum non eſſe vocatum *Dominum*, qualis, ait, non propter Angelos, aut alia creata dicebatur; ſed propter hominem admonendum, quantum ei expediat habere Dominum Deum: hoc eſt, ſub ejus dominatione obedienter vivere, quàm licentiosè abuti propriâ poteſtate. Dominium Dei eſt perfectiſſimum.

Dicendum 3. cum dominium illud Deo ſit eſſentiale, ſequitur, quod tribus Perſonis divinis ſit commune. Unde Athanaſius in ſymbolo: *Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus, & tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus.* Hinc Chriſtus, quà Deus, extrà controverſiam eſt Dominus univerſi. An etiam, quà homo ſit talis, non ità conveniunt Authores. Alii volunt jure hæreditario fuiſſe conſtitutum Regem ſuper Sion: alii electione Judæorum: alii negant dominium illud univerſi temporale, alii affirmant. Verùm res illa propriè ſpectat ad materiam de Incarnatione. Et verius videtur, Chriſtum ut hominem non fuiſſe Dominum univerſi temporalem, quoad uſum: neque etiam fuiſſe Regem Judæorum: quod enim dicitur de eo Lucæ 1. *dabit ei Dominus Deus Sedem David patris ſui*: juxta D. Bernardum

ſerm.

ſerm. 4. ſuper *miſſus eſt*, intelligendum eſt de ſede non typicâ, ſed verâ; non temporali, ſed æternâ; non terrenâ, ſed cœleſti. Videri poterit Sylvius q. 66. art. 1. ubi unà agit, an Pontifex, an Imperator ſit Dominus univerſi.

Dominium Angelorum. Dicendum 4. Angelis quoque competit dominium actuum ſuorum, item ſuæ famæ, item gubernativum rerum inferiorum, eadem dirigendo, & adminiſtrando; non quidem ut ſua, vel etiam in propriam utilitatem: ſed ut regii Præfecti, in utilitatem Dei. Hinc in S. Scripturâ dicuntur *adminiſtratorii ſpiritus*, qui faciunt voluntatem Dei. Sic etiam Dæmon Joan. 12 dicitur *Princeps hujus mundi*, non quidem hujus univerſi, ut docet S. Auguſt. in pſ. 54 ſed hominum mundanorum, & iniquorum. Sic quoque ad Hæb. 2. dicitur habere *mortis imperium*; non, quod ut Deus mortificet, cum mors, & vita à Deo ſint Eccli. 11. ſed quia per peccatum, quod primo homini ſuggeſſit, & per quod totum genus humanum infecit, teneret eum cum totâ poſteritate morti obnoxium, non quidem aliquo jure ſuo, ſed Dei permiſſione, cujus juſtitia ſic voluit hominem tranſgreſſorem punire. Igitur per *imperium*, non intelligitur hîc poteſtas juris, ſed facti, juſtè tamen à Deo permiſſa: nam Diabolo ſeductori, nihil in hominem ſeductum juſti juris competebat. Ità expreſsè Exim D. Eſtius in dictum locum.

Imperium Diaboli.

Dominium hominis. Dicendum 5. homo, id eſt, genus humanum eſt Dominus rerum ſublunarium. Probatur ex eo Pſ. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Dominium hoc à Deo liberè in hominem collatum fuit in innocentiæ ſtatu, quod etſi quoad exercitium in hoc ſtatu per peccatum ſit multùm imminutum, cum jam bruta homini reſiſtant, & fiant ei rebellia: quoad poteſtatem tamen remanſit integrum; eò quòd ſequatur naturam, eò ipſo, quò ratione eſt prædita. Imo, & quoad exercitium quodammodo remanere videtur, dum videmus humanâ induſtriâ Sylveſtria omnia cicurari poſſe, & ferociſſima domari. Hinc etiam poſt diluvium etiamnum Noë dicitur Geneſ. 9. *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ. & ſuper omnes volucres cæli.* Rerum verò cæleſtium, non habet homo propriè dominium, etſi in ejus miniſterium ea ſint creata, cum de illis pro libitu non poſſit diſponere ad propriam utilitatem. Effectuum tamen eorumdem, v. g. caloris, luminis, &c. eſt verus dominus, dum de iis diſponere poteſt ad propriam utilitatem: unde & in jure datur actio contra eos, qui alium privant lumine, ad quod habent jus, quod per alterum lumine privando violatur.

Dominia aliorum ratione carentium. Dicendum 6. pueri, infantes, ac amentes habent dominium ſuarum rerum. De infantibus apertè id teſtatur Apoſtolus ad Galat. 4. ubi ait, quod hæres parvulus ſit dominus omnium. Ratio eſt, quod ſi quis accipiat parvulorum bona per furtum, faciat illis injuriam. Deinde, illorum bonorum aliquis eſt dominus, quorum eſt hæres; non verò tutores ſunt eorum domini, ſed ſolummodo ſunt adminiſtratores.

Variant autem Authores in aſſignando titulo illius dominii. Aliqui aſſignant potentiam dominii, ac utendi rebus illis, quæ etſi ante rationis uſum ſit

it impedita, verè tamen eſt in illis, prouti eſt quoque in dormientibus. Verum, cum actus dominii, quem quis habet, habeatur per actum voluntatis: non videtur, quomodo in pueris ille haberi poſſit. Aliud eſſe videtur in dormiente, in quibus anterior voluntas cenſetur moraliter perſeverare, quamdiu non retractatur. Hinc ſtando in jure naturæ, juxta alios non videtur hîc in illis ſufficere ſola potentia. Unde & alii rectius docent, voluntatem pupilli authoritate Reipublicæ rejici in voluntatem tutoris, quo acceptante, cenſetur pupillus eorum dominium acceptare.

Hoc tamen fatendum eſt, ad hoc ut quiſpiam fiat dominus alicujus, non requiri expreſſam voluntatem acceptandi dominii, de quo in ſequentibus agendo de dominio filiorum familias, & aliqua dicenda ſunt de contractibus ſectione 2.

Quærunt hîc etiam, an ſervi habeant dominium. Reſp. ſervitutem libertati à naturâ conceſſæ contrariam, jam dudum hîc deſiiſſe conſtat: quo tempore, variant Authores: alii generaliter eam deſiiſſe volunt apud Chriſtianos anno Chriſti 1250. certè apud nos Belgas ſæculo anteriori deſiiſſe, conſtat ex litteris emancipationis Margaretæ Comitiſſæ Flandriæ datis anno 1152. ad quas Anſelmo Triboniani C. 65. num. 2. ait, Brabantiam noſtram aëre adeò puro circumfundi, ut qualecumque mancipium eò defluxum ſit, ſtatim ab ipsâ cæli regione libertatem (ſi ad eam proclament) conſequatur. Idem apud alias Chriſtianorum gentes receptum eſſe, cum Gudelino juris noviſſimi l. 1. c. 4. Chriſtyn, & aliis addit num. ſubſequenti. Et quidem de omnibus Galliæ partibus eam ſublatam eſſe tradit Philibertus Bugnyon de legibus abrogatis, Satyrâ 6. ubi quoque aliquod ſervitutis genus, ac quaſi veſtigium agnoſcit, & cum eo Chriſtyn, dum homines liberi ſeſe ad ſervitia, artes mechanicas, aliaſque operas elocant, & obligant, ut ex ipſis quæſtus fiat, quales multos ait eſſe in Galliis, quos *adſcriptitios* vocant, ſeu *manus mortuas*, *mains mortes*. Similes in Germaniâ ſuperiori vocant *eygen luyden*. In Ducatu Mediolanenſi, & reliquâ Italiâ vocantur *manſarii*, quod certo loco manere debeant, ac ibidem certa ſervitia Dominis præſtare. In Cathaloniâ, Arragoniâ, Daniâ, Norwegiâ, & aliis partibus eadem veſtigia ſupereſſe tradit Anſelmo ibidem, addens num. 7. *O felix Brabantia, in quâ nullæ reliquiæ ſervitutis ſuperſunt!* hinc conſultius de ſervitute, & ſervorum conditione ſuperſedebimus de cætero. **Dominium ſervorum.**

SECTIO VII.

De dominio Religioſorum.

PAupertatem, quæ omnium rerum temporalium proprietatem, ac dominium excludit in particulari, religioſis propriam eſſe, ac eſſentialem per ſe patet. Hanc *Apoſtolici*, omni prorſus Chriſtiano neceſſariam aſſerebant, evangelicum conſilium vertentes in præceptum, fundantes ſe in eo ſcripturæ loco Lucæ 13. *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Aliter circa paupertatem errarunt *Fratricelli*, de quibus latè agit

S. Antoninus p. 4. tit. 12. c. 4. hi tempore Joannis 22. Anno 1324. non ſine ſummo Eccleſiæ ſchiſmate mordicùs tenebant, nec Chriſtum, nec Apoſtolos quidquam habuiſſe in communi, non obſtante, quod Joannes contrarium declararet: imò, ob eamdem cauſam, Joannem dixerunt hæreticum, & facto Eccleſiæ ſchiſmate, ſubſtituêre Pſeudopapam Petrum de Corvatia Ord. Minorum, qui Piſis captus, & Avenionem ductus ad Joannem, poſt abjuratam ſuam hæreſim, in carcere diſceſſit. Error ille (vel ut loquitur Antoninus) peſtis illa tempore illius etiamnum florebat Florentiæ, etſi aliqui ob eamdem forent combuſti, tum Fabriani, tum Florentiæ.

Religio poteſt habere dominium in communi.

Contra dictos Fratricellos dicendum eſt. 1. Quod religio poſſit habere dominium bonorum, tam mobilium, quam immobilium in communi. Probatur 1. ex primo Religionis exemplari, puta Collegio Chriſti, ex quo conſtat Diſcipulos bona ſua habuiſſe in communi, dum ſæpè legitur Apoſtolos emiſſe panes, &c. quod fieri non poteſt, niſi haberent dominium pretii, quod emendo transferebant in venditores. Idem magis claret ex C. 4. Actorum, ubi dicebantur omnia illis fuiſſe communia, ad quod conformiter regulam ſuam conſcripſit S. Auguſtinus.

2. Illud idem expreſsè definit S. Synodus Tridentina ſeſ. 25. c. 3. Regul. ubi concedit omnibus Monaſteriis, & domibus, tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci, ut deinceps bona immobilia poſſidere eis liceat.

3. Quod quidquid acquirit monachus, acquirat illud Monaſterio, utique tamquam domino. Sic quando Nicolaus 3. dicit, Minoritarum dominium ſpectare ad Eccleſiam, ſatis innuit, aliorum Religioſorum dominium ſpectare ad monaſterium.

4. Paupertas Religioſa de ſe ſolummodo importat abdicationem dominii in particulari, quod nemo de re aliquâ poſſit diſponere tamquam dominus, independenter à nutu ſuperioris, non verò excludit dominium in communi.

Repugnat his dictis Marchant Ord. Minorum in ſuo tribunali, contendens hoc repugnare perfectioni ſtatûs Religioſi, ac Religioſæ paupertatis, quæ exigunt abdicationem omnium rerum, & omnis dominii, etiam in communi, juxta illud Chriſti Math. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quomodo enim, ait, omnia dimittit, qui ſæpè pinguiorem adit hæreditatem Monaſterii? Unde & docet, ſolam adminiſtrationem Monaſterio relinqui, non verò dominium, quod relinquitur Chriſto Domino; quâ ratione etiam bona Monaſterii dicuntur *patrimonium Chriſti*. Verum, an non nihil illa accedant *Fratricellorum* fabulæ, ipſe viderit. Certè, perfectiſſima eſt illa paupertas, & Religio, quæ perfectiſſimè ſuo exemplari conformatur, quod dominium in communi habuiſſe definiit Joannes 22. & ex dictis ſatis conſtat confirmatum. Frivolum verò eſt, quod addit, eum ſæpè pinguiorem adire Monaſterii hæreditatem magis, quam omnia derelinquere. Hoc enim eodém modo, & jure dici poteſt, de variis, qui apud Minores, & alios

non

non habentes bonorum dominium in communi, profitentur: nec enim minus illi adeunt hæreditatem bonorum penes Eccleſiæ dominium exiſtentium, quam alii dicantur adire hæreditatem bonorum Monaſterii. Vide, quæ diximus in Principiis noſtris Theologicis tom. 2. de ſtatu Relig. ſect. 6.

Dicendum 2. Religioſi profeſſi omnis dominii ſunt incapaces quoad bona temporalia. Colligitur ſufficienter ex C. *cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach.* Hinc peccant Religioſi exercendo aliquos actus dominii, recipiendo, dando, retinendo, utendo aliqua re independenter à nutu ſuperioris. De quibus videri poſſunt Theologi agentes de paupertate Religioſâ. Religioſus profeſſus eſt incapax dominii temporalium.

Quæres, unde illa incapacitas dominii in Religioſo proveniat. Reſp. Leſſius vult eam oriri ex naturâ voti ſolemnis, per quod Religioſus ſe tradit Religioni, partim tamquam ſervus Domino, partim tamquam Filius Patri, qui quidquid acquirunt, alteri acquirunt. Alii tamen melius volunt, hoc provenire ex jure Eccleſiæ. Ratio eſt, quia ſi illud proveniret ex voluntate Religioſi voventis, vel hoc eſſet, quod ipſe non vellet aliquid ſibi acquirere, quod poſſet quoque contrariâ voluntate auferre; quod quidem, etſi illicitè, fieret tamen validè, quantum eſt ex parte voti. Poteſt interim ex lege Eccleſiæ illa incapacitas introduci etiam extra profeſſionem ſolemnem, uti fieri poteſt in Coadjutoribus formatis in Societate Jeſu. Vide Leſſium c. 4. *dub.* 5. *num.* 23. Origo illius incapacitatis.

Dicendum 3. poteſt ſtatus Religioſus conſiſtere cum dominio etiam in particulari, uti de facto conſiſtit in Scholaſticis, & Coadjutoribus Societatis Jeſu, poſt biennium probationis emittentibus vota ſimplicia. Neceſſariò id tenendum, ex Bullâ Gregorii XIII. *Aſcendente Domino.* Quo non obſtante, peccant equidem independenter à nutu ſuperioris aliquid de iis rebus, quarum habent dominium, diſponendo. An verò diſpoſitio talis ſit invalida, variant Authores: affirmat Leſſius loco citato num. 28. negat Lugo cum aliis, eò quòd necdum ſimilis lex irritans poſſit proferri.

Dicendum 4. an Religioſus profeſſus, factus Epiſcopus, habeat dominium bonorum ſuorum, pendet ex eo, an in toto, vel pro parte abſolvatur per electionem à votis Religionis. Et quidem S. Thomas q. 88. art. 11. ad 4. dicit, *quod Religioſus, qui fit Epiſcopus, ſicut non abſolvitur à voto continentiæ: ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tamquam proprium.* Ab hâc ſententiâ ſui Magiſtri recedit Dominicus Soto l. 10. q. 5. art. 7. contendens, quod ſicuti Epiſcopi ex Clero aſſumpti, fiunt Domini portionis ſibi poſt diviſionem bonorum Eccleſiæ competentis; ita & Epiſcopi ex Religione aſſumti, fiant ſimilium veri Domini. Ubi addit: *Fateor equidem ad hoc argumentum me reſpondere non poſſe.* Quidquid hîc ſit de rei veritate, cernimus hodie Epiſcopos tales, ſaltem ex diſpenſatione tamquam dominos de rebus ſuis etiam teſtamento diſponere per ultimam voluntatem. Imo vetuſtiſſima, & generalis in univerſo Regno Galliæ conſuetudo viget, ut Religioſi facti Epiſcopi nullâ in re, priſtinæ Religioni adſtringantur, niſi ut colorem ordinis in habitu ſervent. Ita teſtatur Cabaſſutius Theoriæ Juris Canonici l. 1. c. 23. num. 3. addens, quod Dominium Religioſi facti Epiſcopi.

 ſuc-

ſucceſſionum, aliarumque acquiſitionum capaces, dominia, & proprietates ſibi acquirant, diſponantque tam inter vivos, quam per ultimas voluntates; & ſi inteſtati diſcedant, ſucceſſores habeant, non Monaſterium, non Eccleſiam, ſed propinquos. Liberius de Italis, ita ſcribit Dominicus Soto loco citato: *In Italiâ quidem, ubi Monachi ad quemcumque pauperem Epiſcopatum aſſumuntur, habitum, vel prorſus abjiciunt, vel aliâ figurâ incruſtant, omnes Monaſticas cæremonias cum eo deponunt: quia Itali non dignantur Epiſcopos in habitu Monachali videre: quæ quidem peſtis ad alias jam nationes proſerpſit.* Ità ille liberiori Calamo.

Dominium Abbatum.

Dicendum 4. Abbates Religioſi, nullius rei temporalis fiunt magis Domini, quàm ante electionem erant. Ratio eſt clara, quia manent veri Religioſi, & paupertatis voto obſtricti, quod omne dominium particulare penitus excludit. Quod, ſi quando in litteris confirmatoriis à Rege datis dicantur, & conſtituantur rerum communium Domini: per hoc nequaquam à voto paupertatis abſolvuntur, & conſequentur nec fiunt veri illarum rerum Domini, ſed ſolùm principales diſpenſatores, quales in jure, & alibi ſolent vocari *Domini*, ut notat Aſcanius Tamburinus de jure Abbatum tom. 3. diſp. xi. quæſito 2. ubi etiam addit, nec Monaſterium eligendo, in eos tranſtuliſſe dominium; ſed ſolum adminiſtrationem, addens hæc verba: *Si Epiſcopi, & alii beneficiati ſæculares, qui paupertatem non voverunt, non dicantur poſſidere bona ſuarum Eccleſiarum, & beneficiorum quoad dominium, & proprietatem, ſed tantum quoad gubernationem, & ideo non dicuntur eorum Domini, ut notatur in Capitulis Juris: quantò magis Abbates, cæterique Prælati Regulares, qui arctantur voto paupertatis, quod eſt promiſſio non habendi dominium?* Unde ſubdit dicens: *Abbas igitur non Dominus, ſed adminiſtrator bonorum ſuæ Abbatiæ, vel Monaſterii dicendus eſt.* Quæ omnia etiam locum habent, etſi certa bonorum portio Abbati, vel Abbatiæ ſit aſſignata, prout alibi, & hîc in Belgio fieri ſolet: eo enim caſu ſolummodo illis relinquitur libera talium bonorum adminiſtratio, non verò datur eorumdem dominium, cujus ſunt incapaces. Unde rurſum idem Author addit quæſito 3. dicens: *Certum eſt, quod Abbas Regularis, quidquid acquirit, Monaſterio, non ſibi acquirat, ſive acquiſita ſint intuitu Abbatiæ, ſive aliunde.* Dictum autem eſt mox ante, *liberam adminiſtrationem*, non quaſi in quoſvis uſus pro ſuo libitu eadem bona poſſit expendere, ſed quod de eorumdem diſpenſatione nullam aliis Religioſis debeat reddere rationem. Si igitur eadem expendat in vanos uſus, aut ſuperfluos, aut aliundè illicitos, v. g. ad ditandos amicos, mortaliter peccat, eſtque proprietarius, & infidelis. Ratio eſt, quod tamquam proprietarius independenter à nutu communitatis, cujus ſunt bona, & à quâ illi data eſt eorumdem diſpenſatio, bona illa uſurpet: quæ ſolùm in illum tranſtulit uſum eorum licitum, non verò vanum, aut ſuperfluum. Deinde, cum non poſſit aliis ſubditis dare licentiam expendendi aliqua in uſus ſuperfluos, quin peccet alter contra votum paupertatis: ita nec poteſt illam dare ſibi ipſi. Non enim poteſtas illi data eſt in de-

deſtructionem Religionis, ſed in ædificationem. Quod autem ſit eo quoque caſu infidelis, per ſe patet, quando juramento ſe obſtrinxit ad conſervanda communitatis bona, quæ conſervatio hîc deſtruitur vanis expenſis.

Quæri hîc poteſt, an ſi Abbas parcè vivendo aliqua ſubſtrahat de bonis diſpenſationi ſuæ commiſſis, acquirat eorumdem dominium, ut de illis tamquam Dominus poſſit diſponere. Reſp. quod non; per hoc enim, quod Religioſus, qualis manet Prælatus, aliqua ſibi parcè vivendo ſubſtrahat, non fit ſubſtractorum Dominus; dum per talem ſubſtractionem non mutatur ratio bonorum Monaſterii, nec ratio Statûs Religioſi, quæ omne dominium excludit. Hinc etiam docet D. Thomas q. 185. art. 7. ad 5. quod quidem de talibus ſubſtractis poſſit aliqua dare conſanguineis, *ut non indigeant*, ait: *non autem, ut ditiores fiant.* Significans, de iiſdem ſubſtractis quidem poſſe facere eleëmoſynam, proximos ſeminis non deſpiciendo, adeóque licitè eadem diſpenſando: non verò de illis tamquam Dominum liberè poſſe diſponere. Abbas parcè vivendo, non fit dominus ſubſtractionum.

Dicendum 5. Religioſus beneficiatus non eſt dominus fructuum ſui beneficii. Eſt contra Navarrum in C. *non dicatis*, ubi docet, talem Religioſum, æquè ac ſecularem Parochum liberè poſſe diſponere de fructibus ſui beneficii ad propriam honeſtam ſuſtentationem, & ad pias cauſas; addens, hunc eſſe communem Chriſtianorum ſenſum. Idem ſentit cum aliis Bonacina, ſcribens in Bullam Clementis VIII. *Religioſè*: Imo, hoc quoque extendunt ad penſiones certis Religioſis aſſignatas, quod de eiſdem non debeant Prælatis reddere rationem: item, quod ejuſmodi de ſuſtentationi honeſtæ ſubſtractis, pro ſuo libitu diſponere poſſint in quoſlibet uſus, cæteroqui non illicitos. Hæc tamen voto paupertatis directè repugnant, cui nihil ità contrarium, quam uſus independens, aut proprietas: beneficiatos autem regulares paupertatis voto obſtrictos eſſe, quis dubitet? Deindè, ſi nec ſæcularis beneficiatus poſſit pro ſuo libitu de fructibus beneficii ſui diſponere; multò minus beneficiati regulares voto paupertatis adſtricti. Adde, quod ſicuti ratione beneficii non abſolvuntur aliis votis, puta obedientiæ, & caſtitatis: ità nec voto paupertatis. Unde rectè de nobis ait Zypæus Analyt. l. v. tit. de Apoſt. num. 10. Quod extrà noſtros conventus vix eſſe videamur, cum in illorum membris, & dependentibus beneficiis, ex nutu noſtrorum ſuperiorum, officia noſtri inſtituti peragamus. Hinc etiam de temporalibus Abbati reſpondere debemus; de ſolis ſpiritualibus, Epiſcopis. Dominium Religioſi beneficiati.

Quod ergò ſuperius prætendit Navarrus, & alii, tranſire poſſet de jure communi, quod Religioſis beneficiariis adminſtrationem beneficiorum non reſtringit: quo non obſtante, vi voti paupertatis eamdem reſtringere poſſunt cujuſque Ordinis ſtatuta. Quod autem hîc generaliter de liberâ adminiſtratione illis admittit, & tribuit Navarrus, hoc de adminiſtratione liberâ ad pias cauſas admittunt hîc Leſſius, & Molina, negantes hâc in parte ullam illis fieri poſſe reſtrictionem. Quod quidem non adeo facilè probatur, ac affirmatur. Et quidem talis reſtrictio ſufficienter apparet in Ordine noſtro, dum ita habent

bent ſtatuta Diſtinct. 2. cap. 23. num. 24. *Ut nulla nota bilia dona, ſive parentibus, ſive quibuſcumque aliis, abſque ſuorum Prælatorum conſenſu largiantur.* Ubi, etſi ſtatuta nihil quidem expreſsè dicant de piis cauſis, tamen illud ſufficienter includitur in eo, quod dicitur, *ſive quibuſcumque aliis.* In utriſque enim eadem eſt prohibitionis ratio, tam quoad parentes, quam quoad cauſas pias; puta, ne ſine Prælati licentiâ, aut ſcientiâ, nimium effusè aliquando largiendo, debita contraherent beneficiati, & communitatem gravarent.

Hinc ulterius videtur dicendum, Religioſos beneficiatos, etſi habeant liberam quandoque fructuum adminiſtrationem, non tamen eſſe illorum Dominos, eò quòd libera illa bonorum adminiſtratio non fiat tamquam propriorum bonorum, ſed tamquam bonorum Ordinis, quorum adminiſtrationem Ordo ipſis indulſit. Quod maximè verum eſt in Ordine noſtro, ubi omnia beneficia menſæ Abbatiali ſunt incorporata, qualiter declaravit Capt. generale Anni 1579. ut notat quoque noſter Lantmeter.

De cætero, qualiter paupertatis voto noſtri beneficiati conſtringantur, declarat ſequens conſtitutio num. 25. *Ut ſingulis annis omnium rerum, quarum habent uſum, & diſpenſationem, computum fideliter reddant, & ſinceram, ac integram earumdem deſcriptionem, ſive inventarium, in quo omnia quoque, tam debita, quam credita, bonâ fide exprimant.* Et iterum num. 27. *quod, ſi quiſpiam in ſuo computu, vel deſcriptione dolosè, & fraudulenter egiſſe, & res aliquas majoris momenti, vel notabilia debita ſuppreſſiſſe comperiatur, tamquam proprietarius puniatur: & ſi ſic mortuus fuerit, ſepulturâ careat Chriſtianâ.* Quod quidem conformiter ad jus commune C. 2. *Monachi.* & C. 4. *ſuper.* de ſtatu Monach. & Canonic. eſt conſtitutum.

SECTIO VIII.

De dominio Clericorum ſæcularium.

Bona patrimonialia, & Eccleſiaſtica.

NOtant hîc communiter Authores, diſtingui poſſe triplex bonorum genus: *patrimoniale*, quod hæreditate à parentibus, vel aliis, donatione, legato, aut teſtamento deſcendit, & Clerico obtingit: *Quaſi patrimoniale*; quod Clericus accipit ratione miniſterii clericalis, v. g. cantando, concionando, confeſſiones excipiendo, funera comitando, &c. Aliud eſt, *merè Eccleſiaſticum*, quod ratione beneficii acquirit, v. g. ratione Canonicatûs, Paſtoratûs, Capellaniæ, &c. Notandum ſecundò, alia eſſe bona Eccleſiaſtica, quæ ad debitam Clerici ſuſtentationem ſunt neceſſaria; alia, quæ debitam ſuſtentationem excedunt. Notandum eſt tertiò, variè diverſis temporibus Eccleſiaſtica bona fuiſſe adminiſtrata. Primò vivebant omnes in communi, ferentes bona ſua ad pedes Apoſtolorum, & dividebatur unicuique, ſicut cuique opus erat. Act. 4. ſtatus ille, prout diu manſit in Clero, juxta Dominicum Soto l. 10. q. 4. erat decentiſſimus, ſi durare potuiſſet. Exim. Dom. Molanus l. 1. c. 14. de Canonicis, vocat illud communis vitæ ſuave jugum, quod

Diverſa bona Eccleſiaſtica.

quod Canonici affluentibus opibus ; pietate , & concordiâ decreſcentibus , ſibi excuſſerunt. Imò , quod juxta Petrum Damianum opuſculo 6. c 2. Canonico vita communis propria ſit, & quaſi eſſentialis. Eo tempore ad Epiſcopum pertinebat bonorum diſpenſatio , ut clero , fabricæ, & pauperibus pro neceſſitate provideret. Deinceps, multiplicato Clerico , cœpit ordo ille perturbari, prout ſæpè in multitudine , & monaſteriis Religioſos multiplicantibus fieri ſolet, ut ſcribit Wiggers dub. 9. c. 3. quod multiplicent gentem , non tamen magnificent lætitiam. Hinc tempore Auguſtini ſub lite fuiſſe legimus , an illi Clerici ſacris initiari poſſent, qui nollent vivere in communi , quod & S. Auguſtinus primò quidem reſolverat ſe obſervaturum , ſed poſtea mutato conſilio contrarium obſervavit. Diviſio autem bonorum Eccleſiæ , quâ vita communis cœpit repelli , incœpit circà tempora S. Auguſtini , & Hieronymi ſub Simplicio Papa, puta circà Annum 470. uti communis fert aliorum opinio : facta verò fuit diviſio illa in 4. partes : prima Epiſcopo aſſignabatur , ſecunda Clero, tertia fabricæ, & quarta pauperibus, de qua re varii extant Canones.

Factâ diviſione dictâ , non ideo Eccleſiaſtica bona mutarunt naturam ſuam , ſed ſolùm modum eadem adminiſtrandi : adeoque ſicuti ante erant ***bona Dei***, ***patrimonium Chriſti***, ***tributa egentium animarum***, *&c.* Ita & nunc diviſione factâ , & è contrà. Porrò, quod dicta bona ad pauperes quodam ordine pertineant , clariſſimè oſtendunt SS. Patres poſtea referendi : adeò ut rectè Eximius P. Lupus in Canonem 15. Concilii octavi ità ſcribat : ***Eccleſiaſtica bona , non ſolummodo ad Clericos , ſed etiam ad captivos , peregrinos , orphanos , viduas , quoſvis pauperes , ſtricto , & æquo proportionis jure pertinere , eſt lucidum dogma Apoſtolorum , omnium SS. Patrum , cunctarum ſub cælo Eccleſiarum..... Omnis antiqua Chriſtianitas uno ore clamat , Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ raptores laicos , ac pravos diſpenſatores Epiſcopos eſſe fures , latrones , pauperum necatores , ſimiles Judæ pſeudo Apoſtolo , ac judaicis Pontificibus***, *&c.* Hinc ſæpè omnia Eccleſiaſticorum bona vocantur in jure , & à SS. Eccleſiæ Patribus , ***bona pauperum*** , prout mox patebit.

His prænotatis , Reſp. 10. gravium Authorum eſt opinio , Beneficiatos ſæculares non fieri dominos fructuum beneficiorum quorumcumque , etiam qui debentur honeſtæ illorum ſuſtentationi , ſed eſſe meros eorumdem diſpenſatores. Pro hâc opinione adferuntur varii Canones, ac Conciliorum Decreta dicentia indiſcriminatim, bona Eccleſiaſtica eſſe ***res Dei***, prout eadem appellat Synodus Trid. ſeſ. 25. c. 1. Reform. eſſe ***patrimonium Chriſti , patrimonium Crucifixi*** , *&c.* Pro eâdem ſententiâ citatur à Navarro de reditibus Eccl. q. 1. S. Thomas , quod & ex eadem opinione Petri Soto confirmat , qui lectione 3. de bonis Eccleſiaſticis , & illorum uſu , expreſsè ait , ſe ſequi D. Thomæ in hâc re opinionem ; quodque ex decurſu totius Eccleſiæ ab Apoſtolis, & ipſo jure divino bona omnium Eccleſiarum , cum Chriſti ſint , etiam ſint pauperum : adeo ut contrarium credat errorem graviſſimum , ſaltem contra bonos mores, & contra juſtitiam : ***quid ni etiam*** ait, ***contra S. Scripturam*** ?

Dominium Clericorum ſæcularium.

Dicit

Dicit enim D. Th. quodlibeto 6. art. 12. *Bonorum Eccleſiaſticorum Clerici non ſunt veri Domini, ſed diſpenſatores, ſecundum illud* 1. *Cor.* 7. DISPENSATIO MIHI CREDITA EST. Et in ſummâ 2.2. q.85. art. 7. *Eccleſiaſticorum bonorum Clerici ſunt diſpenſatores, vel procuratores.* Eamdem copiosè, & mordicus defendit Navarrus de reditibus Eccleſiaſt. aſſerens ibidem, eſſe opinionem omnium Canoniſtarum communem; Archidiaconus verò contrariam appellat in jure hæreſim: Joannes Major dicit neminem Doctorum ante ſe mortuum, contrarium docuiſſe.

Reſp. tamen. 2. Etſi prædicta opinio ſuam mereatur authoritatem, propter graves Doctores eam aſſerentes; nihilominus verior, uti & communior tenet ſententia, Clericos illos eſſe Dominos fructuum ad debitam ſuſtentationem neceſſariorum, prout doctè probat Dominicus Soto l. 10. de jure q. 4. art. 3. Ratio eſt, quod ſicuti pauper fit Dominus eleëmoſynæ à divite ſibi datæ: ità & Clericus ille fit Dominus ſtipendii, quod ratione officii illi datur, cum æqualiter ex voluntate donantium transferatur eorumdem dominium. Deinde, ſicuti Judex, Advocatus, &c. fiunt Domini ſui ſtipendii, ita & Clerici. Nec enim Clerici ſunt in hoc pejoris conditionis, quam prædicti, dum nemo militat ſuis ſtipendiis umquam.

Inſuper Concilium Trid. ſeſ. 3. c. 1. Reform. dicit, quod ſi Epiſcopus ſine neceſſitate ultra 3. menſes ab Eccleſiâ ſuâ abſit, pro rata temporis non faciat fructus *ſuos*, quale ferè idem ſtatuitur ibidem pro aliis beneficiariis. Sic ſeſ. 24. c. 12. rurſum ſtatuit, ut de Canonicatibus proviſi faciant profeſſionem fidei, aliàs non faciant fructus *ſuos*. Ex quibus colligitur à contrario, quod Epiſcopi, & alii beneficiati, qui omnia ſuo muneri requiſita compleverint, fiant fructuum ſuorum Domini, ſive faciant fructus ſuos. Ad hæc, donationes, & alienationes illorum fructuum ab illis factæ ſunt validæ, & abſolutè tenent: quod ſignum eſt, illos eorumdem eſſe Dominos. Præterea, nihil, vel in jure naturæ, divino, vel humano obſtat contrarii. Quod enim de jure communi teſtari non poſſint de reditibus Eccleſiaſticis, non fit ideo, quod illorum non ſint Domini; ſed ut hoc medio promptiores redderentur eleëmoſynis in vita faciendis, dum de illis in morte teſtari prohibentur. Quod autem alibi, vel in jure, vel à SS. Patribus dicantur *res Dei*, *bona pauperum*, *&c.* intelligendum eſt, non quaſi ſolus Deus eſſet illorum Dominus, prout prætendit Navarrus loco suprà citato: ſed quod Dei causâ Clericis concedantur, & in Dei cultum, ac miniſterium. Sunt quoque bona pauperum, vel, quod ante diviſionem darentur Clericis in communi more pauperum viventibus: vel, quod poſt diviſionem id, quod de illis ſupereſt, pauperibus ſit erogandum, quod mox patebit: Hoc interim hîc advertendum, Clericos illos non eſſe ita abſolutos illorum Dominos, ut tamquam Laïci pro ſuo libitu de iiſdem fructibus poſſint diſponere, ſed vel propriæ neceſſitati, aut congruæ ſuſtentationi, vel aliis piis uſibus ſunt inſumenda. Quod, ſi in vanos, ne dicam illicitos uſus eadem dilapident, dicuntur *ſacrilegi*, *fures*, & *latrones* à SS. Patribus.

Reſp. 3.

Reſp. 3. Fructuum excedentium debitam ſuſtentationem non ſunt Clerici ità veri, & abſoluti Domini, quin eoſdem pauperibus, aut aliis piis uſibus dare debeant ex ſtrictè dictâ juſtitiâ; adeoque eos vanè inſumentes tenentur ad reſtitutionem. Quod eos piis uſibus debeant impendere, ſatis convenit. Diſſentiunt verò, undenam oriatur dicta obligatio. Et quidem Lugo ſect. 2. docet illud oriri ex naturâ rei, neque adeò videri præceptum dandi eleëmoſynam, quàm non diſſipandi bona Dei. Verum, ſic Clerici vanè illos fructus inſumentes, ſolummodo peccarent contra Religionem, qualiter facit, qui diſſiparet Vaſa ſacra. Leſſius verò, putat id oriri ex lege Eccleſiæ, quæ vetat res Dei aliis dare, ut facit Concilium Trid. Verùm rectiùs dici poſſet, obligationem illam oriri ex naturâ rei, prout adeſt fundatorum intentio, & communis Eccleſiæ ſenſus circa uſum eorumdem bonorum; ex quibus fit, ut illa bona ſuperflua non debeantur, niſi pauperibus, aut piis uſibus. Enimverò, non cenſentur fundatores bona ſua beneficio, vel beneficiario relinquere, niſi juxta legitimum Eccleſiæ ſenſum, & praxim; quæ Clericos ſuos in erectione beneficiorum in illorum favorem ità gravare ſolet, ut ſuperflua in pios uſus ſint inſumenda. Deinde, quis fundator præſumi prudenter poteſt, aliam in fundando habere potuiſſe intentionem, niſi ut primò, ſervitio divino competenter ſatisfiat, pro quo ſtipendium fundat; ſi verò quæ ſuperſint, quod vellet eadem inſumi poſſe in vanos uſus, ne dicam ſubindè ſacrilegos, & inhoneſtos? Ut enim loquitur Canon *Pontifices* 12. q. 3. ex Conc. Agathenſi deſumptus: *Qui donat pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo Sacerdotis donare videtur.* Si non pro commodo donare videatur; videri poterit donare pro Sacerdotis luxu, & prodigalitate? Ex quibus patet, fundatorum intentionem eſſe, ut quidem fructuum neceſſariorum dominium Clericis beneficiatis cedat, ſed ſuperfluorum dominium in pauperes transferatur: vel ut alii volunt, quod quidem ſuperfluorum fiant domini, ſic tamen, ut ex juſtitia eadem pauperibus debeantur. Adde, quod, ſi divites hujus ſæculi, etiam ex juſtitiâ juxtà fundatam in SS. Patribus doctrinam, teneantur ſuperflua ſua dare pauperibus; quid hîc dicendum erit de Clericis, qui ſunt Patres pauperum? Neque ullatenus verum eſt, quod ſine ullo fundamento aſſerit Lugo diſp. 4. ſect. 2. num. 14. eoſdem quidem pauperum Patres eſſe, ſed in ſpiritualibus dumtaxat, in quibus obligantur illis aſſiſtere; cum ex eleëmoſynâ, quam maximè dicantur tales; quod & patet ex primitivâ Eccleſiâ, quando Apoſtoli Diaconis commiſerunt pauperum curam, quando iiſdem aſſignata eſt ſua bonorum Eccleſiaſticorum portio, per Epiſcopum pauperibus eroganda. Hinc apertè ait Laurentius Juſtinianus l. de compunct. & complanctu Chriſt. perfect. *Pauperum Patres eſſe recuſant, quoniam indigentium ſubſtantiam attribuunt ſibi.* Idem docent alii SS. Patres, & Doctores, adeò ut dicta Lugonis ſententia in hâc parte nullam mereatur authoritatem.

Quod verò ſuperflua illa pauperibus ſtricto jure debeantur, ſatis indicant ſequentia teſtimonia. In primis, Urbanus Papa, & Martyr expreſsè ait Cap. *videntes* 12. q. 1. *Ipſa res fidelium, quæ Domino offeruntur, non poſſunt aliis,*

[library stamp]

Sancti Patres & Pontifices. *quam Eccleſia, & fidelium indigentium uſibus applicari, quia vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum.*

2. Alexander III. in C. de donat. *cum Epiſcopus, & Prælatus Eccleſiaſticarum rerum ſit procurator, non Dominus.*

3. Ambroſius Orat. ad Auxent. *Omnia, quæ habeo, pauperum ſunt.*

4. Gregorius Capt. *Quia tua fraternitas. Omne, quod ſupereſt neceſſitatibus, in piis cauſis, & Religioſis erogandum eſt.*

5. S. Hieronymus ſuper illud Iſaiæ 3. *Rapina pauperum in domo veſtrà. Rapina*, ait, *pauperum in domibus Sacerdotum, qui Eccleſiæ opes ſibi theſauriſant, & in deliciis abutuntur, quæ ad ſuſtentationem pauperum dantur, & ſibi reſervant, vel propinquis diſtribuunt, & aliorum inopiam, ſuas, vel ſuorum divitias faciunt.* Et Epiſtolâ ad Damaſum: *quoniam*, ait, *quidquid habent Clerici, pauperum eſt.*

6. S. Auguſtinus Epiſt. 50. ad Macedon. *Si privatim, quæ nobis ſufficiunt, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum quodammodo procurationem gerimus, non proprietatem uſurpatione damnabili vendicamus.* Et iterum ibidem: *Compauperes pauperum ſunt Epiſcopi: unde bona illorum, ſunt etiam pauperum.*

7. S. Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio C. 17. *Quæ Eccleſiæ*, ait, *eroganrur, continuò indigentibus ſunt diſpertienda.*

8. S. Bernardus Serm. 23. in Cant. *Miniſtri Eccleſiæ, qui ſtipendiorum ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè, ſacrilegèque ſibi retinent, duplici profectò peccant iniquitate, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.* Et Epiſt. 2. ad Canonic. Lugdun. *quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum de altario retines, tuum non eſt, ſacrilegium eſt.* Eadem habet Epiſt. 42.

9. S. Baſilius ad Julian. Apoſt. *Reditus*, ait, *mei hi ſunt: unus ager, decem olea, decem alvei, una mola, domus una*, 40. *oves*, 8. *palmæ, tres fici, parvus hortus, quorum ego me Dominum non cenſeo, ſed diſpenſatorem: cum mihi incumbat eorum cura, ut inde pauperes alantur. Hic ſtatus noſter tam eſt arctus, ut ſi fors quiſpiam Sacerdotum ea ſibi reſervet, aut in malos uſus expendat, æqualem pœnam mereantur, & qui dilapidat, & qui de altari furatur. De altari furamur, quidquid pauperibus negamus.*

10. Laurentius Juſtinianus lib. de inſtitut. & regim. Prælat. c. 4. in fine. *Ovium Chriſti Paſtores, terrenarum utique ſunt diſpenſatores facultatum, quas vivi tribuunt cum pietate, defuncti autem reliquerunt pauperibus erogandas, ut exinde aliquod ſuffragium conſequi poſſent. Clamant igitur pauperes adverſus diſpenſatores malos, oſtenduntque Domino nuditatem ſuam, alimentorum inopiam, &c.*

Et iterum loco initio citato, ubi ait: *Pauperum patres eſſe recuſant, quoniam indigentium ſubſtantiam attribuunt ſibi. O quanta abuſio eſt, Chriſti ditari divitiis, & Chriſto nil velle tradere? Nonne theſauri Chriſti, ſunt facultates*

tates Eccleſiæ? Unde temporalia ſunt Eccleſiis prærogata, nonne propter Chriſtum? Nonne ut Chriſti pauperibus erogentur? noli igitur tu, qui præſides, retinere, quod alienum eſt, ne FURTI *deprehendaris in causâ.*

11. Petrus Damiani Opuſculo 27. c. 1. per totum docet, quod Clerici non ſint ſuarum facultatum Domini, ſed ſolum diſpenſatores, quem Lector meritò conſulet.

12. Petrus Bleſenſis ſerm. 12. *Bona*, ait, *Eccleſiarum in victum, & veſtitum conceſſa; bona, inquam, pauperum Chriſti, in ſuperfluos uſus conſumimus ....nos falſi fratres Chriſti ſumus: patrimonium enim, quaſi de jure fraternitatis poſſidemus, ſed quàm falſi ſimus, lippis & tonſoribus patet.* Et Epiſt. 102. *Sumptus tam deteſtabiles, & enormes, non de labore, aut patrimonio noſtro ſunt, ſed de eleëmoſynis fidelium, de oblationibus, atque decimis, & de tributis egentium animarum, de exactionibus, & oppreſſionibus pauperum.*

13. Gerſon Cancell. Pariſ. tom. 2. de temperantiâ, & veſtitu Prælatorum rogat: *Quid ſunt viri Eccleſiaſtici, niſi quidam eleëmoſynarii bonorum Eccleſiaſticorum, & ipſorum quidem non Domini, ſed diſpenſatores?*

14. Rectè etiam de eâdem re Joannes Driedo Doctor Lovanienſis de libertate Chriſt. lib. 2. art. 4. ita ſcribit: *Longè videntur à veritate Evangelicâ aberrare, qui exiſtimant tantam bonorum Eccleſiaſticorum affluentiam, ac abundantiam eſſe deſignatam uni Epiſcopo, aut Prælato pro ſuſtentatione ſuâ, familiæque ſibi neceſſariæ, tamquam ipſe poſſet ex ejuſmodi bonis familiam ſuam, & equites ſibi augere, & exponere hujuſmodi, prout libido fert animi: ſed verè exiſtimandum eſt, omnia bona ſuprà decentem, & honeſtum ſtatum Epiſcopo condecentem longè ſuperflua eſſe relicta illi, ut Patri, & Proviſori pauperum, & ad reparandas fabricas, templa, domoſque, & alia, quæ ſunt neceſſaria in conſervandis Eccleſiæ bonis. Et ideo Epiſcopi, Abbates, cæterique Prælati Eccleſiaſtici ex hujuſcemodi bonis ſuperfluis, pauperibus, aut fabricæ debitis, prodigè exponentes, graviſſimè peccant, & juxta omnium SS. Patrum ſententiam,* RAPINAM COMMITTUNT, *& ſacrilegium, &* TENENTUR RESTITUERE *ex ſuis patrimoniis, quidquid ſic prodigè expenderint.*

15. His accedit unanimis Eccleſiæ ſenſus in Conciliorum Decretis luculenter expreſſus. Canon enim Apoſt. 41. ità habet. *Præcipimus, ut in poteſtate ſuâ Epiſcopus res Eccleſiæ habeat, ità ut poteſtate ejus, indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum timore, omnique ſollicitudine miniſtrentur. Ex his autem ipſe, quibus indiget ad ſuas neceſſitates, & peregrinorum, & fratrum uſus percipiat, ut nihil eis poſſit omninò deeſſe.* Et Capt. *Epiſcopus* 10. q. 2. *Epiſcopus habeat poteſtatem in rebus Eccleſiæ, ut diſpenſet neceſſitatem patientibus.* Idem habent alia Eccleſiæ Decreta.

Et ne quis reponat, dicta quidem locum habere poſſe, ante bonorum Eccleſiaſticorum diviſionem: obſervanda ſunt SS. Bernardi, Laurentii Juſtiniani, & aliorum verba, qui diu poſt eamdem diviſionem illud affirmârunt. Accedit, quod idem ſatis indicet Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 1. de Reformatione,

 expreſsè

expreſsè prohibens, ne beneficiarii *res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ut pauperibus diſtribuant.* Et Conc.Burdigalenſe Anno 1583. C. 26. *Peculium Chriſti*, ait, *ſunt bona Eccleſiæ, Epiſcopis, Sacerdotibus, & Clericis, cum ad honeſtum eorum vitæ ſubſidium, & ſpiritalis ſumptum miniſterii, tum ad pauperum alimentum atque ſuſtentationem tradita.*

Eadem eſt ratio, quare tantâ diligentiâ ubique Clericis commendet hoſpitalitatem Eccleſia, ad exemplum primitivæ Eccleſiæ, adeò ut Rhemenſis Eccleſia à 300. annis, ſuis Præsbyteris injunxerit, ut pauperes, & peregrinos ad prandium ſuum juxta cujuſque poſſibilitarem quotidiè vocarent, & competenter tribuerent. Hinc etiam Bannez cum aliis D.D. expreſsè docet, Epiſcopum obligari ad inquirendas pauperum neceſſitates, quorum ſunt Patres.

A ratione. Dicta omnia confirmat & ratio; ſcilicet, quod nullo titulo talia ſuperflua ſibi retineant, aut aliter, quàm in pios uſus inſumant: non titulo donationis, cum fundatorum intentio ſolùm fuerit ſua donare in miniſterium Chriſti, ejus miniſtrorum ſuſtentationem debitam, & ſuperflua in pauperum neceſſitates, ac ſic ultimatè in ſuarum animarum refrigerium, & ſalutem. Teſtantur illud luculenter donationum piarum, & fundationum libelli.

Et hæc quidem eſt ſanctorum vox: hæc Eccleſiæ opinio, & ipſius rationis ſententia: quibus attentis, plurimi non immeritò mirari non deſinunt, quomodo locum alibi in praxi habere poterit aliorum ſententia, docentium etiam ſuperfluorum beneficiatos eſſe veros dominos, & de iiſdem diſponere poſſe, tam in uſus ſacros, quàm prophanos: adeò ut rectè ſcribat Molina de Sacerdotio tract. 2. c. 15. in fine. *Ego verò conſideratione, ſeu imaginatione propriâ ſuſpicor, & vehementer timeo, multos eſſe Eccleſiaſticos, qui æternis torquentur ſuppliciis, quia veram hanc doctrinam ſecuti non ſint, ſive per veritatis ignorantiam, quam ſcire tenebantur: ſive per negligentiam, cum ſcirent, opere tamen implere noluerint, & ſingulis horum applicari poteſt: noluit intelligere, ut benè ageret.* Neque etiam hîc quidquam excuſari poteſt ſententia illa; quæ tenet, ex ſolâ charitate ſuperflua in pios uſus eſſe arroganda: cum perindè ſit, an defectu charitatis, an defectu juſtitiæ ad inferna deſcendant, ut ait Cardinalis Bellarminus. Multò minus excuſabit multorum aliter ſentientium, & practicantium conſuetudo, ſeu potius abuſus, dum nec ipſa peccantium multitudo ullum adfert errori patrocinium. Neque hîc etiam urgeri ullatenus poteſt, praxim illam inoleviſſe ſciente, nec contradicente Pontifice, & conſequenter tacitè approbante: quia, uti de hoc caſu rectè obſervat Caietanus 2. 2. q. 185. art. 7. *Multa per patientiam, & prudentiam tolerantur, quæ ſi deducerentur in judicium, arguerentur.*

Ex dictis jam patet, eccleſiaſticorum manus electas eſſe à fundatoribus, per quas theſauros ſuos reportarent in æterna tabernacula, ut monet Chriſtus, tamquàm per fideles diſpenſatores; quæ diſpenſatio, quamdiu viguit, & fideliter fuit obſervata; multiplicatæ pariter fuêre piæ donationes, fundationes,

&

& beneficia: quâ deficiente, oleum piæ liberalitatis ſtetit; & verendum, ne id, quod ante contulit devota fundatorum munificentia; aliorum avaritia non ſine magno fœnoris diſpendio revocare, & auferre præſumat, ut notat Petrus Bleſenſis epiſtolâ 29. Sic quoque, quamdiu obſervata fuit in Monaſteriis hoſpitalitas, obſervabatur pia Principum liberalitas, ut notat Joan. Trithemius in c. 4. Reg. S. Benedicti: adeò ut prudentiſſimè, & piiſſimè S. P. N. Norbertus de die in diem obſervandam inclamabat, pauperum curam, & hoſpitalitatem. De hac re vide opuſculum noſtrum de eleëmoſyna, propediem edendum.

Contra antè dicta objiciunt aliqui, quòd Concilium Trid. ibi ante innuat, Beneficiarios facere fructus *ſuos* indiſcriminatim, non diſtinguens inter fructus ſuſtentationi neceſſarios, & ſuperfluos: adeoque ſi priorum fructuum ſint domini, etiam erunt poſteriorum. Reſp. aliqui, eos ſuperfluorum quoque habere dominium, ſed vinculatum, ſive cum onere, vel vinculo eadem pauperibus erogandi, juxta antè dicta. Alii verò reponunt, Concilium dumtaxat loqui de fructibus ſuſtentationi neceſſariis, non verò ſuperfluis. Verùm, contra hoc opponit Lugo num. 4. ſect. 1. Diſp. 4. quod inde ſequeretur, quod juxta Concilium, non reſidentes, & alii ſolùm privarentur neceſſariis fructibus ad ſuſtentationem, non verò ſuperfluis, quorum non ſunt domini; quod tamen, ait, eſt apertè falſum, ac contra praxim, & mentem ſummorum Pontificum, qui omnibus fructibus univerſim voluerunt eos privare. Ad quod tamen non incongruè reſpondere quis poſſet, quod rectè Eccleſia eoſdem privet etiam ſuperfluis, etſi eorumdem non forent abſoluti domini, dum eos etiam privat eorumdem adminiſtratione. Adde, juxtà aliorum ſententirm, eſſe quidem Clericos ſuperfluorum dominos, ſed non abſolutos, ſed cum onere, & vinculo eadem pauperibus erogandi, prout aliquoties eſt dictum. Objectiones.

Objicitur 2. Fundatores non videntur bona ſua beneficiariis reliquiſſe cum tali onere, & ſtrictâ obligatione erogandi ſuperflua pauperibus: ſed ſolummodo cum illâ ſpe, ac deſiderio, adeoque non ex juſtitiâ obligando. Sic etiam, etſi dives det eleëmoſynam pauperi, cum deſiderio, ut eamdem licito ſuo uſui applicet; non tamen pauper peccabit contra juſtitiam eam vanè inſumendo. Reſp. non ſolum illâ ſpe, ac deſiderio bona illa à fundatoribus eſſe relicta, ſed etiam cum tali conditione, & obligatione, pauperibus ſcilicet erogandi; quod ſatis conſtat ex donationum, ac fundationum libellis, & inſtrumentis. Ex quibus, ſi illud expreſsè non poſſit oſtendi, ſatis tamen oſtenditur ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ legitimâ, juxta quam fundatores cenſentur ſua bona Eccleſiæ conſignaſſe. Aliud eſt in pauperibus reſpectu eleëmoſynæ: non enim dives dat pauperi eleëmoſynam, ut eſt miniſter Eccleſiæ, & pauperum patronus; nec etiam illius fit dominus vinculatus, ſed abſolutus; qualis non fit Clericus ſuperfluorum. Adde, quod ſi fortè eleëmoſyna illa, ſit pauperi ſuperflua, puta ſi fingat paupertatem, teneatur eamdem reſtitue-

ſtituere, cum nullo titulo, niſi titulo paupertatis, eam acceperit, nec alio eamdem poſſit retinere.

Objicitur 3. donatio ſuperfluorum illorum, etiam per ultimam voluntatem eſt valida, etiamſi fiat non pauperibus: non ſecus, ac donatio ſuperflui divitum facta diviti, etſi debeat fieri pauperibus: ex quo colligitur, ſuperfluorum illorum Clericos fuiſſe veros dominos & abſolutos, neque cum tali onere. Reſp. quomodo Cerici de bonis ſuis teſtari poſſent, dicam agendo de teſtamentis. Donatio tamen dicta, juxta Layman, & alios, quos citat l. 4. tract. 2. c. 3. num. 9. non eſt adeò valida, quin donatarius in conſcientiâ teneatur accepta reſtituere. Alii tamen negant, eam donationem eſſe invalidam, neque donatarium teneri ad reſtitutionem acceptorum de ſuperfluis, quod etiam tenet Navarrus tract. de redit. q. 2. monit. 26. ſi ſcilicet Clericus aliunde poſſit æquale præſtare pauperibus. Ratio eſt, quod debitum illud ſuperflua erogandi pauperibus, ſit perſonale Clerico, qui hîc eſt debitor, quamdiu poteſt debito ſatisfacere. Idem verum eſt, ſi quis à Clerico eadem habeat contractu oneroſo bonâ fide inito, v. g. commutatione, emptione, &c. cum eo caſu Clericus poſſit, & debeat pauperibus dare de eo, quod pro ſuperfluis accepit.

Dices, ſuperflua Clericorum, ſunt debita pauperibus, ergo donatio eorumdem aliis facta, eſt invalida. Reſp. bona illa eſſe quidem bona pauperum ex eo, quod eadem debuerant Clerici dare pauperibus, non tamen ità, quod ſecundùm ſe ſint pauperibus obſtricta. Sic v. g. bona debitoris, dicuntur eſſe bona Creditoris, non quaſi bona illa ſecundùm ſe ſint Creditoris; ſed ſolum, quod Debitor eadam debeat dare Creditori: adeo ut, ſi in fraudem Creditorum de iiſdem fiat donatio, agi poſſit contra acceptantes, ut eadem per Judicem reſtituere compellantur, ad quod tamen donatarius ante condemnationem non obligatur. Ita etiam bona ſuperflua Clericorum ſunt bona pauperum, quod Clerici eadem illis dare deberent: & ad ſummum, ſi aliis eſſent donata, poſſent pauperes contra donatarios agere ad reſtitutionem eorumdem, ad quam tamen ante condemnationem donatarii non tenerentur. Ex quibus tamen non ſequitur, Clericos ſuperfluorum eſſe abſolutos dominos, tametſi donatio illa teneat, cum ſemper maneat obligatio juſtitiæ, eadem vel in æquivalenti pauperibus erogandi, adeóque virtualiter reſtituendi. Sic etiam, etſi donatio Debitoris dicti valeat, tamen ex juſtitiâ ſemper manet Creditori obligatus ad ſolvendum.

Quæret aliquis, quómodo Eccleſia ergo Clericis beneficiatis permittat, & concedat ſæpè ſuperflua, cum non ſint illorum abſoluti Domini. Reſp. conſultò, & prudenter id ab Eccleſiâ conceditur, tum quod aliquando, vel ob morbum, vel rerum aliarum jacturam, iiſdem neceſſariò egere poſſent, ac propriæ neceſſitati de iiſdem providere. Præcipuè tamen, ac primariò eadem Clericis ſuis concedit, ut pro obligatione ſuâ, ac officio, de iiſdem pauperibus provideant, quorum ſunt Patres.

SE-

SECTIO IX.

Quænam ſit juſta Clericorum ſuſtentatio.

CErtum hîc eſt in primis, quod ſicut decentia ſtatûs ſæcularium non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet ſuam latitudinem; ità & decentia ſtatûs Eccleſiaſticorum ſuam habeat latitudinem. Certum eſt ſecundò, multa ſæcularium ſtatui eſſe moderata, quæ tamen ſtatui eccleſiaſtico ſunt ſuperflua & exceſſiva; dum alia eſt Eccleſiæ, alia hujus ſæculi, vivendi forma. Et quidem juxta Gerſonem alia ſectione citatum, eâ moderatione Apoſtolicâ contentare ſe deberent Eccleſiaſtici, ut habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti eſſent.

Reſp. ergo 1. Certa aliqua regula pro omni beneficiato dari non poteſt, ut ſuſtentatio dicatur congrua; ſed illud prudenti, ac morali judicio eſt determinandum. Ad hoc attendenda ſunt varia. 1. perſona, ejuſque conditio; 2. praxis, & conſuetudo loci; 3. officii, ſeu beneficii qualitas. Ad perſonam quidem attendendum eſt, cum plus perſonæ debili, ac delicato neceſſaria ſint, quàm valido, & robuſto. Ad conſuetudinem verò loci; quod enim in uno loco vix ſufficit, in alio ſuperabundat; tum ob pecuniæ inopiam, tum rerum omnium abundantiam. Ad qualitatem quoque officii reflectendum eſſe, per ſe patet: plus enim exigit conditio, & ſtatus Epiſcopi, quàm Decani; plus Decani, quàm Canonici. **Regulæ ad determinandam juſtam Clericorum ſuſtentationem.**

Reſp. 2. Ut tamen aliquid certi hîc pro regulâ poſſit præfigi, aſſignant aliqui cum Molina diſp. 145. attendendum eſſe ad uſum aliorum ejuſdem loci, & qualitatis, qui ſint timoratæ conſcientiæ, & in quo non urgeat ſpecialis aliqua neceſſitas. Alii ſpecialius pro varietate loci cuilibet Eccleſiaſtico aſſignant portionem congruam, quod certè perquam difficile eſt pro omni Clerico in particulari. Epiſcopo quidem relinquitur, pro arbitrio determinare portionem Vicario Paſtoratûs vacantis, ut cum aliis docet Barboſa de officio Parochi p. 1. c. 2. conformiter ad Concil. Trid. ſeſ. 7. c. 5. uti etiam apud nos communiter ſolent Paſtoratui aſſignari pro competentiâ 5, à 600. floreni: ſed, an hoc cuilibet Paſtori competens ſit, ac ſufficiens, nollem affirmare; ipſi viderint, quorum dare intereſt, aut recipere. De Canonicatibus verò, difficilius una & eadem aſſignari poterit competentia, ut per ſe patet. Majori tamen fundamento aſſignant alii pro regulâ debitæ ſuſtentationis, ut ſcilicet ipſe Clericus æſtimaret, quot aureos v. g. deberet contribuere alteri, pro debitâ ſuſtentatione Clerici ejuſdem ſecum conditionis, caſu quo illum debitè ſuſtentare deberet ex teſtamento ſibi relicto, vel ex contractu: totidemque tunc ſumere poſſet pro ſuſtentatione propriâ.

Reſp. 3. Multa tamen includit debita Clericorum ſuſtentatio, uti etiam plurima excludit. Non enim ſolum victum includit, & veſtitum; ſed illa omnia, quæ neceſſaria ſunt ad ſtatûs ſui conditionem, & officium debitè exe-

exequendum. Quia ergò Conc. Trid ſeſ. 25. c. 8. Reform. *Admonet quoſcumque Eccleſiaſtica beneficia ſæcularia, ſeu regularia obtinentes, ut hoſpitalitatis officium à SS. Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, promptè, benignèque exercere aſſueſcant:* Hinc etiam debita ſuſtentatio ultra victum, & veſtitum illa exigit, quæ ad hoſpitalitatem competenter tribuendam ſunt neceſſaria. Ubi monent plurimi, ne prætextu hoſpitalitatis, bona Eccleſiaſtica prodigant in luxum, & commeſſationes: dum ſæpè ſolet iniquitas mentiri ſibi ipſi.

2. Cum non ſolum ſibi ipſi, ſed & familiæ ſuæ providere debeat Clericus debita ſuſtentatio quoque exigit, ut ſamulatum familiæ ſuæ neceſſarium queat intertinere. Hinc Navarrus alibi ait, illud eſſe ſufficiens Clerico ſimplici, quod valet ad alendum ipſum moderatè, & unum miniſtrum, & unum Coquum, & ad conducendam habitationem neceſſariam. Plura requirit ad conditionem Doctoris, Nobilis, filii Comitis, Principis, &c. Verius tamen hîc rurſum dicitur, illud eſſe neceſſarium ad debitam familiæ ſuſtentationem, quo alii ejuſdem conditionis timoratæ conſcientiæ ſolent eſſe contenti, attentis qualitatibus loci, ac perſonæ. Idem cum Adriano in 4. de reſtitut. Henrico à Gandavo, & aliis obſervat Comitolus l. 1. q. 74. docens, cum Philoſopho, eorum, quæ in conſultationem veniunt, non poſſe conſtitui certam legem, qualiter venit in conſultationem debita Clericorum ſuſtentatio: ubi etiam Navarrum incuſat: tum, quod ratione nobilitatis majus exigat ſtipendium: tum etiam, quod ea hominum genera taxando omittat, penes quos tamen maximè invenitur patrimonium Chriſti; puta Epiſcopos, Archiepiſcopos, Cardinales, &c. *Quibus*, ait, *ſuum cuique aſſignare vectigal, maxima erat ſapientia.* Hinc ab aſſignatione illâ, & taxatione opportunius abſtinuiſſet Navarrus, à quâ tamen ſe per multos annos, etiam à pluribus conſultus, conſultò ait ſeſe abſtinuiſſe, neque reſpondere unquam voluiſſe.

3. Cum verò ulteriùs Clerico beneficiato curam animarum habenti, incumbat plebem ſuam ſalubri doctrinâ inſtruere, cuique ſubdito Sacramenta adminiſtrare, pauperes adjuvare: hinc debita illius ſuſtentatio ultra jam dicta exigit illa, quæ ad dicta exequenda ſunt neceſſaria. Sic requiritur pecunia, pro emendis libris, & aliis ſtudio neceſſariis. Requiritur quoque tantum, ut commodè Sacramenta valeat adminiſtrare, v. g. ut Equo vehi poſſit, ſi vaſtitas Pagi id exigat, & viarum moleſtia, uti plerumque fieri ſolet in terris inaggeratis, tum propter Sacramenti reverentiam, dum ſæpè non ſine periculo caſûs, per vias lubricas, & lutoſas illud eſt deferendum: tum propter Sacerdotii dignitatem, ne ut vile mancipium vias illas difficiles oberrare compellatur. Melius profectò, & minori opum diſpendio careret ille, cui jus decimarum competit, parvo illo, Equo nutriendo neceſſario ſtipendio, quam dicta inconvenientia permitteret.

Quæres, an etiam ad debitam Clerici beneficiati ſuſtentationem ſpectet, alere in ſtudiis filios, nepotes, intertinere ſuos conſanguineos, eoſdem dotare, eorum

eorum debita ſolvere, &c. Reſp. gravis in hâc re, in Eccleſiâ omni tempore fuit abuſus, ut patet ex variorum ſcriptis. S. Bernardus in Declamat. admonet Eccleſiaſticos, ne extollant de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos, ne Neptes, aut potius filias, nuptui tradant. Petrus Bleſenſis Epiſt. 102. rogat, *numquid me apud diſtrictum Judicem poterit excuſare parentum ſuſtentatio? ſi accepi divitias, ut parentum meorum indigentiam relevarem, terret me B. Hieronymus dicens: quod multi dum parentibus miſerentur, animas ſuas perdant.* Et iterum Epiſtolâ 51. *Hodie pro filiis, quos abſtulit Prælatis Eccleſiæ Deus, habere Nepotes in diſſipationem patrimonii Chriſti, & in ſua ſalutis diſpendium, permittuntur.* Idem deplorat Ludolphus Carthuſ. dicens:

Dum genitor rerum, privarit ſemine Clerum:
Ad Sathana votum, ſucceſſit turba Nepotum.

Ad quæſtionem ergò propoſitam reſpondit jam dudum Synodus Tridentina ſeſ. 25. c. 1. Reform. ubi dicitur: *Omninò verò eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: Cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum causâ. Imò, quam maximè poteſt, eos S. Synodus monet, ut omnem humanum hunc ergà fratres, nepotes, propinquoſque, carnis affectum, unde multorum in Eccleſiâ ſeminarium extat, penitus deponant.*

Conſentit Canon Apoſtolorum 39. ubi dicitur: *omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam Epiſcopus habeat, & ea velut Deo contemplante, diſpenſet: nec ei liceat ex eis aliquid omninò contingere, aut parentibus propriis (quæ Dei ſunt) condonare. Quod, ſi pauperes ſint, tamquam pauperibus ſubminiſtret, ne eorum occaſione Eccleſiæ negotia deprædentur.* Parentibus ergò, aliiſve propinquis de bonis Eccleſiæ quidpiam largiri non licet, cum reddenda Deo ſint, quæ ſunt Dei, qualia ſunt bona Eccleſiaſtica; adeò ut dicat Major in 4. diſt. 24. q. 19. Hoc nihil eſſe aliud, quàm Deo data, dicare Baal.

Quæri hîc poteſt, an ſicut parentibus, & filiis legitimis ſubvenire licet de bonis Eccleſiæ; ità etiam licitum ſit in neceſſitate ſubvenire ſpuriis, & illegitimis. Et quidem hîc obſtare videtur Conſtitutio Pii V. data Anno 1566. quâ vetat, bona Eccleſiaſtica, teſtamento, donatione, aut ullâ circuitione devenire ad perſonas illegitimas, omnia ſimilia irritando, & ſub graviſſimâ pœnâ id prohibendo. Verumtamen, cum jure naturæ, ac Divino quilibet ſubvenire teneatur filiis ſuis, nec quis poſſit carnem ſuam deſpicere; non videtur eo obſtante repudianda ſententia Majoris loco ibi ſuprà, docentis etiam illis in neceſſitate æquè, ac aliis poſſe ſuccurri de bonis Eccleſiaſticis. Quid verò illis dari, aut relinqui teſtamento debeat, ſuo loco dicendum reſtat.

Plurimi hîc etiam addunt, ratione nobilitatis plus exigi ad debitam Eccleſiaſti-

An Clericis Nobilibus plus competat quam aliis.

ſiaſticorum ſuſtentationem, prout ante etiam docuit Navarrus. Verum infundatè, cum Eccleſiaſtica beneficia non ſint erecta in favorem dignitatis mundanæ, ſed merè in Clericorum debitam ſuſtentationem, non attendendo nobilitatem generis, ſed virtutis, & Eccleſiaſticæ dignitatis. Hinc, ſive Canonicus alicujus Eccleſiæ ſit nobilis, non tamen ratione nobilitatis poſſet plus præſumere, quam alius ejuſdem Eccleſiæ tenui ſtirpe progenitus. *Neſcit enim*, ait D. Hieronymus ad Celantiam, *religio noſtra perſonas accipere. Servum, ac nobilem de moribus pronuntiat.*

Rectius docent alii, quod de reditibus etiam ſuperfluis, reſervare ſibi Clerici poſſint illa, quæ prudenter neceſſaria ſubindè futura prævidentur, puta futuræ ægritudini, liti ſuſtinendæ, ſterilitatis tempori, & ſimili neceſſitati: ita tamen, ne ſub hoc neceſſitatis titulo, ſe palliet avaritia, & meritò, ac prudenter timeatur eorumdem periculum. Neque ejuſmodi tam ſuperflua dicenda ſunt, quam neceſſaria.

De cætero, meritò notat Bannez 22.q.32.art.6. concluſ.6. quod Epiſcopi, ac alii beneficiati *in majori honore haberentur, & magis ab omnibus, etiam Magnatibus ſuſpicerentur, pauperum curam habendo, quam propter multam ſupellectilem, plurimamque eleganter veſtitam familiam, multamque vaſorum ex argento, & auro copiam, & menſæ ſplendorem, ac Equorum, atque equitum, & curruum, & lecticarum multitudinem.* Ita ille: quod itidem prædixerat Doctor Mellifluus ad Henricum Senonenſem dicens: *Honorificabitis miniſterium veſtrum, non cultu veſtium, non Equorum faſtu, non amplis ædificiis, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis.* Luxu etenim, & ſæculari pompa Eccleſiaſticum miniſterium, vel apud ipſos homines mundanos ſolet vileſcere. *Falluntur proindè graviter*, ait Dyoniſ. Carthuſienſis de vitâ Eccleſ. art. 21. *Qui honeſtatem, & decentiam Eccleſiaſticorum hodie poſitam putant contra Chriſti, & SS. Patrum doctrinam, & exemplum in ſuperfluâ pompâ veſtium, aut menſis opiparis, & delicatis, multiplici ferculorum apparatu farcitis, aut in domorum amplitudine, ac ſuperbâ magnificentiâ, ſupellectilis nitidâ multiplicitate, familiarumve non neceſſariâ, quâ ſtipati incedant, multitudine: aut etiam opum plerumque ex proventibus multorum beneficiorum cumulatorum affluentiâ: non in his conſiſtit Eccleſiaſtici viri verum decus, & ornamentum apud Deum, & viros probos (licet hæc mundus plurimum valere exiſtimet) ſed in virtutum exercitio, in quo, qui ſedulò verſabitur, jam præſcriptam ſæculi vanitatem facilè declinabit, ſeque interius, & exterius ex ornatu conteget, quo non modo in conſpectu Dei, verum etiam omnium veræ honeſtatis amatorum apparebit.* Et allatis Chriſti, Apoſtolorum ac SS. Patrum exemplis, demum ità ſubdit *Vanè ſe excuſare hodie nituntur, quærentes excuſationem in peccatis, ac dicentes, nunc alia eſſe tempora, quam olim. Non enim temporis conditio, quæ aliud, quam olim requirat, ſed hominum major vanitas, curioſitas, ac elatio hanc producunt, ipſi Domino Chriſto, ac SS. Patribus omnibus inviſam, & ſæpè per eos prohibitam ſuperfluitatem,*

tem, luxum, ac diſſolutionem à verâ honeſtate, & decentiâ, verèque honeſtâ mediocritate nimium recedentem; quod utinam intelligerent filii hominum, ii, qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. Ità ille.

SECTIO X.

De objecto dominii Hominis.

SOlent hîc communiter Authores quærere, an, & quo jure homo homini poſſit dominari: ſeu ut alii, quo jure ſervitus ſit introducta: de quo ſect. 7. ſuperiori egimus, & ſuperſedendum diximus de cætero. Eâdem ſect. quoque diximus, an homo terreſtrium, & ſublunarium ſit dominus: ſolummodo reſtat videndum, an ſit dominus vitæ, & membrorum: honoris, & famæ: nam de aliis bonis externis v. g. divitiis, nulla eſt ratio dubitandi.

Reſp. 1. homo eſt Dominus ſuorum actuum, tam ex parte ſenſitivâ, quam rationali. Primum probatur ex c. 4. Geneſis, ubi dicitur homini, ſcil. Caïn: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* De poſteriori probat illud Apoſtolus 1. Cor. 7. ubi ait hominem habere poteſtatem ſuæ voluntatis. Et S. Auguſtinus, l. 3. de lib. arb. c. 3. *Nihil eſt tam in noſtrâ poteſtate, quam voluntas. Ea enim prorſus nullo intervallo, mox ut volumus, praſto eſt ..... voluntas noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtrâ poteſtate. Porrò, quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis.* Hoc tamen alibi S. Doctor advertit, dominium illud voluntatis, non adeò eſſe plenum, quin voluntas ſibi imperanti ſæpè reſiſtat, prout l. 8. Confeſſ. eleganter illud deſcribit: ubi etiam c. 9. advertit, voluntatis imperio ex parte ſenſitivâ promptius obediri, quam ex parte rationali. Ait enim ibidem: *Unde hoc monſtrum, & quare iſtud? imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta eſt facilitas, ut vix à ſervitio diſcernatur imperium: & animus, animus eſt. Manus autem corpus eſt. Imperat animus, ut velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen: unde hoc monſtrum, & quare iſtud?* Rationem ſubdit dicens: *Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat.* Quò ergò fortius, ac plenius voluntas imperat, eò voluntas plenius ſibi dominatur. Quorum homo ſit Dominus.

Contrà dicunt alii, quod ſaltem non videatur homo dominus eſſe actuum ſupernaturalium; tum, quod illi ſint in dominio Dei, de quo dicitur Pſ. 23. *Dominus virtutum*: tum, quod homo actus illos ſibi ex ſe ipſo nequeat acquirere, ſed proveniant merè ex Dei gratiâ. Reſp. actus illos eſſe quoque ſub dominio Dei, imo illi principaliter ſunt adſcribendi: inde tamen non ſequitur, nos illorum actuum non eſſe dominos, ex eo, quod eoſdem Deo largiente habeamus: ſic homo dicitur quoque Dominus actuum naturalium, etſi iidem ſint quoque ſub dominio Dei, ut ſunt cætera creata; uti etiam licet eoſdem elicere non poſſit, ſine generali concurſu Dei. Unde alibi ait Objectio.

S. Auguſtinus, bona opera, & noſtra eſſe, & ipſius Dei, ità tamen, ut tota boni operis laus, ad Creatoris laudem ſit referenda.

Quatenus homo ſit Dominus vitæ, & membrorum.

Reſp. 2. homo non eſt dominus ſuæ vitæ, vel membrorum: eſt tamen dominus eorumdem uſûs. Ratio eſt, quod dominus uti poſſit re ſuâ, cujus eſt dominus, etiam aliquando uſque ad rei conſumptionem, citra ullius injuriam; hoc autem nullo caſu facere homo poteſt de ſuâ vitâ, vel membris, ergo. Deindè, omne dominium innititur alicui juri, ex quo dominium reſultat: ſed neque jure naturæ, neque divino, neque humano, homo eſt dominus ſuæ vitæ: non jure naturæ, cum ex illo jure, nihil homo magis appetat, quàm vitæ conſervationem, adeoque ejus conſumptio ſit maximè contra naturam: non divino, quia, etſi Deus ab initio omnia ſubjecerit ſub pedibus hominis, quæ ad vitam hominis conſervandam ſunt neceſſaria; non tamen ipſam vitam, quam expreſsè excepit in Decalogo prohibendo, *Non occides*. Non etiam jure humano, quod jus occiſionem alterius graviſſimè prohibet, & punit, de quo poſtea.

Quod verò homo ſit Dominus uſûs vitæ, & membrorum, patet, quia pro ſuo arbitrio poteſt homo uti membris ſuis, ad omnem uſum lege permiſſum, ſive non prohibitum, Imò, ſi quis hominem liberum ab uſu illo vellet impedire, faceret illi ſtrictè dictam injuriam. Ratione hujus juris utendi corpore, ſæpè dicitur vir habere poteſtatem, ſive dominium corporis uxoris, & è contra; & quiſque, ut matrimonium ineat, in qno transferuntur corpora mutua, ad actus conjugales.

Objectio.

Contra priorem concluſionis partem objici poſſet, quod homo poſſit vitam exponere pro amico, brachium pro conſervatione totius corporis. Si enim ipſe non eſſet verus Dominus, faceret vero Domino injuriam exponendo, ſicut qui alterius bona periculo exponit, facit illi alteri injuriam. *Reſp.* ad hoc, ut quiſquam ſit Dominus rei, requiritur, quod poſſit de illâ re pro ſuo libitu diſponere, aliàs enim & Reſpublica dicenda eſſet habere dominium vitæ ſuorum civium, de quâ, etſi poſſit aliquando diſponere ob cauſam juſtam, non tamen pro libitu. Ità quoque ſit in hoc caſu: etſi enim homo diſponere poſſit in expoſitione vitæ ſuæ pro amico, pro patria, &c. non tamen id poteſt pro ſuo libitu, ſed juſtiſſimâ cauſâ id exigente. Ità Salonius q. 3. art. 2. ad 3. non diſponit ergò eo caſu homo de vitâ ſuâ in vim dominii, quod habet in vitam: ſed magis ex conceſſione Dei, qui talibus caſibus de vitâ diſponere permittit.

Objicies 2. qui Petro v. g. abſcindit brachium, tenetur ei ad reſtitutionem; ergò Petrus cenſetur brachii ſui Dominus. *Reſp.* Teneri quidem ad reſtitutionem Petro mutilatorem, non quia Petrus eſt ſui brachii Dominus, ſed quia jure naturæ eſt cuſtos membrorum; ſic etiam, qui puellam de domo tutoris rapit, tenetur tam puellæ, quàm tutori ad reſtitutionem, & utrique facit injuriam; cum tutor jus habeat ad eam cuſtodiendam. Adde, quod juxtà antedicta, homo habeat jus utendi membris ſuis, quo jure mutilando privatur.

Objicies 3. Non videtur tamen ad rationem dominii, quod re aliquâ uti poſſit

poſſit uſque ad ejus conſumptionem : eſt enim homo Dominus ſui ſervi, quo tamen eouſque uti non poteſt. Ergò non videtur ſubſiſtere ratio ante allata pro probando, hominem non eſſe Dominum vitæ, quia de vitâ non poteſt diſponere uſque ad conſumptionem. *Reſp.* Dominum non poſſe ſervum occidere, eò quòd non ſit Dominus vitæ ſervi; ſed quòd poſſit quoad laborem, operas, & alia plenè de eo diſponere.

Reſp. 3. Neque etiam Reſpublica habet dominium vitæ ſubditorum. Ratio patet ex dictis, quod pro libitu ſuo non poſſit diſponere de vitâ ſubditorum uſque ad ejus conſumptionem, ſed ſolùm ex conceſſione ſibi divinitùs factâ, vel ob defenſionem alterius innocentis, vel ob conſervationem totius.

Reſp. 4. Solus Deus habet dominium vitæ, & necis. *Dominus* enim *vivificat, & mortificat*, 1. Reg. 2. & Sap. 16. dicitur: *tu Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem.* Hinc ait Soto l. 4. q. 2. art. 3. *Poteſt Deus homines morti tradere, ſicut quiſque jumentum ſuum. Sua tamen inenarrabilis miſericordia eſt, quod numquam hac abſolutâ dominii poteſtate uſus eſt.* Exigit hanc dominii plenitudinem infinitudo, & infinita Dei poteſtas in omnia creata, dum ipſe eſt omnium principium, & finis. Ratione hujus dominii Dei, ſalvator ipſe tamquam ſpeciale privilegium ſibi competens, allegabat Joan. 10. *poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Et Job auditâ filiorum morte atteſtatus eſt dicens C. 1. *Dominus dedit*, puta filios, & omnia, *Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* Et ex dictis deducit Dom. Soto, loco ibi ſuprà: quod ſit contra naturam immanitas illa barbararum nationum, quæ in eâ ſunt cæcitate, ut Principes ſuos, Dominos exiſtiment vitæ ſubditorum; ità ut poſſint illos abſque ullâ, vel culpâ, vel causâ, veluti pecora trucidare. Ità Soto. Solus Deus habet dominium vitæ, & necis.

Reſp. 5. Homo eſt Dominus ſuæ famæ. Eſt communis contra Cajetanum, & aliquos, famæ dominium conſtituentes penes Rempublicam, eò quòd ex honore civium, dependeat honor communitatis. Sed probatur concluſio, quoniam primarii actus dominii, homini competunt quoad famam: poteſt eam proprio labore acquirere: ablatam, velut rem ſuam proprio nomine in judicio repetere: reſtitutionem ejuſdem ſine alicujus injuriâ condonare; quæ omnia ſatis oſtendunt, hominem habere dominium ſuæ famæ. His adde D. Th. q. 73. art. 4. ad. 1. dicentem: *In arbitrio uniuſcujuſque eſſe pati detrimentum ſuæ famæ, niſi id vergat in alterius nocumentum.* Homo autem non poteſt pati ità detrimentum, niſi in illis rebus, quarum eſt Dominus. Homo eſt Dominus ſuæ famæ.

Dicet aliquis, homo poteſt pati detrimentum in mutilatione membri, & reſtitutionem ejus condonare, ex quo tamen non ſequitur, hominem eſſe Dominum membrorum. Reſp. Si membrum abſciſſum ſecundùm ſe reſtitui poſſet, non liceret remittere ejus reſtitutionem, cum eſſet illud virtute iteratò abſcindere, ſi nollem id recuperare, cum poſſem, quod omninò non licet; cum à Deo vitæ, & membrorum ſimus conſtituti cuſtodes. Quia tamen membrum ſecundùm ſe recuperabile non eſt, compenſatur tamen damnum per mutilationem illatum pecuniis; quæ, quia bonum temporale ſunt, poſſunt condonari, Objectio.

tam-

Digitized by Google

tamquam quæ mihi, ut Domino deberentur. Cum verò fama ſecundum ſe reſtitui poſſit, poſſumus etiam ejuſdem reſtitutionem ſecundum ſe remittere, quod ſatis indicat, nos famæ noſtræ habere dominium.

Dices iterum, fama nihil eſt aliud, quàm bona aliorum de te opinio, in hanc verò habet dominium ille, qui benè opinatur, cum quilibet habeat dominium actuum ſuorum, non verò alienorum. Reſp. Etſi homo non habeat directè dominium, aut jus in opiniones aliorum; habet tamen jus, ut alii de ſe benè opinentur, dum probè vivit: item habet jus, ne bonam opinionem, quam bonâ vitâ apud alios acquiſivit, alii detrahendo corrumpant: uti etiam habet homo poteſtatem, quod juſtâ de causâ permittat aliquando bonam illam opinionem apud alios mutari; quæ latius deducentur agendo de Detractione.

CAPUT II.

De modis acquirendi Dominii.

SECTIO I.

Quot modis acquiratur Dominium.

SOlent hoc loco inquirere Theologi, quomodo, & quo jure introducta ſit bonorum diviſio, dum juxta commune placitum, omnia in initio fuerunt communia: hoc autem indagare, alibi ut memini in Epiſtolis, ut ſuperfluum, & frivolum reponit S. Hieronymus. Quare ad modos acquirendi, & transferendi dominii, tranſeamus.

Pro intelligentiâ tamen ſubſequentium, Notandum primò, diviſionem rerum, factam eſſe primitùs, cum exceptione extremæ neceſſitatis, in quâ omnia communia perſeverant. Notandum ſecundò, communi omnium conſenſu, plurima etiam poſt diviſionem remanſiſſe communia, ut ſunt aër, mare, littus, &c. Etſi ſimilia, aut populorum conſenſu, aut præſcriptione, aliquibus facta ſint propria; prout etiam jus navigandi, piſcandi, venandi, &c. Quæ tamen omnia, quantum eſt de ſe, etiam diviſione factâ remanſerunt communia. Notandum eſt tertiò, quod etiam varia, etſi non remanſerint penitùs communia omnibus; remanſerint tamen communia ſubditis de communitate, v. g. theatra urbium, paſcua publica, &c. Notandum quartò quædam eſſe nullius hominis, uti ſunt feræ ſylveſtres, piſces, &c. quamdiu naturali ſuâ fruuntur libertate. Dicuntur quoque res ſacræ alio ſenſu eſſe nullius, de quo agendum erit de ſimoniâ. Notandum quintò, alia bona eſſe derelicta, quæ etſi fuerint ſub cujuſpiam dominio, ſub eodem tamen eſſe deſierunt. His affinia ſunt bona vacantia, incerta, inventa, &c. de quibus omnibus in ſequentibus erit agendum.

Quæ cenſeantur adhuc communia.

His

Digitized by Google

His prænotatis, communiter ſtatuitur triplex modus acquirendi dominii; ſcilicet, occupatione, conſenſu, & authoritate publicâ: alii dicunt, occupatione, ſtipulatione, & conceſſione: poſterioribus modis dominium quoque amittitur. Occupatione acquiritur dominium illarum rerum, quæ ſub nullius ſunt poteſtate, quales ſunt, feræ ſylveſtres, piſces maris (ſalvo tamen venandi, & piſcandi jure ſpeciali) lapilli pretioſi effoſſi, venæ metallicæ, gemmæ maritimæ; quamquam jus fodiendi metalla, & lapides pretioſos, velint varii ſeclusâ lege particulari, & conſuetudine, tantum competere Domino loci, adeoque & Indos juſtè prohibuiſſe externis eorumdem foſſionem. Videri poteſt Sotus lib. 5. c. 3. art. 3. Modi acquirendi Dominii.

Simile quid eſt theſaurus, de quo varia diſputant Authores. Theſaurum verò propriè dictum definit lex *nunquam.* §. *Theſaurus*, quod ſit *depoſitio rei mobilis, cujus non extat ulla memoria.* Impropriè verò *theſaurus* dicitur depoſitio rei pretioſæ in loco tuto, facta vel metu, vel lucri faciendi causâ, vel ad cuſtodiam, vel ob reverentiam, uti fieri ſolet in ſepulchris mortuorum apud Indos. Hic autem theſaurus, cum habeat verum dominum, vel deponentem, vel ejus ſucceſſores; non fit primò occupantis, ut per ſe patet. Hinc deducunt aliqui, externos, qui ſpoliaverunt Indorum ſepulchra, teneri ad theſauros ibi repertos reſtituendos. De quâ re vide Mich. Salonium q. 66. art. 5. Quid ſit theſaurus

Theſaurus propriè dictus, inventus in loco aliquo, ſtando in jure naturæ, fit primò eum invenientis, & occupantis, patet ex dictis. Jure tamen poſitivo communi, deditâ operâ inventus ſine conſenſu Domini, fit Domini fundi: de conſenſu verò Domini, dividendus erit Domino, & inventori, ſi talis prævie ſit facta conventio; aliàs fit totus inventoris, cum eo caſu Dominus cenſeatur ceſſiſſe ſuo juri. Fortuitò inventus in alieno loco, dividendus erit Domino loci, & inventori: *L. unica C. de theſauris.* Inventus in proprio, erit inventoris. Inventus arte magicâ, cedit fiſco, loco ibi ſuprà. Aliæ tamen ſunt particulares diverſorum Regnorum conſtitutiones in hâc materiâ, quæ hîc ſunt conſulendæ. De bonis inventis, & incertis agetur de reſtitutione C. 7. ſect. V.

SECTIO II.

De modo acquirendi dominii per Venationem, Piſcatum, &c.

DIſtinguunt hîc Theologi æquè, ac Juriſtæ, triplex animalium genus. Primum, quod naturâ, ac conſuetudine eſt ferum, ut ſunt Apri, Cervi, &c. Alterum eſt, quod quidem naturâ ferum eſt, ſed tamen conſuetudine aliquâ eſt manſuefactum, ut ſunt columbæ, quæ domi nutriuntur. Poſtremum eſt, quod eſt naturâ ſuâ manſuetum, ut ſunt gallinæ domeſticæ, oves, & boves, &c.

His prænotatis, docent 1. animalia fera, & ſylveſtria primi generis, fieri primò occupantis. Ratio eſt, quod ſint nullius: ſi verò primi occupantis cuſtodiam iterum evaſerint, & in naturalem libertatem ſeſe receperint, fiunt eadem

dem iteratò capientis. Tunc autem cenſetur fera aliqua ſeſe recepiſſe in ſuam naturalem libertatem, cum vel oculos Domini ſui effugerit; vel, etſi adhuc ſit in conſpectu ejus, tamen difficilis eſt ejuſdem proſecutio. Docent ſecundò, animalia naturâ quidem fera, ſed manſuefacta, quamdiu redeundi, vel facilè reducendi conſuetudinem retinent, capi non poſſe citrà injuſtitiam. Ratio eſt, quia tamdiu manent ſub dominio Domini illius, prout cæteræ res. Si verò dictam conſuetudinem amittant, & ſe receperint in ſuam naturalem libertatem, fiunt primò occupantis. Ratio eſt, quod eo caſu dominium omne evaſerint, adeoque tamquam nullius, fiant primi occupantis. An verò dictam conſuetudinem redeundi, vel reducendi fera amiſerit, morali potius judicio, quam determinatâ regulâ erit diſcernendum, conſideratâ naturâ feræ, & aliarum circumſtantiarum. Docent ulterius tertiò, animalia naturâ manſueta, ut ſunt gallinæ, &c. capi non poſſe, ubicumque vagentur; eò quòd, quocumque loco inveniantur, cenſeantur ſub dominio prioris Domini; adeoque, ut aliæ res Domino ſint reſtituenda, quidquid etiam de iiſdem poſſet ſupereſſe.

Ex dictis deducunt primò: obligari ad reſtitutionem illum, qui feram ab alio captam, occupat; ratio eſt, quod facta ſit primi eam capientis. Quod locum habet in eo, qui feram alterius laqueo inextricabiliter comprehenſam; piſces alterius laqueo, aut naſsâ concluſos, extrahit: cum fuit illius facta, qui laqueum poſuit, non alterius, qui eadem laqueo comprehenſa, occupat extrahendo. Sequitur ſecundò, ad reſtitutionem teneri eos, qui Columbas, Pavones, Cuniculos, &c. domo aliquando evagantes, occidunt; cum cenſeantur eſſe ſub dominio ſui domini, etſi domo aliquando abſint, quamdiu redeundi non amiſerunt conſuetudinem. Sequitur ulterius tertiò, quod etſi in *inſtit. de rerum diviſ. §. illud quæſitum*, ſtatuatur, quod fera à te vulnerata, & ab alio occupata, fiat occupantis: tamen, ſi fera lethaliter, aut ſufficienter ad capturam ſit ſancia, & vulnerans eam inſequatur; ſic ut moraliter certò eam ſit conſecuturus; quod eo caſu fera non fiat occupantis, ſed eam vulnerantis, eò quod fera illo caſu moraliter loquendo cenſeatur amiſiſſe naturalem libertatem, & eſſe in poteſtate illius, qui eam vulneravit, & inſequitur.

Columbaria quouſque licita. Ratione prædictorum de Columbis, notandum eſt apud varios aliquando columbaria, ut iniqua fuiſſe condemnata; & dominos columbarum judicatos ad reſtitutionem damnorum, quæ Columbæ tempore meſſis, aliis inferunt. Inveniri enim Columbarum, & pullorum ſtomachos plenos tritico aſſerunt, unde meſſi grave damnum volunt inferri. Hujus ſententiæ eſt Palud. in 4. diſt. 15. q. 2. & Major ibid. q. 28. Alii tamen paſſim eadem defendunt, maximè ubi nulla ſpecialis lex eadem ſolet prohibere. Ratio eſt, quod damnum illud, quod prætenditur, vel ſit nullum, vel ſit adeò parvum, ut pro nihilo reputetur. Deindè, cum uſu ſint recepta, videtur populus in damnum illud (ſi quod ſit) conſenſiſſe. Hinc etiam videntur à Republicâ defendi, quando circà eorumdem uſum variæ ſtatuuntur conſtitutiones, quales ſunt

ſunt in Belgio, quas allegat Codex Belgicus V. *Jacht.* §. 40. & 41. addunt alii, Columbas magis prodeſſe agris, quam obeſſe; dum experientiâ conſtat, eas maximè Lolio, & Zizaniis paſci. Videri poteſt Ludov. Molina tract. 2. diſp. 48. Solent hîc quærere, an venatio poſſit juſtè interdici. Ratio dubitandi eſt, quod jure naturæ, feræ ſint communes omnibus, & fiant primi occupantis: cui juri non videtur jus poſitivum poſſe ullatenus obſiſtere. Reſp. tamen, quod venatio aliquando poſſit juſtè interdici. Primò propter bonum commune, ne feræ, piſces, aves, funditus tollantur, ſi omnibus pro ſuo libitu liceret venari, piſcari, aucupari. 2. Ratione temporis, v. g. tempore partûs, & educationis fœtuum. 3. Ob delectationem Principis, cum ſit maximè æquum, ut qui bono communi ſtudent, & illius causâ laborant, habeant loca ſelecta, ubi animus poſſit recreari. Omnia tamen loca reſervare velle, tyrannum magis ſapit, quam Principem. Unde in Belgio noſtro, ubi largiſſima eſt venandi, & aucupandi poteſtas, ſolummodo Principi reſervantur, vivaria, & ſylvæ, dictæ *Zonien-boſch*, *Saventerloò*, *Grootheyſt*, *Meerdale*, & *Grooten-hove*. Edict. 31. Aug. 1613. 4. Venatio interdici poteſt, uti & piſcatio, ratione inſtrumentorum piſcandi, vel venandi, de quibus itidem varia ſunt hîc ſtatuta, videnda loco ſuprà citato, V. *Jacht.* præcipuè paragrapho 25. 26. 27. & ſequentibus. 5. Prohiberi poteſt illa ratione loci, quando locus alicui eſt appropriatus, aut ità feris coäptatus, ut nemini præter Dominum loci liceat ibidem venari, piſcari, &c. 6. Prohiberi quoque poteſt ratione perſonæ, qualiter inhibetur Clerico, de quo poſtea. 7. Prohiberi hoc poteſt, ſi venatio, piſcatio, &c. alicui ſpecialiter aſſignata ſint in ſuſtentationem: taliter aucupium Coturnicum cedere dicitur Epiſcopatui, alibi in Italiâ. 8. Idem fieri poteſt ratione benemeritorum de Republicâ, quâ ratione jus venandi aliquibus ſpecialiter indulto Principis indulgetur, cæteris denegatur, & prohibetur. Venatio an poſſit prohiberi?

Poſitâ tamen lege venationem vetante, obligatur Princeps providere, ne multiplicatis feris, ſubditi damnum ab illis ſentiant: quod ſi negligat, tenetur illis ad reſtitutionem. Imò, ne quidem Princeps inhibere poteſt, ne feras ſubditi occidant, ſi damnum reſarcire detrectet; eò quòd lex illa eſſet iniqua, & omninò irrationabilis.

Qui tamen contra legem venationem vetantem venatur; ut puta, tempore clauſo, vetito inſtrumento, &c. non peccat mortaliter, neque ad reſtitutionem obligatur, niſi inferat alicui grave damnum. Ratio eſt, quod dicta animalia, etiam factâ prohibitione ſint nullius, adeoque fiant primò occupantis. Deinde, prohibitio quidem illa, uſum venationis prohibet, non tamen acquiſitionem feræ irritat, dum illæ manent in ſuâ libertate naturali. Ad reſtitutionem tamen damnorum, quæ venando inferunt, omninò obligantur. Ex quibus patet, parum fundatè velle D. Anſelmo Tribon. cap. 53. §. 6. Quod, ſi inhibitio dicta fiat à Domino particulari, eo caſu dominii acquiſitio eâ inhibitione non irritetur. Secus ſi inhibitio fiat à Principe, vel Communitate. Melius

D. Zypæus notitiæ juris Belgici l. x. de jure fiſci, ubi ità ſcribit: *Feræ nullius ſunt, ſed capientium jure fiunt. At venationibus hodie per edicta prohibitis*, QUASI *in dominio Principum ſunt: non tamen tam proprio, ut ſi quis feræ inſidiatus fuerit, pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem ceperit, furtum committere cenſeatur, aut conſcientiam lædere, periculo pœnæ legalis dumtaxat ſubjectus.*

Porrò, etſi particularis quoque prohibere juſtè pôſſit, nequis in ſuo fundo venetur: moribus tamen introductum eſt, ut Dominus feram in territorio ſuo excitatam, etiam in alieno proſequi liceat: idque utilitas communis ſuaſit, ut mutuam fundi ingrediendi licentiam eo caſu concedant, cum illud ad venationem ſit planè neceſſarium. Ità Chriſtyn in notis Bug. de legibus abrog. l. 5. §. 36. ex aliis, quos ibidem citat.

Quomodo jure naturæ omnia ſint communia.

Ex quibus omnibus patet, juſtè aliquando venationem poſſe inhiberi lege poſitivâ, non contraveniendo legi naturali. Dum enim dicitur, de jure naturæ omnia eſſe communia, intelligendum id eſt, de jure naturæ permiſſivo, quatenus id à naturâ hominibus permittitur, non præcipiendo illud, vel inhibendo: non verò de jure naturæ præceptivo, cujus oppoſito reſiſtit jus naturæ, quod nullâ umquam lege poteſt induci. Quando ergo jus poſitivum venationem prohibet, aut reſtringit; jus illud permiſſivum, vel antevertit, vel modificat, quam modificationem obſervari vult ipſa lex naturæ.

SECTIO III.

An, & quantenus venatio ſit Clericis interdicta.

Venatio vario jure Clerico noſcitur eſſe interdicta. In primis Canone *quorumdam* diſt. 34. Nicolaus Papa Lanfredum Epiſcopum, uti alios de Clericorum catalogo, genere dumtaxat Germanos, & Gallos venationi deditos, jubet acriter admoneri, addens ex S. Hieronymo, venatorem numquam legi fuiſſe ſanctum. Et in additionibus dicitur: *O miſeram vitam hominum, & maximè Sacerdotum, qui, dum lucrandis fidelibus debent inſiſtere, venandis feris incumbunt: & quos capere oportet homines, capiunt aves, & beſtias. Qui dum mortibus ſtudent animalium, vitam ſuam amittunt animarum.* Et in Cap. I. ⁑ *de Clerico venatore*, Epiſcopis, Præsbyteris, & Diaconis prohibitum eſt ſub pœnâ ſuſpenſionis, ne Canes, aut Accipitres ad venationem nutriant. Idem prohibent paſſim alii Canones, & Decreta. Aliam hujus rei conſtitutionem olim Templariis datam, opportunè importunè allegat D. le Roy in deſcriptione ſuâ agri Antverpienſis l. 5. ubi agit de Abbatiâ noſtrâ Tongerloënſi, mihi f. 288. ubi poſtquam allegaſſet reſervationem venationis factam Principi, & Abbati, neſcio quo ordine, quâ connexione, quove animo, addat Decretum illud Templariis indicens venationem; addens itidem non eſſe pietatis exercitia, ideoque à ſapientioribus Tongerloënſibus Cœnobitis ſemper ſpreta, atque neglecta. Ex quibus ſatis apparet, eum omnem omninò venationem Clericis cenſere illicitam, & declinandam.

Sed

Sed melius eâ in re, uti & meliori ordine docet D. Anſelmus, & in jure Canonico longè fundatius, qui in ſuo Trib. loco ubi ſuprà, abſolutè negat cum communiori ſententiâ, dictas juris conſtitutiones tam generaliter, ſtrictè, aut rigorosè accipiendas eſſe; perindè, ac ſi venatio in totum illis eſſet prohibita: *cum enim*, ait, *non eſt cruenta, aut nimis clamoroſa, & ſi modeſtè cum canibus, & ſine ſtrepitu, licitam eſſe venationem tradit Suarez, & Panormitanus. Idem dicendum eſt, ſi fiat retibus, arcubus, laqueis, & aliquibus canibus, ſi tamen rarò fiat.* Addit prætereà in quibuſdam partibus Clericos non habentes reditus, vivere de venatione, uti fit in Franciâ: teſte Abb. idem etiam obſervat cum Leſſio, & pleriſque aliis Chriſtyn ad Bugnion lib. 3. cap. de 60. de Clerico venatore dicens: quieta tamen, & rara per retia, & laqueos non videtur inhibita, ſive fiat gratiâ exercitii, ſive neceſſitatis: ſimul ex aliis referens in Franciâ, & alibi Clericos non habentes reditus, de venationibus vivere. Imò videtur in idipſum reflexiſſe Synodum Mechlinienſem, quæ tit. 17. c. 10. de vitâ, & honeſtate Clericorum, expreſsè ait, *ab omni etiam venatione, quæ cum armis, aut non ſine ſtrepitu fit, Clericus abſtineat.* Non ait Concilum abſolutè, ab omni prorſus venatione, ſed ab illâ venatione abſtineat, quæ cum armis fit, aut non ſine ſtrepitu; innuens aliam non eſſe Clericis tam ſtrictè interdictam. Denique conformius, & directius reſpondendo, quis accuſabit Capitula, & Abbatias, quibus jus venandi legitimè competit, venari per famulos ſuos, prouti facit prædicta Abbatia, & alia Capitula gaudentia eodem privilegio? Quod tamen omnis venatio Religioſis noſtris ſit interdicta, ipſi novimus ex ſtatutis, quæ allegare potuiſſet, ſi ſciviſſet: etſi & ipſa ſtatuta, conformiter ad alia jura ſint intelligenda.

Quod verò alter opponit, non eſſe exercitia pietatis, eſt planè inſulſum: multa etenim Clericis, & Religioſis licent, imò & illos decent, etſi de ſe non ſint exercitia pietatis: ſic luſus honeſti, & ſimilia honeſta exercitia in Ordine noſtro ſubindè injunguntur, etſi non ſint exercitia pietatis. Unde & dictus D. Anſelmus pergit: *Sed & ſi quis exerceat ſe in venationibus recreationis causâ, aut ad excitandum appetitum propter infirmitatem, non putem id cadere in prohibitionem. Oportet enim virum, qui ratione valet, ſcire, quod ſanitas plurimi pretii ſit, & quod corpus humanum auxiliis eget, non ut ſit immortale, ſed ne properè ſeneſcat, intereatque, & ut juſtum vitæ curſum citra moleſtiam corporis tranſigat. Ex quibus ſanè colligere licet, de jure Canonico Clericis venationem non eſſe ſimpliciter, & indiſtinctè prohibitam.*

Quod autem alter addit, ſcripſiſſe virum in Eccleſiâ ſummum, quod numquam viderat ſanctum venatorem; ſcripſiſſe id verè jam ante potuit S. Hieronymus; cum S. Hurbertum, S. Euſtachium, & alios ſanctos Venatores veneremur: vel etiam S. Doctor intelligi poteſt de venationi dedito, cum damno vitæ ſpiritualis. Melius proinde, & majori Ordine, jura, & privilegia Ordinis noſtri hîc admiſiſſet Nobilis Dominus; cui quantopere affectus ſit, teſtatur Marchionatûs notitia; maximè, ubi de eodem Ordine ex profeſſo agit. Noverit

verit interim ex Domino Zypæo notit: juris Belgici, de venatione ferarum in fine, quod *Clerus Belgicus eſt reformationi* (in venando) *adſtrictior.*

SECTIO IV.

De modo acquirendi dominii per Præſcriptionem.

ALio modo dominium transferri diximus per ſtipulationem, de quo agendum plenius in materiâ de contractibus. Reſtat tertius modus transferendi dominii, puta per conſenſum, ſeu authoritatem ſuperiotis, prouti fit in præſcriptionibus. Et omiſſis variis acceptionibus vocis *præſcriptio*, hîc nihil eſt aliud, quam *modus acquirendi dominii per poſſeſſionem alicujus rei, certo temporis ſpatio legibus definito, continuata.* Solet paſſim apud Theologos confundi cum *uſucapione*, etſi alii eadem diſtinguant, quod uſucapio ſit mobilium, præſcriptio ſit immobilium.

Quid ſit præſcriptio.

Varia circà præſcriptionis materiam ſunt indaganda, & prænotanda: ac primo præſcriptionem eſſe introductam à jure poſitivo, cum de jure naturali res ſemper maneat veri domini, etſi alter eam bonâ fide longiſſimo tempore poſſideat. Secundò, obſervandum eſt, præſcriptionem à lege eſſe introductam variâ de causâ; puta, ne dominia rerum manerent incerta; ne exindè multiplicarentur lites; ne Domini in proſecutione rerum ſuarum ſocordiâ torperent: denique, cum ſæpè injuriâ temporum fieri poſſit, quod probationes, ac defenſiones Actorum petitionibus oppoſitæ diſperdantur, maximè in privatis familiis: fieret, ut iis perditis opprimi poſſent, ſi non ſuccurreret præſcriptionis remedium. Tertiò, cum dicta omnia ſint bono publico, ac quieti publicæ maximè convenientia: Sic juxtà Solonem (ut in ejus vita habet Plutarchus) præſcriptio, ſeu uſucapio, regimini publico eſt planè neceſſaria. Ex quo ſequitur, indubiè penes Rempubl. hanc eſſe poteſtatem, ut rerum dominia, viâ præſcriptionis transferat, cum bonum commune particularium juribus debeat præponderare. Quartò, & ultimò hîc obſervandum eſt, ad legitimam præſcriptionem requiri, ut quinque ſimul requiſita concurrant. Primum eſt continuata poſſeſſio; *ſine poſſeſſione enim non currit præſcriptio.* C. 3. de Reg. juris in 6. ſecundum eſt, ut res, quæ per præſcriptionem poſſideretur, poſſit præſcribi. Tertium, bona fides; ut enim dicitur Capt. *poſſeſſor* de Reg. juris in 6. *poſſeſſor malæ fidei nullâ temporis diuturnitate præſcribit*: Quartum eſt, ut adſit titulus ſaltem probabiliter præſumptus: ſi enim eſſet certus, transferret dominium ſine præſcriptione. Quintum eſt, tempus lege requiſitum. De quibus nunc ordine, aliqua ſunt indaganda, ac primò de poſſeſſione.

Quare ſit introducta.

Requiſita ad præſcriptionem.

Poſſeſſio ſubindè ſumitur pro re poſſeſsâ, prout aliquando in jure, prædia, quæ poſſidemus, dicuntur *poſſeſſio.* Formaliter tamen ſumptæ poſſeſſionis definitio, juxtà Gloſſam leg. *ſtipulatio.* §. *hac quoque ff. de verb. oblig.* etiam perititiſſimis viſa eſt difficilior. Communiter tamen ſolet definiri, quod ſit *detentio rei corporalis, corporis, & animi, juriſque adminiculo.* Apprehenſio,

Quid poſſeſſio.

ſeu detentio illa intelligitur vera, vel ficta; prouti, vel manibus res corporea, vel pedibus, ut res immobilis apprehenditur, quæ apprehenſio dicitur *vera:* vel prout alio actu efficaci ex juris diſpoſitione, res apprehenditur, quæ dicitur *ficta*; puta ex facultate legum, confecta. Dicitur, *rei corporeæ*, quia aliarum, ut jurium, ſervitutum &c. Non dicitur propriè poſſeſſio, ſed *quaſi poſſeſſio*, eò quòd per ſe non apprehendantur. Alii tamen hîc generaliter intelligunt omne illud, quod poſſit apprehendi, & poſſideri. Additur *corporis, & animi, jurisque adminiculo:* quia verè res tunc dicitur poſſideri, & apprehendi, dum aliquâ corporis parte ad apprehendendum convenienti cenſetur comprehendi. Debet quoque adeſſe animus, rem illam ſibi tamquam Domino aſſumendi; neque enim famulus cenſetur poſſidere rem Domini ſui, quam portat manibus, adeoque & corporaliter poſſidet. Additur denique *jurisque adminiculo*; puta, ne lex tali apprehenſioni reſiſtat, ſed potius eam adjuvet, & illi aſſiſtat.

Poſſeſſio autem eſt duplex, *naturalis*, & *civilis:* addunt aliis *civiliſſimam*. Naturalis eſt, *quæ corpore ſimul, & animo retinetur*, ut quando quis occupat rem ut ſuam. Civilis eſt *quæ ſolo animo retinetur*. Etſi enim ut poſſidere jam inchoës, requiratur adminiculum animi, & corporis, ut ex definitione poſſeſſionis conſtat: ut tamen eam continues, ſufficit intentio eam rem retinendi, nec ab eâ deſiſtendi. Sic rem ſuam civiliter poſſidet, qui longè à re ſuâ abſens, eam tamen occupat. Poſſunt hæ duæ poſſeſſiones ſimul eſſe in eodem, & in unam coäleſcere, quæ etiam eſt perfectiſſima poſſeſſio, uti & firmiſſima. *Civiliſſima* eſt, quæ ſolâ legis ordinatione conſtat, cum poſſeſſio etiam acquiratur juris adminiculo. Vide plura de poſſeſſione apud Malderum tract. 1. c. 3. Dub. 6. 7. 8. 9. Diviſio poſſeſſionis.

Poſſeſſio ergo ad præſcriptionem eſt omninò neceſſaria, ut ex definitione præſcriptionis per ſe patet, & adducta regula juris ſatis confirmat. Et quidem naturalis, nec ſufficit, nec requiritur: ſufficit verò, & requiritur civilis: efficacior tamen eſt utraque ſimul conjuncta. Neque enim fur præſcribit rem, quam naturaliter poſſidet. Requiritur ergo ad præſcriptionem, ut eo animo rem poſſideat, ut illi inſiſtere velit tamquam ſuæ: aliàs enim, & depoſitarius præſcribere poſſet rem depoſitam, quod tamen fieri nequit: cum civilis rei depoſitæ poſſeſſio ſit penes deponentem, qui eam dicitur verè poſſidere. Poſſeſſio ad præſcriptionem requiſita.

Sequitur ex dictis, præſcribere non poſſe Religioſos, niſi ſuo Monaſterio; laicos non poſſe præſcribere jus decimarum, & generaliter incapaces poſſeſſionis, vel dominii alicujus rei eam præſcribere non poſſe, cum præſcriptio ſit acquiſitio dominii ex poſſeſſione bonæ fidei.

Requiritur inſuper poſſeſſionis continuatio ad præſcribendum. Unde Peckius ad 3. Reg. Juris. num. 4. *Non dicit*, ait, *ſine poſſeſſione præſcriptio non incipit: aut ſine poſſeſſione non abſolvitur:* SED NON PROCEDIT: *ut indicet, poſſeſſionem requiri, non tantum in initio, & in fine: ſed continuo tempore medio, & in progreſſu, dum procedit; à principio ad ultimum complementum.* Continuatio poſſeſſionis.

Ubi

Ubi hoc quoque diligenter notandum eſt, quod idem Doctor adjungit, dicens: ***continua autem dicitur non ſolùm, quæ penes unum, atque eumdem ſemper eſt: verum etiam, quæ ab uno ad alium legitimè tranſlata fuerit.*** Videri poteſt idem Author, uti & alii ad dictam Regulam juris, ubi docent, quot modis poſſeſſio ſoleat interrumpi.

Requiritur ſecundò ad legitimam præſcriptionem, ut res, quæ poſſidetur poſſit præſcribi: de quibus varia congerunt pro occurrentibus caſibus Theologi, ac Juriſtæ, quæ videri poſſunt apud Malderum tract. 1. c. 8. dub. 7. ex quibus tamen hæc generalia ſunt obſervanda. 1. Quod præſcribi non poſſint, quæ ſunt juris divini: 2. quæ Principi propriè ratione ſuperioritatis debentur. 3. illa, quæ ſunt meræ gratiæ, ut Covar. ad reg. *poſſeſſor* p. 2. §. 5. & 6. 4. illa, quæ ſuperiori Eccleſiſtico ratione ſubjectionis ſunt debita, ut obedientia, ne viſitentur, & generaliter non præſcribitur contrà Eccleſiaſticam diſciplinam 5. præſcribi nequeunt limites Provinciarum, Epiſcopatuum, Parochiarum, Ducatuum, Comitatuum, &c. 6. res furtivæ, etiam bonâ fide empti, niſi tempore longiſſimo poſſunt præſcribi; ità l. *omnes C. de præſcript.* 30. *an.* 7. Præſcribi non poſſunt res publicæ, ut ſunt illæ, quæ in publicum uſum, aut commodum ſunt deputatæ: tales etiam ſunt viæ publicæ; non verò arbores in iiſdem plantatæ, quas tempore longiſſimo præſcribi poſſe, declaratum eſt in Curiâ Brabantiæ, ut refert Stockmans Deciſione 86. ubi rectè obſervat in fine, quod etſi res publicæ præſcribi non poſſint ullo temporis ſpatio, eò pertineat, ne ipſæ viæ, aut ſolum, quatenus publico uſui ſervit, præſcriptione umquam acquiri poſſit: non etiam, ne utilitas quæpiam viarum, cujus privati capaces ſunt, velut arborum plantandarum, & cædendarum, ad eos tranſeat. Varia inſuper ſunt, quæ alibi particulari lege prohibita ſunt præſcribi, quod ex eiſdem legibus eſt ſtatuendum. Ubi & hoc obſervandum eſt ex aliis multis, quod ſæpè dicatur, aliqua præſcribi non poſſe; non, quod ullo modo non poſſint præſcribi: ſed quod tempore ordinario, ut res aliæ ſimiles, non poſſint præſcribi.

Quæ præſcribi non poſſint.

SECTIO V.

De reliquis, ad legitimam præſcriptionem requiſitis.

Bona fides.

Requiritur tertiò ad legitimam præſcriptionem bona fides: ***poſſeſſor enim malæ fidei ullo tempore non preſcribit.*** Reg. 2. ***Inde oportet, ut qui præſcribit, in nullâ temporis parte, rei habeat conſcientiam alienæ.*** *C. fin. de præſcript*, & eſt Concilii Later. ubi initio hoc adverte, hîc ſimul derogari juri civili, quod præſcriptionem malæ fidei admittebat, quæ lex erat omninò iniqua, nec præſcribentem faciebat in conſcientiâ ſecurum; cum contra dictamen propriæ conſcientiæ res non poſſit tutò, & juſtè poſſideri. Sic etenim ſimoniacus, uſurarius, fur, & latro, præſcribere potuiſſent res ablatas, quod eſt contra omnem omninò æquitatem, fraudibus opportunum, & contra

contra commune bonum, æquè ac privatum; cum fraus, & dolus nemini debeat patrocinari. Porrò, dicitur hîc quiſpiam poſſeſſor bonæ fidei, qui fundatâ credulitate prudenter credit rem, quam poſſidet, eſſe ſuam; aut ſaltem non eſſe alienam. Debet autem bona illa fides fundari in aliquo titulo, ratione cujus, res illa ab eo poſſidetur; qui, etſi reverà ſit nullus, tamen inculpabiliter ignorat, eum eſſe inſufficientem; de quo titulo, in ſequenti. Exemplum talis bonæ fidei habes in emptore equi, quem neſcit emptor eſſe furtivum: talis enim ratione tituli emptionis, prudenter credit, equum eſſe ſuum. Quis ſit poſſeſſor bonæ fidei.

Quæritur, an bona fides excludat omne dubium. *Reſp.* in primis certum eſt, quod, qui cum conſcientiâ dubiâ præſcriptionem incipit, non ſit poſſeſſor bonæ fidei; cum omne id, quod non eſt ex fide, peccatum ſit. Tota quæſtio eſt, an ille habeat poſſeſſionem bonæ fidei, qui poſt inchoatam bonâ fide præſcriptionem, poſtea in decurſu incipit dubitare, an res ſit ſua: ſive, an dubium ſuperveniens præſcriptioni, inducat malam fidem. *Reſp.* 1. quod talis præſcribens adveniente dubio, non debeat rem, de quâ dubitat, ſtatim abjicere, tamquam alienam; cum jam habeat jus acquiſitum per poſſeſſionem, ut poſſit de rei veritate inquirere, & intereà rem illam retinere. 2. Quod, etſi leges civiles ſtatuant, poſſeſſorem malæ fidei præſcribere poſſe per poſſeſſionem temporis longiſſimi, cum tamen conſtet, illis legibus eſſe derogatum per jus Canonicum; verior eſt ſententia, & regula illa juris, quod poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribat. Neque enim dici hîc poteſt, Pontificem non habere poteſtatem leges illas abrogandi, niſi in locis temporali ejus juridictioni ſubjectis: cum agatur hîc de peccato, aliquando graviſſimo; & Conc. Lateranenſe, ex quo deſumptum eſt *C. fin.* ſuprà initio allatum, ſolemniter conſultis ultrà 400. Epiſcopis, idem declaraverit. Deindè, ut ait Salonius q. v. de dominio art. 7. *Poteſt Papa leges iſtas adeo faventes peccatis, & nocivas Reipubl. ut iniquas, & juri naturæ repugnantes, ſanctè, ac juſtè revocare: Revocat autem illas*, ait, *de facto Alex. III. in Cap. illo* VIGILANTI: *Et Innoc. III. unà cum Conc. Lateran. in Cap. finali, de præſcript.* Quousque bona fides excludat dubium.

Ratio autem prædictæ ſententiæ eſt hæc, quod ille ſit poſſeſſor bonæ fidei, qui juſtè credit, rem quam poſſidet, eſſe ſuam: ille verò, qui dubitat fundatè, an ſit ſua, non credit juſtè, ſtante tali dubio, rem eſſe ſuam. Pro quo Notandum, poſſe aliquando dari aliquod medium inter ſcientiam, & ignorantiam, v. g. dum quis dubitat, an peccaverit: qui tamen, etſi non ſciat certò ſe peccaſſe, ſcit tamen illud probabiliter. Ita etiam, etſi quis non ſciat quidem certò rem eſſe alienam, quando dubitat, an ſit aliena: cognoſcit tamen veroſimiliter rem eſſe alienam, etſi habeat rationes in contrarium. Unde & illud ſequitur, quod detur etiam practicè aliquod medium inter bonam, & malam fidem; qualiter ſit, dum inter utrumque hæret, dubitando, an res ſit ſua, an aliena.

Opponunt aliqui, quod in caſu hujus dubii, ſit melior conditio poſſidentis,

tis, & conſequenter, quod poſſit ille, non obſtante dubio, præſcriptionem continuare. Reſp. quo ſenſu locum habeat illud axioma juris, non convenit inter DD. Sanè, ipſa poſſeſſio ſine ulteriori aliquo titulo, non facit conditionem poſſidentis meliorem, qualis titulus hîc cenſetur abeſſe. Deindè, in eo melior erit hîc conditio poſſidentis, quod rem illam non debeat ſtatim à ſe abdicare, ſed apud ſe retinere poſſit, quoadusque indagaverit rei veritatem, quod facere non poſſet, ſi ab initio non habuiſſet bonam fidem.

Pro dictâ ſententiâ facit, quod ad dictam Regulam 2. juris ſcribit Peckius *Quod nemo ex delicto ſuo lucrum, vel fructum aliquem capere, & conſequi debeat; at malâ fide poſſidere, eſt delictum, & quidem grave in furibus, raptoribus, & omnibus injuſtis.* Deindè, *præſcriptio non eſt introducta ad defendendam hominum malitiam, nec ad eum finem, ut alter alterius res utcumque nactus, ſciens retineat, & contrectet: Verùm ad tuendam alterius innocentiam, eorumque defenſionem pertinet, qui ignorantes, bonâque fide, & ex legitimâ causâ, poſſeſſionem alienæ rei acquirunt.* Videri poteſt dictus Doctor, ubi ſimul contraria, à Juriſtis objici ſolita, latè confutat.

Perſtat ergò, quod præſcriptio numquam cum malâ fide procedat. Etſi enim leges aliquæ civiles ſubindè contrario faveant, veluti dum Edicto Caroli V. ſtatuitur, quod debita Advocatis, Procuratoribus, &c. infrà biennium poſſint præſcribi, etſi fortè abſit mala fides præſcribentium: Reſp. tamen, quod dictæ leges non procedant in foro conſcientiæ; imò, & alii addunt, quod ſi probari poſſet, præſcriptionem malâ fide eſſe factam, omninò compellendum fore ad ſolutionem, quod & naturalis æquitas dictat.

Error juris, & facti.

Cum verò bona præſcribentium fides fundetur in aliquo errore, quæri poteſt, qualis error hîc excuſet. Pro cujus ſolutione Notandum eſt, eſſe alium errorem juris, alium facti. Juris eſt, quando ignoratur ipſa lex. Facti verò, quondo quidem non ignoratur ipſa lex, ignoratur tamen factum noſtrum lege eſſe proſcriptum. Hoc poſito, conſtat ex jure ipſo, ad præſcriptionem ſufficere ignorantiam facti, dum adſunt cæteræ conditiones ad præſcribendum requiſitæ. Unde Regula 13. Juris in 6. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* Et quamvis ignorantia juris ſubindè poſſit eſſe excuſabilis; non tamen ad præſcribendum ſufficit. Ratio eſt, quod præſcriptionis vis ex diſpoſitione legum pendeat, quæ ignorantiam juris nullatenus ad præſcribendum admittunt, ſed potius excludunt. Quod etiam verum eſt in foro conſcientiæ, ob eamdem rationem. Non deſunt tamen, qui cum Navarro putent, ignorantiam juris dubii hîc ſufficere: uti etiam ad præſcribendum fructus rei, qui error illis eſt quaſi error facti, dum credunt ſe illos habere ex re ſuâ, quod tamen parum firmum eſſe, patebit poſtea.

Titulus in præſcriptione requiſitus.

Requiritur 4. Ad legitimam præſciptionem *titulus.* Omnis enim dominii radix, & fundamentum eſt titulus, adeoque & dominii, quod per præſcriptionem obtinetur. Titulus autem hîc requiſitus, non debet eſſe verus, ſeu reveta exiſtens, & validus, qui ſine auxilio præſcriptionis verè transfert dominium:

nium: ſed ſufficiens eſt probabiliter præſumptus, qui quamvis reverà in ſe non ſit ſufficiens ad tranſlationem dominii, eſt tamen ſufficiens, ut præſcriptio currat, & per eam obtineatur rerum dominium: in dubio autem, an quis habeat juſtum titulum, pro eodem ſemper ſtat præſumptio, niſi probatio ſtet in contrarium, dum quiſque debeat præſumi bonus, donec probetur malus. Titulus denique talis neceſſariò requiritur ad omnem præſcriptionem: etſi enim ſæpè fiat, quod temporis diuturnitate titulorum obliviſcamur, & ſatis ſit per ſe ſine expreſsâ tituli exhibitione, longiſſimi temporis præſcriptio: tamen neque hæc, neque alia ſine titulo, ſaltem probabiliter præſumpto procedit; dum hoc ipſo, quo aliquid poſſidemus, juſtè præſumi poteſt, nos illud juſtè poſſidere, quamdiu non ſtat aliquid in contrarium.

Requiritur ultimò ad præſcriptionem legitimam continuatio temporis legibus definita: ab hâc enim definitione pendet, quantum temporis requiratur ad præſcriptionem. Et quidem hìc attendenda ſunt, tam jus commune, quàm particulare cujuſque loci. Jure communi requiritur ad præſcriptionem rei mobilis cum titulo, triennium: ſine titulo 30. anni. Immobilium verò cum titulo inter præſentes, 10. inter abſentes, 20. anni. Sine titulo autem 30. Hoſpitalium tamen, & Monaſteriorum immobilia, 40. Eccleſiæ Romanæ 100. variæ itidem Religiones, varia hìc habent privilegia, quibus longiora temporis ſpatia ad præſcribendum eorum bona requiruntur. Continuatio temporis, hic requiſita.

SECTIO VI.

An, & quouſque præſcriptio valeat in foro conſcientiæ.

Contingit ſæpè, quod factâ præſcriptione cognoſcat præſcribens, rem illam verè fuiſſe alterius: quæritur, an talis tutâ conſcientiâ rem illam poſſit retinere. Et variat hìc Doctorum opinio. Alii abſolutè negant: alii abſolutè affirmant: alii diſtinguunt. Fundamenta negativæ opinionis ſunt, quod ut habet Reg. juris *Locupletari*, nemo ex alienâ re debeat locupletari; quod hìc fieret. Deindè, dum noſcitur res eſſe alterius, advenit mala fides, cum quâ non licet alterius rem poſſidere.

Fundamenta affirmativæ ſunt, quod lex humana potuerit ob bonum commune transferre dominium rei alienæ, quod illam feciſſe claret ex utroque jure, & ipſa præſcriptionis notio ſatis declarat, quæ veram, & tutam dominii tranſlationem importat, dum adſunt omnia ad legitimam præſcriptionem requiſita. Patet hoc quoque ex eo, quod jus Canonicum ſolummodo reprobet poſſeſſionem malæ fidei ad præſcribendum; unde communiter à contrario ſenſu colligunt, jus illud approbare præſcriptionem cum poſſeſſione bonæ fidei. Addunt alii, quod ſi dictæ leges tantum eſſent pro foro externo, non ſuiſſet ſatis proviſum bono communi, nec tam ad conſcientias ſedandas deſervirent, quam ad eaſdem illaqueandas: & hæc ſententia eſt communiſſima.

Alii denique biſariam diſtinguunt: alii docent, quod præſcriptio in con-

Digitized by Google

ſcientiâ locum habeat, quando Dominus negligens ſuit in re ſuâ recuperandâ, vel acquirendâ: quando lex in pœnam illius negligentiæ dominium transfert in poſſeſſorem bonæ fidei. Quando autem nulla talis negligentia intervenit, tunc præſcriptio in foro conſcientiæ locum non obtinet, dum ubi nulla eſt culpa, non poſſit eſſe & pœna. Hanc cum aliis docet Adrianus in 4. de reſtitut. q. 2. de præſcript. Ubi etiam videtur exigere negligentiæ culpam, quæ ſit mortalis. Verum dicta Adriani ſententia paſſim hîc non recipitur; cum leges præſcriptioni faventes generaliter dominium transferant, ſive interveniat alterius culpâ, ſive non. Neque ſemper eſt intentio, ſaltem principalis, illarum legum, punire alterius negligentiam: ſed finis illarum eſt, proſpicere bono communi, ne dominia rerum manerent incerta, ne lites multiplicarentur; qui finis non obtineretur, ſi ad culpam, & negligentiam ejus (contra quem præſcribitur) deberet hîc fieri reſpectus: cum tunc magis incerta manerent dominia, propter incertitudinem talis conditionis. Ita Lugo Diſp. 7. ſect. 1. num. 6. in fine. Etſi, ergo ſubindè legum finis hic ſit, punire aliorum ſocordiam: ille tamen finis eſt ſolum acceſſorius, & minus principaliter in præſcriptione intentus.

Alii denique ita diſtinguunt, ut præſcriptio locum habeat in foro interno, quando rem habuiſti ex titulo oneroſo, ſecus ſi ex gratuito. Ratio prioris eſt hæc, quod æquitas naturalis non obliget, ut qui verè dominium acquiſivit, teneatur illud abdicare, quando illud acquiſivit juſto perſoluto pretio, prout hîc fit. Deindè, eo caſu nemo ex alterius re locupletatur, cum perſolverit juſtum pretium. Ratio poſterioris eſt illa, quod etiam naturalis æquitas hoc exigat; quod & timoratorum praxis ſatis oſtendit, dum mercatores rem illam ſolent reſtituere, quam ex computu poſtea deprehendunt fuiſſe alienam: deinde, non videtur, quomodo aliàs ille non locupletaretur ex re alienâ cum alterius damno. Et licet admitteretur, quod ille per præſcriptionem fieret illius rei dominus; needum ſequeretur, eum à reſtitutione eſſe immunem, dum dominium illud dici poteſt vinculatum, ſive cum onere, quo eo caſu tenetur non reſtituere; veluti eſt dominium rerum fidei commiſſarum, quas debent poſteris tranſmittere; & dominium Clericorum reſpectu fructuum ſui beneficii ſuperfluorum, juxtà alibi dicta. Adde, quod juxtà dictam ſententiam, ſimul quoque ſufficienter haberi poſſit finis præſcriptionis, etſi eo caſu maneret obligatio reſtituendi. Et certè dicta opinio regulis Chriſtianæ charitatis eſt maximè conformis, uti eſt æquitati naturali maximè conſentanea.

Objectiones. Objiciunt alii in univerſum, quod nullo caſu videatur poſſe transferri dominium per præſcriptionem, dum poſtea præſcribens deprehendit rem illam eſſe alienam. 1. Quod ut dictum eſt initio pro opinione negante, quod nemo debeat locupletari cum alterius injuriâ. 2. Quod eo caſu rem illam malâ fide poſſideat. 3. Quod nemo ſine ſuâ culpâ debeat privari re ſuâ. 4. Quod, ſi alicui res eſſet adjudicata, quam ſciret poſtea ſibi non competere, non poſſet eam in conſcientia retinere. Ad quæ tamen omnia reſponderi poterit, quod

hîc

Digitized by Google

hîc nulla injuria interveniat, quando authoritate publicâ per præſcriptionem res illa ceſſit in alterius dominium adeoque nec ſit amplius aliena.

Ad 2. Reſp. etſi talis poſtea ſciat, rem illam eſſe alterius, per hoc non extinguitur bona fides; eò quòd non obſtante tali ſcientiâ, poſſit juſtè æſtimare, rem illam per præſcriptionem eſſe ſuam.

Ad 3. Reſp. etiam ſæpè ob bonum commune poſſe aliquem privari re ſuâ, prout fit in præſcriptione. Ad ultimum verò reſpondeo, quod ſententia illa innitatur falſæ præſumptioni, non verò lex præſcriptionis. Neque etiam judex transfert rei dominium, ſed ſolum ſecundùm allegata, & probata judicat, quid ſit de ipsâ re: præſcriptio verò etiam transfert rei dominium.

SECTIO VII.

De modo acquirendi dominii per commixtionem, accretionem, &c.

DE dictis modis acquirendi dominii, latè agunt Juriſtæ. Nobis ſufficiet obſervaſſe authoritate publicâ per commixtionem, uti & accretionem rem aliquam fieri alterius, quæ tamen de jure naturali maneret domini prioris. Et in primis de iis dilucidè agit Gudelinus Juris noviſ. l.2.c.2. ubi num. 6. ità ſcribit de commixtione: *aliquando res duorum ità conjunguntur, ut neque aut diſcerni, utra ſit principalis, vel alteram principaliter trahat; quoniam confunduntur, & una aliam ingreditur: ut cum vina miſcentur, aut maſſa auri, argentive conflatur: ac tunc res fiunt communes ſingulorum, quorum materiæ confuſæ fuerunt pro ratâ.*

De acceſſione verò rei alicujus ad rem noſtram, ità docet, quod res noſtra eam, quam ex ſe producit, ad ſe trahat. Unde partus ancillæ tuæ, fœtus animalium tuorum, tibi acquiruntur: & qui dominus eſt fundi, idem fructuum quoque ex eo provenientium eſt dominus, non ſolum quidem, dum fundo adhærent, ſuntque pars ejus: verum etiam, cum ſunt à ſolo ſeparati. Deinde, arbores, quæ ripis, & aliis prædiis innaſcuntur, eorum ſunt, quorum ſunt ripæ, & prædia. Ità ille num. 4. & iterum num. ſequenti. *Quæcumque, ait, rei noſtræ accedunt, ità ut pars ejus fieri videantur, ea rem noſtram, ejuſque jus, & conditionem ejus ſequuntur, ſive res ſic aliis adjungantur, ut in eis tamquam in ſubjecto conſiſtant, ac ſine his eſſe nequeant, ut ſunt ædificata, plantatave in ſolo noſtro, & ſcriptura in chartâ noſtrâ, & quæcumque ſimilia except picturâ, cui ob excellentiam artis cedere tabulam jure ſingulari placuit: ſive unaquæque res poſſit per ſe ſubſiſtere, & conjunctio unius tantum ad expletionem, ſeu additamentum alterius ſpectet, ut purpura veſtimento addita, aut rota vehiculo, aut gemma annulo: quippe, quidquid alterius rei ornandæ, vel augendæ gratiâ adhibitum eſt, ei velut principali, ejuſque dominio cedit. Species talis acceſſionis eſt, & id, quod per alluvionem agro noſtro flumen adjecit, & inſula in flumine nata; utpote, quæ alvei pars habetur.* Hactenus ille.

Quod ad hanc alluſionem ſpectat, Notandum eſt, quod dicit Zypæus, *de jure Fiſci* C. x. Not. Belg. ex Grotio, ſcilicet, quod dictæ inſulæ in mari natæ ad dominatum maris ſpectent, adeoque ad Principem, qui maris dominus hodie habetur. Idem eſt de terris quæ 10. annis inundatæ jacuêre. Solet interim Princeps, dum terra recenter inundata eſt, edicere tempus, intra quod domini illius terræ iterum eamdem à mari vindicare debeant; aliàs elapſo tempore, jure ſuo excidant, & ad Principem devolvatur: quale Edictum dicitur Caroli V. 1531. Vide dictum Zypæum. Tertius modus acquirendi dominii eſt ſtipulatio, ſive contractus, de quo poſtea agemus, ne ordinem à Theologis obſervari ſolitum, immutemus.

CAPUT III.

De Injuriis, earumque compenſatione, ſive reſtitutione.

SECTIO I.

Quid ſit, & qualiter fiat injuria.

Quid injuſtitia. Generaliter, ſicut omnis virtus dicitur *juſtitia*; ità omne peccatum dicitur eſſe *injuſtitia*, & continere veram injuriam reſpectu Dei, ut alibi ante de dominio inſinuavimus. Injuſtitia verò hîc ſpecialiter nihil eſt aliud, quam *violatio alieni juris*. Sicuti enim juſtitia dat alteri debitum: ita injuſtitia, ſive injuria alteri negat, aut ſubtrahit, quod illi ſtricto jure debetur.

Commune eſt axioma, quod *ſcienti, & volenti non fiat injuria:* quæ tamen regula eatenus locum habet, quando alter juri ſuo cedere poteſt: nec enim dubium eſt, quin pupillo vera fiat injuria ab alio, qui pupillo conſentiente aufert ejus bona; eò quod pupillus non poſſit conſentire validè in eorundem ablationem. Idem eſt, de eo, qui conſentiente Clerico, eumdem ſuadente Diabolo percutit; cui, etſi conſentiat, fit vera injuria; eò quòd juri illi, ſive privilegio Canonis cedere Clericus non poſſit, quod non eſt illi ſingulare, ſed in favorem Clericatûs, & Eccleſiæ conceſſum. Dum tamen quiſpiam juri ſuo cedere poteſt; volenti, & conſentienti illi, non fit injuria; eò quòd pati injuriam, includat neceſſariò renitentiam patientis, & qui vult, ac conſentit in injuriam, implicitè cenſetur eam imperare.

Dices, mutuatario fit ab uſurario vera injuria, etſi ſciens, & volens uſuras ſolvat. Item Martyribus illata fuit vera injuria, etſi etiam maximo deſiderio mortem deſideraverint. Reſp. Dum dicitur hîc, quod volenti, & ſcienti non fiat injuria, intelligi debet de volente in plena, & perfecta voluntarii ratione; hîc autem in mutuatario adeſt involuntarium, quo nollet uſuras ſolvere, ſi poſſet aliter mutuum accipere; quale voluntarium non impedit, quò minus taliter

ter volenti fiat vera injuria. Idem eſt in eo, qui metu mortis volens dat burſam latroni mortem intentanti. De Martyribus verò alia eſt ratio. Illi enim quidem conſentiebant in tolerantiam ſuppliciorum, non tamen in tyrannorum actiones, puta mutilationes, occiſiones, &c. Imò, nec in illa conſentire poterant, cum non haberent dominium vitæ, vel membrorum. Ut autem conſenſus hic tollat rationem injuriæ; requiritur, ut conſentiat liberè in actionem, quam facit is, qui infert id, quod foret injuſtum, niſi conſentiret.

Quæri hîc poteſt, an actio externa poſſit fieri injurioſa ex intentione damnificandi, quæ ſeclusâ tali intentione non fuiſſet formaliter injuſta. *Reſp.* P. Herincx diſp. 5. dub. 1. negativè, eò quòd proximus non habeat jus, ne actio illa externa fiat; ſed ſolùm fit illi injuria per actum internum, adeoque tantum habet jus, ne actio ponatur ex tali affectu; ſeu, ne illa intentio adſit. Hinc ulterius non tenetur talis ad reſtitutionem, quæ ſolummodo annexa eſt actui externo. Alii tamen verius docere videntur contrarium; cujus ratio eſt, quod actio aliqua ſubindè non habeat connexionem ſufficientem cum effectu,ad hoc, ut qui vult actionem, cenſeatur velle effectum, qui ei tamquam cauſæ imputatur: ſic ut accedente tali intentione, quâ velit hunc effectum, & ex illâ intentione ponatur actio,jam intentio illa ſuppleat connexionem effectus cum causâ, & facit, ut effectus ille, illi imputetur tamquam cauſæ. Hinc inferunt, quod ſi quis lautius cœnet, ut ſequatur pollutio, peccaret contra caſtitatem; & ſi ſit conjugatus, contra juſtitiam, contra quam non peccaſſet, ſi dicta intentio abfuiſſet. Item, qui emit rem furtivam animo retinendi, peccat contra juſtitiam; quam ſi emeret alio animo, v.g. Domino reddendi, contra juſtitiam non peccaſſet. Et ratio à priori illius eſt hæc, quod etſi juſtitia non obliget ad non ponendam aliquam actionem,ex quâ forſitan ſequitur aliquod damnum proximo: obligat tamen ad non procurandum, & intendendum damnum proximo. Sic juſtitia quidem non obligat,ne ponam venenum in loco à periculo remotiſſimo: obligat tamen me, ad non ponendum eo fine, & intentione, ut ibidem illud aliquis ſumat, adeoque ut ſubſequens homicidium eo caſu mihi poſſit imputari tamquam cauſæ. Nec eſt, quod alii objiciant, dictam intentionem nullam cauſalitatem imprimere in actum externum: quia, etſi hoc quidem verum ſit, quod nullam phyſicam cauſalitatem illi addat intentio, imprimit tamen moralem, quatenus effectus ille, ratione dictæ intentionis alteri tamquam cauſæ fiat voluntarius. Videri poteſt Lugo diſp. 8.ſect.6. quomodo autem in particulari poſſit fieri injuria, ſingillatim explicabimus, primò tamen de reſtitutione.

SECTIO II.

Quid ſit reſtitutio, & unde oriatur ejuſdem obligatio.

Reſtituere idem ſonat, quod iteratò alium ſtatuere in dominium ſuæ rei, juxtà D. Thom. q. 62. art. 1. planius, ac plenius definiri poteſt, quod ſit *actus juſtitiæ, quò aliena res redditur, vel damnum illatum reparatur.* Eſt autem Quid reſtitutio.

Digitized by Google

autem actus juſtitiæ commutativæ, cò quòd in reſtitutione ſtatuatur æqualitas rei ad rem, quod ſpectat ad juſtitiam commutativam: deinde, cum ablatio rei alienæ, uti & damnificatio, pertineat ad juſtitiam commutativam; ſequitur, quod & ad eamdem ſpectet reſtitutio, cum contraria ſpectent ad idem. Imo ſola commutativæ juſtitiæ violatio inducit obligationem reſtitutionis, & ſi illa obligatio aliquando adſit violationi juſtitiæ diſtributivæ, illud oritur ex violatione commutativæ, diſtributivæ annexæ. Vide dicta C. 1. ſect. 2.

Quæ, & qualiter debeant reſtitui. Res verò, quæ reſtitui debet, aliquando ſecundùm ſe poteſt reddi illius dominium, vel poſſeſſio, v. g. dum redditur pecunia ablata: aliquando verò ſecundùm ſe reſtitui nequit: uti fit in mutilatione membri; ubi tamen non deſinit ideo eſſe obligatio reſtitutionis; ſed ut ait D. Thomas in 4. Diſt. 15. q. 1. art. 5. *In his, quæ non poſſunt ad ſimile bonum reſtitui: debet fieri reſtitutio, qualis poſſibilis eſt, ſecundùm arbitrium bonorum.* & q. 62. art. 2. *Quando id, quod ablatum eſt, non eſt reſtituibile per aliquod æquale; debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt; puta, cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare, vel in pecuniâ, vel in aliquo honore conſideratâ conditione utriuſque perſonæ, ſecundùm arbitrium boni viri.* Quæ pro ſequentibus ſunt obſervanda.

Neque etiam res reſtituenda debet neceſſariò eſſe injuſtè ablata, aut Domino renitente; cum etiam reſtituere verè dicatur, qui rem mutuo acceptam, vel depoſitam, aut etiam inventam Domino reddit. An verò, & quomodo reſtitutio differat à ſatisfactione, uti & à ſolutione, quærunt plurimi, ſed parum ad praxim.

Undenam oritur obligatio reſtitutionis. Porrò, fundamentum, unde oriri ſolet reſtitutionis obligatio, ſolet aſſignari duplex: ratione ſcilicet rei acceptæ, & injuſtæ acceptionis. Duobus etenim modis contingit proximum damnificari; aut, quia res eo invito poſſidetur: aut quia injuſtè accepta, aut quia res ipſius eſt deſtructa. Ratione rei acceptæ, tenetur ad reſtitutionem omnis ille, qui rem alterius, invito rationabiliter Domino detinet, quacumque tandem viâ ad ipſum devenerit: ratione iniquæ acceptionis, tenetur omnis ille ad reſtitutionem, qui alteri fuit voluntaria cauſa damni per injuriam. Dicti duo tituli aliquando ſunt conjuncti, aliquando ſeparati. Conjuncti ſunt in fure. Separati ſunt in aliis multis, ut per ſe patet. Magnum quoque eſt diſcrimen inter illos, dum qui tenetur titulo injuſtæ acceptionis, obligatur ad compenſandum omnia damna illata, etſi quoque res, quæ debebatur, ſine ſuâ culpâ periiſſet. Qui autem obligatur ratione rei acceptæ, non obligatur ad reſtitutionem, ſi ſine culpâ res pereat, prout patet in depoſito, & aliis.

Obſerva tamen, quod hîc injuſta acceptio ſumatur latè, prout etiam importat omnem damni illationem: qualiter ratione iniquæ acceptionis dicitur obligari ad reſtituendum, qui alterius domum combuſſit, cum tamen nullam rem habeat, nec acceperit.

Addunt alii prædictis duobus titulis, alios inſuper duos, ex quibus oriatur obli-

obligatio reſtitutionis; ſcilicet ex contractu, & quaſi contractu. Priori titulo tenetur, qui obligatur ex promiſſione, vel ſtipulatione; etſi ſecundùm alios, ille non dicatur propriè reſtituere, ſed potius ſolvere. Poſteriori titulo tenetur is, in cujus abſentiâ aliquis ſine ejus mandato utiliter geſſit ejus negotia, aliquid pretio æſtimabile pro illis impendendo, cujus alteri debetur reſtitutio. Idem eſt in tutore, qui ſuis impenſis negotia pupilli ex bonâ fide geſſit. §. *igitur* & §. *tutores*, *inſtit. de obligat.*

SECTIO III.

An, & quatenus reſtitutio ſit neceſſaria.

Refert Alphonſus à Caſtro V. *Reſtitutio*, Græcos olim alienorum poſſeſſores ad reſtitutionem non obligaſſe; ſed ſimplici oleo illos ungentes abſolviſſe. Ratio eorum erat hæc, quod, qui habet alienum Domino irrationabiliter invito, liber ſit à reſtitutione: quando autem quis alienum poſſidet, tenetur Dominus conſentire, ne alius mortaliter peccet: cum temporalia propter ſalutem proximi ſint deſerenda. Sed quam infundatè, patet ex regulis charitatis, quibus eo ſolum caſu conſtringimur temporalia deſerere ob ſalutem proximi, quando temporalia illa ſunt ſimpliciter neceſſaria, ne alter peccet, non verò, ſi ſolùm ſint neceſſaria ad hoc ex alterius malitiâ, dum nulli debet ſua malitia ſuffragari.

Reſp. Ergo; quod aliena poſſidenti neceſſaria ſit reſtitutio. Probatur 1. Ex Apoſtolo Rom. 8. *Reddite omnibus debita.* Et Matth. 22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Et ratio D. Thomæ eſt, quòd ſit præceptum naturale divinum, *non furtum facies*: qui autem retinet alienum invito Domino, perindè facit, ac ſi furtum faceret: adeoque eâdem lege, quâ prohibetur furtum, injungitur itidem reſtitutio. Idem confirmant SS. Patres. S. Auguſtinus Epiſt. 54. ad Macedonium, ità ſcribit. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poteſt, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed fingitur: quod ſi verò agitur, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* Quæ S. Auguſtini verba, ut doctrinam Eccleſiæ amplexum eſt Concilium generale Turonenſe, ait Salonius Hic. & l. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 5. *Peccat, qui pecuniam debitam, cum habeat unde reddat, recuſat reddere.* Et S. Bernardus Epiſtolâ 77. ità ait: *Nullâ illi pœnitentiâ remittitur peccatum, ſi cum poſſit, non reſtituit ablatum.* Idem docet S. Gregorius relatus p. 2. de pœnit. diſt. 6. Can. *falſas*, ubi dicitur. *Qui bona alterius injuſtè detinet, agnoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam pervenire valeat; niſi bona, quæ injuſtè abſtulit, reſtituat.* Et ſanctus Chryſoſtomus homiliâ ſup. Matth. *Abſtracta rei peccatum, rerum compenſatione diſſolvitur.* Hinc etiam D. Thomas q. 62. art. 2. docet, quòd reſtituere, quod injuſtè ablatum eſt, ſit de neceſſitate ſalutis. Ratione cujus Notandum eſt, neceſſitatem dictam, eſſe neceſſitatem præcepti, non medii; cum hîc à reſtitutione excuſet ignoran-

Reſtitutio eſt neceſſaria.

ria

tia invincibilis, uti & à peccato: prout etiam impotentia, quod & in aliis præceptis locum habet, dum ad impoſſibile nemo tenetur.

Notandum inſuper cum Sylvio Art. 2. vitandum eſſe errorem vulgarium, exiſtimantium defunctos manere in Purgatorio, quoadusque reſtitutio facta ſit, ſed ſolùm, quod in Purgatorio puniantur ſecundum quantitatem negligentiæ in differendâ reſtitutione commiſſæ: quâ pœnâ perſolutâ, ad Cælum tranſeant. Et quamvis dicantur animæ defunctorum apparere, & reſtitutionem injungere; hoc ideo fieri dicitur; tum, ut ſic partialiter puniantur, & tandem, quod eâ occaſione fiant preces pro defuncto. Adde, ſimilibus apparitionibus non tam facilè eſſe credendum. Ex dictis ſequitur illud, quod communiter docent, præceptum reſtitutionis, etſi ſit affimativum quidem ſecundum ſe, cum imperet redditionem rei alterius, quæ aliquid poſitivi importat: eſſe tamen fundatum in negativo, puta in illo, *non furtum facies*, *non retinebis alienum*. Unde etiam ſequitur, quod ſtatim, ac commodè fieri poſſit, reſtitutio ſit facienda, eò quòd retinendo continuò peccetur, privando continuò Dominum uſu ſuæ rei, idque injuſtè. Deducunt ulterius, abſolvi illos non poſſe, qui aliena poſſidentes, eadem non reſtituunt, dum reſtituere poſſunt. Quod etiam locum habet in articulo mortis, quo caſu moribundo ipſi obligatio reſtitutionis imponi debet, ſi ipſe reſtituere poſſit; nec ſatis eſt, eam hæredibus relinquere. Audi eâ de re doctè diſſerentem Dom. Soto lib. 4. quæſt. 7. art. 4. *Ex his facilè colligas, in quàm aperto verſentur periculo, imò in quàm manifeſtario jaceant peccato, qui reſtitutionem, uſque ad mortis articulum procraſtinant. In primis enim certum eſt, quod quicumque pro comperto habet ſe ære gravari alieno, & non habet propoſitum reſtituendi uſque ad mortem, licet firmiſſimum illud habeat tunc reſtituendi, aut reſtitutionem in teſtamento præcipiendi, perdurat in peccato mortali, neque eſt abſolutionis beneficio donandus. Et ratio eſt, quia habitâ opportunitate per nullum tempus licet retinere alienum invito domino; quare ſi ſubitâ morte fuerit correptus, qualiter ut plurimum ſimilibus hominibus accidere ſolet, in ſtatu diſcedit damnationis. Et idem eſt cenſendum de illis, qui ambigentes, an id quod habent, alteri debeant, nolunt ſuperſtite illis vitâ, in Judicio decernere, ſed ſatis dicunt, in teſtamento id hæredi ſuo demandare. Atque idem omninò de illis judicandum, qui ſub mortis articulum, cùm ipſi per ſe poſſint reſtitutionem facere, id renuunt: arbitrantes id ſatis eſſe, id hæredibus jubere: quoniam illi reverà non habent ſincerum & candidum animum reſtituendi: nam qui tum non reſtituunt, judicium apertum perhibent, quod neque, ſi vixerint, reſtituent, atque adeò reſtituendi intentio, non eſt illis, niſi conditionalis, ſi moriantur; quæ profectò ad pœnitentiam non ſufficit. Atque hoc periculum potiſſimum in magnatibus imminet, quorum teſtamenta nunquam, aut ferè numquam hæredes complent, ſed ſatis ſe feciſſe arbitrantur, ut quam reſtitutionem Avus patri, & pater ſibi teſtamento præcipit, eamdem ipſe aliis recentibus onuſtam Filio jubeat, quam ipſe poſtea committit nepoti.*

Quale ſit præceptum reſtitutionis.

Occi-

Occaſione hujus quæri poſſet, quid agendum Confeſſario, dum moribundum invenit reſtitutioni obnoxium? Reſp. In Primis certum eſt ex dictis, quod dum moribundus poteſt, ad ſtatim reſtituendum, ſit obligatus. Sed tota quæſtio eſt de modo illud faciendi, & injungendi. Et quidem hic non ſolum ſaluti moribundi à Confeſſario invigilandum eſt, ſed etiam ipſius honori, & famæ, uti etiam reſtitutionis ſecuritati. Hinc conſulunt, ut æger, vel teſtamento, vel codicillo pecuniam, vel aliam rem debitam per legatum alicui deſtinet, cui hæc debetur. Si verò ſit res incerta; Confeſſario, vel hæredibus (quibus tamen meritò fidere poteſt) relinquat pauperibus eroganda. Alii, ad excludendam hic omnem reſtitutionis ſuſpicionem, ſive etiam fraudis, vel avaritiæ ex parte Confeſſarii; conſulunt, ut habitâ conferentiâ ægri cum Confeſſario, vocetur perſona probæ fidei, cui ægrotus injunget ſecretò reſtitutionem faciendam, ex pecunia, quæ ipſi, vel legato, vel codicillo, vel per hæredes conſignabitur; eamque illi, & eo modo faciet, quo Confeſſarius eidem indicabit. Addunt alii aliud medium, ſi accerſito Notario, & duobus teſtibus, vel etiam Parocho, declaret æger, velle ſe, ut ex ſuâ hæreditate primò, & ante omnia dematur pecuniæ ſumma, per ejus Confeſſarium (quem deſignat) reſtitutioni applicandam, quæ declaratio ſtatim in manus Confeſſarii deponatur. Denique advigilare debet Confeſſarius, ut ſive his, ſive aliis modis, conſulatur ſecuritati reſtitutionis. Si verò nihil illorum fieri temporis mora permittat, ſi quoad prædicta videat promptum ægroti animum, abſolutio non erit deneganda. Si autem non habeat, unde reſtituat; ſatis eſt propoſitum reſtituendi, ſi ſupervivens eadem acquirat, neque hoc ſemper ſatis eſt; ſed ſi hæredes poſtea ſatisfacere poſſint, hoc illis unà erit injungendum, ut qui gaviſi fortè fuerint rebus injuſtè poſſeſſis; ac fortè gaudent à moribundo relictis, etiam ſentiant onus reſtituendi. Accedit, quod ſæpè reſtitutio facienda, æquè poſteros obliget, ac moribundum; quo caſu certum eſt, eam illis eſſe injungendam.

Monitum pro Confeſſario, qui invenit moribundum obnoxium reſtitutioni.

Ubi obſervandum eſt circa illos, qui cum poſſunt, non reſtituunt, & interim abſolutionis beneficium habere volunt, quod obſervat S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 1. §. 25. dicens, quod hâc in re ſit mira ignorantia: nam tales homines volunt gratiam, quâ ſpoliati ſunt, reddi ſibi: & tamen pauperi reſtituere nolunt illud, propter quod gratiâ ipſâ privati ſunt: cum pauperem priùs ſpoliaverint temporali ſubſtantiâ, quàm ipſi privati fuerint ſpirituali gratiâ.

Sed quid, ſi reſtitutione à Confeſſario in ſe ſuſceptâ, ipſe Confeſſarius reſtitutionem poſtea non impleat: an eo caſu alter liberabitur à reſtitutione. Reſp. Docet Petrus à Navarra l. 4. de reſtit. C. 5. quoſdam Religioſos, ad doctos Viros ſenſiſſe, alium eo caſu eſſe liberum ab obligatione reſtituendi. Ratio eſt, quod ſi creditor ſciret, debitorem ſine infamiâ reſtituere non poſſe, niſi per virum probatum, puta Confeſſarium: certè conſentiret, aut ſaltem conſentire in illud deberet. Unde ſequitur, quod ſicut alter à reſtitutione liberatur, qui debitum remiſit per illum, qui à creditore miſſus eſt, ad illud accipiendum, ſi ille acceptum debitum furetur, aut apud ipſum pereat: ità & in hoc caſu, dum

inConfeſſarium cenſetur moraliter conſentire, tamquam per quem ſibi fieri vellet reſtitutionem.

SECTIO IV.

Quæ culpa requiratur, ut reſtitutio obliget.

CErtum eſt ex dictis, etiam ſubinde reſtitutionem eſſe faciendam, etſi nulla omninò culpa intervenerit; v. g. dum res ratione contractûs, aut etiam ſæpè ratione rei acceptæ bonâ fide, eſt reſtituenda. Et diſtinguunt hîc primò Authores culpam, in *Juridicam*, & *Theologicam*. Hæc nihil eſt aliud, quam quod eſt in conſcientia formale peccatum, & coram Deo; ſive illud ſit mortale, ſive veniale. Illa autem eſt, omiſſio diligentiæ requiſitæ ad cavendum alterius damnum, ſive dicta omiſſio in conſcientia ſit peccaminoſa, ſive non. Juridicam culpam dividunt in 5. membra: *Latiſſimam*, quæ eſt apertus dolus: *Latiorem*, quæ eſt dolus præſumptus: *Latam*, quæ eſt omiſſio diligentiæ debitæ, quæ ſolet adhiberi ab hominibus ſimilis conditionis: *Levem*, quæ eſt omiſſio talis diligentiæ ſolitæ adhiberi à prudentioribus: *Leviſſima*, eſt omiſſio diligentiæ, ſolitæ adhiberi à prudentiſſimis.

Quotuplex ſit culpa.

Quotuplex ſit culpa Juridica.

Notandum inſuper, ſæpè eſſe culpam juridicam, abſque eo, quod ſit culpa Theologica; quod ſæpè fit, in culpa levi, & leviſſima, cum nemo teneatur in ſuis actionibus adhibere illam diligentiam, quam adhibent prudentiores, aut prudentiſſimi: ſed ſatis eſt, quod eam adhibeant, quæ ab aliis ſimilis conditionis, in ſimili caſu adhiberi ſolet, & quam exigit negotii magnitudo, ad hoc ut nulla ſit culpa moralis, ſive quæ illi poſſit imputari in conſcientiâ.

His ſuppoſitis docent 1. neminem teneri in conſcientia ad reſarciendum damnum illatum, ſi nulla interveniat culpa Theologica. Excipiunt tamen, niſi aliter ſit conventum, vel niſi aliquando lex aliter ſtatuat. Ratio prioris eſt. quod talis non teneatur ratione injuſtæ acceptionis, dum ſupponitur nullum interveniſſe formalem injuriam, ſeu coram Deo culpabilem. Hinc docent, eo caſu idem eſſe, ac ſi damnum obveniſſet planè fortuitò. Unde etiam deducunt, quod etſi etiam damnum ſit grave, quod illatum eſt, imo & adſit culpa lata juridica, ſi tamen actio illa ob inadvertentiam, aut oblivionem inculpabilem facta ſit, eâque ratione coram Deo ſit planè excuſabilis; nulla ſit obligatio reſtitutionis: ſequitur ex dictis. Ratio autem poſterioris eſt, quia ſi alter ſit conventum; putà, quod quocumque tandem modo damnum ſit illatum, equidem illud reſarcietur; omninò reſarciendum illud erit, etſi nulla etiam culpa Theologica intervenerit; dum quilibet debet ſtare contractui legitimè inito.

Excipe ulterius à dictâ regulâ, quando ſine culpâ Theologicâ ex damno illato factus es ditior v. g. res alterius bonâ fide conſumendo, tuis interim parcendo: quo caſu etiam ad reſtitutionem ejus erit obligatio; cum hoc caſu illa obligat ratione rei acceptæ æquivalenter etiamnum exiſtentis; nec quiſquam ex alterius re debeat locupletari. Do-

Digitized by Google

Docent ſecundò, ad reſtitutionem obligari eum, qui cum culpâ Theologicâ, ſive veniali, ſive mortali damnum intulit; ſic tamen, ut pro ratione gravitatis damni, currat & gravitas obligationis. Quandoquidem igitur in culpa lata ſoleat adeſſe culpa Theologica, dum quiſque obligatur in ſuis actionibus adhibere eam diligentiam quam ſolent alii ejuſdem conditionis adhibere: ſequitur etiam, cum culpâ latâ plerumque adeſſe obligationem reſtituendi.

Quæſtio tamen hîc eſt ſatis gravis, an qui cum culpa veniali intulit damnum grave, debeat damnum ſub peccato mortali reſarcire. *Reſp.* Sunt, qui affirmant hoc ſenſu, quod ſit obligatio quidem damni reſarciendi; ſed ſolum quoad partem damni, pro quantitate culpæ. De quo videri poteſt Molina Diſp. 689. alii verò docent, etiam totum damnum ſub mortali eſſe reſtituendum, cujus fundamenta mox ſubjiciam. Alii tandem abſolutè negant eſſe obligationem reſarciendi totum damnum, quando illud illatum eſt culpâ veniali. Hanc ſequuntur plurimi, quos refert, & ſequitur Card. Lugo Diſp. 8. ſect. 5. ratio illorum eſt hæc, quod etſi hæc obligatio non ſit propriè pœna: tamen imitetur rationem pœnæ, dum utrimque eſt onus impoſitum delinquenti, & aliena poſſidenti, vel damnificanti. Ergo, ſicuti non eſt obligatio gravis, ubi culpa eſt levis: ita & obligatio reſarciendi damni non poteſt eſſe ſupra culpam, quæ ſi ſit levis, etiam obligatio illa erit levis. Deindè, eſt ſolum actus injuſtitiæ imperfectus, & conſequenter tantum obligare poteſt ad reſtitutionem levem, dum illa obligatio oritur ex naturâ damnificationis levis, vel gravis. Sententia hæc verè eſt probabilis, & Confeſſariis æquè favorabilis.

An damnum grave illatum culpâ veniali, debeat ſub peccato mortali reſtitui.

Quo tamen non obſtante, videtur aliis meritò ſententia ultima affirmans probabilior, & verior, etſi durior; quæ tenet, etiam totum damnum ſub gravi obligatione eſſe reſarciendum, etſi illud damnum illatum ſit cum culpâ tantum venialiter malâ. Ratio ejus eſt, quod eo caſu liberè, ac voluntariè ab alio damnum ſit illatum, & illud omninò inferre non potuit, ac debuit non inferre; adeoque ex juſtitiâ tenetur inæqualitatem illam reſtituendo reducere ad æqualitatem. Ad rationem enim injuſtitiæ juxta omnes ſatis eſt, quod quis voluntariè inferat damnum, & potuerit, ac debuerit illud non inferre, quod etiam plenariè ſit per culpam venialem. Deindè, obligatio reſtitutionis hîc oritur ex natura rei; adeoque ubi materia eſt gravis, etiam obligatio erit gravis eam materiam reſtituendi.

Objectio.

Objicies, non tenetur quis reſtituere damnum, niſi pro ratione injuriæ, & culpæ formalis, cui correſpondet reſtitutionis obligatio, & ex quâ illa oritur: cum ergo injuria illa, & culpa ſit tantum venialis, erit obligatio reſtituendi tantum levis; id eſt, tantum reſtituendi partem; quia ſi deberet reſtitui totum, foret obligatio gravis, ſicut eſt materia gravis. *Reſp.* Solet quidem obligatio reſtitutionis correſpondere culpæ, niſi aliæ circumſtantiæ id immutent: qualiter hîc ſit ratione materiæ gravis; quæ, etſi culpâ veniali ponatur, tamen verè voluntariè ponitur, & conſequenter obligatio reſarciendi, etſi per levem culpam adducta, quatenus verſatur circa materiam gravem, erit gravis.

Digitized by Google

Notandum quoque circa primam doctrinam, quæ exigit culpam Theologicam, ad hoc, ut reſtitutio in conſcientiâ obliget; Antiquiores Theologos cum Adriano docuiſſe, eam ad hoc non requiri, cum obligatio reſtitutionis oriatur ex naturâ damnificationis, non verò ex iniquo alterius animo, aut peccato: ſatis enim illis eſt, poſitam eſſe inæqualitatem, ſive per peccatum, ſive non. Sic lex divina Exodi 21. & 22. jubet reſarcire damnum, etiam aliquando ſine culpâ Theologicâ commiſſum. Adducunt & Gregorium 9. c. ult. *de injuriis.* Ubi ait; non excuſari eum, cujus imperitiâ, vel negligentiâ damnum eſt datum; ſed ſolum eum, qui, ut non occideret, de contingentibus nihil omiſit. Adducunt & varias leges civiles, dicta confirmantes. Verum ad illa alii Reſpondent, legem Exodi eſſe merè judicialem, quæ cum cæteris morte Chriſti evanuit. Gregorius autem intelligendus eſt de culpâ latâ, dum nempè aliquid de communiter contingentibus eſt omiſſum, ut ibi dicitur; culpæ verò latæ communiter peccatum ſolet conjungi. Leges verò civiles hîc merè eſſe pœnales, & eatenus obligare in conſcientia, quatenus ſupponunt aliquam culpam. Ità communiter ad dicta Authores. Verum enim verò, Adrianus cum aliis reponunt, legem Exodi non ſolum eſſe judicialem, ſed inſuper in ipſa æquitate naturali eſſe fundatam, ac jure Canonico innovatam, tamquam talem, *C. ſi egreſſus, de injur. & damno dat.* Leges verò civiles volunt non eſſe merè pœnales, quia aliàs eſſent apertè iniquæ; dum iniquum eſt ſtatuere pœnam propriè, multoque magis eam exigere, niſi pro vera culpa Theologicâ; cum tamen ſæpè detur damnum cum culpâ juridicâ ſive Theologicâ. Hæc illi: propter quæ, & alia, conſulunt timorati, in his caſibus dubiis, ſecurius faciendam eſſe compoſitionem, cum eo, cui damnum eſt illatum, vel arbitrio boni viri eſſe componendum: & meritò.

SECTIO V.

Ex quâ culpâ oriatur obligatio reſtituendi vi contractûs, vel officii.

SOto l.4. de juſt. q.7. art.2. cum aliis docet, ad hoc ut quis in conſcientia obligetur reſtituere rem, quam ex commodato v.g. vel pignori habeat, requiri culpam latam, vel dolum. Alii tamen communiter ſolent diſtinguere, prout contractus ille, vel cedit in utilitatem unius, vel utriuſque. Sed ante omnia hîc obſervandum, poſſe contrahentes ſeſe ita obligare, ut quâcumque tandem culpâ res pereat, forent obligati ad eam reſtituendam: ſi enim poſſint contrahentes ità ſe obligare ad caſus etiam fortuitos, uti fit in aſſecuratione; quare non etiam obligare ſe poſſunt ad quâmcumque culpam, etſi tantum juridicam? obſervandum etiam, potuiſſe jus poſitivum juſtè ſtatueri, ut hoc onus alicui contractui eſſet annexum, ut eo medio homines eſſent vigilantiores in cuſtodia alienorum.

His prænotatis ſtatuunt communiter, quod ſi res alterius, quam ex contractu habebas, vel perierit, vel deterior facta ſit, qui contractus cedebat

in

in tui ſolius utilitatem, ut fit in commodato, etiam ex culpa leviſſima tenearis. Ità ſtatuit jus *Cap. unico, de commodato.* Ratio eſt, quod æquitas naturalis exigere videatur, ut magis ſim circumſpectus in cuſtodiendis rebus alterius, quas in meam utilitatem teneo, quàm in cuſtodiendis propriis. Si autem contractus cedat in alterius utilitatem, uti fit in depoſito gratis cuſtodiendo, ſi res illa pereat, non teneris, niſi de dolo, & latâ culpâ. Ita habetur Inſtit: *quibus modis contrahi poſſit oblig.* §. *Intereà.* Ratio hîc etiam eſt, quod quiſque debeat adhibere eam diligentiam in cuſtodiendis rebus alterius, quam debet habere in propriorum cuſtodiâ; quæ diligentia excludit culpam latam, & dolum: non itidem levem, & leviſſimam. Quod ſi contractus cedat in utilitatem utriuſque, v. g. in depoſito pro mercede cuſtodiendo: ſi res perierit, teneris de culpâ levi, & latâ; non itidem de leviſſimâ. Talis etiam eſt contractus pignoris, locati, conducti, &c. Ratio hîc eſt, quod ex unâ parte dictet æquitas naturalis, ut majorem adhibeam diligentiam in cuſtodiendâ re alterius, quando illa cedit in meam utilitatem, quàm in cuſtodiendâ re propria: ex alia autem parte, cum etiam contractus ille cedat in utilitatem alterius, æquum eſt, ut etiam aliquod periculum ſubeat.

Sed quæſtio jam eſt, an ità ſit obſervandum in foro conſcientiæ. Et quidem Lugo *Diſp.*8. *ſect.*8. *num.*106. ait, ſibi duriuſculum ſemper viſum eſſe, quod quis leviſſimâ de culpâ obligaretur ad reſtitutionem, nec eam fuiſſe legum intentionem, pro tali caſu obligandi: Vel certè eas in hoc non fuiſſe uſu receptas. *Nemo enim eſt*, inquit ille, *qui ſcrupulum ſibi faciat in foro interno, quod debeat reſtituere pro commodato, quando in ejus cuſtodiâ adhibuit diligentiam, non ſolum communem, ſed etiam eam, quam diligentiores, & vigilantiores adhibere ſolent; non tamen illam, quam diligentiſſimi, & vigilantiſſimi adhibent, quæ neceſſaria fuiſſet ad vitandam culpam latiſſimam, de quâ etiam juxtà leges commodatarius tenetur.* Addit ulterius, quod hoc æquitas contractûs non exigat; cum contrahentes poſſint licitè ſeſe obligare ſolum ad adhibendam communem cuſtodiam, quam ſi non adhibeant, omninò tenebuntur ad reſtitutionem. Deindè, niſi adveniat culpa theologica, videtur potius rem periiſſe fortuitò, quàm alterius negligentiâ, ut antè diximus. Denique concludit num. 110. quod hoc videatur eſſe praxi receptum, non ſolum in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo: *Non culpæ*, ait, *ob quas reſtitutio peti ſolet à contrahentibus, ſemper, aut ferè ſemper ſunt culpæ latæ, nec ſolet magis ſtrictè cum iis agi, vel ob leviores culpas vocantur ii in judicium, quàm ii, qui ex officio tenebantur, & à quibus ob culpam in officio commiſſam reſtitutio petitur; qui tamen, non niſi ex culpâ latâ tenentur. Quis enim*, rogat, *umquam commodatarium ad Judicium provocavit, eò quòd diligens quidem fuerit, & diligentiam ſupra communem adhibuerit in cuſtodiendâ re commodatâ, non tamen diligentiam iſtam exactiſſimam, quàm diligentiſſimi, & accuratiſſimi adhibent.*

Addi etiam poteſt, dictas obligationes reſtituendi, non oriri ex jure naturæ,

ræ, etſi aliqualiter in æquitate naturali ſint fundatæ: quod clarè patet ex eo, quod varii contractus jure ſpeciali à dictis obligationibus eximantur; uti precarium à contractu cedente in utilitatem unius: uti & tutelæ à contractu cedente in utilitatem domini: Contractus Nautarum, Aurigarum à contractu cedente in utilitatem utriuſque: in quibus non currit obligatio reſtituendi juxta ante dicta; quod tamen neceſſariò fieret, ſi dicta obligatio eſſet de jure naturæ.

Obligatio reſtituendi ex officio.

Ex officio verò etiam ſæpè oritur obligatio reſtituendi, quando ſcilicet officio ſuo debitè obeundo deſunt Officiales. Quando autem, & quo caſu ad hoc obligentur, non conveniunt Authores. Alii enim diſtinguunt, quando quis officium ambivit: quando illud ex obedientiâ obit: quando illud mercede emit, &c. Communiter tamen docent, quod ille tantum ordinariè teneatur ad reſtitutionem vi officii, quando in damno dando, ſuo officio defuit ex culpâ latâ: numquam verò, dum ſola eſt commiſſa culpa levis, aut leviſſima. Pro quo notari poteſt, quod quando quis officium aliquod acceptat, virtualiter cum Communitate, vel alio, à quo illud accipit, ineat contractum, quo Officialis ſe obligat ad debitè officium exequendum; & viciſſim alter ſe obligat ad præſtandum illud, quod tali officio pro ſtipendio debetur. Hoc poſito pro ratione aſſignant, quod ille, qui officium ſuſcipit, cenſeatur ſe ſolum obligare ad adhibendam eam diligentiam in executione ſui officii, quam alii ſimilis conditionis ſolent adhibere, non verò eam diligentiam, quam adhibere ſolent vigilantiores, aut etiam vigilantiſſimi. Hinc ſequitur, quod Advocatus, Medicus, Apotecarius, &c. teneantur ad reſtitutionem damnorum obvenientium ex ſuâ imperitiâ, aut negligentiâ clienti, vel ægroto; quia, ut dicitur Capt. *Finali, de injuriis. Si culpâ tuâ datum eſt damnum, vel injuria irrogata, aut hæc imperitiâ tuâ, ſive negligentiâ evenerint; jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam.*

Excipiunt hîc Doctores caſum, quo quis ſeſe profitetur in arte aliquâ peritiſſimum, vel cæteris longè excellentiorem; quo caſu etiam talis tenebitur de culpâ levi, ſi ſeſe profiteatur aliis peritiorem: imò, & ex leviſſimâ, ſi ſe profiteatur peritiſſimum; eò quòd talis, vel cenſeatur ſe obligare ad adhibendam diligentiam cæteris majorem, vel etiam maximam, cui obligationi ſi deſit, omninò tenebitur de damno dato.

Obligatio confeſſarii non admonentis ad reſtitutionem.

Quærunt hîc etiam, an, & quando Confeſſarius obligetur reſtituere, dum defectu ſcientiæ, aut negligentiâ ſuâ non admonet pœnitentem reſtitutionis. Et variant hîc, in re tamen ſæpius evenire nata, Authorum ſententiæ. Mart. & Petrus Navarra affirmant, quorum poſterior l. 3. reſtit. c. 4. num. 125. ait, omninò teneri ad reſtitutionem Confeſſarium, ſi ex latâ culpâ pœnitens reſtitutionem omiſerit, quam, ſi ei negata eſſet abſolutio, vel certè præcepta reſtitutio, non omiſiſſet. Ratio ejus eſt, quod cum teneatur ex obligatione officii ſui tradere doctrinam pœnitentibus neceſſariam: conſequens eſt, ut omnia

Digitized by Google

omnia damna, ex tali omiſſione ſecuta, ei tamquam veræ cauſæ morali imputentur. Alii diſtinguunt inter Confeſſarium, cui ex proprio officio incumbit cura animarum, ut ſunt Epiſcopi, & Parochi, qui ad reſtitutionem ſunt obligati, quorum officium eſt providere, ne oves ſibi commiſſæ damnum ſentiant, quâ etiam ratione acquirunt decimas, & ſtipendia: alios verò non teneri, quibus illud ex proprio officio non incumbit; ità Leſſius cum aliis l. 2. c. 13. Dub. 10. alii denique id abſolutè negant de quocumque Confeſſario.

Pro quo, hoc in primis certum ſit, Confeſſarium illum ad reſtitutionem in defectu pœnitentis teneri, qui poſitivo ſuo conſilio ex culpa lata conſulit juſtam reſtitutionem omittere, vel injuſtam fieri: eò quod tali caſu ſit vera, & moralis cauſa damni dati. Vide, quæ dicam de conſulente C. 8. ſect. 2. Idem dic, quando Confeſſarii ſilentium hîc cenſeretur æquivalere poſitivæ approbationi, vel admonitioni jam dictæ, idque ob eamdem rationem. Si verò Confeſſarius ſeſe habeat hîc merè negativè, merè omittens admonere reſtitutionis, dum admonere debet, nullo modo tamquam cauſa moralis vel debitam reſtitutionem impediens, vel indebitam injungens, veroſimilius non tenebitur ad aliquam reſtitutionem. Ratio eſt, quod Confeſſarius ex vi ſui officii non teneatur providere bonis temporalibus pœnitentium, ſed tantum ſpiritualibus: ex quo fit, quod etſi Confeſſarius non admonendo pœnitentem peccet contra officium ſuum; non tamen peccet contra illud per ordinem ad eos, quibus reſtitutio eſt facienda; ſed tantum per ordinem ad ſpirituale bonum pœnitentis. Huic favere videtur Doctor Angelicus, qui hîc q. 62. art. 7. ad 3. docet, neminem teneri ad reſtitutionem ratione damni non impediti, niſi obligetur ex officio ad id impediendum: jam autem Confeſſarius ex ſuo officio non obligatur ad impediendum damnum temporale tertii, ſed ſolum ad procurandum bonum, & amovendum malum ſpirituale ſui pœnitentis. Hoc autem procedit, tam in Confeſſario curato, quam non curato: quia, etſi illi à ſubditis præſtentur decimæ, & ſtipendia: tamen illa non dantur niſi quatenus correſpondent officio illius ſpirituali.

Dices, non admonendo eo caſu, non impedit malum ſpirituale pœnitentis, dum non admonendo, alter debitam reſtitutionem omittit, adeoque injuriam datam voluntariè continuat, cujus proinde Confeſſarius eſt vera cauſa, non impediendo malum pœnitentis, ad quod impediendum juxta omnes ex officio tenetur. Reſp. dum pœnitens damnum datum confitetur, nec de reſtitutione à Confeſſario admonetur, poterit prudenter pœnitens formare conſcientiam, quod ad reſtitutionem non teneatur, adeoque non peccat non reſtituendo: ac per conſequens nullius hîc mali, ſui pœnitentis confeſſarius erit cauſa non admonendo. Si verò (prout contingere poſſet) pœnitens ipſe, eo non obſtante ſciret ſufficienter ſeſe obligatum ad reſtituendum & non reſtitueret: jam omiſſæ reſtitutionis non erit cauſa Confeſſarius, ſed ipſe pœnitens nolens, aut culpabiliter differens reſtitutionem.

Solet

Digitized by Google

Solet hîc unà agi de particularibus reſtitutionis obligationibus ex diverſa cauſa provenientibus, quæ omnia ſuo ordine Theologis uſitato in ſequentibus tractabimus.

CAPUT IV.

De Injuriis in corpus proximi per occiſionem, aut mutilationem.

SECTIO I.

An, & quo caſu licitum ſit occidere.

Quomodo intelligi debeat lex Decalogi *non occides.*

CUm vita hominis inter omnia bona temporalia ſit bonum excellentiſſimum, uti & viventi maximè carum: & conſequenter in ablatione, aut diminutione ejuſdem, maxima illi cenſeatur fieri injuria: hinc etiam meritò illud idem vetat primo loco lex naturalis divina, ***non occides.*** Et quidem S. Auguſt. lib. 1. de Civit. c. 21. de eo præcepto ità ſcribit: *Hoc præceptum*, NON OCCIDES, ***generaliter intelligendum eſt de omni occiſione hominis, illis ſolum exceptis, quos vel lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet; quiſquis hominem, vel ſe ipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.***

Ex hâc ſancti Præſulis doctrinâ colligo 1. præceptum illud, ***non occides,*** eſſe omninò generale, omnes, ſemper, & ubique obligans, in quo nullâ lege poſſit propriè diſpenſari, cum ſit lex naturæ, cui proprium eſt, omnem hominem obligare, idque ſemper, ac prorſus inviolabiliter. Vide dicta de legibus in Principiis noſtris. tom. 1. Colligo ſecundò, quod etſi in dicta lege naturali ***non occides***, non poſſit propriè diſpenſari, poſſint tamen ab illa lege aliqui actus occiſionis excipi: non quaſi in illa lege fieret propriè diſpenſatio; ſed quod actus ille legitimâ authoritate non ſit materia, ſeu objectum illius legis, ***non occides***; id eſt, quod ſub tali lege non comprehendatur. Colligo tertiò, dictam exceptionem fieri debere legitimâ authoritate, quam nullam agnoſcit S. Doctor, niſi divinam, penes quam ſolam eſt vitæ, ac necis imperium, ut dictum eſt C. 1. ſect. XI. Colligo ulterius quartò ex jam dictis; nullam exceptionem ab hac lege eſſe admittendam, niſi à dictâ divinâ exceptiona dependeat: nihilque hîc valet ullius rationis authoritas ab inquieto ſubindè ingenio excegitata. Colligo quintò authoritatem divinam aliquando generaliter quoſdam caſus hîc excepiſſe, aliquando verò ſpecialiter, injungendo aliquorum occiſionem, uti ſæpè factum eſt in V. T. his autem capitibus exceptis, quiſquis ſe, vel alium occiderit, homicidii crimine, juxta S. Doctorem innectitur.

Ratione

Digitized by Google

Ratione hujus tam generalis mandati, fuit olim Manichæorum deliramentum, uti ait S. Aug. lib. 1. Civ. c. 20. ubi explicat dictum præceptum, *non occides*: quo docebant, nefas eſſe, beſtias, ac pecora interimere, inferente S. Doctore, ergo nec virgulta vellenda, dum eadem etiam vitâ vivere perhibentur. Illis ergo deliramentis remotis, reſtat, ut de homine intelligamus, quod dictum eſt, *non occides*. Planius hoc oſtendit lectio Hæbræa, quæ dicit propriè: *non homicides*. Unum hîc notant aliqui, quod animalia lentâ morte perimere, ac tormentis afficere, ultrà quàm exigat ſimplex eorumdem interfectio, tyrannicum animum ſapiat, & ſit contra Chriſtianam lenitatem, etſi non ſit contra juſtitiam. Quærendum ergò jam eſt, quos homines lex Dei juſta aliquando permittat occidi.

Waldenſes, teſte Alphonſo à Caſtro V. *occidere*, negabant Principibus, & Magiſtratibus licitum eſſe occidere malefactores; idque ideo, quod illa lex, *non occides*, omnes omninò homines comprehenderet. Imo, quod Deus ipſe, à quo omnis poteſtas emanat, expreſsè dicat Ezechielis 18. *Nolo mortem peccatoris.* Fides tamen contrarium docet, dum Exodi 20. mox dicto, *non occides*, cap. 22. ſubjungitur, *maleficos non patieris vivere.* Et Deut. 21. & 22. Deus homicidas, blaſphemos, & adulteros jubet occidi: ubi expreſſa eſt exceptio facta, ab illa lege, *non occides*, idque authoritate divinâ.

Ratio D. Thomæ l. 3. contra gent. c. 146. uti & hîc, eſt illa; quod cum homines ſcelesti non timeant pœnas futuras; dum impius, cum in profundum venerit, eas contemnit: ſequitur, quod neceſſe ſit, ut pœnis præſentibus coërceantur à malefaciendo, ne quietem publicam penitus corrumpant. Deindè, membrum putridum ferro abſcindendum eſt, ne totum corpus inficiat, & corrumpat; cum bonum totius, particulari vitæ ſit præponendum. Denique, cum illi bono Principes, & Magiſtratus ex officio providere teneantur; ſequitur, ad malefactores aliquando occidendos, eos eſſe obligatos, dum illud ad conſervationem totius eſt neceſſarium. Hanc poteſtatem in eis approbat Apoſtolus ad Rom. 13. ubi ait: *Si malum feceris, time: non enim ſine causâ gladium portat: Dei enim miniſter eſt, & vindex in iram ei, qui malè agit.* Idem facit S. Petrus Epiſt. 1. c. 2. Idem ſuo facto Approbavit Moyſes in V. L. qui etſi legem, *non occides* à Deo accepiſſet, & populo promulgaſſet; Idololatras tamen, & alios maleficos occidit. Idem egit & S. Petrus, qui Act. 5. ob mendacium occidit Ananiam, & Saphyram.

Rigoroſius hìc juxta aliquos Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. art. 2. docet, illam ſolùm occiſionem hîc non prohiberi, quam Deus ipſe expreſsè in S. Scriptura excepit: unde infert, iniquas eſſe aliquorum leges, quæ, vel adulteros, vel fures diurnos, non etiam aggreſſores occidunt addens: *Neque adhuc viſa eſt Bulla de cælo, quæ hujuſmodi concedit occidi.* Verum hæc dicta Scoti opinio, quatenus ſpectat omnes malefactores in univerſum, juxta Salonium q. 64. art. 2. Controv. 1. à viris peritis judicatur periculoſa: & quamvis Author

Catholicus, & religioſiſſimus fuerit, erronea; prout apertè patet ex dictis. Adde, ſic juxtà Scotum, illicitum foret, occidere incendiarios, reos læſæ Majeſtatis, proditores, &c. Denique id confirmat omnium Regnorum uſus, & praxis; confirmant omnes leges, tam civiles, quam Eccleſiaſticæ, quæ jubent malefactores occidi; quas omnes condemnare, eſſet temerarium. Unde S. Hieron. in 22. Hierem. ***Homicidas, & ſacrilegos, & venerarios punire, non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium.*** Ita ferè Salonius. Circà hanc tamen Salonii cenſuram, & non abſimilem Joannis Wiggers c. 2. dub. 2. uti & Franc. Bonæ Spei d. 19. dub. 2. excipit P. Herincx diſ. 6. q. 4, num. 32. vindicans ſuum Scotum à ſimili opinione; addens, quod pectori Chriſtiano ſufficere debuiſſet, legiſſe Cavellum in dictum Scoti locum, ut mens Doctoris ſanè intelligeretur, & explicaretur. Quidquid hîc interim ſit; malumus benignè Doctorem ſubtilem explicari, quam tanti erroris condemnari.

Sed quæri hîc poſſet, an ad occidendos malefactores requiratur authoritas publica. S. Aug. l. 1. de civ. ità ſcribit: ***Qui ſine aliquâ publicâ adminiſtratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur, & tantò amplius, quantò ſibi poteſtatem à Deo non conceſſam uſurpare non timuit.*** Et ratio eſt, quod illorum occiſio ideo licita ſit, quia eam exigit bonum commune; adeoque ad eum ſpectabit malefactores occidere, ad quem ſpectat procurare bonum commune ex officio, quod pertinet ad publicam poteſtatem. An tamen, & quomodo aliquando privatâ authoritate liceat occidere tyrannum, videri poteſt ſect. 7.

Quæres ergo, qualis occiſio hominis ſit interdicta illâ lege ***non occides.*** Reſp. aliqui, vetitam eſſe occiſionem innocentis, adeo ut illa lex explicetur per eam Exodi 23. ***Inſontem, & juſtum non occides.*** Hoc verò quibuſdam diſplicet, eò quòd ſic cuilibet privato, occidere liceret nocentes; cum lex illa ultima omnes afficiat. Alii volunt prohiberi occiſionem illam, quæ fit privatâ authoritate: quod quoque multis non arridet, cum ſic judex contrà juris ordinem nocentem, vel innocentem occidens, non peccaret contrà illud præceptum, dum illud agit publicâ authoritate. Alii denique dicunt, hoc præcepto prohiberi occiſionem diſſonam rectè rationi, juxtà hoc, quod ait D. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. ***Homicidium, quod in Decalogo prohibetur, habet rationem indebiti.*** Verùm modus iſte, videtur continere petitionem principii: quæritur enim, quænam ſit illa occiſio rectæ rationi diſſona, quam lex illa, ***non occides***, prohibere dicitur. Unde magis expreſsè, & magis appoſitè ad mentem S. Auguſtini dici poteſt, illâ lege, ***non occides***, prohiberi occiſionem illam hominis, de quâ nulla conceſſio generalis, vel particularis divina eſt aſſignanda. Deficientibus enim illis, manet lex illa, in ſuâ generalitate omne homicidium prorſus prohibens, & excludens. Dicta omnia dilucidè etiam proponit Catechiſmus Rom. p. 3. c. 6. in illud præceptum, ***non occides***, num. 2. quærens, ***quid hoc præcepto, cum vetatur, tum jubetur.*** Et poſtquam excepiſſet à dictâ lege ***non occides***, occiſionem flagitioſorum, & occi-

occiſionem in bello juſto : num. 4. ſubdit ex Deut. 19. occiſionem fortuitam, ſeu caſualem ; quæ, quia non voluntate, neque de induſtriâ inferuntur, propterea non omninò in peccatis numerantur : quod S. Auguſtini ſententiâ comprobatur : *Abſit enim*, inquit, *ut ea, quæ aut propter bonum, aut licitum facimus, ſi quidem præter voluntatem noſtram quidquam mali acciderit, nobis imputetur.* Epiſt. 154. ad Publ. vide, quæ de occiſione caſuali dicam ſect. 9. c. 4. Aliam occiſionem inſuper excipit idem Catechiſmus, ſubdens: *Si quis ſalutis ſuæ defendendæ causâ, omni adhibitâ cautione, alterum interemerit, hàc lege non teneri, ſatis apparet.* Ratione hujus ſit.

SECTIO II.

An liceat occidere injuſtum invaſorem propriæ vitæ.

STatus quæſtionis eſt ille, an quando quis injuſtè invaditur v.g. à Latrone, neque aliter evadere poteſt, quam injuſtum invaſorem occidendo, liceat ſe defendere cum alterius invadentis occiſione. Quæſtio quoque eſt, quid per ſe hîc liceat; cum certum ſit, quod etiam plerumque occiſioni tali defenſivæ ſoleat adeſſe animus vindictæ, iræ, odii, &c. quâ ratione alibi docet S. Auguſt. eos vix eſſe excuſandos, de quâ re plura in decurſu.

Licitum eſt occidere injuſtum vitæ invaſorem, ſi aliter evadere non poſſit.

Reſp. ergo ad quæſtionem propoſitam affirmativè : probari poteſt primò ex c. 22. Exodi, ubi dicitur : *Qui occiderit furem nocturnum, non erit reus homicidii : ſi verò occiderit orto jam ſole, imputabitur ei ad homicidium.* In quem locum S. Auguſt. q. 24. *Intelligitur ergò, tunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur : ſi autem diurnus, pertinere. Hoc eſt enim, quod ait, ſi orietur ſuper eum ſol : poterat quippe diſcerni, quod ad furandum, non ad occidendum venerit, & ideo non debet occidi.* Eodem modo ſolet intelligi Capitulum *Perfodiens, de homicidio*, de quo ſtatim. Neque hîc dici poteſt, dictâ lege ſolum dici, non eſſe reum ſanguinis; id eſt, quod carnali populo id ſolùm permiſſum fuerit impunè; cum eſſet lex judicialis ad judices directa, uti aliqui docent de libello repudii. Imo, quod etſi populo illi, illud fuiſſet indultum : non ſequeretur, id modo licitum remanere filiis gratiæ in N. L. ita aliqui. Verum ad hoc reſpondetur, non ſolum ex illa lege haberi, quod illud homicidium non puniretur, ſed verè excuſaret in conſcientiâ. Patet hoc ex dicto Capt. *perfodiens* ex jure Canonico, quod adferens dicta Exodi verba, uti etiam verba S. Auguſtini, intelligendum eſt de foro conſcientiæ, in quo occiſor furis diurni dicitur excuſari. Probatur hoc primò, quod S. Auguſtinus, ex quo loquitur Capitulum, agat de foro conſcientiæ. Secundò, jus Canonicum plerumque ſemper agit de foro conſcientiæ, maximè in hâc materiâ, cum illud jus ſoleat corrigere leges civiles, quæ aliquid permittunt ut licitum in foro externo, quod in foro conſcientiæ non eſt licitum : ſic correxit jus illud præſcriptionem malæ fidei à lege civili permiſſam : uti etiam legem civilem permittentem adulteram in adulterio deprehenſam occidi.

Eamdem ſententiam probat Eſtius in 3. diſt. 37. §. 21. ex S. Cyrillo l. 1. in Joan. c. 35. quærens: *Undenam Petrus Gladium habuit? quia ſecundùm leges gladio ſe defendere licebat: idcircò gladium quoque ferre licebat.* Item ex S. Ambroſio l. 1. offic. c. 36. ubi dicto, quod *neque in inferenda, ſed in depellendâ injuriâ, lex virtutis eſt*: Unde & Moyſem laudat, qui Ægyptium pro defenſione fratris, occidit: & tandem ſubdit: *Non eſt autem dubitandum, quin ſi hoc pacto defendere ſocium liceat, liceat & ſe ipſum.*

Idem probatur ex S. Auguſtino, qui ultrà jam dicta l. 22. contra Fauſtum c. 70. ad illud Matthæi 28. *Qui gladio uſus fuerit, &c.* ità ſcribit: *ille autem utitur gladio, qui nullâ ſuperiori, ac legitimâ poteſtate, vel jubente, vel concedente, in ſanguinem alicujus armatur.* Hìc autem legitimâ poteſtate à naturâ cuique conceſsâ in ſanguinem alterius armatur invaſus; imò & juxta omnes humanas leges, uti & divinam Exodi 22. latam procedit, qui invaſorem injuſtum vitæ occidit.

Conſentit & D. Thomas 22. q. 64. art. 7. ubi quærit, an liceat alicui occidere ſe defendendo. Et reſpondet in Corp. *Nihil prohibet unius actû eſſe duos effectus, quorum alter ſolum ſit in intentione; alius verò ſit præter intentionem ...... Ex actu ergo alicujus ſe defendentis, duplex effectus ſequi poteſt: unus quidem conſervatio propriæ vitæ, alius autem occiſio invadentis. Actus ergo hujuſmodi ex hoc, quod intenditur conſervatio vitæ, non habet rationem illiciti: cum hoc ſit cuilibet naturale, quod ſe conſervet in eſſe, quantum poteſt. Poteſt tamen aliquis actus ex bonâ intentione proveniens, illicitus reddi, ſi non ſit proportionatus fini. Et ideo ſi aliquis ad defendendam propriam vitam, utatur majori violentiâ, quam oporteat, erit illicitum. Si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defenſio: nam ſecundùm jura, vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec eſt neceſſarium ad ſalutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius, quia plus tenetur homo ſuæ vitæ providere, quam vitæ alienæ.*

Idem docet S. Antonius p. 2. tit. 7. c. 8. §. 2. dicens: *Latronem inſidiantem in itineribus, ſecundùm leges, cuilibet licet occidere.* Et Clarius p. eâdem tit. 7. c. 8. §. 1. ità ſcribit: *cum quis occidit alium neceſſitate ductus inevitabili, quia ſcilicet invaſus ab alio volente occidere, vel graviter vulnerare, ſe defendendo occidit, ſervato debito moderamine, cum aliter non poſſit evadere manus ejus: non eſt propriè homicida, prout ſcilicet homicidium dicimus peccatum.* Quod & ulterius probat verbis S. Thomæ mox adductis.

Confirmat eamdem opinionem Doctor Seraphicus ſermone de 10. præceptis ſermone 6. ubi ait: *Occiditur homo ab homine tripliciter, aut caſu, aut neceſſitate, aut voluntate ...... ſi autem fuerit homicida ex neceſſitate: hoc eſt dupliciter: aut ex neceſſitate inevitabili, aut evitabili; neceſſitas evitabilis eſt ſi poſſim effugere, ſed dimitto propter verecundiam, vel aliam cauſam, & in iſto caſu excuſatur à tanto, & non à toto: quia melius eſſet, quod fugeret. Si autem ſit neceſſitas inevitabilis, ut homo occidat alium hominem, non amore vindictæ,*

dicta, ſed amore conſervationis vitæ, & animæ, ut non interficiat ipſum ex crudelitate, ſed ut impediat ipſum, ne perdat ſuam vitam, & animam, & fiat hoc cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc conceſſum eſt perſonis etiam perfectis, non ſolum imperfectis. Quod etiam probat ex S. Auguſtino loco de lib. arb. antè adducto.

Probari idem poteſt authoritate Catechiſmi Romani antè adductâ, quod, qui ſalutis ſuæ defendendæ causâ, omni adhibitâ cautione, alterum interemerit, hâc lege, *non occides*, non teneatur. Idem inſinuat, quòd apud Morinum in appendice ad lib. de pœnitentiâ dicitur fol. 9. *Si quis autem forſitan defendendo, aut parentes ſuos, aut familias ſuas, occidiſſet aliquem, ille non erit reus.*

Nec deeſt hîc ejuſdem opinionis ratio, aut Doctorum authoritas. Illam enim ultra dictos Doctores ſequitur potiſſima Theologorum pars; teſte Eſtio ibi ſuprà, uti & fatentur, pauci qui ſunt, adverſarii. Ratio verò à dicto Doctore aſſignata eſt hæc, quæ illi videtur eſſe aperta: *Quia, qui hoc pacto interimit invaſorem, non privatâ, ſed publicâ authoritate id facit: ſi quando, & lex naturæ, & lex poſitiva, eum, qui invaditur, vel ejus locum, ſi aliter evadere non poteſt, facit miniſtrum publicæ juſtitiæ: non quidem ad vindicandum, (poſſet enim vindicta differri in aliud tempus) ſed ad defendendum ſe, & ſua ab injuriâ invadentis. Quæ res, cum periculum habeat, dilationem non patitur.* Ità Eſtius. Adde, quod vim vi repellere omnia jura admittant, uti dicitur ab Innoc. 3. Cap. *ſignificaſti.* Adeoque & jus naturæ, divinum, & humanum, occiſionem injuſtæ invaſoris admittunt, tamquam quæ non comprehendatur, ſub hâc lege *non occides.*

Ex dictis infert Salonius q. 64. art. 7. controv. 1. *Quod oppoſita ſententia ſit forſan temeraria, tot textibus, & communi omnium ferè Doctorum placitis repugnans;* addens contrariam ſententiam eſſe intolerabilem, & acerbam nimis, dum quis vitam ſuam adeò pretioſam, ob malitiam alterius deberet profundere. Quidquid tamen ſit de ejuſmodi cenſurâ, videtur data à nobis ſententia, uti communiſſima, ità longè probabilior. Ut tamen parti adverſæ ſatisfiat.

Objiciunt 1. Generale præceptum *non occides*: ſub quo dictam occiſionem non comprehendi, hucuſque luculenter oſtendimus. Item Matth. 5. dicitur, *ego autem dico vobis non reſiſtere malo.* Et Apoſt. Rom. 12. *Non vos metipſos ulciſcentes chariſſimi: ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus: noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Reſp. His, & ſimilibus Scripturæ locis conſuli patientiam Chriſtianam, etiamſi quis juſtè ſe defendere poſſet, dum dicuntur beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: quod ſicuti conſulitur, ità & prohibetur in omni juſtâ aliàs defenſione vindicta; unde juxta Eſtium dicto ſuperius §. 21. loco *defendentes*, Græca habent *vindicantes*, dum etiam continuò ſequitur, *ſcriptum eſt enim, mihi vindicta, & ego retribuam.* Argumēta contraria.

Objiciunt 2. S. Auguſtinum Epiſt. 154. ad Publicolam, ubi ait, de occidendis Objectio 2.

dendis hominibus : *Ne ab iis quiſquam occidatur , non mihi placet conſilium , niſi fortè ſit miles , aut publicâ functione teneatur* : *aut non pro ſe hoc faciat , ſed pro civitate*. Et l. 1. c. 5. de lib. arb. dicit, *quomodo inculpati eſſe poſſint* (ità occidentes) *non video : non enim lex eos cogit occidere , ſed relinquit in poteſtate. Liberum eis itaque eſt neminem occidere pro iis rebus , quas inviti poſſunt amittere , & ob hoc amare non debent*. Et iterum : *legem quidem non reprehendo , quæ tales permittit interfici , ſed quo pacto iſtos defendam , qui interficiunt , non invenio*. Reſp. Ad prius , illud nihil obſtare , cum agatur de caſu , quo deberet talem invaſorem occidere , de quo à Publicola erat S. Doctor conſultus. Quamvis ergò invaſor injuſtus occidi non debeat ; non ſequitur inde , quod non poſſit. Imo egerat Publicola de tali invaſore , qui ſine occiſione poterat repelli , cujus contrarium ſupponit noſtra opinio.

Ad aliud Reſp. Alii , quod cum S. Doctor librum de lib. arb. ſcripſerit adoleſcens, multa in illo ſcripſerit potius inquirendo, & diſputando, quam aliquid firmiter aſſeverando , uti ex ipſo colligitur l. 1. retract. c. 9. unde de hâc quæſtione ſolum etiam ait : *Quomodo inculpati eſſe queant , non video*. Et iterum : *Quo pacto iſtos defendam , non invenio*. Melius fortè reſpondent alii cum Heſſelio in Decalogum c. 45. S. Auguſtinum agere de illis , qui (uti ſæpè tali eventu fieri natum eſt) non ſolum merè ſe defendunt , ſed vel irâ , vel odio , vel alio pravo animo alios injuſtè invadentes occidunt. Difficillimè enim , ut ille ait , & rariſſimè homo iniquè ab alio invaſus , manſuetudinem , patientiam , & dilectionem ergà proximum ità ſervat , ut non ex ira petat mortem ſui inimici , tamquam ſuum quoddam bonum, ſed ut ſolam ſui defenſionem. Imò raro adhibetur omne aliud remedium, quod citrà necem invaſoris adhiberi poſſit : quibus caſibus reverà peccatur, tum ratione animi inordinati , iræ, odii, vel vindictæ : tum, quod excedatur moderamen inculpatæ tutelæ. Eodem modo intelligendi ſunt alii SS. PP. ſimilem occiſionem ſubindè alicujus culpæ condemnantes.

Object. 3 Objicies 3. S. Ambroſium lib. 3. offic. c. 4. dicentem : *Non videtur, quod vir Chriſtianus , & juſtus , & ſapiens , quærere ſibi vitam morte debeat : utpote , qui etſi in latronem armatum incidat : ferientem ferire non poſſit , ne dum ſalutem defendit , pietatem contaminet*. Reſp. agit S. Doctor de illius occiſione , qui non invadit injuſtè occidentem : agit enim de eo , qui alteri naufrago tabulam eripit , quâ alter poſſet ſalvari , & quâ ſublatâ morietur. Quod verò ſubditur de latrone , intelligi debet de occiſione latronis ex vindictâ , irâ , aut aliâ paſſione , juxtà mox dicta.

Object. 4 Objiciunt 4. S. Bernardum l. de diſpenſ. & præcept. c. 7. ubi ait *Mandatum Dei eſt ,* NON OCCIDES : *fac ergo duos homicidas , unum quidem ſpoliandi cupiditate , alterum verò neceſſitate ſeſe defendendi , facinus perpetraſſe : an non hìc ſatis evidenter inter lepram , & lepram cauſa ſeparat , faciens utique diſparem valdè culpam unius , ejuſdemque tranſgreſſionis* ? Item ſermone ad milites templi C. 1. ità ait : *Qui ulciſcendi Zelo , nec vincendi typo , ſed tantum evadendi*

dendi remedio interfecit hominem , ſed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam, cum de duobus malis , in corpore , quam in animâ mori , levius eſt. Reſp. Ad prius, S. Bernardum agere de defenſore bonorum ſuorum temporalium,quod fieri non poſſe cum occiſione eadem invadentis, dicetur ſect. IV. ille enim ſeſe defendere quoque rectè dicitur : maximè , cum hîc correſpondeat talis defenſor volenti ſpoliare, de quo agit locus Bernardi. Ad aliud Reſp. S. Doctorem ibi agere de occiſione in bello injuſto,in quo etiam defenſiva occiſio eſt iniqua, cum invaſus cenſeatur dediſſe cauſam iniquæ invaſioni,per ſuſceptionem iniqui belli. Patet hoc ex contextu S. Doctoris dicentis, eos ſæpè ob cauſam levem, ac frivolam bella ſuſcitare , idque ſæpè ex irrationabilis iracundiæ motibus, aut inanis gloriæ cupiditate : quibus de cauſis occidere eſt planè illicitum.

Objiciunt 5. Nemo licitè occidit alium privatâ authoritate, cum hoc fit intrinſecè malum , nec ullo umquam caſu liceat : hoc autem caſu illa authoritas deeſt, ergo. Reſp. Occiſionem illam , de quâ in theſi, fieri authoritate publicâ, conceſsâ à Deo, imo & à naturâ, ut antè eſt oſtenſum. Object. 5

Objicies 6. Invadens , ſi occidatur, erit damnandus, adeoque invadens eſt in extremâ neceſſitate ſpirituali , pro quâ juxtà S. Auguſt. lib. de mendacio c. 6. vitam ſuam corporalem non dubitabit Chriſtianus amittere. Reſp. Invadentem non eſſe abſolutè in neceſſitate extremâ ſpirituali, ſed malâ ſuâ voluntate in eâ poſitus eſt , & in eâdem ità perſeverat , dum ab invaſione deſiſtendo (quod poteſt , dum velit) ceſſabit illa neceſſitas, cum ſolum dependeat à ſolâ ſuâ malâ voluntate. Quando autem quis ſuâ malitiâ eſt in tali neceſſitate, nemo tenetur illi ſuccurrere cum ſuo damno : veluti , ſi quis tibi dicat : *da mihi* 100. *aureos; quod ſi nolis, me ſuſpendam* : non teneris aureos illi dare, ne ſe ſuſpendat; eò quòd illud non ſit propriè neceſſitas , ſed alterius malitia, quæ non debet alicui patrocinari. Object. 6

Objicies 7. Ideo licitum eſt occidere injuſtum invaſorem vitæ, quod ad conſervandam vitam invaſi ſit occiſio invadentis neceſſaria, quia ſi aliter effugere periculum poſſit, excedet moderamen inculpatæ tutelæ: ergo eodem modo licebit alicui mentiri, fornicari , &c. ſi hoc ſit ad vitam conſervandam medium neceſſarium. Non enim magis licet occiſio hominis,quam mendacium. Reſp. Occiſionem dictam non eſſe intrinſecè malam ; ſed lege divinâ, naturali, & humanâ permiſſam tamquam omninò licitam : mendacium verò eſt intrinſecè malum , & conſequenter numquam, etiam intentione finis boni , poteſt adhiberi, ne quidem ad vitam conſervandam. Adde, quod quidem vim vi repellere leges , & jura permittant, etiam cum occiſione vim inferentis , non tamen illud permittit ulla lex de mendacio committendo. Object. 7

Objiciunt 8. Si dicta defenſiva occiſio licita foret, videtur conſequens,quod invaſus ad id obligaretur , ne aliquis cenſeretur ſui ipſius homicida,omittens ad ſervandam vitam medium licitum , & quod habet in ſuâ poteſtate : hoc tamen nullus admittet. Reſp. Conſtat ex S. Antonino 3. p. tit. 4. q. 3. aliquos docuiſſe, hominem invaſum eo caſu obligatum eſſe ad contrarium , puta ad proObject. 8

priam

priam mortem ab invadente patienter ſuſtinendam,quam doctrinam ibidem refutat. Hinc cum eodem dico 1. *Et cum D. Thomâ, nullus tenetur ad hoc* (quod permittat ſe occidi) *ſed majoris perfectionis eſſet, ſi potius permitteret ſe interfici, quam ſe defendendo, occideret. Et hoc intellige, ſi eſt in bonâ diſpoſitione animæ ſuæ: nam aliàs fatuè faceret, exponendo ſe morti corporis, & animæ.* Ex quo loco ſequitur, quod etſi ille poſſit ſe cum occiſione invaſoris defendere: tamen hoc etiam aliquando poſſit omittere, exemplo Chriſti, qui cum occiſione omnium potuiſſet ſe defendere, ſi voluiſſet. Illud enim foret actus heroïcus fortitudinis, & charitatis, dum nemo habet majorem charitatem,quam, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Quod quidem verum eſt, ait Antoninus, ſi ſit in bonâ diſpoſitione animæ ſuæ, qui invaditur; *aliàs fatuè faceret*: ex quo colligo 2. quod, ſi quis certò, vel dubitanter credat ſe in ſtatu peccati mortalis, non poſſet ſinere ſe interfici, cum fatuè faceret, exponendo ſe morti corporis, & animæ. Neque hîc dici poteſt, eximio illo charitatis actu juſtificandum, ſi pro fratre invadente ſinat ſe occidi: eò quòd actus charitatis perfectæ, quæ ſe ſolâ juſtificat, ſit admodum ſublimis; & valde incertum, quid ad eam requiratur. Dicitur tamen actus ille charitatis omni aliâ majorem, eò quòd nemo evidentius charitatem proximi oſtendere poſſit, aut comprobare, quam vitam pro proximo ſuo profundendo. Sequitur ergo 3. aggreſſum non teneri ad occiſionem invadentis, prout habet objectio. Cum enim lex conſervandi vitam ſit affirmativa; non obligat omni prorſus tempore, aut eventu; ſed poteſt aliquando juſtâ de causâ quis ſeſe periculo exponere; imo & aliquando profundere, uti patet in martyrio, quod martyr poterat evadere. Neque ideò martyr dicendus erit homicida, eò quòd non adhibuit medium ad conſervandam vitam neceſſarium, quod habebat in ſuâ poteſtate, prout prætendit objectio.

SECTIO III.

Quænam requiruntur, ut dicta occiſio ſit licita.

Aliqua tamen neceſſariò ſunt requiſita, ad hoc ut occiſio injuſti invaſoris vitæ, licitè poſſit occidi, quæ in jam dictis aliquaterus inſinuavi. Primò enim omnes ad hoc requirunt moderamen inculpatæ tutelæ, quod ſi invaſus excedat, erit reus homicidii. Quid verò ſit moderamen inculpatæ tutelæ, colligi poteſt ex Cap. *ſignificaſti*, *de homicidio*, ubi dicitur, vim vi repellere omnes leges, & jura permittere, ſi fiat illud cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam. Ex quo communiter deducunt, quod ille obſervet moderamen inculpatæ tutelæ qui illa ſolum agit in ſui defenſione, quæ ad eam ſunt neceſſaria. Quando autem hoc præciſè fiat, prudenti, ac morali judicio eſt disjudicandum. Ex quo interim ſequitur, quod moderamen illud in occiſione invaſoris, non obſervet ille, qui ab alio invaſus, poteſt fugâ declinare, etiam cum honoris diſpendio: qui alium vulnerando, muti-

Quandonam ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ.

mutilando, verberando à ſuâ cæde poteſt cohibere; & generaliter, quandocumque ſine alterius occiſione poteſt invaſus ſeſe ſufficienter tueri, & vitam ſuam conſervare. Requiritur 2. ut licitè quis injuſtum vitæ invaſorem occidat, ut ſit vera aggreſſio per vim, quam vi reppellere leges, & jura permittunt. Unde deduces, non licere occidere iniquum judicem, aut falſos teſtes, qui vitæ tuæ inſidiantur: cum non ſit hîc, niſi calumnia, non vis illata, quæ proinde ordine juris, non violentiâ eſt propulſanda. Requiritur 3. ut ſicuti hîc debet eſſe vera aggreſſio, ſic debeat eſſe vera, & actualis invaſi defenſio. Hinc, qui ſuſpicans alium paratum eſſe ad ſeſe occidendum, eumdem prius occidat, non tam erit defenſio, nec violentiæ illatæ propulſatio, quam præventio. Ubi notandum eſt, aliquando cenſeri veram aggreſſionem, etſi actualiter non aggrediatur invadens: ſed ſubindè ſatis hîc eſt, quod certò quid ſciat, alium primâ datâ occaſione ipſum occiſurum. Exemplum dant communiter in muliere invenientе ſub pulvinari pugionem in lecto; quam prævenire poſſe maritum, illum occidendo, varii Authores tradunt. Ratio eſt, quod, etſi adhuc maritus actualiter uxorem non invadat ad occidendum, cenſetur tamen morali modo invaſor, dum de ejus malâ intentione certò conſtat, neque aliter uxor poteſt evadere. Cum verò hoc dependeat à morali certitudine, quæ ex variis circumſtantiis eſt deſumenda: Rectè notat Soto, non poſſe certâ lege definiri, an ſit in ſimili caſu defenſio, an præventio; ſed prudenti judicio erit illud judicandum. Imò Salonius loco ibi ſuprà ità ſubdit: *Res hæc periculoſa eſt, probabiliuſque judicarem, numquam licere prævenire inimicum, quantumvis paratum, donec actus invadat, & aggrediatur. Primò, quia mille viis poteſt animus illius mutari, & periculum illud, quantumvis imminens, ceſſare. Secundo, quia jure naturæ, ſolum licet vim vi repellere, quod ab omnibus Doctoribus intelligitur in actuali conflictu: qui verò prævenit inimicum, quantumvis paratum, nondum patitur vim, neque adhuc eſt in reali conflictu.* Ità ille, & ſatis fundatè.

Requiſitum. 2.

Requiſitum. 3.

Requiritur 4. Ne occidens injuſtum vitæ invaſorem intendat ejus mortem. Videtur illud innuere S.Thomas q. 64. art. 7. ubi ait: *Illicitum eſt, quod homo intendat occidere hominem, ut ſe ipſum defendat; niſi ei, qui habet publicam authoritatem.* Navarrus verò in ſuo manuali ad 5. præceptum Decalogi, referens jam dictam S.Thomæ ſententiam, ait, dictam S. Thomæ limitationem, quod ſe defendens non poſſet hoc caſu intendere invadentis occiſionem, ſed ſolum poſſet ſe defendere, eſſe novam; & novitates, quâ parte fieri poteſt, eſſe fugiendas. Imo addit dictus Author, quod niſi S. Thomas hoc tenuiſſet, nullus aliorum eum ſequendo hoc docuiſſet: unde & ipſe ſuſtinet contrarium.

Requiſitum. 4.

Videtur tamen ſententia D. Thomæ eſſe hîc amplectenda; eò quòd aliàs in occiſione illa excederetur moderamen inculpatæ tutelæ, quod in eo ſitum eſt, juxta ante dicta, quod ea ſolummodo adhibeantur in defenſione propriæ vitæ, quæ neceſſaria ſunt ad vim vi reppellendam. Quod enim ultrà fit, moderationem ſe defendendi excedit: jam autem talis poteſt intendere ſe defendere, non verò debet intendere alium occidere. Ità Sylvius.

K Si

Objectio. Si verò quis objiciat, quod ſit impoſſibile, aliquem non intendere alterius necem, qui ponit talem actionem voluntariè, ex qua certiſſimò alterius mors ſit ſecutura: quia, dum quis intendit finem, etiam intendit medium ad illum finem neceſſarium: ſicuti autem finem illum licitè intendit, id eſt, ſeſe defendere: ſic etiam licitè intendet occiſionem invadentis, tamquam quæ ſit ad defenſionem medium neceſſarium. Ad hæc Reſp. cum dicto Authore, occiſionem hîc non eſſe medium, ſed effectum: v. g. dum medicus vult ſanare ægrotum, etſi noverit ex ſua medicina, quam adhibet, neceſſariò ſecuturam magnam ægroti debilitatem: illam tamen debilitatem non aſſumit tamquam medium ad ſanandum, neque etiam eam intendit, ſed ſolummodo eam evenire permittit, quia non tenetur eam evitare, omninò tamen ſanare volens, ſi ſine eâ debilitate poſſet. Ità & hîc: etſi defendens intendat ſui defenſionem, quæ hîc, & nunc fieri non poteſt ſine occiſione invadentis; eam tamen non debet intendere, ſed eam poterit ſolum permittere, dum eam in hoc caſu non debet evitare.

Objectio. Dicunt alii, intentio actûs liciti eſt licita, atqui defenſio occiſiva eſt licita, ergo eam intendere eſt licitum. Reſp. Hoc principium non eſſe generaliter verum, ut patet in abortu feminæ prægnantis facto ex medicina de ſe, & directè tendente ad ſanitatem feminæ, ſed indirectè ad abortum, qui quidem eſt actus licitus, non tamen licet abortum intendere. Quare, ut hoc principium habeat locum, debet intelligi de actu bono ſecundum ſe, qualis non eſt hîc occiſio. Ità Sylvius cum aliis multis Thomiſtis. Verum alii docent, quod quamvis dicta ſint ſpeculativè probabilia, difficillimum tamen ſit homini in actuali conflictu, & in periculo vitæ conſtituto, animadvertere, ne velit mortem ſui aggreſſoris tamquam medium, ſed ſolum tamquam effectum, & uti illâ diſtinctione, quam ferè nullus alius à Theologis novit: eſſetque reverà illaqueare conſcientias, obligare fideles ad tantam peritiam. Ità Michaël Salonius, in fine articuli 7. qui & addit, ſufficere aggreſſo, quod habeat hunc animum: *Nullo modo vellem hunc occidere, ſi aliâ viâ poſſem evadere ſine ejus occiſione: quia tamen nulla alia via patet, & neceſſe ſit, me, vel illum perire: præſtat perire ipſum, qui me iniquè invadit, & propterea eum occidam, ſive id velit ut medium, ſive ut effectum:* adeo ut virtualiter dicat invaſus, *volo me defendere, etſi ejus ſequatur mors, quando aliter me defendere non poſſum.* Ità ille. Addunt alii ad praxim quod attinet, quod defendens hoc caſu non debeat multum ratiocinari, an poſſit occiſionem ejus intendere ut medium, an hîc, vel ibi, poſſit eum ferire: ne ſimilibus occupatus, ipſe facilè causâ cadat.

Quibus omnibus ritè perpenſis, videtur omninò licitum in conſcientiâ, occidere injuſtum aggreſſorem vitæ, ſi prædictæ conditiones requiſitæ adſint. Adeò ut Dominicus Soto q. 1. 5. art. 8. doceat contrariam ſententiam, pervertere jus naturale, Chriſti jugum, quod ſuave eſt, ac leve, facere acerbum, & intolerabile; omnemque juſtitiam pervertens. An verò tam acerbam cenſuram mereatur contraria ſententia, judicent alii.

Pro

Digitized by Google

Pro complemento hîc addunt varii Doctores, & conſultò quidem, prædicta omnia, & alia illis ſimilia, non eſſe communi populo deprædicanda : ne homines vulgares, dictam occidendi licentiam nimium extendant : multò minus, docent eam ſententiam conſulendam, cum perrarum ſit, non adeſſe aliud evadendi remedium.

SECTIO IV.

An liceat occidere injuſtum invaſorem bonorum temporalium.

Variant hîc rurſum Authores : alii, qui negant licitam eſſe occiſionem pro defenſione vitæ, à fortiori id negant de occiſione invaſoris bonorum temporalium. Alii generaliter affirmant, abſurdè ſatis, adeò ut hanc cenſurare coacta ſit Synodus Namurcenſis 1659. *Neque ad culpam, neque ad pœnam homicidii condemnandus eſt, occidens eum, qui injuſtè aggreditur uſurpare rem, quæ eſt valoris unius aurei, vel minoris.* Et ſancta Sedes hanc aliam num. 31. inter 65. nuper condemnatas : *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* Alii docent, ſimilem invaſorem occidi poſſe, quando invadendo bona temporalia, ſimul invadit vitam. Alii volunt, poſſe occidi latronem invadentem bona temporalia, non verò furem, ſupponendo bona eſſe alicujus momenti. Furem autem diſtinguunt à latrone, quod fur clam, & occultè rapiat ſine vi, imo quam primum videt ſibi reſiſti, fugiat relictâ prædâ. Latro autem ſit, qui apertè, & illatâ vi rapit, etiam obſiſtendo, ſi prædam quis velit recuperare. Hoc autem ante omnia eſt Notandum, neque S. Thomam, neque ullum S. Patrem ex profeſſo egiſſe de hoc caſu, tamquam pro certo ſibi perſuadentes hoc eſſe illicitum, de quo eſt hîc quæſtio.

Non licet pro defenſione bonorum temporalium alterum occidere.

Reſp. Ergò, omninò illicitum eſſe, pro conſervatione bonorum temporalium, occidere injuſtum eorumdem invaſorem. Ratio eſt, quod neque generali, neque ſpeciali conceſſione, aut permiſſione Dei, ſit exceptus ille caſus occiſionis, à præcepto *non occides*. 2. Nemini licet occidere injuſtum invaſorem honoris, & pudicitiæ, ut in ſequentibus confirmabitur : ergo multò minus injuſtum invaſorem bonorum temporalium. 3. Exodi 22. expreſsè prohibetur furem diurnum occidi, quia videri poterat, quod venerat ad furandum, non verò ad occidendum, ait S. Aug. & ex eo Capt. *perfodiens, de homicidio.* 4. Eſt contra ordinem amoris, præferre bona temporalia bono ſpirituali proximi, quando ſine iis bonis poſſumus exiſtere. Unde S. Auguſtinus 1. de lib. arb. c. 5. *quomodo*, rogat, *apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?*

Objectiones in contra.

Varia contra jam dicta poſſunt objici : primò quidem varia juris Capitula, ad quæ omnia reſpondet Proſper Fagnanus 1. p. 5. l. Decret. de homicidio Capt. *interfeciſti*, ea omnia ſolummodo locum habere in foro contentioſo, non verò in foro pœnitentiali : pro quo adfert varios Canoniſtas num. 5. dicens num. ſequenti : *Canones indiſtinctè prohibent pro rebus tranſitoriis effundere ſanguinem*, &

& humanâ cæde ſe polluere, uti dicitur *Capt.* SUSCEPIMUS, *ubi dicitur* : EXPEDIEBAT POTIUS RERUM SUSTINERE JACTURAM, QUAM PRO REBUS VILIBUS, ET TRANSITORIIS TAM ACRITER IN ALIOS EXARDESCERE.

Speciale tamen Authoribus contrariæ ſententiæ videtur Capt. *interfeciſti, de homicidio* : ubi dicitur, quod ille immunis ſit, quando quis alium occidit, *ſe ſuaque liberando*, ubi volunt illud *&*, in *ſuaque*, ſumendum eſſe disjunctivè, adeo ut ſenſus ſit : *Si te liberando interfeciſti, non peccaſti, ut pœnitentiam tenearis ſubire. Similiter, ſi tua liberando occidiſti, non itidem peccaſti.* Ità Wiggers cum aliis 2. 2. C. 2. dub. 10. num. 52. ad hoc tamen alii Reſpondent, conjunctionem illam copulativam, *&*, non eſſe ſumendam disjunctivè, ſed copulativè, ſeu potius copulatim, ut invadens bona temporalia, ſimul invadat vitam. Unde rurſus Fagnanus loco citato num. 10. ait, *non agi de defenſione rerum tantum, ſed rerum, & perſonæ ſimul. A quorum interpretatione non videtur recedendum, quidquid dicant Theologi, quia hæc eſt propria meſſis Canoniſtarum.* Si verò cum Wiggers ibidem quis inſtet, neceſſariò dictam copulationem intelligendam eſſe disjunctivè, ex eo ſcilicet, quod in initio dicatur disjunctivè, *interfeciſti furem, aut latronem* : Reſpondet rurſum Fagnanus eodem num. *Priorem illam particulam, quæ indiſtinctè loquitur, debere declarari per ſecundam ſpecialitatem loquentem juxtà text. in* L. QUEMADMODUM. *Adeò ut ſit ſenſus : interfeciſti furem, qui te, & tua invaſerat, ubi comprehendi poterat abſque occiſione, age pœnitentiam : ſi autem interfeciſti, ubi non poterat, & ſic te, tuaque liberando, non teneris agere, niſi ad cautelam.* Ità Fagnanus.

Object. 2. Objicies 2. non tenetur quis res ſuas ſinere deperdi, quas habet ad vivendum, ut iniqui latronis vita extra neceſſitatem conſervetur. Reſp. negando aſſumptum; illud enim ſuadet ipſa æquitas naturalis, & ordo amoris, quòd pro vilibus rebus, & tranſitoriis, & quas contemni oportet, juxtà S. Auguſt. humanâ cæde pollui non poſſint. Aliud eſt in vita noſtra, quæ injuſtè invaditur, quam neque recuperare poſſum, neque cujus habeo dominium, cui proindè cedere nequeo, ſicut poſſum cedere bonis temporalibus, uti etiam famæ, & honori

Ratione hujus, quod D. Auguſtinum pro hâc ſententiâ proferam, mirum videtur, Dominicum Soto circà hanc queſtionem q. 1. l. 5. art. 8. docere, S. Auguſtinum *fortè* fuiſſe noſtræ ſententiæ, vel melius, quod locutus ſit, ut Philoſophus moralis, quia ſcilicet vix accidere conſuevit, quin Notabile. poſſint bona eripi à diurno latrone citra ejus mortem. Verum S. Doctor non fundat ſe in ea morali ratione, quod plerumque citrà occiſionem invadentis bona temporalia poſſint recuperari : ſed in ordine amoris violato, quando pro rebus illis tranſitoriis, quas contemni oportet, humanâ cæde polluuntur. In quo non loquitur ut Philoſophus, ſed ut Theologus moralis, dum in ordine amoris, ejuſque obſervantiâ, tota morum honeſtas conſiſtit.

Object. 3. Objicies 3. bona temporalia ſunt ad vitam neceſſaria : ſi ergo pro vitâ liceat occidere injuſtum invaſorem, etiam licebit pro bonis temporalibus occidere

dere eumdem. Reſp. in primis rerum eſt, quod fur omnia auferat. Si verò omnia prorſus auferret, videtur, quod eo caſu poſſit occidi; cum tali caſu non ſolum invaderet injuſtè bona temporalia, ſed etiam vitam, quæ ſine illis nequit conſervari. Adde, quod vitæ invaſorem liceat occidere, ſtabilitur omni lege, & jure, prout ſect. 2. eſt demonſtratum. De occidendo verò fure, nulla hactenus patet lex, aut legitima exceptio à lege, *non occides.*

Dices, vim vi repellere omnes leges, & jura permittunt. Reſp. verum hoc eſt, intelligendo de repulsâ per ligitima media, quale in hoc caſu non eſt occiſio. Nec enim licet vim repellere mendacio, perjurio, &c.

Quod verò contrariæ ſententiæ Authores communiter objiciant, ex noſtra ſententia dari anſam furibus, & latronibus, eſt infundatum: non enim datur ex eo anſa adulteris, quod leges Canonicæ prohibeant adulterum occidi. Deindè, fures ſufficienter coërcentur pœnis ſtatutis à jure. Denique, non magis favet dicta noſtra ſententia furibus, quàm contraria homicidiis.

Si verò objiciantur hic leges civiles, quæ talem occiſionem permittunt; reſponderi poterit rurſum cum Proſpero Fagnano loco ibi ſuprà. Quod, *quidquid ſit de jure civili, certè ſecundum Canones in foro ſaltem pœnitentiali, & quoad Deum abſolutè credimus, non poſſe laicum ſine peccato occidere ſpoliatorem ſecundum communem Canoniſtarum ſententiam.*

SECTIO V.

An liceat occidere injuſtum invaſorem famæ, aut honoris.

AFfirmant generaliter illi, qui ſectione præcedenti docent, licitum occidere injuſtum invaſorem rerum temporalium; dumque melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ: ſequitur à fortiori, injuſtum aggreſſorem famæ, aut honoris poſſe licitè occidi. Alii hoc nolunt licitum eſſe viro Religioſo, aut Clerico, qui humilitatem profitentur, & quorum honor conſiſtit in vilipenſione honoris, & famæ, juxta illud Apoſtoli Gal. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Alii fundatiſſimè hoc negant univerſim. Ratio eſt, primò, quod nulla hujus caſûs detur legitima exceptio, à lege *non occides*, prout mox patebit. 2. Quod nulla ſit authoritas publica, quâ invaſores injuſti famæ, & honoris legitimè poſſint occidi. 3. Quod occiſio illa ſemper ſit mala in defendendo, quando exceditur moderamen inculpatæ tutelæ; jam autem ſemper, aut ferè ſemper poterit honor, & fama recuperari aliter, quam per mortem illa invadentis; tum, quod calumniatorem juridicè poſſit ad reſtitutionem famæ compellere: tum etiam, quod per occiſionem illius honor non recuperabitur. 4. Quod nimia hîc eſſet ordinis amoris perverſio, dum bonum adeò fragile, in verſatili aliorum opinione conſiſtens, quod ut aura mutatur, quod à Chriſtianis eſt vituperandum, ſaluti alterius corporali, & ſpirituali anteponitur. 5. Quod ex alia ſententia aperietur porta hominibus mundanis, ut pro imaginariâ honoris, aut famæ læſione,

Non licet occidere invaſorem honoris, aut famæ.

Digitized by Google

læſione, quoſlibet famam invadentes occidant. Hinc etiam horrenda, & ſanguinaria variorum Authorum in hâc materiâ documenta, ab Eccleſiâ jam condemnata, & mox referenda.

Objectiones contrariæ. Objiciunt 1. quod honor prævaleat vitæ, dicente S. Thoma opuſ. 9. de decem præceptis, præcepto 8. *Nihil eſt ita charum homini, ſicuti fama.* Reſp. negando, quod honor ſecundum ſe prævaleat vitæ, cum ſecundum ſe conſideratus ſit bonum inſtabile, & caducum: ſubindè tamen vitæ debet anteponi, quando ſcilicet ex amiſſione famæ, & honoris alii graviter ſcandaliſarentur. Sic Eleazarus Mach. l. 2. Maluit amittere vitam, quam accipere maculam in gloria ſua, & adoleſcentiores legis ſcandaliſare. Hoc ſenſu quoque ait S.Aug. c. 22. de bono viduitatis: quod, qui negligit famam ſuam, ſit crudelis. Dum non ſolum gladio, aut linguâ proximus feritur: ſed & malo exemplo, dicente S. Bonav. ſuper Luc. c. 17. *Hoc ſcandalum impietatis gladius ſpiritualis eſt, cum quis malo exemplo animam proximi occidit, & ideo ipſe dignus morte efficitur.* Imò, etſi fama prævaleret vitæ, non ideo licitum foret pro conſervatione famæ occidere injuſtum famæ invaſorem: cum ille, qui invaſorem vitæ occidit, id faciat publicâ authoritate; non itidem ille, qui occidit injuſtum invaſorem famæ, prout patet ex dictis.

Object. 2. Objicies 2. cum Leſſio, & aliis, quod ſic ſecundum nos dabitur anſa hominibus improbis, quemvis honoratum virum infamandi. Reſp. ex contraria opinione dabitur anſa homicidis, & hominibus ſceleratis, alios ob levem famæ læſionem occidendi. Deinde, ex eo quod non ſit licitum occidere injuſtum invaſorem bonorum, non ſequitur, dari anſam furibus, ut ante eſt oſtenſum: uti nec ex eo datur anſa adulteris, quod illi non poſſint occidi. Satis enim eſt ad quietem publicam, quod legitimis pœnis ſuperiori authoritate cohiberi poſſint, fures, adulteri, & calumniatores.

3. Objicies 3. Eccleſiaſtici 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine.* Atqui, niſi invaſorem famæ occidere poſſim, habebor infamis coram toto mundo ergo. Reſp. uti injungitur cura de bono nomine, ità & aliquando commendatur honoris, & famæ vilipenſio: uti dum ait Apoſtolus 2. Theſſ. 2. *Nec quærentes ab hominibus gloriam.* Solum ergo Eccleſiaſticus prohibet, ne famam prodigamus, uti latius dicitur de detractione. Deinde, ſi non occidas injuſtum famæ invaſorem, non habeberis infamis, niſi forſan ab hominibus infamibus: cum homines cordati, & probi magis æſtiment Chriſtianam patientiam, quam gentilem crudelitatem. Unde fit, quod meritò alii contrariam ſententiam vocent *gentilem, & à Chriſtianâ lege prorſus alienam*, uti eam cenſurat Vaſquez. Et quidem Leſſius eam dicit quidem ſpeculativè, ſed non practicè probabilem, ob maxima inconvenientia Reipublicæ inde obvenire nata. Sed infundatè. Quando enim inconvenientia per ſe ſequuntur actum moralem, non poteſt actus ille eſſe ſpeculativè probabilis: cum probabilitas illa nullo modo actum illum poſſit juſtificare, ut etiam benè Notat Lugo diſp. 10. ſect. 10. num. 189.

S E-

Digitized by Google

SECTIO VI.

An licitum ſit interficere injuſtum invaſorem pudicitiæ.

AFfirmant Authores communiter, etiam ii, qui hoc negant de occiſione injuſti invaſoris famæ & honoris, ut Sylvius, Wiggers, &c. Verius tamen juxta S. Auguſtinum reſpondetur negativè. Ratio eſt 1. quod nullibi caſus ille legitimâ authoritate exceptus ſit à generali illâ lege *non occides.* 2. quod pudicitia poſſit aliâ ſemper viâ conſervari, quam pudicitiæ invaſorem occidenco, puta non conſentiendo: ergo invaſorem pudicitiæ occidere, eſt excedere moderamen inculpatæ tutelæ. 3. Idem probat S. Aug. variis hinc inde locis, & ſignanter de ipsâ pudicitiâ l. 1. de lib. arb. c. 5. dicens: *De pudicitiâ verò quis dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quandoquidem virtus eſt, unde à violento ſtupratore eripi non poteſt? ..... quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Locum illum S. Patris aliquatenus, etſi non pro debito, reverentur Authores plurimi, dum alii dicunt S. Patrem *forſan* noſtræ fuiſſe ſententiæ, ob dictum locum, malentes contortas hujus loci proferre expoſitiones, quam ejus authoritatem ex æquo venerari. Non licet occidere aggreſſorem pudicitiæ.

Objiciunt autem 1. quod pudicitia ſit bonum vitâ charius, juxta illud Ambroſii lib. 3. Offic. *Periculum pudoris bonis feminis, morte gravius eſt.* Et S. Auguſt. loco ibi ſupra dicat, quod ſit multò immanius invitum hominem ſtuprum perpeti, quam eum, à quo illa vis infertur, vel ab eo, cui inferre conatur, interimi. Si ergo liceat alium occidere pro defenſione vitæ, etiam licebit pro defenſione pudicitiæ. Reſp. quod vita ſecundum ſe ſit longè præponenda pudicitiæ, etſi aliquæ mallent mori, quàm fœdari: unde & aliquæ ſeſe interemerunt, ſed illicitè, ut ſect. 8. declarabo. Sicut ergo, etſi vir nobilis mallet mori, quam honorem perdere: non ideo ſequitur honorem vitâ potiorem eſſe: ità etſi pudicæ matronæ mallent mori, quam violari; non ſequitur, vitam pudicitiæ eſſe inferiorem. Aliud enim dictat fundatum, & æquum judicium. S. Auguſtinus verò ſolummodo vult, immanius eſſe invitum ſtuprari, quam occidi; id eſt, quod majori violentiâ inferatur ſtuprum invito, quam alteri occiſio; ex eo, quod ſtuprum ſit directè volitum, occiſio verò ſtupratoris ſit indirectè tantum volita, dum directè intenditur ſolum pudicitiæ defenſio, quâ ratione ſtuprum hîc dicitur immanius occiſione à S. Auguſtino.

Objicies 2. cum Sylvio, & aliis, quod in violatione pudicitiæ ſit magnum peccati periculum, ne is, qui vim patitur, ob delectationem maximam tali actui conjunctam, ad aliquem in eam conſenſum pertrahatur. Reſp. ſimile quid objecit in hoc caſu ſibi S. Auguſtinus l. 1. civit. c. 25. ad quod tamen ità reſpondet: *Nullo modo quidem hoc faciet animus, ut conſentiat libidini carnis ſuæ, alienâ libidine concitata, qui Deo potius ejuſque ſapientiæ, quam corporis* Objectiones.

poris concupiſcentiæ ſubjectus eſt. Et iterum : *quis ità deſipiat , ut dicat , jam nunc peccemus , ne poſtea fortè peccemus : jam nunc perpetremus homicidium , ne fortè poſtea incidamus in adulterium ? nonne ſi tantum dominatur iniquitas ut non innocentia , ſed potius peccata eligantur , ſatius eſt incertum de futuro adulterium , quam certum de præſenti homicidium ?* Rationem verò horum omnium jam dederat antea c.18. Quod pudicitia ſit animi virtus, comitemque habeat fortitudinem , quâ potius quælibet mala tolerare , quam malo conſentire decernat : & quamvis magnanimus in poteſtate non habeat, quid fiat de ſuâ carne : habet tamen in ſua poteſtate, quid annuat mente, vel renuat. Si ergo ſit verè pudicus , qui invaditur : habet in poteſtate ſua, non conſentire , & pudicitiam non conſentiendo conſervare, quæ non in corporis integritate, ſed in animi puritate conſiſtit. Adde, quod ſi invitum violaverint, caſtitas illi duplicabitur ad coronam , prout dicebat S. Lucia Paſchaſio Præfecto.

Notabile. His quoque addi poteſt , quod notat Lugo diſp.10. ſect. 10. num. 199. his verbis : *In praxi difficilè credendam eſſe violentam oppreſſionem , & abſque culpâ ex parte feminæ : rariſſimum enim eſt , quod ſi velit , non poſſit aliquo modo reſiſtere , & violationem impedire : ſed ob metum , ob animi imbecillitatem , & aliquando etiam ob latentem laſciviæ affectum , quem manifeſtare omninò erubeſcunt , conſentiunt ſaltem invitæ , qui tamen conſenſus , licet ex parte involuntarius ſit , ſufficit ad peccatum grave : quem conſenſum , ſicut & congreſſum ipſum debuiſſent virili fortitudine impedire : & rariſſimè contingit , virum delectationem turpem ab invita omnino , & reluctante captare velle.* Ità Lugo. Hujus rei teſtimonium dediſſe fertur Iſabellam Claram Belgii noſtri Moderatricem , ad quam , cum ab aliqua delatum eſſet, ſe in vitam oppreſſam fuiſſe, & violatam : ab adſtante Aulico gladium cum vagina cæpit, gladiumque feminæ oppreſſæ (ut dicebat) tradidit , ipsâ in ſua manu tenente vaginam : ac ut gladium vaginæ inderet, juſſit, dum tamen illa vaginam continuò agitaret. Innuens veriſſimum plerumque eſſe , quod mox ex Lugone attulimus.

Quo caſu licitum eſt occidere pro defenſione alterius. Ex dictis jam ſatis liquet, quid dicendum ad quæſtionem, an pro defenſione innocentis, liceat alium occidere. Illis enim caſibus, quibus id licitum diximus ſeſe defendendo , etiam licitum erit pro defenſione alterius innocentis, ſicuti enim ipſe innocens poteſt licitè ſe defendere : ita & licet cooperari rei licitæ, eumque eodem modo adjuvare. Hinc pro defenſione vitæ alterius innocentis, poſſum injuſtum invaſorem innocentis occidere, non itidem pro defenſione bonorum fortunæ , famæ , vel honoris, cum nec pro defenſione propriâ hîc alium liceat occidere, uti nec pro defenſione pudicitiæ juxta jam dicta. Defenſio ergo innocentis debet eſſe moderata, ne moderamen tutelæ excedatur; qualiter fiet, ſi pro defenſione illorum injuſtus aggreſſor innocentis occidatur. Porrò , defenſionem innocentis dictam, etiam licitam volunt, etſi proximus innocens, cujus bona invaduntur, ſit abſens : eò quòd ejus

Digitized by Google

ejus damnum, ad te pertineat nexu charitatis, quod proinde avertere debes, dum potes: Imo præſumitur id proximus à te poſtulare. An verò non ſolum poſſis, ſed etiam debeas proximum innocentem injuſtè invaſum, etiam cum occiſione invaſoris occidere, non ita conſentiunt Authores. Et quidem Lugo diſp. x. ſect. xi. num. 208. cenſet non eſſe talem obligationem, eo quod obligatio illa ſit ſolum obligatio charitatis, quâ teneor proximo ſubvenire: in hoc autem caſu uterque eſt proximus, tam ſcilicet invaſor, quam innocens invaſus, de quorum amborum malo agitur, adeoque non eſt obligatio, cum occiſione invaſoris proximi, impedire occiſionem invaſi innocentis proximi. Ubi enim mala ſunt paria, uti hîc eſt occiſio, nemo tenetur unum inferre, ut excludat alterum. Nec poteſt hîc dici, quod in pari caſu ſit melior conditio innocentis, quam injuſti aggreſſoris: quamvis enim hîc ſit aliqualis inæqualitas, ratione cujus magis diligendus ſit innocens, tamen illa inæqualitas non inducit obligationem alterum occidendi. Sic multi docent, quod quamvis homo ſanctus ſit magis diligendus, quam peccator: tamen, quando utriuſque malum evitari non poteſt, poteſt aliquando præponi peccator propter periculum damnationis æternæ, in quo verſatur. Aliud eſſet, ſi innocens invaſus eſſet pater, mater, ſi eſſet perſona bono communi neceſſaria, &c. quo caſu obligationem induceret lex ſuperior, quâ teneris providere bono communi, quâ teneris arctiſſimè parentes diligere, &c.

SECTIO VII.

An non liceat alio caſu alterum occidere.

QUæritur 1. de tyranno, an poſſit privatâ authoritate occidi. Diſtinguunt communiter Doctores, quod ille, qui ſolum tyrannicè regit, omnia per fas, & nefas referens ad ſuam utilitatem, ſubditos affligens, ſic tamen, ut de cætero juſto titulo regnum occupet; non poſſit occidi privatâ authoritate, cum juxta Petrum Apoſtolum 1. cap. 2. illis etiam ſit obediendum. Idem eſt de eo, qui etſi tyrannicè regnum occupaverit, tamen poſteà à Republicâ eſt acceptus, quo caſu non amplius erit cenſendus tyrannus, ſed legitimus Princeps. Si verò ſit tyrannus, qui vi, ac tyrannide regnum invaſit, poteſt quilibet ſubditus eum licitè occidere, quamdiu non eſt recurſus ad ſuperiorem, qui poſſit tyrannum illum dejicere, & impedire. Ratio eſt, quod ſimilis tyrannus ſit injuſtus Reipublicæ invaſor, quem quilibet de communitate poteſt Rempublicam defendendo occidere. De illo ait D. Thomas l. 2. de regim. Princ. c. 6. *Quando non eſt recurſus ad ſuperiorem, laudabiliter occiditur tyrannus, qui per violentiam ſe fecit Dominum.* Eâdem ratione laudatur Judith, quæ occidit Holofernem: Judith. 12. Judic. 3. commendatur Aioth, qui occidit Eglon regem Moab. Quamquam ille id feciſſe videatur, non poteſtate privatâ, ſed poteſtate à Deo acceptâ. De eodem tyranno intelligi nequit, condemnatio Joannis Hus Concilii Conſtant. ſeſſ. 15. ubi dicitur: *Quilibet*

An liceat occidere tyrannum.

libet tyrannus licitè poteſt à quocumque ſubdito interfici. Non enim poteſt ità interfici, qui priori modo dicitur tyrannus.

Notant hîc meritò Authores primò, non debere ſtatim quempiam haberi pro tyranno, dum duo Reges de eodem regno bellum gerunt, ſed de eo debere liquidò conſtare, eum tyrannicè regnum occupaſſe, ad hoc, ut poſſit occidi. Deinde, prudenter hîc omnia ponderanda eſſe, nec facilè dictam opinionem eſſe conſulendam, aut etiam deprædicandam, ne detur nebulonibus occaſio ſæviendi in Reges, & Principes, aliquando etiam legitimos, ſed ſolùm durius ſubditos tractantes.

An liceat occidere adulteram in adulterio deprehenſam.

Quæritur 2. an liceat marito occidere uxorem in adulterio deprehenſam. Reſp. Auguſtinus l.2.c.15. de adulterinis conjugiis: *Cum ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſive adulteram occidere, ſive illâ vivente alteram ducere: Ab utroque eſt abſtinendum, non illicitum pro illicito faciendum.* Et quamquam leges Civiles videantur illud permittere, tamen ſolum ſerviunt eæ leges indemnitati, & impunitati occidentis, ut fatetur Zoeſius in ff. ad L. *Juliam de adulteriis* 17. Et alii cum ipſo: quatenus ſcilicet leges illæ indulgent juſtæ indignationi mariti erga adulterum, vel adulteram. Imò, ſi plus darent dictæ leges, non videtur eaſdem approbandas eſſe, ſed jam indè à Canonico jure reprobatas, dum Nicolaus I. de eodem caſu reſpondit: *Sancta Dei Eccleſia, mundanis numquam conſtringitur legibus: gladium non habet, niſi ſpiritalem; non occidit, ſed vivificat.* Adde, quod ſimilis occiſio, nullibi ſpecialiter, aut generaliter excepta ſit à generali illâ lege, *non occides*. Deinde, ſub hoc prætextu innumeræ cædes poſſent impunè perpetrari. Quibus perpenſis, non videtur admittendum eſſe, quod ſcribit Leſſius in hac parte, contrariam ſententiam in foro conſcientiæ etiamnum non eſſe improbabilem, eò quòd Princeps poſſit dare licentiam reos occidendi ob bonum commune, v.g. occidendi Bannitas, & alios. Hoc enim Princeps facere nequit, quod abſque neceſſitate, & ſine cognitione cauſæ, ſententiæ executio daretur offenſo, & reus manifeſto periculo exponatur. Aliud eſt de Bannitis illis, qui cum obſint ſummopere bono communi, quaſi rempublicam invadunt, adeoque ut tales poſſint juſtè occidi, ad quod quilibet cenſetur à republicâ habere legitimam authoritatem. Addi poſſet, quod Bannitæ aliâ viâ capi nequeant, adulteri verò poſſint in judicio accuſari, & debito juris ordine puniri. Adde, hanc propoſitionem damnatam eſſe ab Alexandro VII. num. 9. *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* Ex dictis Collige, adulterum ſic invaſum, poſſe ſe juſtè defendere, tamquam contra injuſtum invaſorem: deinde, maritum qui eo caſu adulterum occidit, peccare contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem.

An ob bonum commune poſſit innocens tradi tyranno ad occidendum.

Quæritur 3. an liceat tyranno tradere innocentem, qui aliàs minatur extremum urbis excidium. Alii affirmant cum Poncio d. 52. num. 25. alii abſolutè negant, dum occiſio innocentis eſt intrinſecè mala: adeoque, ſicuti ne una quidem fornicatio admitti poſſet, ad evitandum ſimile malum: ita nec admit-

admitti poteſt illa innocentis occiſio : non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Alii addunt, quod, cum innocens ille teneatur ex charitate, & juſtitiâ legali tradere ſe ipſum tyranno, poſſit reſpublica hoc illi imponere, ad ſervandam urbem : quod ſi non obediat, poſſet jam eumdem ut reum, & nocentem tyranno tradere.

Quæritur 4. an ſit homicidium tradere pharmacum matri prægnanti, & ægrotanti, quo fœtus intereat. Reſp. 1. tradere tale pharmacum directè tendens ad abortum, eſt occidere, idque, ſive fœtus ſit animatus, ſive non, prout poſtea de abortu. 2. tradere tale pharmacum directè tendens ad curationem matris, ſed indirectè cauſans abortum, non eſt occidere, eo quod ex juſtâ causâ liceat incurrere periculum mortis. 3. matrem ægrotantem lethaliter, non licet vivam ſecare, ſi non ſuperſit probabilis ſpes, quod mater ſuper vivet. Quod verò ſupereſſe poſſit ſæpius talis ſpes, docuimus in Principiis noſtris ſect. 2. cap. 3. ex Theophylo Raynaudo, de ortu infantium : quo etiam caſu, eam vivam ſecari poſſe diximus ibidem. Hanc tamen Medicorum, & Theologorum ſententiam graviter cenſurat Comitolus. *Reſponſ. mor. l. 4. q. 13.* Vocans eamdem, immanis impietatis plenam, fœdiſſimum erratum, theologicæ veritati maximè contrarium; deinde Sacerdotes admonens, ut hos non Medicos, ſed feminarum Carnifices acerrimo verborum genere tractent, & gravi pœnâ impoſitâ, tamquam veros homicidas coërceant. Et hoc quidem verum eſt, de illis Medicis inexpertis, qui ſine probabili ſpe vitæ Mulieris, eam vivam ſecant; cum hujuſmodi moraliter loquendo eam cenſeantur occidere.

An liceat ſecare matrem prægnantem pro ſalute prolis.

Quod verò directè abortum procurare, ſive fœtus ſit animatus, ſive non ſit animatus, ſit homicidium, declarant ſufficienter SS. Patres, & Doctores: idque etiamſi mater ægrotet. Audi Tertullianum Apolog. c. 3. *Nobis*, ait, *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohiberi naſci. Nec refert, quis natam eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis jam in ſemine eſt.* S. Ambroſius l. 5. Hexam. c. 18. potiones illas, quibus abortus procuratur, vocat *parricidales ſuccos.* S. Auguſtinus ſerm. 244. de temp. *nulla mulier*, ait, *potationes ad abortum accipiat, nec filios, aut conceptos, aut jam natos occidat, quia quæcumque hoc fecerit, ante tribunal Chriſti ſciat ſe eorum cauſam, quos occiderit, eſſe daturam.* S. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtoch. ait, quod eæ, quæ cum ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortii venena meditantur, ſint filii necdum nati parricidæ. Vide latiſſimè, & doctiſſimè differentem Saülem exregem C. CX. §. 417.

Procuratio abortûs eſt homicidium.

Ratio ejus eſt, quod quamvis fortè in rigore phyſico non ſit homicidium, dum fœtus inanimatus maximè, non eſt completè homo : morali tamen æſtimatione cenſetur homicidium, & prohibitum illâ lege *non occides :* Sicuti enim ille, qui injuſtè alium impedit in conſecutione alicujus boni, peccat

 hanc

Digitized by Google

contra hanc legem *non furtum facies*, quamvis propriè non furetur: ità & ille, qui hominem futurum impedit, etſi eum propriè non occidat, tamen eo peccati genere peccat, quod ad homicidium refertur, & peccat contra illam legem, *non occides*. 2. Quia fœtus, etſi non ſit propriè pars matris gravidæ, eſt tamen quaſi pars illius, per quamdam colligationem corporum diſtinctorum, ut ait D. Thomas 3. *p. q.* 68. *art.* 11. & conſequenter ſpectat abortus ad homicidium, prout ad illud ſpectat mutilatio, de qua poſteà. 3. Quod pollutio ſit grave peccatum, & contrà naturam; ergò multò gravior eſt voluntaria effuſio concepti fœtus, dum multò gravius peccatur in fine, quam in mediis, & ſemen ſit ſolummodò medium ad fœtum, vel prolem futuram. 4. Quod numquam agere liceat contrà bona eſſentialia matrimonii, proles autem eſt eſſentialeſſimum in matrimonio, ut loquitur S. Thomas *in* 4. *diſt.* 31. *q.* 1. *art.* 3. Abortûs autem procuratio, directè tendit contrà illud bonum matrimonii, dum prolem futuram extinguit. Neque hîc ullatenus refert, quod mulier ſit ægrota, quod deprehenſa gravida infamabitur, &c. dum abortus eſt intrinſecè malus, & nullo unquam caſu, aut nullius boni conſequendi causâ ſit licitus: Hinc etiam ipſi gentiles abortum graviter condemnârunt, tamquam contrà naturam. Meritò proinde hanc ſequentem condemnavit Schola Theol. Lovanienſis anno 1653. *Quidam putant probabiliter, nondum animato fœtu licere abortum procurare ad vitandum ſcandalum, aut mortem. Ex quo apparet, non condemnandam facilè puellam, abortum facientem, cum nondum eſt animatus fœtus, ne deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Et iterum hanc: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Quam quidem propoſitionem meritò cenſuravit tamquam falſam, Philoſophiæ principiis diſſentaneam, & pernicioſam. Et quam utramque cenſuram approbavit Innocentius XI. in condemnatione 65. num. 34. & 35. gravitas denique ejuſdem ſceleris ſatis colligitur ex pœna tali ſceleri appoſitâ, dum Concilium Ancyran. ſub Sylveſtro 1. habitum anno 314. ita de eiſdem loquitur: *de Mulieribus, quæ fornicantur, & partus ſuos necant vel quæ agunt ſecum, ut utero conceptos executiant, antiqua quidem definitio eſt, uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removeri. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ tribuatur.* Deinde, abortum procurantes fœtu animato, non poſſunt abſolvi, niſi authoritate Epiſcoporum: ſunt ex delicto irregulares, quæ irregularitas quoque difficillimam habere ſolet diſpenſationem. Imò, leges Civiles abortui ante animationem fœtus, quoad mulierem mulctant exilio. *ff. ad legem Cornel. de Sicariis. L. ſi mulierem.* Poſt animationem verò, ultimo ſupplicio afficiunt. *L. ſi quis aliquid. §. abortionis ff. de pœnis.*

Pœnæ abortûs procurati.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VIII.

De Occaſione ſui ipſius.

SIcuti jam antè dictum eſt, generaliter prohiberi occiſionem alterius, factam authoritate privatâ, illâ lege, ***non occides:*** ità eâdem lege condemnatur ſui ipſius occiſio, tali authoritate facta. *Neque enim fruſtrà*, ait S. Auguſt. lib. 1. c. 20. de Civitate Dei, *in ſanctis, Canonicisque libris nuſquam nobis divinitus præceptum, permiſſumve reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali causâ, nobis metipſis necem inferamus. Nam & prohibitos nos eſſe intelligendum eſt, ubi lex ait* : NON OCCIDES. Imò eidem S. Patri ſuicidium graviuseſt homicidio, dum ait, l. de patientiâ c. 13. *Si parricida eò ſceleratior eſt, quam quilibet homicida, quia non tantum hominem, verum etiam propinquum necat : & in ipſis parricidis, quantò propinquiorem quiſque peremerit, tantò judicatur immanior, ſine dubio pejor eſt, qui ſe ipſum occidit : quia nemo eſt homini ſe ipſo propinquior.* Suicidium eſt homicidio ſceleratius.

Ex his S. Patris verbis collige 1. nullius boni intuitu poſſe quempiam ſeſe interimere, cum hoc nequidem liceat, vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis causâ. Unde ſequitur ulterius, quod nequidem ad baptiſandum puerum in flumen projectum, liceat ſeſe in flumen præcipitare, ſi nulla ſit ſpes evadendi è flumine. Rationem dedit mox Auguſtinus, quia hoc eſſet ſe occidere, quod numquam licet, nequidem ad accipiendam alterius ſalutem. Neque hìc objici poteſt illud Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis* : uti nec illud S. Auguſtini *l. de mendacio c. 6.* quod temporalem ſuam vitam, præ æternâ vitâ proximi non dubitabit Chriſtianus amittere : eo quod hoc ſolum debeat intelligi, quod obligatione charitatis aliquando teneamur, aut poſſimus perferre mortem corporis, pro tuendâ vitâ, & ſalute animæ fratris noſtri, ſi mors illa nobis ab aliis intentetur, aut inferatur : non verò, quod nobis ipſis eam pro proximo inferamus.

Colliges 2. Illicitum quoque eſſe, ullius mali carendi, cavendique causâ, nos metipſos occidere. Unde ulterius ſequitur, non licere ſe gladio perfodere, aut laqueo ſe ſuſpendere, metu mortis acerbioris : neminem poſſe exſilite ex turri flagranti, metu combuſtionis, ſi nulla ſit ſpes exſiliendo evadendi. Rationem dedit quoque mox S. Auguſtinus, qui & addit 1. de civitate Dei. c. 26. *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc omnibus modis approbamus, neminem ſibi ſpontaneam mortem inferre debere, veluti fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas.* Deinde, contra alios, qui hoc magnanimitatem volunt, ait idem Doctor ibid. c. 22. quod major animus meritò dicendus ſit, qui vitam ærumnoſam magis ferre poſſit, quam fugere. De quo videri poteſt D. Sinnich *Saulis C. 56. l. 1. §. 206.* Non licet ſe occidere ad vitandum malum gravissimum.

Colliges 3. Quamcumque occiſionem ſui ipſius privatâ authoritate factam, eſſe vetitam lege illâ, ***non occides***, dicente eodem S. Patre ibid. c. 21. ***his exceptis,***

Digitized by Google

ceptis, quos vel ex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet, quiſquis hominem, vel ſe ipſum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur. Deinde, ideò ſolum excuſat Sampſonem, qui ſeſe cum aliis Phyliſtinis occidit, quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat.

Colliges 4. Non licere ſeſe interimere ad evadendum aliquod peccatum commiſſum, aut committendum, dum non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Docet id S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. ubi ait, *Non licet ſe ipſum interficere propter aliquod peccatum commiſſum, tum quia in hoc ſibi maximè nocet, quod ſibi adimit neceſſarium pœnitentiæ tempus: tum etiam, quia malefactorem occidere non licet, niſi per judicium publicæ poteſtatis. Similiter non licet etiam mulieri ſe ipſam occidere, ne ab alio corrumpatur, quia non debet in ſe committere crimen maximum, quod eſt ſui ipſius occiſio, ut vitet minus crimen alienum. Non enim eſt crimen mulieris per violentiam violatæ, ſi conſenſus non adſit.* Eâ de causâ S. Auguſtinus damnat Lucretiam Romanam, quod ſe ob perpeſſum adulterium occiderit, dicens c. 19. quod illud non fuerit pudicitiæ charitas, ſed pudoris infirmitas; addens, hoc non feciſſe feminas Chriſtianas ſimilia paſſas, quæ in ſe non ſunt ultæ crimen alienum, ne aliorum ſceleribus adderent ſua. Et c. 26. objicientibus exempla ſanctarum Virginum, quæ hoc practicaſſent, quaſque colit Eccleſia, ità ſcribit: *Quid, ſi enim hoc fecerint, non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ: nec errantes, ſed obedientes: ſicut de Sampſone nobis aliud fas non eſt credere? cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet?* Et poſt multa concludit, ſimul jam dicta confirmans: *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hâc vità opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur, quia reos ſuæ mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit.*

Nulla humana poteſtas poteſt injungere occiſionem ſui.

Lex hæc ſeſe non occidendi tam arcta eſt, ut nequidem publica humana authoritas poteſtatem habeat, hoc cuiquam injungendi, ut ſemetipſum occidat. Docet id Doctor Angelicus 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quod nullus ità condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur. Et ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum eſt eum pati. Sicut etiam, ſi aliquis ſit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occultè miniſtratum ſumat, quia non ſumere, eſſet ſe ipſum occidere.* Unde paſſim hîc rejicitur Victoria *relect. de homicidio* docens, Reum juſtè condemnari poſſe, ut epoto veneno ſeipſum interimat. Addunt alii, hoc tamen caſu id fieri poſſe, ſi ſcilicet, Reus alium ſe metipſum ſuſpen-

pendere, aut intoxicare coëgiſſet; quo caſu volunt, Reum condemnari juſtè poſſe ad ſeſe intoxicandum, ut foret ergà ſe ipſum juſtitiæ miniſter, adeoque publicâ authoritate ſeſe occideret. Quod verò aliqui velint, ſeſe occidere eſſe contra naturam, & conſequenter numquam licitum: ſolum id intelligendum eſt de inclinatione naturæ, cui abſolutè repugnat ſeipſum occidere, non verò de lege naturæ, cum aliàs & Sampſon ſeſe occidendo peccaſſet contra jus naturæ. Hinc ulterius videtur aſſerendum, quod dicta Doctoris Angelici ſolummodo intelligenda ſint de caſu ordinario: ſi enim quis ità eſſet condemnatus, ut etiam haberet ſententia, quod Reus abſtinere deberet ab omni prorſus cibo etiam oblato, videtur, quod Reus poſſet cibum oblatum eo caſu rejicere: quo caſu, non tam cenſeretur moraliter loquendo ſeſe occidere, quam vitam ſuam ex juſtâ causâ non tueri, ſive mortem ex juſtâ causâ permittere. Adde, quod ſi quis velit, talem ſeſe occidere, reſponderi poterit, eum id facere authoritate publicâ, dum ipſi hoc juſta ſententia impoſuit.

Porrò, etſi non liceat ſine causâ ſe periculo mortis exponere, dum qui amat periculum, peribit in illo, & qui periculum non cavet, cenſetur velle caſum, adeoque talis cenſeretur ſeſe moraliter loquendo occidere: tamen, ſi ſufficiens adſit cauſa, planè licitum eſt, ſeſe mortis periculo exponere: ſic miles ob defenſionem patriæ, ſeſe mortis periculo exponit: ſic Parochi, & alii, vel ex obligatione juſtitiæ, vel charitatis aſſiſtunt peſte infectis, quibus caſibus non cenſentur illi ſeſe occidere moraliter loquendo, ſed ex juſtâ causâ ſeſe mortis periculo exponere; quod ſi mors ſequatur, ſequetur præter illorum intentionem, ad quam cenſentur ſe habere merè permiſſivè. *Licitum eſt ſeſe exponere periculo mortis.*

Ex dictis generaliter ſtatui poteſt duplex regula 1. quod ille ſe ipſum occidat, qui ſine causâ ſufficienti morali mortis periculo ſe exponit. Talis enim interpretativè cenſetur velle mortem propriam. 2. Regula, quod qui hoc facit juſtâ, & ſuffidienti de causâ, non cenſeatur ſe occidere, ſed ad ſummum mortem ſequentem permittere. His adde alias duas regulas his affines: 1. Quod, qui aliquid facit, unde mors infallibiliter ſequitur, cenſeatur ſe ipſum occidere: 2. Si verò ſit ſpes probabilis evadendi, & de cætero adſit debita cauſa, non cenſetur ſeſe occidere, ſed ad ſummum juxta jam dicta, cenſetur mortis periculo ſe exponere, quod juſtâ de causâ eſt licitem. Unde inferes 1. ſeipſos occidere Nautas, qui ne in manus hoſtium veniant, injiciunt ignem in pulverem tormentarium, ſi nulla ſit ſpes evadendi. Item, non poſſe eos ex navi flagrante, aut turri exſilire, ſi talis ſpes deſit. 2. Non cenſeri ſe ipſos occidere Medicos, qui venenum ebibunt, ad probandam theriacam, dum conſtat eam eſſe validam: item funambulos expertos, ex altiſſimâ turri per funem deſcendentes: qui fungos, ſive boletos purgare ſcientes, eoſdem comedunt: aliud eſt de iis, qui eadem non ſatis purgata edunt, cum conſtet, ea eſſe hîc venenata, & totus ſubinde familias ex illorum eſu conſtet eſſe extinctas, quale exemplum nuper vidit Urbs noſtra. *Regulæ ad dignoſcendum quando quis ſe occidat.*

Sed quid dicendum de haſtiludiis, & ſimilibus torneamentis? Reſp. Haſtilo-

Digitized by Google

Haſtiludia ſunt illicita.

ſtiludia jure meritò reprobata eſſe *cap.* 1. *&* 2. *x de torneamentis*; dum ſæpè ob ſolam oſtentationem virium, aut recreationem inanem, corpus, & anima ſimul eo luſu poſſit deperdi. Nota enim eſt hiſtoria Henrici II. Regis Galliarum, qui cum nuptiæ celebrarentur inter Philippum II. Hiſpaniæ Regem, & Catharinam de Vallois Henrici filiam, ipſe Henricus decurrens, parte diſruptæ lanceæ in oculum adactâ, paucas poſt dies obivit. Alia ſimilia exempla ſunt ubique obvia. Unde etiam in jure Canonico Cap. ibi ſuprà, privatur ille Eccleſiaſticâ ſepulturâ, qui pugnandi gratiâ haſtiludium ſuſcipit, eoque occumbit: ſecus tamen, ſi aliâ de causâ. De agitatoribus Taurorum tamen, juxta aliquos, alia eſt ratio, ſi ſeſe ſufficienter contra omne periculum poſſint præſervare. Hunc tamen uſum graviſſimè cenſurat S. Thomas à Villâ-novâ Conc. 2. de Joan. Baptiſta, ubi ità ſcribit: *Certè, quis toleret beſtialem illam, & diabolicam conſuetudinem Hiſpaniæ noſtræ de Tauris agitandis? quid beſtialius, quam ſtimulari brutum, ut homines laniet? ô dirum ſpectaculum! ô ludum crudeliſſimum: vides fratrem Chriſtianum ſubitò à beſtiâ laniari, & non ſolum vitâ corporis, ſed & vitâ animæ (nam communiter in peccato moriuntur) & delectaris, & voluptatem capis? quanto ſtudio laboraverunt SS. Doctores antiqui, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, ut hæc ſpectacula atrocia, & obſcœna, & gentilica ab Eccleſiâ removerent? factum eſt hoc, exploſa ſunt è totâ Eccleſiâ; ſola Hiſpania ritum hunc gentilicum obſervavit in diſpendium animarum, & non eſt, qui redarguat, & prohibeat...... Itaque denuntio vobis in Nomine D. N.* JESU-CHRISTI, *quod omnes, qui hoc agitis, vel conſentitis, vel non prohibetis, cum poſſitis: non ſolum mortaliter peccetis, ſed eſtis homicidæ, & rationem reddetis coram Deo in die judicii de hoc: & à vobis exigetur ſanguis omnium, qui ab illâ beſtiâ, ſive in arenâ, ſive in itinere trucidantur: nec ſolum vos, ſed & ſpectatores non ſunt omninò tuti à mortali, quamvis eos non audeam condemnare; tamen mihi facit de hoc magnam perſuaſionem, decretum illud Auguſtini in Capt.* VIDENT HOMINES, *86. diſt. ubi ſic ait:* VIDENT HOMINES VENATORES, ET DELECTANTUR; VÆ MISERIS, SI SE NON CORREXERINT, VIDEBUNT ENIM SALVATOREM, ET TRISTABUNTUR. *Hæc verba, non videntur veniale peccatum, ſed mortale redarguere, ut liquet.* Hactenus Thomas.

SECTIO IX.

An ille ſit homicida, qui ſe, vel alium caſualiter occidit.

Occiſio caſualis non eſt homicidium.

CUm ad homicidium propriè dictum requiratur, ut ſit peccatum, & ad peccatum, ut ſit voluntarium: ſequitur, quod occidere ſe, alium merè caſualiter, non ſit homicidium. Ratio eſt clara, quia quod fit omninò caſualiter, non eſt voluntarium, ne quidem indirectè, ſine quo non eſt peccatum, dicente S. Auguſtino l. de verâ Relig. c. 14. *uſque adeò peccatum eſt voluntarium malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Neque ideo

ideo homicida ille eſt, qui alium caſualiter occidit, eò quòd actioni illicitæ incumbat, uti placuit variis Canoniſtis, dum fieri abſolutè potuit, quod omnem omninò diligentiam in tali opere adhibuerit, ne ex eodem opere ſequeretur occiſio: maximè, ſi nulla ſit connexio talis operis, & occiſionis: quo caſu occiſio ſubſequens nullâ ratione dici poteſt voluntaria, ne quidem in cauſa, reſpectu talis actionis illicitæ, & conſequenter nec ille eſt homicida, qui tali operi incumbens, alium occidit, ſi nihil omiſerit de iis contingentibus, quæ ad cavendum homicidium ſunt neceſſaria. Imò, hoc verum eſt, etſi talis actio aliquatenus diſponat ad mortem, ſi ſcilicet illud opus non ſit cauſa mortis. Sic v. g. etſi gravis mutilatio ſit diſpoſitio ad mortem, ſi tamen incuriâ Medici ſequatur ex ea mors mutilati, mutilans tamen non erit homicidii reus, ſed mors illa erit mutilanti omninò caſualis, ac conſequenter involuntaria: vulnus enim illud, etſi ſit occaſio ſecutæ mortis, nullo tamen modo eſt cauſa ejuſdem, ſed talis cauſa eſt incuria Medici, cui mors eſt imputanda, ut cauſæ morali.

E contra verò, ſi quis etiam actioni illicitæ intendens, nec omnia illa adhibens, quæ ad cavendam ſui, vel alterius mortem debebat adhibere; ſi ex tali opere ſequatur mors, mors illi erit voluntaria in cauſa, & conſequenter erit homicida. Dicta omnia ſatis deducuntur ex primis Theologiæ principiis, de voluntario, & involuntario, quomodo alicui actio aliqua ſit voluntaria, & imputetur ad culpam, prout aliquo modo eſt cauſa effectus ſecuti.

Cum verò ad irregularitatem ex delicto requiratur peccatum, & quidem mortale, cum pœna debeat delicto eſſe proportionata, & irregularitas ſit pœna gravis: ſequitur, quod ex caſuali homicidio, etiam ex actione aliunde illicitâ ſecuto, non naſcatur irregularitas ex delicto. Dico *ex delicto*; quia Judex etiam juſtiſſimè Reum morti tradens, ſit irregularis; non ex delicto, ſed ex defectu. Satis id colligitur ex *cap. quæſitum de pœnit.* ubi decernitur, parentes illos non eſſe irregulares, qui inter dormiendum, infantem oppreſſerint, quamvis id aliquali parentum incuria accidiſſet, addito tamen, *niſi ea negligentia fuerit ſtudioſa.* Verum de hâc infantium oppreſſione, mox latius ſectione ſequenti.

An ex homicidio caſuali ſequatur irregularitas.

Ex his ſequitur, non incurri irregularitatem ex homicidio perpetrato ob defenſionem vitæ, quia eſt juſta defenſio. Incurri verò, ob homicidium factum propter defenſionem bonorum temporalium, honoris, & famæ: eò quòd, juxtà ante dicta, hoc ſit vetitum, illâ lege, *non occides.* Idem innuit Clementina unica *de homicidio*, excipiens ab irregularitate homicidium ſolummodo factum ob defenſionem propriæ vitæ. Sequitur ex dictis ſecundò, non incurri irregularitatem ab eo, qui dans operam rei illicitæ, caſualiter alium occidit. Patet ex dictis, quia tale homicidium, ne quidem in cauſa eſt voluntarium, adeoque nec peccatum. Ubi hoc notandum, ſæpè vario jure excuſari aliquos ab irregularitate, quia occiderant caſualiter, nec dando operam rei illicitæ, prout innuitur *capt. dilectus, de homicidio*; *capt. Joannes, eodem titulo*; Imò S. Thomas 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *in Corp.* ait, quod ſecundum jura, qui dat

M operam

operam reilicitæ, vel illicitæ non adhibent diligentiam debitam, non evadat homicidii reatum, ſi ex ejus opere mors ſequatur. Illa etenim, & his ſimilia intelligenda ſunt, quando quis incumbit operi tali illicito, quod natum ſit cauſare mortem alterius, ac proindè mors ſecuta ſit alteri voluntaria in cauſa. Aliàs, ſi opus illud illicitum merè occaſionaliter ſe haberet ad occiſionem alterius, ſi ex eo opere ſequatur mors, non peccabit alter homicidio, nec proindè fiet irregularis, ſi adhibitâ debitâ circumſpectione putans occidere feram, occidat hominem. Idem habet locum in aliis multis. Neque ullatenus hîc dici poteſt, quod, qui dat operam rei illicitæ, debeat à tali opere abſtinere, adeoque homicidium ex tali opere conſequens, erit operanti imputabile, & conſequenter inducet irregularitatem. Reſp. Verum quidem eſt, quod in quantum tale opus eſt prohibitum, teneatur operans ab eo abſtinere: non tamen ad hoc tenetur, in quantum eſt cauſa homicidii, cujus non eſt cauſa, ſed ſolummodo occaſio.

Sequitur ulterius ex dictis, quod qui non adhibet diligentiam illam, quam ad cavendum homicidium adhibere potuit, ac debuit, tamen ſuâ actione, ſeu licitâ, ſeu illicitâ occidit alium; incurrat irregularitatem. Nec deſunt hîc aliqui, quibus ſatis eſt, hîc adeſſe negligentiam venialem, ut irregularitas incurratur: verum juxtà ante dicta, verius videtur requiri hîc negligentiam talem, quæ conſtituat peccatum mortale. Ex quo deduces, Medicos, & Chirurgos eſſe homicidas, & irregulares, quorum inſcitiâ, aut ignorantiâ graviter culpabili, ægroti moriuntur. Item illi, qui animalia ſua in homines ſævire conſueta, ſatis ſecurè non detinent, ex cujus neglectu ſequitur mors alicujus. Ratio eſt, quod ſimilibus juſtè poſſit imputari talis occiſio, ut cauſæ morali, cum per negligentiam eamdem moraliter cauſent. Notandum quoque, quod ſicuti occiſio, ita & mutilatio inducat irregularitatem, ad quam contrahendam, utrumque in jure ſolet æquiparari: unde dicta de occiſione, de mutilatione quoque hîc ſunt intelligenda.

Irregulares ſunt, qui homicidio coöperantur.

Notandum inſuper, omnem omninò cauſam efficacem homicidii, incurrere irregularitatem, unde homicidium conſulens, mandans, juvans, inſtigans, aut quoque modo ad illud coöperans, perinde ac homicida, eſt irregularis. Hanc tamen diverſitatem aſſignant aliqui inter mandantem homicidium,& conſulentem, quod mandans ante factum revocato mandato, non fiat irregularis; etſi mandatarius poſtea occidat alterum. Conſulens verò, etiamſi ante factum conſilium revocaverit, imo etiam homicidium antea ſuaſum diſſuaſerit; ſi tamen, qui conſilium accepit, alium occidat, ſit omninò irregularis, qui conſilium dedit. Ratio hujus diverſitatis eſt hæc, quod mandatum fieri ſoleat in commodum mandantis; conſilium verò in gratiam illius, cui datur, adeoque is, qui conſulit, non cenſetur ſuaſionis ſuæ influxum revocare, niſi ille, cui conſilium eſt datum, non velit conſilium datum exequi: mandanti tamen ſatis eſt, mandatum revocaſſe, adeo ut ſi poſt revocationem mandatarius velit equidem illud exequi, non imputetur jam mandato præterito, ſed ipſius mandatarii

Digitized by Google

rii malitiæ, qui jam per ſe cenſetur opus exequi, nullo modo vi anterioris mandati, quod jam ſupponitur efficaciter eſſe revocatum. Ex quo ulterius conſequitur, quod eo caſu mandans non ſubjaceat pœnis tali operi ſtatutis, neque etiam obligetur ad reſarcienda damna, quæ ex tali opere ſunt illata.

Sequitur ex dictis, quid dicendum ſit de illâ quæſtione, quâ quæritur, an ſi ex injuriâ circà alterum factâ, contingat occidi tertium, teneatur prior de homicidio. Ad quam quidem conformiter eſt dicendum, quod ſi ille prior prævidere poterat, & debebat ex ſuâ actione ſecuturam alterius mortem, omninò ſit reus homicidii, eò quòd mors illa ſubſecuta, ſit illi interpretativè voluntaria. Si verò hoc nullo modo prævidere poterat, eò quòd mors illa omninò per accidens ſequatur ex ſuâ injuriâ alteri factâ, non erit reus homicidii talis tertii, cum mors illius nullo modo ſit illi voluntaria.

Sed, quid ſi actio illa quidem de ſe non ſit talis, ut ex eâ plerumque ſequatur talis occiſio, tamen prior ille per talem ſuam actionem intendiſſet occiſionem tertii: an ratione talis ſuæ intentionis ſit reus homicidii. Reſpondent varii hîc negativè, eò quòd occiſio illa non ſequatur ex naturâ operis, ſed ex malitiâ, vel negligentiâ alterius, & conſequenter per accidens: & quamvis admittant, talem ratione dictæ intentionis eſſe homicidam quoad affectum, non tamen talem dicunt eſſe quoad actum. Ratio verò illorum fundamentalis eſt hæc, quod ſola intentio non poſſit facere, ut actio, quæ de ſe non eſt injurioſa, per ſolam intentionem, fiat injurioſa. Verum inſiſtendo principiis noſtris antea datis, verius dicitur, etiam talem eſſe homicidam quoad actum, non ſolum quoad affectum. Ratio eſt, quod voluntariè dederit cauſam occiſioni, volendo ſcilicet mortem per talem actionem ſuam, etſi de ſe non illativam mortis: ut tamen actio illa ſubſtat huic intentioni, eſt ſufficienter illativa mortis. Videri poſſunt ibi antedicta, ubi oſtenſum eſt, quod actio de ſe non injurioſa, per ſolam injuſtam intentionem poſſit fieri injurioſa.

SECTIO X.

De Mutilatione.

DE hac ità ſcribit Doctor Angelicus 2. 2. q. 65. art. 1. *Dicendum, quod cum membrum aliquod ſit pars totius humani corporis, eſt propter totum, ſicut imperfectum propter perfectum. Unde diſponendum eſt de membro humani corporis, ſecundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per ſe quidem utile eſt ad bonum totius corporis: per accidens tamen, poteſt contingere, quod ſit nocivum, puta cum membrum putridum eſt totius corporis corruptivum. Si ergo membrum ſanum fuerit, & in ſua naturali diſpoſitione conſiſtens, non poteſt præſciendi abſque totius corporis detrimento. Sed quia ipſe totus homo ordinatur ut ad finem, ad totam communitatem, cujus eſt pars, ut ſupra dictum eſt; poteſt contingere, quod abſciſſio membri, etſi vergat in detrimentum totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur*

in pœnam ad cohibitionem peccatorum. Et ideò ſicut per publicam poteſtatem, aliquis licitè privatur totaliter vitâ, propter aliquas majores culpas: ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autem non eſt licitum alicui privatæ perſonæ, etiam volente illo, cujus eſt membrum: quia per hoc fit injuria communitati, cujus eſt ipſe homo, & omnes partes ejus. Si verò membrum propter putredinem ſit totius corporis corruptivum, tunc licitum eſt de voluntate ejus, cujus eſt membrum, putridum membrum præſcindere propter ſalutem totius corporis; quia unicuique commiſſa eſt cura propria ſalutis. Et eadem ratio eſt, ſi fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de ſalute ejus, qui habet membrum corruptivum: aliter autem aliquem membro mutilare eſt omninò illicitum. Ex his dictis colligo 1. per ſe illicitum eſſe ſeſe, aut alium mutilare, ac prohibitum eſſe illa lege, *non occides.* Ratio eſt, quod homo, uti nec ſuæ vitæ, ità neque membrorum ſuorum ſit Dominus, ſed tantum cuſtos; ſed ſolus Deus, qui vitæ & necis habet poteſtatem; deinde, ſicuti aliquis authoritate publicâ ſubinde licitè privatur vitâ totaliter propter aliquam culpam, & ne totum corpus politicum, puta communitatem perturbet: ità ſubinde membrum abſcindi poterit, ſi toti corpori ſit nocivum. Ad 3. docet idem S. Doctor, membrum non eſſe præſcindendum, propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubveniri non poteſt. Denique, quod ſaluti ſpirituali ſemper poſſit aliter ſubveniri, quam per membri præciſionem, quia peccatum ſubjacet voluntati: *& ideo*, ait, *in nullo caſu licet membrum præſcindere, propter quodcumque peccatum vitandum.*

Mutilatio eſt per ſe illicita.

Caſtratio illicita ejuſque pœna.

Ex quibus rurſum collige, illicitum eſſe caſtrare filium, ratione temporalis lucri, aut etiam ad devincendas carnis tentationes: tum, quod numquam membrum ſit abſcindendum, etiam ob corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter, quam abſcindendo, toti non poteſt ſubveniri: tum, quod ſaluti ſpirituali, puta continentiæ, aliter hîc poſſit ſubveniri, quam caſtratione, cum peccatum incontinentiæ ſubjaceat voluntati. Subveniri etenim illi poteſt, adeundo Dominum, & deprecando illum, prout monet hîc Sapientia C. 21. quin imo, quod caſtratione concupiſcentia non extinguatur, ſed inflammetur, prout docent SS. Patres, juxtâ illud Eccl. 20. ubi dicitur: *Concupiſcentia Spadonis devirginabit juvenculam.* Et C. 30. *Videns oculis, & ingemiſcens, ſicut ſpado complectens virginem, & ſuſpirans.* Et S. Baſilius Epiſt. 87. ad Simpliciam, docet Spadonum genus in mulieres inſanire. Unde utroque jure, meritò condemnatur caſtratio. Canone 22. & 23. Apoſtolorum dicitur: *Si quis abſcidit ſemetipſum, id eſt, ſi quis amputavit ſibi virilia, non fiat Clericus: quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei conditionis inimicus.* Et rurſum: *Si quis, cum Clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum, omninò damnetur, quia ſui ipſius eſt homicida.* Idem fecit Concilium Nicenum Can. 1. Pœna autem juris civilis in eum, qui eunuchum facit, aliquando fuit Capitalis, uti docent Juriſtæ ad *l.* 4. *Cod. tit.* 42. Quamquam jure noviſſimo ſit arbitraria juxtà *Novel. Leonis* 60. Si quis autem hîc factum Ori-

gin*is*

Digitized by Google

ginis objiciat, qui ex loco Matthæi 19. malè, ac carnaliter intellecto ſe ipſum caſtravit: uti etiam factum Marci Anachoretæ, qui ſibi pollicem amputavit, ne ordinaretur Sacerdos: uti & de Ammonio, qui in Epiſcopum poſtulatus, ſibi aurem præſcidit: Reſponderi poterit ad primum cum D. Hieronymo Epiſt. ad Pammach. Originem id feciſſe zelo quidem Dei, ſed non ſecundum ſcientiam. Alios verò ſeſe mutilaſſe ſpiritu veræ humilitatis impulſos, & conſequenter, nec privatâ, ſed ſuperiori authoritate ſeſe mutilaſſe.

Eadem eſt hîc ratio de pollutione, quæ dicta fuit de mutilatione, cum ſicuti membra ſunt ad conſervationem individui, ità & ſemen ſit ad conſervationem ſpeciei; nec ullibi data ſit poteſtas ea homini à Deo, quâ poſſet ſemen abſcindere per pollutionem, niſi in matrimonio. Hinc etiam, nec ad conſervandam vitam licet ſe polluere: unde etiam laudatur ille, de quo ita Poëta:

Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

SECTIO XI.

Quænam ulterius prohibeantur lege, Non occides.

JOannes Heſſelius Doctor Lovanienſis *in Decalogum Cap.* 159. Varia alia occidendi genera enumerat; ac primò cenſetur ille occidere alium, quiſquis efficaciter alterius occiſioni cooperatur, uti etiam ſolet idem fieri in alterius generis nocumentis, v. g. furto, &c. Sic jubentes homicidium, ut Jeſabel jubendo occidi Naboth 3. *Reg.* 21. Rei ſunt homicidii. 2. Conſulentes homicidium, uti Caiphas Chriſtum *Joan.* 11. 3. poſtulantes necem alterius, ut Judæi Chriſtum ad crucem à Pilato poſtulantes: *Joan. c.* 19. Saltatrix ab Herode petens caput Joannis Bapt. in diſco. 4. Alicujus neci conſentientes, quales ſunt ſcabini iniquæ condemnationi conſentientes. 5. Qui ex officio tenentur vitam alterius ſervare, & non ſervant, uti ſint parentes, quorum incuriâ pueri in ignem cadunt, aquis ſuffocantur, à beſtiis devorantur, &c. Uti etiam ſunt Principes, & Senatores, qui Graſſatores, & Latrones, quos cum comprehendere potuiſſent, capere omittunt, de quo ait Dominus Deuteron. 19. *Auferes malum de medio tui, non parcet oculus tuus, ut miſerearis. Non miſereberis, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* 6. Tenetur homicidio, cujus culpabili negligentiâ quis moritur, v. g. Medicus, cujus imperitiâ, vel negligentiâ æger occumbit. 7. Rei ſunt & illi qui periclitantem de vitâ, non adjuvant, cum poſſint: juxtâ illud S. Ambroſii: *Paſce fame morientem: ſi non paveris, occidiſti.* 8. Illi quoque in conſcientia, & coram Deo rei ſunt homicidii, qui ex odio, invidiâ, aut aliquâ terrenâ cupiditate alterius mortem exoptant.

Varia occidendi genera.

Prohibetur ulterius dictâ lege *non occides*, injuſta verberatio, omne odium fratris, juxta illud Joan. 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Omnis

itidem

Digitized by Google

itidem diſcordia, æmulatio, invidia, & generaliter omnis perverſa intentio, quâ aliquod malum proximo deſideramus. His adde illos, qui ſeſe, vel per immoderatas mortificationes, vel affectiones, ut ira, odio, triſtitia, &c. Vitam ſuam abbreviant, juxta illud ſapientis Eccli. 30. *Multos occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa. Zelus, & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.* Item, quos gula occidit, & crapula: qui cibos comedunt ſanitati, ac valitudini graviter nocivos; Item, qui in communitatibus invicem detractione, invidiâ, odio, perſecutione interimunt: de quibus ait Apoſtolus ad Gal. V. *Si invicem mordetis, & comeditis, videte, ne ab invicem conſummamini.*

Denique, vetantur eodem præcepto *non occides*, omnia peccata linguæ maledicæ, plenæ juxta Jacobum c. 3. veneno mortifero, de quâ poſtea in decurſu erit latius agendum: & de quâ ità S. Auguſt. in Pſalmum 63. de Judæis: *Et vos ô Judæi occidiſtis. Unde occidiſtis? gladio linguæ: acuiſtis enim linguas veſtras. Et quando percuſſiſtis, niſi quando clamaſtis: crucifige, crucifige?*

SECTIO XII.

De Duellis.

Quid ſit duellum.

DUellum, græcè *Monomachia*, eſt duorum ex condicto utrimque ſuſcepta pugna, ad certum locum, & tempus cum periculo occiſionis. Differt à rixâ, quia illa fit de repentè, non ex condicto. Primitus uſitatiſſimè adhibebatur in pleriſque Europæ locis ad veritatem aliquam eruendam. Quotieſcumque enim criminis, aut alterius juris probatio obſcura erat, vel Actor Reum provocabat, vel Reus ipſe duellum offerebat, aut alium aliquem ſuô loco; ut qui viciſſet, juſtitiæ ſententiam obtineret. Hinc etiam in tabulis Brabantiæ Joannis Ducis 2. Anno 1312. certa duella, ſub certis modis leguntur eſſe permiſſa. Idem apparet ex Juriſconſulto. Ulpianus enim *in L. 7. §. ſi quis in colluctatione ff. ad L. Aquiliam. Si in publico certamine alius alium occiderit, ceſſat Aquilia.* Et ex *Feud. lib. 2. tit.* 27. Colligitur duella, tamquam ſpecies probationis vulgaris, fuiſſe admiſſa.

Duella omni jure ſunt prohibita.

Dicendum tamen, duellum omni prorſus jure eſſe prohibitum. Cum enim ineatur directè ad alterum occidendum, & homicidium jure naturæ ſit interdictum; ſequitur & duellum eodem jure eſſe prohibitum. Idem ex eadem origine conſtat de jure divino, quo prohibetur homicidium, & conſequenter duellum. Graviſſimè inſuper illud idem inſectantur Canones, & Concilia. Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *reform.* dicit duella Diabolo authore inventa, repentinas hominum mortes, & animarum perditiones ſecum trahere, nova odia inter amicos diſſeminare, &c. Quæ certè omni jure ſunt prohibita.

An duellum aliquo caſu ſit licitum.

An autem duella omnia ita ſunt illicita, ut ea nullo fine liceant, non ita convenit inter Authores. Et 5. ſunt potiſſimum cauſæ, ob quas duella eſſe licita, qui-

Digitized by Google

quidam prætendunt : prima eſt, ut per victoriæ eventum veritas, aut juſtitia eruatur, prouti primitùs permiſſum fuiſſe duellum, antea annotavimus. Cum verò ſimile duellum computetur inter probationes vulgares, quæ ab Eccleſiâ dudum ſunt condemnatæ *cap. Monomachiam* 2. *q.* 5. & alibi : ſequitur, nec eâ ratione duella poſſe cohoneſtari. Per illa enim divina juſtitia tentatur, cui non ſemper viſum eſt patrare miracula, cauſarumque juſtitiam per illa approbare, & ſæpè contingit Reum eſſe victorem; denique cauſarum juſtitia non cruento diſſidio, ſed juſtâ Judicis ſententiâ eſt decernenda. Hinc deducunt varii cum S. Antonino 3. *p. tit.* 4. *cap. ult.* §. *ult.* Non poſſe innocentem acceptare duellum à Judice oblatum, quod niſi acceptet, condemnabitur morte : cum duellum causâ eruendæ veritatis ſit intrinſecè malum; neque innocens ille ullam patiatur injuriam ab eo, quocum eſt pugnaturus, adeoque nequit ejus vitam periculo mortis exponere. Hinc Henricus à Gandavo *quodl. V. queſt.* 32. ait : *Unde, nec pro re ullâ temporali, nec etiam pro propriâ vitâ ſuſtinendâ, debet conſentire duello, ſed potius deberet ſe permittere ſuſpendi. Unde, quia contrà præceptum legis naturæ eſt quoad affectum, & intentionem occidendi, & expreſſè contrà præceptum legis divinæ eſt quoad intentionem, ſigno ſenſibili propriâ ſuſpicione judicium divinum experiendi : igitur nulla lex juſta fieri duellum permittit, aut permittere poteſt, nec cujuſquam authoritate, aut quâcumque conſuetudine contrariâ diutiſſimè obſervatâ licitè poteſt pugnari per duellum.* Sicuti ergo Innocens etiam ab iniquo Judice compulſus fornicari non poteſt, aliàs moriturus : ita nec in caſu ſimili poterit acceptare duellum. Hiſce accedit ratio S. Thomæ, 2.2. *q.* 97. *art.* 2. Quod ſcilicet tentatio Dei ſit intrinſecè mala : nec veritas, aut juſtitiæ cauſa medio fal aci, ut eſt duellum, ſit eruenda. Deinde, quod innocentem occidere, nulla lex permittat.

Varia tamen alii objiciunt : primò factum Davidis 1. *Reg.* 17. pugnantis in duello cum Goliath. 2. Quod pro defenſione vitæ liceat alterum occidere. 3. Quod duo capite damnati poſſint ſimul pugnare, ut victor ſupermaneat. 4. Opponunt *L. quâ actione* §. *ſi in colluctatione ff. ad L. aquil.* 5. Aſſignant varia Regum, & Principum exempla, etiam pientiſſimorum, ut S. Ludovici, Caroli Magni, Caroli V. qui Franciſcum I. Galliæ Regem ſecundò ad ſingulare certamen evocaſſe dicitur. Verum ad ea reſponderi poteſt, factum Davidis, utpote inſtinctu Dei perpetratum, mirandum potius eſſe, quam imitandum : Deum autem vitæ, ac necis habere poteſtatem, quis neſcit? Deinde, pro defenſione vitæ licet vim vi repellere, etiam cum occiſione invadentis; ſed in duello non eſt defenſio, ſed aggreſſio : nec in vi repellendâ fit poteſtas nocenti innocentem occidendi, uti fit in duello. Præterea, Judex non poterit ſervare in vitâ, quem juſta ſententia addixit morti. Et licet poſſit Judex uni damnatorum imponere, ut ſit Carnifex alterius, tamen inde non ſequitur, poſſe illis imponere duellum : in priori enim caſu, ille ſatisfacit juſtitiæ, nec facit alteri facultatem ſeſe occidendi, adeoque & ſervit bono communi : in duello autem non pugnat pro juſtitiâ, ſed potius pro injuſtitiâ, & alteri

Argumenta in contrarium.

Digitized by Google

alteri dimicando facit poteſtatem ſeſe occidendi. Ad legem objectam dici poteſt, agi ibidem de colluctatione fuſtium, non armorum, & ut ibidem ait Gloſſa, *qui colluctantur pugnis, vel calcibus.* Ad ultimum dicendum eſt, vel Principes pientiſſimos duella permiſiſſe ad cavenda graviora mala; vel duella attentaſſe ob eamdem cauſam; vel denique, etiam illos omninò deliquiſſe.

Secunda ratio eſt defenſio proprii honoris, quia, niſi vir nobilis duellum acceptet, habebitur pro infami. Cauſa hæc eſt quoque nulla, & verè vana, fundata ſolummodo in opinione hominum mundanorum, vulgarium, & improborum. Reſpuere enim duellum, apud ſapientes, & probos glorioſum eſt, non infame. Ad hanc pravam vulgi opinionem eliminandam, rectè ſtatuerunt Principes noſtri, Anno 1610. pen. Feb. in hunc modum art. 4. *Quoniam pleraque duella ortum habeant ex falsâ opinione, quaſi degenere timore impediantur, qui manu ſuâ injurias non vindicant: declarant Principes, falſam eam eſſe opinionem, honorem injurias paſſorum ſub ſuam protectionem recipiunt: & ne quis exprobret, ſub ſua indignationis, & arbitrariâ pœnâ vetant.* Idem renovatum eſt Anno 1660. 19. Aug. art. V. unde etiam Alexander VII. hanc propoſitionem condemnavit: *Vir equeſtris ad duellum provocatus, poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ne verò ſimilem notam provocatus incurrat, poterit provocanti reſpondere, ſe eſſe paratum ſeſe defendere, ubi provocans eum invaſerit.

Tertia cauſa acceptandi duelli dicitur eſſe ad oſtentationem virium, & recreationem Ducum. Verum hæc quoque cauſa nulla eſt, & planè iniquum eſt, tam atrox medium adhibere ad tam vanum finem. Hoc pacto graviſſimè peccavit Goliath robori ſuo fiſus exprobrando Iſraëli, & aliquem provocando ad ſingulare certamen. Similia quoque ſpectacula graviter cenſurant SS. Patres, ejuſmodi *cruenta* vocantes, & *dæmoniaca*, de quâ re vide, quæ dicta ſunt ſect. 8. de torneamentis, & haſtiludiis ex D. Thoma de Villâ Novâ. Et S. Auguſtinus *de Catechiſ. rud. cap.* 16. ait, quod ſtudiis ſimilium ſpectaculorum fiant homines dœmonibus ſimiles, clamoribus ſuis incitando, ut ſe invicem cædant.

Quarta cauſa eſt ad bellum terminandum, dum utrimque aliquot milites decertant, ut victoria ſit penes illos, qui vicerint. Tale ſingulare certamen à ſuâ Celſitudine 1601. fuit permiſſum *Lackerbetie*, & aliis de præſidio Buſcoducenſi contra *Breaute* cum ſuis. Cauſa hæc videtur hîc eſſe ſufficiens, æquè ac bellum juſtum, cujus naturam magis induit, quam duelli: dum bellum in tale ſingulare certamen reſolvitur. Imo alii volunt, tale ſingulare certamen bello eſſe æquius, dum per illud plurima mala auferuntur, quæ bella ſolent comitari.

Quinta cauſa eſt ad vindicandam injuriam patriæ illatam, ob quam cauſam licitum eſt bellare. Verum, etſi ob dictam cauſam licitum ſit bellum, non ideo ob eamdem cauſam licitum eſt & duellum. Ratio eſt, quod vindicans

cen-

cenſeatur punire, adeoque oporteat eum eſſe alio, quem punit, fortiorem, adeo ut quaſi certa ſit ex parte illius ſpes victoriæ; hoc autem in ſingulari certamine deſit, ubi par eſt utriuſque duellantium conditio; imo ſæpè vindicans ſuccumbit.

Quæret aliquis, an qui in duello alium occidit, teneatur ad reſtitutionem. Reſp. Aliqui volunt, duellantes provocando mutuo, condonare ſatisfactionem aliàs ab occiſore præſtandam, quod aliquando etiam expreſſis verbis ſolet fieri. Verum ex eo ad ſummum ſequitur, quod condonare cenſeantur reſtitutiones occiſo faciendas, non itidem faciendas hæredibus, quorum juribus renuntiare non poteſt ille, qui occiditur. Deinde, occiſor eſt vera cauſa injuſta omnium damnorum ex occiſione hæredibus obvenientium; ergo illa tenetur occiſor reparare: hinc etiam, ut verus homicida puniri ſolet. Duellantes teneantur ad reſtitutionem.

Porrò, duellantium pœnæ ſunt variæ, quibus tamen coërcendis vix hodie ullæ ſufficiunt leges, ait Zyp. *Not. Juris Belg. tit. de pugnantibus in duello.* Cap. 1. *de Clericis pugnantibus in duello*, ſuſpenditur. Trid. *Seſſ.* 25. *Reform. cap.* 19. excommunicantur Imperatores, Reges, &c. qui Monomachiam in ſuis terris conceſſerint; itidem facit ipſis duellantibus, eorum Patrinis, eos ſpectantibus, conſultoribus duellorum: inſuper ſimiles Dominos privat juriſdictione loci, in quo duellum concedunt: duellantes, & eorum Patrinos punit confiſcatione bonorum, ac infamiâ, & morientes privat Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Eaſdem pœnas renovat Gregorius XIII. motu proprio edito 1582. incipienti, *Ad tollendam.* Idem fecit Clemens VIII. 1592. alio motu proprio, *Illius vices.* Et quamvis Concilium Trid. duellum non reſervârit; illud tamen poſtea fecêre Pontifices jam dicti, uti & Urbanus VIII. ſi ſit publicum, & ad forum contentioſum deductum, aliàs poterit ab eo Epiſcopus abſolvere in vim Concilii Trid. *Seſſ.*24. *Reform.* 6. cui motus proprii non cenſentur derogare. Cùm verò in Galliis hæc Pontificia reſervatio, Gallorum duella vix cohiberet, ſed potius per deſperationem, & impœnitentiam magis accreſcerent, ſolis Epiſcopis ea reſervârunt in publicis Cleri Gallicani Comitiis, & miſſis ad Regem Oratoribus nova pœnalia Edicta impetrârunt, cum promiſſione non diſſimulandi quoad pœnas, maximè illas, quæ infamiam generarent, adeo ut hìc Rex ſe præbeat inexorabilem. Pœna illa inter alia eſſe ſolet, ut pede patibulo cadaver ſuſpendatur. Deinde, aliud remedium huic malo adhibuit Rex Galliæ, dum Pariſiis erexit Tribunal ſummorum Tribunorum militiæ Franciæ, cum ſummâ poteſtate ex omnibus Regni Provinciis citandi, & compellendi ad honorarias reparationes quoſcumque Nobiles, qui aliquam honorariam injuriam alteri Nobili intuliſſent: Pœnæ duellantium. Pœnæ duellorum in Galliâ.

liſſent : qui Judices cognitâ causâ egregiè compellunt injuriantes ad omnem reparationem, & pœnâ condignâ de cætero compeſcunt. In Belgio Edictum 1610. 27. Feb. art. 3. duellantes morte plectit, & confiſcatione bonorum : art. 2. declarantur infames, privantur omni ſtatu, officio, honore, ac penſione, illi, qui alium provocarunt, ac inſuper media bonorum pars Fiſco addicitur. Inſuper, qui nuntia, aut litteras provocationem continentes detulerint, aut duellantibus quomodocumque fuerint auxiliati, aut comitati, capite plectuntur, ac bonorum confiſcatione. Videri plenius eâ de re poterit Zypæus dicto loco.

In Belgio.

SECTIO XIII.

De pœnis Homicidii.

HOmicidium abhorret, & plectit ipſa lex naturæ, prout patuit in Caïn fratricida, qui conſcientiæ lege de fratricidio accuſatus dicebat Geneſ. 4. *Omnis, qui invenerit me, occides me.* Lex verò divina de homicidio ſtatuit : Geneſ. 9. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Ad imaginem quippè Dei factus eſt homo.* Et Exodi 21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari avelles eum, ut moriatur.* Idem expreſſius dicitur Numerorum 35. & in novâ Lege Chriſtus dicta confirmans ſtatuit Matth. 26. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Hiſce advenit lex poſitiva humana, tam Canonica, quàm Civilis : illo jure juxtà ante dicta, eſt irregularis, excepto eo, quod gravior illi pœnitentia ſit injungenda, de quo poſtea. Et quidem ſuicidio imponunt leges Canonicæ, carentiam Eccleſiaſticæ ſepulturæ Cap. 12. *Placuit* 23. q. 5. etſi hoc, juxtà aliquos moribus noſtris non obſervetur. De pœna civili teſtatur Gudelinus de Jure noviſſimo l. 5. c. 17. in hunc modum : quod pœna homicidii ſit ut plurimum gladius, etſi non fuerit hæc pœna initio conſtituta, ſed deportatio cum bonorum publicatione ; ſcilicet, quo tempore in Civem Romanum animadverti leges non permiſerunt. *Sed nihil juſtius*, ait, *quàm, qui ſanguinem alterius fuderit, ſimiliter ſanguinem ejus fundi.* Sicuti autem pœnam illam gladii minuunt aliquando Judices in exilium, vel ſimilem leviorem : ità aliquando ratione circumſtantiarum eamdem aliquando augent in pœnam laquei, ignis, confractionis membrorum, inter quas circumſtantias non minima eſt, qualitas occiſi. Unde de Parricida ſtatuitur, ut incluſus culeo, ſive ſacco coriaceo in

Pœnæ homicidii.

Pœna parricidii

in profluentem dejiceretur, adjunctis ſimul Cane, Gallo gallinaceo, Serpente, & Simiâ. Imò hæc illius pœna aliquando fuit aucta, teſte eodem Authore, qui & addit, nullam pœnam ſatis acrem poſſe excogitari in illum, qui eum vitâ privavit, à quo vitam habuit, cum is immanitate ſua feras vincat.

De ſuicidis verò docent, apud Ethnicos ſcelus illud quondam fuiſſe impunitum, ſi tædio vitæ ſeſe occidiſſent, aut aliâ de causâ uti metu pœnæ gravioris, conſcientia delati, graviſque criminis, &c. ſed apud Chriſtianos habet, ſimilem poſt mortem damnari, & cadaver ejus furcæ ſuſpendi. L. 1. & 2. *C. de bon. eorum, qui mort. &c.* Hoc tamen hîc ſtatuit Margareta Burgundiæ Duciſſa 1476. 13. Martii Artic. 45. ne ulli Officiales de bonis, aut cadavere conveniant illum, qui mortuus invenitur, ſub titulo, quod idem ſeſe occidiſſent, niſi prius legitimè conſtaret, eumdem ſeſe deliberato animo, & malitiâ ſuâ occidiſſe. Imo hoc idem in Germaniâ; Saxoniâ, Italiâ, & alibi ex aliis docet D. Groenwegen de legibus abrogatis in *Cod. l. 9. tit.* 50. addunt quoque communiter, eos, qui deſperatione, aut febre ardentiſſimâ ſeſe occidunt, miſeratione potius dignos eſſe, quam pœnâ. Notandum itidem ex dicto Margaretæ Edicto, cuique licitum eſſe ſubmerſum in aquis extrahere impunè, pedibus tamen in aquam pendentibus. Pœna ſuicidii.

Quæret, quam pœnam homicidio imponet Judex ſpiritualis in confeſſionali. Reſp. Etſi graviſſimam olim illi crimini ſtatuerint Canones pœnitentiales; eamdem tamen arbitrariam, uti & alias, reliquit Confeſſariis Eccleſiæ conſuetudo. Ità tamen de hâc eâdem re ſcribit Comitolus è Societate Jeſu reſponſ. Mor. l. 4. q. 10. num. 23. *Sacerdos in ſacrâ Confeſſione homicidæ, tria eum doceat; primum peccati gravitatem : ſecundum pœnam : tertium onus reſtituendi, ſeu ſarciendi damna ex homicidio conſecuta. Quod ad pœnam attinet, declaret, peccatorum omnium, quibus alter homo ab altero violatur, maximum eſſe homicidium : ad illudque expiandum, poteſtatem requiri majorum Sacerdotum, ad quos interfector mittendus erit, niſi poteſtas delegata fuerit inferiori abſolvendi.* Et quæſtione ſequenti num. 8. *Hæc meo quidem animo ſalutaris eſſet pœnitentia : ut interfecti propinquis ſupplicem ſe abjicerit, delictique veniam deprecaretur; ut iiſdem illata damna ſarciret : ut pro ſalute occiſi ſingulis hebdomadis per annum integrum, unum ſaltem ſacrificium, ſi tantum ei ſit in bonis, fieri curet : ut ſingulis item hebdomadibus eleëmoſynam aliquam pro illius animâ totum annum largiatur egentibus : ut per eumdem annum, aut litanias, ſi legendi gnarus ſit, aut ſi ignarus, beatiſſimæ Virginis orarium, ſeu coronam quotidie flexis genibus recitet : ut octavo quoque die per annum, Sacramento Pœnitentiæ ſua peccata expiet, & ſingulis menſibus Euchariſtiam ſumat : ut in omni vitâ quotidie ſemel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam pronuntiet, terram genibus tangens pro anima occiſi. Quod ſi eſſet plurimum hominum interfector, aut unus, in quo tota aliqua familia extincta eſſet, ſine dubio pœnitentia augenda foret.* Ità ille. Pœna imponenda homicidio in Confeſſionali.

Varia autem circà hanc materiam poſſunt inquiri. Primò, an non ſolum actus homi-

Digitized by Google

An conatus homicidii puniendus.

homicidii, ſed & affectus, & conatus homicidii puniatur: v.g. ſi quis conatus ſit hominem occidere, ſed exequi non potuit? ad quod ita ſcribit D. Chriſtyn *in notis Bugnon C.* 56. quod jure Civili in omnibus atrocibus delictis conatus puniatur, licet effectus, ſeu eventus non fuerit ſecutus, l. 1. *L. Divus* 14. *ff. ad L. Cornel. de Sicariis.* Sed jus illud generali conſuetudine abrogatum eſt, ut de Germania teſtantur Weſenbec: *in paritit. num.* 16. 17. *ff. ad L. Cornel. de Sicariis.* De Hiſpaniâ Covarrub. in Clement. *ſi furioſus.* De Italiâ Farinacius *prax. crimin. q.* 124. De Galliâ Rebuffus. De Belgio Zypæus, &c. *Ideoque*, ait, *ſi quis hodie animo hominem occidendi cum telo ambulaverit, non plectitur, niſi tamen ad actum proximum pervenerit; quo caſu pro ratione circumſtantiarum interdum ordinariâ L. Cornelia, interdum mitiori punitur pœnâ. Ità cædem furtivis vulneribus more latronis tentatam, morte puniendam Magiſtratus Antverpienſis anno* 1629. *judicavit: nequidem ex vulgo miſerante quoquam, aut conquerente, ut refert Tulden, Cod. ad L. Cornel. de Sicariis, num.* 2. Ità D. Chriſtyn.

An ebrietas homicidam excuſet.

Quæret aliquis ſecundò, an ebrietas hîc excuſet. Reſp. In foro conſcientiæ eamdem non excuſare ab homicidio, ſi illud equidem voluntarium fuiſſet in causâ: ut puta, quod quis ſciens ſe in ebrietate ſolitum eſſe rixari, verberare, &c. ſeſe tamen voluntariè inebriavit: quo caſu volendo ebrietatem, voluit interpretativè homicidium, dum indirecti, & directi eadem eſt ratio, quoad actum voluntarium. Imò, juxta Philoſophum in 3. Ethic. c. 5. quando quis eſt cauſa ignorantiæ, ex quâ quidpiam injurioſum perpetrarit, is planè afficit injuriâ, ut fit in ebriis. *Vino namque merſi*, inquit, *ſi quid perpetrarunt, ſine controverſiâ adferunt injuriam, quandoquidem ipſi ſibi ignorantiæ cauſa extiterunt.* Idem docent unanimiter SS. Patres, dicentes ebrietatem eſſe *orginem malorum, vitiorum, culparum materiam, &c.* quibus ſatis, ſuperque innuunt, quod qui ſe voluntariè inebriat, conſecutivè ſe exponat voluntariè periculo morali, eadem crimina committendi, quæ ſolet ebrietas adferre. Et quidam Anſelmo *Tribon. Cap.* 55. ex edicto Caroli V. refert primò, non facilè dandam eſſe abolitionem homicidiorum: aliorumque delictorum in ebrietate commiſſorum, ſed ut reos puniendos, primò ob delictum, ſecundò ob ebrietatem. Rationem ejus dat ipſe, ſecutus in eo pleroſque Juriſconſultos, quod, qui intendens rei illicitæ (uti eſt ebrietas) alium occidit, teneatur homicidio, cujus tamen contrarium tenere, & non ita generaliter obſervandum eſſe, jam antea diximus. Et quamquam hîc aliqui diſtinguere velint, inter ebrietatem, & ebrioſitatem, dum ebrietas caſu, ebrioſitas verò evenit ex habitu bibendi immoderatè: quaſi hic occidens homicidio reus eſſet, non verò ille, caſu ſe inebrians, & occidens: tamen non omninò excuſare ebrietatem illam, omnes communiter tradunt, etſi illam pœnam mitigare, aſſerant eſſe conveniens. Sic quoque alii diſtinguunt hîc, in ebrietatem magnam, & exiguam, quaſi illa foret plectenda, hæc verò non item: verum dictus Author refert *num.* 6. hîc Antverpiæ capitis damnatos fuiſſe duos homicidas, de quibus tamen allegabatur, eoſdem fuiſſe

plenè

Digitized by Google

plenè ebrios, uſque ad rationis extinctionem, in tantum, ut homicidium ipſi homicidæ ignorarent. Res etenim eſt clara, dum turpitudo neminem excuſat. Videri etiam poterit Groenwegen *de legibus abrog. l.* 49. *tit.* 16. ubi refert anno 1651. homicidam ebrium in flagranti delicto comprehenſum, non obſtantibus importunis amicorum precibus, capite plexum eſſe Delphis in Hollandiâ.

Quæres tertiò, quis, & quomodo condonare poſſit pœnas homicidii. Reſp. cum ratione homicidii debeatur tribus ſatisfactio, ſcilicet Reipublicæ, cujus membrum homicida abſtulit: ipſi occiſo, & occiſi hæredibus: poteſt quilibet ſuam reſpectivè ſatisfactionem condonare. De Republicâ conſtat experientiâ, veniales codicillos ab eâ ſæpè dari, maximè dum quis juſtè ſeſe defendit, etſi aliqualiter exceſſerit moderamen inculpatæ tutelæ: uti etiam in occiſione caſuali, quando codicillus ille ſolum petitur ad cautelam, dum alter reverà eſt innocens. Hoc tamen prædicto Caroli V. edicto ſtatuitur, ut ſi quis occiderit fretus Principis gratiâ, non poſſit facilè gratiam impetrare, tamquam illâ indignus. Hujus rei exemplum ex Julio Claro §. *final. quæſt.* 59. *num.* 12. adfert loco citato D. Anſelmo, Toloſæ homicidam, qui ante jactaverat ſe de cem aureis à Rege remiſſionem homicidii accepturum, eamque de facto jam obtinuerat: poſtea tamen jactantiâ illâ intellectâ, remiſſionem fuiſſe revocatam, & homicidam ſecuri percuſſum. Quis condonare poſſit pœnas homicidii.

Notant hîc etiam plurimi, ſecundum leges non convenire, quod dicta remiſſio detur ante annum, & ante pacem cum conſanguineis initam, eò quòd talis feſtinatio ſoleat multis eſſe ſcandalo, & homines ad occidendum reddat proniores, neque etiam conveniat, quod Princeps ſuâ benignitate parti læſæ obſit, eamque afflictam magis affligat. Deinde, Notandum eſt, quod dicta remiſſio à Principe obtenta, non extinguat actionem hæredum occiſi; ſed eoſdem relinquat in ſuo pleno jure, uti & alios ex homicidio intereſſe habentes. Videri poterit de hâc re D. Anſelmo Cod. Belg. V. *remiſſen.* De aliorum condonationibus mox agam quæſtione ſequenti.

SECTIO XIV.

De reſtitutione faciendâ per homicidium, aut mutilationem.

OBſervandum eſt primò ad pleniorem ſequentium intelligentiam, damna alia eſſe realia, alia perſonalia, ſeu naturalia: *realia* ſunt, quæ ille, qui læſus eſt, vel ejus hæredes injuſtè patiuntur, qualia ſunt operarum detrimenta, lucra ceſſantia, damna emergentia, &c. *perſonalia* ſunt, quæ ipſi perſonæ per injuſtam læſionem inferuntur.

Obſervandum ſecundò, ſpecialiter hîc eſſe damna præcipua in occiſione. 1. eſt privatio vitæ. 2. Impenſæ factæ in curatione occiſi. 3. Lucrum ex eo ceſſans. 4. Emolumenta, & alimenta per occiſionem defuncti hæredibus ablata.

His poſitis, verius videtur, aliquid etiam pro damno perſonali hîc eſſe reſtituendum, ut puta pro vitâ, vel membro ablato. Rationem dat hîc D. Thomas

An aliquid reſtituendum pro damno perſonali.

mas dicens art. 2. ad 1. *quando id, quod ablatum eſt, non eſt reſtituibile per aliquod æquale, debet fieri recompenſatio, qualis poſſibilis eſt: puta, cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, conſideratâ conditione utriuſque perſonæ, ſecundum arbitrium boni viri* & iterum in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. queſtiunc. 2. ubi cum ſibi objeciſſet damna perſonalia non poſſe reſtitui, ità reſpondet: *ad ſecundum dicendum, quod reſtitutio principaliter inventa eſt in damnis, quæ inferuntur in bonis fortunæ, quæ reſtitui poſſunt: in his autem, quæ objectio tangit, quæ non poſſunt ad ſimile bonum reſtitui, debet fieri reſtitutio, qualis poſſibilis eſt, ſcilicet ad arbitrium bonorum.* Ratio ejus eſt, quod juſtitia exigat omnem, quæ poſſit fieri, æqualitatem.

Argumenta contraria.

Dicunt alii primò, liberum corpus non habere æſtimationem. Secundò, quod reſtitutio ſolummodo fieri debeat Domino rei, ubi tamen homo non eſt Dominus vitæ. Tertiò, quod impotentia excuſet à reſtitutione pecuniæ, neque ea debeat fieri in honore, &c. ergo etiam impotentia hîc excuſet, cum vitæ ablatæ non poſſit dari aliquid æquivalens. Ad hæc reſponderi poteſt, ad primum quidem, quod corpus hominis liberi ſecundum ſe non poſſit æſtimari prætio, poſſit tamen æſtimari per accidens, puta ratione uſûs, ad quem homo habet ſtrictum jus, quod proindè per occiſionem violatur: patet hoc ex eo, quod quis ſe alteri poſſit vendere in ſervum. Adde hic etiam, quod corpus mutilum, ac deforme, habeatur vilius; unde etiam in feminis juxtà Juriſconſultos, æſtimari ſolet pulchritudo. Ad ſecundum dici poteſt, reſtitutionem non ſolum faciendam eſſe Domino rei, ſed etiam Cuſtodi ejuſdem, prout eſt homo reſpectu ſuæ vitæ, & membrorum. Deinde, homo habet eorumdem dominium utile. Ad tertium dico, quod ideò impotentia excuſet in debito pecuniario, nec debeat creditor exigere, aut acceptare reſtitutionem in honore, &c. ex eo, quod pecunia ſit reſtituibilis per ſe: & licet ſubindè de facto non poſſit reſtituere æquivalens; poterit tamen, dum pervenerit ad meliorem fortunam. Imo, ſi creditor vellet, poſſet quoque reſtitutionem exigere, & acceptare in honore, &c. Vita verò ablata, ſecundum ſe, non poteſt reſtitui, nec alter poterit eam umquam reſtituere, ideoque & ſtatim eam debet reſtituere in alio genere, puta ad arbitrium boni viri. Et quamquam hæc dicta ſatisfactio in tribunalibus numquam ſoleat imponi, prout objicit P. Herincx hîc: dici tamen poteſt, ideò illud expreſsè non imponi, quia dum occiſor punitur, juxtà aliquos cenſetur ſatisfacere damno perſonali, donando vitam pro vita: an verò tunc liber ſit homicida, aut ejus hæredes ab obligatione reſtituendi damna realia, reſtat mox diſcutiendum.

Quod autem attinet ad damna realia, tenetur homicida, aut ejus hæredes ad reſtitutionem expenſarum, quæ in curatione occiſi ſunt factæ. Illarum enim homicida fuit vera cauſa efficax, & moralis. Idem eſt de lucro ceſſante ob morbum, vel mortem occiſi. Ita expreſsè ſtatuit jus *ff. de iis, qui dejecerint, vel effuderint L. poſtrema*, ubi dicitur: *Judex computet mercedes Medicis præ-*

ſtitas

ſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt: præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus eſt, ob id, quod inutilis factus eſt. Debet autem conſiderari ceſſatio illa lucri, prout eſt veroſimilis ſpes illud lucrum per occiſum obtinendi: unde docent, ducendam eſſe rationem ætatis, roboris, induſtriæ, ingenii, ac artificii occiſi, & quæſtûs, quem quot annis facere conſuevit; expenſas tamen, quas debuiſſet occiſus conſumere, eſſe deducendas: uti etiam ob incertos eventus, & caſus vitæ & morbos, quibus hominum vita ſolet eſſe obnoxia, partem dicti lucri eſſe minuendam. Laborem verò lucrando adhiberi ſolitum, hîc deducendum non eſſe, eſt veroſimilius. Ità enim fieri potuiſſet, quod ad nihil teneretur occiſor, dum aliquando omnia lucra ex labore pendent, & ex eo conſiderantur.

Quod ad familiam occiſi attinet, quam ſolebat ſuſtentare: docent communiter Authores, quod iis omnibus de damno teneatur occiſor, quod occiſus jure neceſſario alere tenebatur, uti ſunt Pater, Mater, Uxor, Filii: cæteros verò propinquos non itidem, *v. g.* Fratri, Nepoti, & aliis hæredibus non neceſſariis, ſive quos occiſus potuiſſet excludere. Verùm, ſi Fratres, & ſimiles ad inopiam redacti, ab occiſo debebant ſuſtentari, omninò iiſdem tali caſu obligatum eſſe homicidam de damno, ſicut aliis hæredibus neceſſariis, aliqui admittunt, eò quòd una, & eadem utrobique ſit ratio; cùm homicida utriſque ſit vera cauſa damni, eaque injuſta, injuſtè utroſque impediens ab alimentatione, quæ illis debebatur. Verumtamen contrarium videtur verius; ideò enim hæredibus neceſſariis tenetur homicida de damno, quia eoſdem injuſtè privat alimentatione, quam ſtricto jure ab occiſo poterant exigere; quod locum non habet in hæredibus non neceſſariis; quos etſi injuſtè privet alimentatione: non tamen violatur jus eorum ad illam, cum eamdem ſtricto jure exigere non potuiſſent. Imò, aliàs teneretur occiſor omnibus illis, qui ex morte occiſi ſentirent aliquod incommodum, quod non videtur approbandum. Hinc ad ſummum, occiſor transfert obligationem illis ſubveniendi (ſi quæ ſit) ad hæredes defuncti, non verò eamdem omninò aufert. Inſuper juxtà Sotum *q. 6. art.* 3. & alios, tenetur etiam homicida propinquos occiſi placare, cum iis etiam ſuo modo mors occiſi obfuit: etſi hæc obligatio homicidæ ſit perſonalis, neque tranſeat ad hæredes, prout obligatio reſarciendi damna realis.

Circà jam dicta quæri poteſt: 1. An ſi plectatur capite homicida, liberetur homicida à reſtitutione jam dicta. *Reſp.* Quod non: & ratio eſt, quòd hâc pœnâ ſatisfiat tantùm reipublicæ, ac juſtitiæ vindicativæ, neutiquam tamen juſtitiæ commutativæ, quam occidendo violavit hæredibus occiſi. Deindè, ut ait Navarrus *in ſumma C.* 15. *num.* 23. ſicut lex naturalis, & divina neceſſitatem homicidæ imponit ad compenſanda damna antè ſententiam Judicis: ita nec illa neceſſitas ſententiâ Judicis extinguitur. Inſuper, ſicut qui diverſas res duobus debet, non liberatur ſolvendo uni, quod ei debet, niſi & alteri ſolvat rem illi debitam: ità & hîc, etſi ſatisfactum ſit reipublicæ, debet tamen etiam ſatisfieri aliis, quos injuſtè damnificavit occiſor. Sic etiam, etiamſi

Etſi homicida morte plectatur, non ideo erit liber à reſtitutione.

Digitized by Google

etiamſi fur ſuſpendatur, tenetur tamen ablata reſtituere. Solent interim honeſtiores occiſi hæredes, morte homicidæ eſſe contenti; & cætera reſtituenda aliàs liberaliter condonare, non itidem tamen tam facilè condonare injuriam familiæ illatam. E contrà egentes hæredes occiſi, magis ſolent eſſe ſolliciti de reſarciendis damnis, quam injuriâ; dum eorum burſa magis patitur, quàm eorumdem ſama.

Quatenus liberat à reſtitutione condonatio occiſi.

Quæres 2. an ſi occiſus ante mortem condonaverit ſuo homicidæ, liberabitur à reſtitutione occiſor. Reſp. In primis, ſi occiſus illud dixerit ſuo Confeſſario, non liberabitur à reſtitutione faciendâ. Ratio eſt, quia illa condonatio intelligi debeat in his circumſtantiis, quoad legem charitatis, quâ debet injurias condonare, inimicos diligere, &c. Non verò quoad legem juſtitiæ, quâ etiam injuria ex animo remiſſa, debet reſarciri. Deindè, ſi alia quoque occiſus remiſerit occiſori, quæ remittere potuit, cenſendus erit occiſor eſſe liber à reſtitutione faciendâ. Dico, *quæ remittere potuit*: quia, ut rectè notat Card. Lugo *tom. 1. fol.* 319. *de jure*, abſolutè nequit occiſus remittere jus hæredibus violatum ex morte occiſi; eò quòd jus illud ad reſarcienda damna ex morte Patris occiſi, v. g. Filio obvenientia, immediatè acquiratur Filio, non verò ipſi occiſo. Undè ait, hîc eſſe quaſi duplicem injuriam, unam illatam Patri, aliam illatam Filio, ex quâ ſecundâ oritur jus ad compenſanda damna. Adde, quod vivente adhuc Patre, necdum debeat homicida Filio compenſationem, cum necdum Filius patiatur damnum; unde nec poterit Pater vivens compenſationem illam remittere.

An provocatus alium occidens teneatur ad reſtitutionem

Quæres 3. an etiam teneatur ad reſtitutionem ille, qui ab occiſo provocatus eum occidit. Reſp. Si occidendo non exceſſerit occiſor moderamen inculpatæ tutelæ, juxta multos non tenetur ad reſtitutionem; non præcisè quidem ex eo, quod non peccaverit; ſed quod occiſus provocando cenſeatur ceſſiſſe juri ſuo, ac remiſiſſe reſtitutionem, ſi occumbat. Verùm, cùm non ſatis conſtet de tali provocantium intentione, etiam dicta opinio non eſt ſatis ex eo fundata, maximè, cùm ſic plurimi homicidæ eſſent liberi à reſtituendo, dum ſæpiſſimè ſolet provocatio intervenire. Undè alii docent, & fortè verius, quod ſi graviter exceſſerit homicida moderamen inculpatæ tutelæ, omninò obligetur ad reſtitutionem damnorum, cùm fuerit verè injuſta cauſa damni.

An occiſor caſualis.

Quæres 4. an teneatur aliquis ad reſtitutionem, qui alium caſualiter, aut etiam vitam ſuam defendendo occidit. Reſp. Cùm homicidium caſuale ſit involuntarium, & conſequenter nec peccatum; ſequitur, quòd nulla ſit facta formalis injuria, adeòque nulla contracta ſit reſtitutionis obligatio. Idem eſt de illo, qui vitam ſuam debito moderamine defendendo alterum occidit, quo caſu injuriam potiùs dicendus eſt propulſaſſe, quàm feciſſe; & ſuo tantùm jure uſus eſſe cum occiſione alterius ſeſe juſtè defendendo: neque ex eo, quod quis jure facit, oriri poteſt obligatio reſtituendi, quæ oritur ex injuriâ. Hinc juſtè ſtatutum eſt hîc in Belgio, quòd quando homicidium perpetratum eſt ex neceſſitate, caſu, aut ſi occiſus non ſit mortuus ex vulnere inflicto,

Digitized by Google

flicto, ſed ex alio accidente, libellus venialis dari poſſit etiam antè annum elapſum. Item, quod qui ſeſe defendendo domi ſuæ alterum occidit, ſit planè immunis ab omni pœnâ. Videri poteſt Codex Belgicus *V. Doodt-ſlagen, num.* 14. & 20.

Quæres ultimò, an homicidæ veniam à conſanguineis petenti, illam debeant conſanguinei in conſcientia condonare. Reſp. Pendet hæc quæſtio multum ex eo, quæ ſigna benevolentiæ ſint exhibenda inimico. Comitolus *Reſp. Mor. l.* 4. *q.* 32. refert quoſdam docuiſſe, debere conſanguineos homicidæ veniam petenti eam condonare, etiam datis de remiſſione publicis tabulis: adeò, ut eamdem denegantibus, ſit deneganda abſolutio à Confeſſario in Sacramento Pœnitentiæ. Imò, quod D. Thomas 2. 2. *q.* 83. *art.* 8. doceat, inimico non ſimulatè veniam petenti, familiaritatis ſigna non eſſe deneganda. Verùm enim verò, ex communi Theologorum ſententiâ ſatis conſtat, primò, quòd inimico veniam poſtulanti ex corde ſit condonandum, ejectis de corde odio, invidiâ, & rancore. Secundò, hoc quoque certum eſt, inimicos à generalibus benevolentiæ ſignis non eſſe excludendos. Tertiò liquet, inimico veniam de illatâ injuriâ poſcenti, non eſſe remittendam, vel ſatisfactionem, vel reſtitutionem, cum nemo teneatur alteri condonare, quod ſibi jure debetur: neque ad quod alter obligatus eſt ex jure naturæ, divino, & humano, tenetur quis alteri remittere. Ex quibus patet ſolutio ad quæſtionem propoſitam, quod etſi hæredes occiſi, homicidæ veniam petenti ex animo debeant condonare, nec poſſint eum odiſſe, aut à generalium benevolentiæ ſignorum exhibitione excludere: non tamen teneantur homicidæ ſupplici remittere reſtitutionem, aut ſatisfactionem faciendam propter homicidium, ſed uti poſſint jure ſuo, & actionem juſtam proſequi. Imo nec deſunt, qui doceant ſubindè conſultum eſſe, veniam dictam denegare; tum, ut pars læſa, ulterius non lædatur, ſi actio remittatur: tum etiam, ut homicida crimen ſuum maturius recognoſcat, & feriò ſe convertat. Unde & hâc ratione ulteriùs docent, neque aliquando eos ad colloquium admittendos, non eſſe ſalutandos, &c. maximè illi, qui ejuſmodi ſigna particularia volunt eſſe, non generalia, uti Cajetanus 2. 2. q. 26. art. 8. de iis ità admonens: *& propterea cave tu Confeſſor, ne neges abſolutionem nolenti hæc ſigna dilectionis inimico exhibere.*

An occiſori veniam petenti debeant eam hæredes dare.

SECTIO XV.

Corrolaria aliquot ex dictis de homicidio deducta.

EX dictis ſequitur, aliqua eſſe meritò condemnata ab Eccleſiâ: ac in primis ab Alexandro VII. juſtè condemnatam eſſe hanc propoſitionem num. 17. *eſt licitum Religioſo, vel Clerico Calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſuâ Religione ſpargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi Calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.*

O 2. Eo-

Digitized by Google

2. Eodem jure condemnatam eſſe hanc ab InnocentioXI.num. 30. inter 65. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui dicitur calumniam inferre, ſi hac ignominia aliter vitari nequit. Idem quoque dicendum eſt, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.* Videri poterit ſectio 5.

3. Et illa num. 31. *Regulariter occidere poſſum pro conſervatione unius aurei.* Et illa uum. 32 *Non ſolum licitum eſt, defendere defenſione occiſivà, quæ actu poſſidemus, ſed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* De quibus videri poterit ſectio 4. & illa ſubſequens: *Licitum eſt, tam hæredi, quam Legatario contrà injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata ſolvantur, ſe taliter* (occidendo) *defendere, ſicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contrà eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.*

4. Et illa iterum ab Alexandro VII. num.18. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi aliâ viâ non poteſt imminens damnum evitare.*

5. Et illa ab eodem condemnata num.19. *Non peccat Maritus occidens propriâ authoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.* Vide ſectionem 7.

6. Hæc ab Innocentio XI. num. 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Vide ſectionem 7. eâdem ratione damnata eſt 35. proximè ſubſequens.

7. Hæc num. 13. *Si cum debitâ moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vitâ alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare: non quidem ex diſplicentiâ perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Et hæc ſequens: *licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris: non quidem, ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Et iterum illa: *Licitum eſt filio gaudere de patricidio Parentis, à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Quas luxuriantium ingeniorum opiniones, ut ſcandaloſas damnavit Alexander, & tamquam ſcandaloſas, ac in praxi pernicioſas damnavit InnocentiusXI. utroque ſummo Pontifice diſtrictè ſub excommunicatione prohibente eaſdem defendere, vel docere. Et certè mirum, in adeò crudeli, ac efferatâ materiâ, ita excreviſſe illorum ingeniorum effrænem licentiam.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

De injuriis per ſtuprum, & adulterium illatis, deque earumdem reſtitutione faciendâ.

SECTIO I.

De injuriis, quæ inferuntur per ſtuprum.

Rectè in Decalogo poſt legem, *Non occides*, ponitur continuò lex illa, *Non mœchaberis.* Pudicitia etenim hâc lege prohibita violari, etiam ipſi vitæ ſubindè anteponitur, uti vidimus Capite præcedenti. Deinde, per adulterium, quod hâc quoque lege interdicitur, fit injuria in corpus alterius conjugis, dum juxtà Apoſtolum 1. Cor. 7. *Mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; ſimiliter autem, & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed Mulier.* Aliis quoque Luxuriæ ſpeciebus ſua ineſt injuria. Potiſſimum hîc agendum eſt de ſtupro, & adulterio, ex quibus propria injuriæ ratio ſolet evenire.

Stuprum ergò, variè accipitur apud Authores. Latiùs ſubindè accipitur pro illicita violatione feminæ, etſi foret Vidua. Strictè ſumitur pro corruptione Virginis extra matrimonium. Strictiùs verò pro violentâ virginis violatione. Quid ſtuprum.
His poſitis communis eſt Doctorum opinio; primò, quod qui virginem conſentientem, aut ſeſe ultrò offerentem ſtupravit, nil debeat reſtituere. Variant tamen Authores in aſſignanda ratione: alii ſatis communiter rationem aſſignant, quod ſcienti, & conſentienti non fiat injuria. Verùm, cum regula illa fallat in eo caſu, quo quis cedere ſuo juri non poteſt, uti docuimus ſect. 1. cap. 3. Hinc, quia virgo juxta alios non poteſt cedere juri ſuo, quod habet ad cuſtodiendum clauſtrum virginale, non magis, quam cedere poſſit juri, quod habet ad cuſtodiam manûs, vel pedis; ideo pro ratione hîc alii aſſignant, quod dum conſentit, cenſeatur puella omnem aliàs debitam reſtitutionem remittere.

D. Antoninus *parte 2. tit. V. §. I.* addit, etiam in hoc caſu conſentientis puellæ, ſatisfaciendum eſſe Parentibus, vel eorum loco puellæ tutoribus. Hinc in ſtupro ponit duplicem malitiam, ſeu injuriam: unam puellæ irrogatam: alteram parentibus, juxta legem Exodi 22. & Deuteron. 22. ubi imponitur ſtupratori virginis, dare patri puellæ 50. ſiclos argenti. Ex quo inferunt, quod etſi ſtupratæ conſentienti non debeat fieri reſtitutio, tamen illa equidem facienda ſit parentibus conſtupratæ, & ut ait ibi Antoninus, ſtuprator in aliquo parentibus ſatisfaciat, vel ſaltem eos placet. Quidquid interim hîc ſit, alii tamen volunt, ſtupratorem eo caſu nil debere ex ſtrictè dicta juſtitia parentibus reſarcire; tum, quod etſi parentes habeant jus cuſtodiendi puellæ pudicicitiam,

dominium tamen integritatis corporis, quoad uſum ejuſdem, eſt penes puellam, non verò penes parentes; quorum proindè jus per ſtuprum non violatur. Hinc invitis etiam parentibus poteſt alicui nubere citra eorumdem injuſtitiam: tum etiam, quod eo caſu ipſa quoque parentibus deberet reſarcire injuriam, ſi haberet propria bona.

Dicet aliquis, poteſt fieri, quòd parentes ob ſtuprum teneantur ſuæ filiæ dare dotem longè majorem, cujus damni cauſa eſt ſtuprator. Deindè poteſt fieri, quod ex divulgatione ſtupri parentes infamentur, cujus infamiæ cauſa eſt ſtuprator. Reſp. Ad primum, nihil omninò illud referre; quia puella poteſt manere innupta: deindè, quando conſentit in ſui deflorationem, cenſetur cedere juri ſuo, quod poſſet habere ad ſimiles nuptias, per quod nulla fit parentibus injuria. Imo eo caſu, ipſa puella conſentiens videtur potiùs eſſe cauſa illius damni, quàm ſtuprator. Ad aliud Reſp. Eo caſu, tam ſtupratam, quàm ſtupratorem teneri ad aliquam ſatisfactionem parentibus faciendam, & ad aliqualem reſtitutionem famæ. Addo tamen, quod etſi non lege juſtitiæ, lege tamen charitatis teneatur ſtuprator ad aliqualem parentibus ſatisfactionem præſtandam, uti & ipſam conſtupratam. Cùm enim parentes à natura conſtituti ſint conſervatores, ac cuſtodes integritatis filiarum, prout latè deducit Eccleſiaſticus, Cap. 42. Sequitur, quod ab utroque, id eſt tam à ſtupratâ, quàm à ſtupratore parentibus ſit illata injuria, qualiter ab omnibus ſolet apprehendi. Quibus accedit, quod ex violatione filiæ, fiant parentes in opprobrium inimicis, & objiciantur detractionibus, & objectionibus populi, ac confundantur in multitudine plebis, uti ibidem rectè obſervat Eccleſiaſticus: ratione cujus, aliqualem ſatisfactionem, vel per ſupplicem veniæ petitionem, vel aliam ſupplicem humiliationem, parentibus faciendam eſſe, ſatis apparet.

Tertia eſt aliquorum opinio, per violationem virginis, non fieri quidem injuriam virgini conſentienti, neque etiam ſtrictè dictam injuriam parentibus, ſed eamdem fieri Reipublicæ, toti humano generi, toti ſpeciei, toti civium ſocietati; quæ legitimis connubiis conſervatur, & augetur; ac patrimonia, & hæreditates legitimis hæredibus tranſmittuntur: at legitima matrimonia mirè impediri virginum conſtupratione, eſt quam notiſſimum. Ità ferè Comitolus, inferens ſemper ſtuprum, etiam puellæ conſentienti illatum, eſſe tamen peccatum injuſtitiæ. Verùm, cùm indè nil aliud probet, niſi violari eo caſu juſtitiam legalem, ſive Reipublicæ, ac communitati debitam; eatenùs quoque ſtuprum dicendum eſt injuſtum, ac ſimpliciter; alii judicent, conformiter ad dicta Cap. 1. ſect. 2. ubi egimus de Juſtitiâ legali.

Notant tamen hîc paſſim Authores, in foro externo ſemper præſumi virginem ſeductam, ſive in ſtuprum non conſenſiſſe, niſi probetur contrarium: undè, ſi fortè virgini conſentienti conſtupratæ adjudicata fuiſſet aliqua ſumma pro pœna, teneretur eamdem in conſcientia reſtituere, cum illa ſententia falſæ præſumptioni ſit innixa. Notant ulteriùs, quod etſi virgo liberè conſenſiſſet, ſi tamen ſtuprator poſteà ſtuprum manifeſtet, eamque eâ ratione infamet, te-

neatur

neatur ſtuprator virgini ſtupratæ ad reſtitutionem famæ, & honoris, non ſecus, ac ſi eam injuſtè defloraſſet.

SECTIO II.

Quid reſtituendum ſit puellæ ſtupratæ non conſentienti.

QUi vi, fraude, aut minis Virginem violavit, juxtà omnes tenetur reparare omnia damna honoris, ac fortunæ; tam virgini, quàm parentibus obvenientia, dum illorum eſt verè cauſa injuſta: *Cap. ſi culpa. de injur.* Nec tantùm qui vi, vel fraude ità corrupit virginem ad hoc tenetur; ſed & ille, qui eam corrupiſſet talibus blanditiis, aut precibus tam importunis, ut dolo æquivalerent. Qui enim ità circumveniſſet virum, teneretur ad damna, ſi quæ ex tali circumventione eveniſſent: quid nî & feminæ hoc caſu tenebitur, quæ de ſe fragilis eſt, & ad ſeducendum magis diſpoſita? Hinc etiam, ſi quis talibus mediis importunis alium induxiſſet ad luſum, cenſeretur alius ludere invitus; & ſi perdat, debet perditum reſtitui, ac ſi dolo, vel fraude fuiſſet acceptum. Aliud eſt de blanditiis, precibus, & aliis communiter puellis adhiberi ſolitis, nec fraudi, aut dolo æquivalentibus, quibus non obſtantibus cenſeretur moraliter loquendo virgo liberè concenſiſſe. Porrò, ut hîc rectè judicetur, an virgo potiùs ſeducta ſit, an liberè conſenſerit, diligenter tota circumſtantiarum ſeries eſt attendenda, & conformiter diſjudicandum, an virgo, vel ſponte, vel fraude cenſeatur eſſe corrupta: quamquam alii rectè notent, rariſſimè dictas preces, & blanditias, vi, aut dolo æquivalere, & verè puellam facere invitam; dum femina de facili conceptâ irâ, & aſperitate, importunum ſolicitatorem poſſit repellere, & aliis viis abſtinere.

Deindè notant alii, quod etſi neque vis, neque fraus, neque ſimilis importunitas adfuiſſet, ſi tamen corruptor virginis eſſet dives, & virgo pauper, teneatur tamen corruptor aliquam partem dotis contribuere, etſi eam non promiſiſſet, cùm eo caſu videatur interceſſiſſe aliquod pactum implicitum de tali parte dotis contribuendâ; ac ſub tali ſpe cenſeatur virgo in ſui deflorationem conſenſiſſe; dum enim vident in foro externo talem pœnam injungi ſtupratoribus, cogitant pauperiores eo ſe medio adjuvare. Sententiam hanc vocat Salonius, *veriſſimam ſecundùm Chriſtianam charitatem, & pietatem, à graviſſimis Viris edoctam*, addens, non debere Confeſſarios eſſe faciles in abſolvendis hujuſmodi, niſi injunctâ illis dictâ reſtitutione.

Porrò, dicta reſtitutio ita intelligenda eſt, ut ſi vi, vel fraude ſit corrupta, non teneatur quidem totaliter dotare virginem corruptam; ſed ſolummodo ſuperaddere, quo poſſit æquè commodè alteri nubere, ac ſi corrupta non fuiſſet. Secundò, debeat ulteriùs aliquid tribuere ad prudentum judicium, ratione doloris, ac mæroris, quem vim paſſa ſemper patitur; ac ratione timoris, & periculi, ut ſi conjugata à viro id recognoſcatur, malè tractetur, aut fortè dimittatur. Tertiò, non teneri eam ducere, ſi promiſſio Matrimonii non

Quanta debeat hic eſſe reſtitutio.

non acceſſerit, de quo poſteà: ſed alternativè, vel eam debeat ducere, vel dotare juxtà mox dicta, dum ſolummodo tenetur damna reparare, quod fit alterutro modo ex dictis; quod etiam verum eſt, etſi virgo matrimonio velit copulari. Addunt varii, ſaluberrimum eſſe conſilium eamdem ducere, ut penitùs puella ab omni injuriâ liberetur. Imò & juſtiſſimè aliquando à Judice in pœnam poſſet ſtatui, & eam ducere, & dotare, conformiter ad legem Exodi Cap. 22. *Si ſeduxerit quis virginem nedùm deſponſatam, dormieritque cum eâ, dotabit eam, & accipiet eam in Uxorem.* Si verò virgo noluerit acceptare ſtupratoris matrimonium, aut parentes nolint eam dare in Conjugem, non liberabitur ſtuprator ideò à reſtituendâ dote, ut volunt aliqui; ſed tenetur damnum illatum pecuniâ compenſare; cùm illam compenſationem, vim paſſa ſemper poſſit exigere, neque cogenda ullatenus ſit, ut cum ſtupratore debeat contrahere, & privanda ſit jure, quod habet ad eligendum Virum, quem voluiſſet.

Quid ſi corrupta æquè bonas fortita ſit nuptias. Si verò virgo vi ſeducta, æquè benè alteri ſit nupta, quam ſi corrupta non fuiſſet; aut etiam, ſi illa liberè profiteatur in Religione, liberabitur juxtà plurimos ſtuprator à dictâ reſtitutione, niſi prævié reſtitutio illa, illi fuiſſet per Judicem injuncta. Ratio illorum eſt, quod in primis non teneatur pro ipſa violatione, quæ de ſe eſt omninò irreparabilis, nec prætio æſtimabilis: neque etiam de damno dato, cùm nullum ſit ſecutum, uti ſupponitur: nec denique pro periculo non inveniendi commodas nuptias, quod hoc caſu ceſſat. Alii addunt, quod ſi poſteà à Marito deprehendatur fuiſſe corrupta, & ideò malè tractetur, aut dimittatur; damna illa ad arbitrium prudentum eſſe compenſanda. Alii tamen cum Navarro cenſent, etiam damnum pudicitiæ eſſe prætio æſtimabile, juxtà alibi dicta ex D. Thoma, quod quando aliquid non eſt reſtituibile ſecundùm ſe, debeat fieri reſtitutio ſecundùm id, quod fieri poſſit ad arbitrium prudentis viri. Deindè, ſemper equidem ſtuprata manet in periculo, vel famæ, vel quod à Marito malè tractabitur id recognoſcente, ob quod periculum, volunt etiam eo caſu aliquid eſſe reſtituendum. Si autem ante tempus nubendi puella moriatur, nec ante mortem pacta ſit de prætio pro periculo damni, cui ſe expoſuit, ad nihil tenebitur deflorator, nequidem ejus hæredibus, dum nullum omninò damnum eſt ſecutum. Si tamen anteà de dote dandâ pacta fuiſſet, aut etiam illi per ſententiam Judicis eſſet adjudicata, teneretur eam deflorator hæredibus dare, tamquam ſuccedentibus in omnia jura puellæ demortuæ. Si tandem antè mortem puella omnem ſatisfactionem condonaſſet, liberabitur deflorator.

Quid ſi ſtuprator promiſiſſet matrimonium. Dicta omnia intellige de eo, qui non promiſit virginem ducere, quæ promiſſio ſi acceſſerit, tenebitur virginem ducere, nec ſatis eſt eam dotare, idque ſive promiſſio vera fuerit, ſive ficta. Ratio eſt, quod hîc interceſſerit verus contractus, *do, ut des; facio, ut facias*, quem cum impleverit virgo ex ſuâ parte, eumdem ex ſuâ parte tenetur adimplere ſtuprator. Deinde, ſi fictè promiſit, decepit puellam cum damno pudoris, & aliis comitari ſolitis, adeoque

eamdem

Digitized by Google

eamdem debet integrè reſtituere in priori ſtatu, quoad fieri poſſit. Et certè, ſi ob fictionem hîc liber eſſet ſtuprator, reportaret ex fraude patrocinium, & innumeris fraudibus paterent humana commercia. Excipiunt paſſim, aliquot caſus, in quibus, is, qui fictè promiſit matrimonium, eoque medio virginem corrupit, non teneatur eam ducere. 1. Si habeat aliquod impedimentum, v. g. quod habeat votum continentiæ, Religionis, ſi alteri ſit conjux. Si verò viro poſtea ſuperadveniat aliquod impedimentum dirimens, v. g. ſi fiat affinis, cum alio contrahat, promoveatur ad S. Ordines: teneatur juxtà ante dicta, damnum reſarcire. 2. Non tenetur, ſi ex matrimonio timeantur gravia ſcandala, aut alia graviora mala. 3. Si ſint longè diſſimilis conditionis, ſi vir ſit nobilis & dives, femina ſit vilis, & pauper. Eo enim caſu non poterit femina conqueri ſe eſſe deceptam, dum facilè prænoſcere potuit, promiſſionem illam non eſſe veram, ſed fictam. Si tamen puella ignorans eam diſparitatem, bonâ fide conſenſiſſet; aut etiam vir ille eo nonobſtante verè promiſiſſet, ſciens etiam hanc diſparitatem: tenebitur omninò ad matrimonium, niſi ejus remiſſionem obtineat, aut ab eo excuſetur ob graviora mala ex tali matrimonio meritò timenda. Eodem jure non tenebitur eam ducere, ſi ex nimiis exaggerationibus, inconſtantiâ, & ambiguitate verborum, ſufficienter advertere poterat, promiſſionem eſſe ſolummodo fictam, quo caſu non poteſt dici meritò eam eſſe deceptam. 4. Non tenetur eam ducere, ſi illa cum alio fornicetur, cum hoc etiam impediat ſponſalia. 5. Si dicendo ſe eſſe virginem, poſteà deprehendatur eſſe corrupta, quo caſu ipſa potius decepit Virum. Idem dicendum eſt, ſi illâ nihil de virginitate dicente, ipſe tamen putet eam eſſe virginem, qui defectus etiam ſufficiens eſt ad dirimenda ſponſalia. Si verò vir ſciens eam non eſſe virginem, tamen verè promiſit matrimonium, omninò tenebitur. Si fictè promiſerit, videtur adhuc teneri, modò aliundè non ſit impedimentum, cum mulier ex ſuâ parte impleverit contractum, nec de cætero vir ſit deceptus. Circa dictos caſus exceptos obſervandum eſt, quod primo, ſecundo, ac tertio caſu, etſi non debeat eam ducere, tamen teneatur reſarcire damna ex violatione ſecuta. In quarto verò, & quinto caſu non teneatur eam ducere, nec eam dotare, cum eo caſu non deceperit ipſe puellam, ſed potius ab ipſâ fuerit deceptus. Si verò vir offerat matrimonium, quod femina recuſat, ad nihil ultrà tenebitur, cum ſolùm teneatur ad illud, quod promiſit, promiſit autem ſolum matrimonium, quod implere cum per illum non ſtet, ad nihil ultrà tenebitur ſtuprator.

Quæres, quid ſi promiſerit matrimonium poſt emiſſum votum Religionis. *Reſp.* ſi puella ejus voti fuerit conſcia, tenebit votum ob malam fidem. Si verò ignoraverit votum, veriùs dicunt, eo caſu votum non tenere, cum materia voti jam facta ſit impoſſibilis, neque votum obliget cum notabili damno proximi in materiâ juſtitiæ, aliàs votum foret vinculum iniquitatis. Adde, quod votum non obliget, dum res ſunt notabiliter mutatæ, prout hîc fit. Denique, quod obligatio juſtitiæ præponderet obligationi Religionis,

Quid ſi id promiſiſſet poſt emiſſum votum Religionis.

Digitized by Google

nis, quæ ex libera voluntate proficiſcitur, qualis eſt obligatio voti; ſicuti, qui voviſſet dare 100. flor. in eleëmoſynam, non teneretur eo voto, ſi per hoc fieret impotens ad ſatisfaciendum ſuis creditoribus. Extendunt alii hunc caſum, etiam dum honeſta vidua ſub tali promiſſione eſſet cognita: imo, ſi ſolummodo ſub tali promiſſione intercederet talis familiaritas, ut moveat probabilem copulæ ſuſpicionem, etſi illa non adveniſſet, quando ſine notabili feminæ infamiâ nequeat vir à contractu reſilire. An verò inſuper eo caſu teneatur petere talis diſpenſationem, non conveniunt Authores. Alii negant, eo quod ipſo facto adimpletio voti facta ſit impoſſibilis: Alii docent, abſolutè teneri, ſi ea commodè poſſit obtineri, cum teneatur utrique ſatisfacere, puta ſuo voto, quærendo in eo diſpenſationem: & virgini corruptæ, eam ducendo. Alii tamen, ſed pauciores docent, etſi non improbabiliter, tali caſu tenere obligationem voti, niſi diſpenſationem obtinuerit, quam poteſt, etſi non teneatur petere. Ita Sylvius *q. 62. q. 6. Concl. unic.* Ratio ejus eſt, quod promiſſio homini facta, etiam juramento firmata, minor ſit, quàm obligatio voti etiam ſimplicis, unde ait, votum ſimplex dirimit ſponſalia. Nec refert, quod hîc ultrà ſponſalia, adſit obligatio reſtituendi damna, ex ſtupro provenientia: quia illis ſatisfieri poterit aliter, quàm per matrimonium, puta per dotationem, & collocationem in decenti ſtatu. Ad aliorum fundamenta reſpondent, quod quando obligationi voti advenit obligatio juſtitiæ, ſolummodo ſuſpendatur pro tunc obligatio voti, ſi aliter pro eo tempore non poſſit ſatisfieri obligationi juſtitiæ. In hoc autem caſu ſuſpendi non debet ea obligatio, cum ſatisfieri jam poſſit obligationi juſtitiæ, eam dotando.

Quid ſi proles ſit ſecuta. Quæres ulteriùs, ad quid teneatur ille, qui cum aliqua rem habens, puerum ex eâ ſuſcepit. Reſp. intelligendo de non conjugatâ (quia de conjugatâ, mox eſt agendum) dicendum, quod ſi vi, vel fraude, ex eâ puerum ſuſceperit, teneatur Pater à principio puerum alere, & ſolvere omnes expenſas ventris, ac omnia damna ex tali concubitu, & conceptu ſubſecutâ reſarcire, juxtà *Capt. ſi culpa, de injuriis.* Illorum enim omnium eſt verè injuſta cauſa. Quod ſi conſentiente feminâ procreaverit puerum, tenetur ipſa tribus primis annis puerum nutrire, ac deinceps Pater, donec puer ſibi de neceſſariis poterit providere, idque ex jure naturæ, ac pietatis, etſi non de rigore juſtitiæ, ut colligi poteſt ex c. 2. *de converſ. infid. & gloſſa ibid.*

Probatio promiſſionis Matrimonii. Quæres ulteriùs, quomodo promiſſio matrimonii poſſit probari, ſi de eâ non certò conſtet. Reſp. generaliter, juxtà ante dicta, virgo corrupta cenſetur ſeducta: & quidem in eis, quæ luxuriari non conſueverunt, cenſenda erit interveniſſe promiſſio matrimonii, maximè ſi accedat taliter violatæ juramentum, aut alia indicia promiſſionis factæ. Deinde, ſi nulla probatio adveniſſet, exiſtimat Franc. Zyp. *l. V. conſult. conſ. 1. de adult. & ſtup.* Ob juris præſumptionem ſe debere purgare reum, ut juratus declaret, ſe per promiſſiones matrimoniales actricem non ſeduxiſſe. Qui & ibidem addit, in caſu, quo negaret vir eam fuiſſe virginem, quod illa affirmaret, ſtandum eſſe juramento

juramento Mulieris, pro quâ eſt præſumptio qualitatis, quæ à naturâ ineſt: aut ſaltem conſiderandas eſſe conjecturas, & ſtandum communi proborum reputationi, cum mutatio naturæ non præſumatur, niſi vehemens ratio illud ſuadeat.

Quæres ultimò, an Pater hîc poſſit convenire loco filii ſtupratoris. Reſp. non poſſe Patrem ita conveniri, cenſet ſæpius judicatum eſſe Chriſtinæus *vol.* 4. *deciſ.* 117. *in fine.* Etſi aliud ſubindè cenſuiſſe Senatum Sabaudiæ tradat Faber *c. l.* 4. *tit.* 9. *defin.* 3. Salvo tamen jure imputandi in filii legitimam, quidquid eo titulo Pater præſtitiſſet. Quin, quod conſuetudines Antverpienſ. *tit.* 36. *num.* 17. generaliter ſtatuant, non teneri Parentes de delictis filiorum, niſi lex ſpecialiter pœnam ſtatuat parentibus filios in delinquendo non cohibentibus.

SECTIO III.

Quid reſtituendum ſit ratione adulterii.

Ratione vinculi matrimonialis gravior ſit injuria in adulterio, quam in ſtupro, adeo ut etiam Conjuge conſentiente eadem non evitetur. Verum, etſi adulterium ſit contrà juſtitiam; tamen docent communiter Authores, ratione adulterii præciſè nihil eſſe reſtituendum, ſi partus, aut aliud damnum non ſubſequatur. Nec enim omnia, quæ ſunt contra juſtitiam, inducunt obligationem reſtitutionis. Sic v. g. qui per vim baptiſatur, patitur injuriam, ratione cujus nulla illi debet fieri reſtitutio. Confirmat idem Confeſſariorum praxis, quæ nullam reſtitutionem imponit præciſè ratione adulterii commiſſi, ſi nulla de cætero ſecuta ſint damna. Denique, per adulterium præciſè, nullum fit damnum, ſed ſola injuria, pro quâ debetur ſatisfactio, non verò reſtitutio. Imò, ſi Maritus pro adulterio pecuniam accipiat, non tenet ejuſmodi donatio, dum de jure ſimilis conventio eſt reprobata, ne Maritus videatur ſuæ uxori facere lænocinium, *L. tranſigere*, *C. de tranſact.* Si tamen occultè fiat talis conventio, non videtur, quâ ratione debeat pecunia eo caſu data reſtitui; dum dicta lex præſumptioni innititur lænocinii; quod ſi abſit, valebit compoſitio ante dicta. Denique, ſi culpâ adulteri diffamatum ſit adulterium, tenetur omninò adulter Marito famam adulterii diffamatione ablatam reſtituere, uti quivis alius injuſtus famæ denigrator. Supereſt videndum, quid reſtitui debeat, ſi proles ex adulterio ſit ſecuta.

Gravior eſt injuria in adulterio, quam in ſtupro.

Ratione adulterii præciſè nulla debet fieri reſtitutio.

In primis ex parte adulteri eſt obligatio alendi pueri à tertio ætatis anno, juxtà ante dicta, ſi moraliter conſtet ex ſuo congreſſu eum conceptum eſſe, ac natum, ut puta, quod pro eo tempore vir abſuerit, fuerit æger, & ad matrimonium impotens, &c.

Quid ſit reſtituendum dum proles eſt ſecuta.

Docent ſecundò, quod etiam teneatur adulter hoſpitali, cui fortè puer expoſitus traditur nutriendus, ſi de cætero parentes ſint alendo puero ſufficientes; eò quod hoſpitalia illa ſolummodo inſtituta ſint ad alendos pueros paupe-

 rum,

rum, non divitum, qualis hic ſupponitur. Alii è contra volunt, hoſpitalia dicta, non ſolum eſſe inſtituta ad ſubveniendum expoſitis pauperum, ſed expoſitis quibuſcumque, ſive ex pauperie, ſive ex timore infamiæ exponantur à ditioribus, qualis videtur eſſe mens fundatorum; puta ne ulli infantes expoſitii perirent. Adde, quod parentes ſolummodo ex pietate, non itidem ex juſtitia, teneantur filios alere: adeo, ut in defectu parentum aliis filios alentibus non debeant parentes ex juſtitia quidquam refundere. Denique, etſi juxtà dictos Authores ex juſtitiâ nihil teneantur parentes hoſpitali; tenentur tamen Confeſſarii dictis exponentibus injungere eleëmoſynas Spiritui ſancto tribuendas, ut obligationi ſuæ pietatis faciant ſatis.

Quid ſi ſit dubium, an proles ſit ex adulterio.

Si verò dubium ſit, ſitne puer ex concubitu ſuo natus, an ex concubitu conjugis, variant Authores in aſſerenda obligatione reſtitutionis. Alii docent, eo caſu puerum natum reputandum eſſe legitimum, eò quod poſſeſſio ſtet pro matrimonio, ex quo cenſetur ſemper natus, donec conſtet de oppoſito. Deindè, hîc melior eſt conditio poſſidentis, neque quis re ſuâ privari debet ob dubiam ſolummodo obligationem: Unde nec filius ſuo jure legitimitatis debet privari, niſi conſtet eum eſſe ſpurium. Ex quo ulterius inferunt, quod ſi vir tempore conceptûs cum muliere converſatus fuerit, non teneatur adulter credere puerum natum eſſe ſuum, etiamſi puer vultu præferat imaginem adulteri, eò quod hoc ſit ſignum valde fallax: imo, neque ſi adultera id juret, aut aliæ adſint conjecturæ ſolummodo probabiles. Ità plurimi Anthores.

Verum rectiùs alii docent, adulterum in hoc caſu dubii teneri ad reſtitutionem pro quantitate dubii, cum in dubio ſit potius favendum innocenti; & cum conſtet certò adulterium eſſe commiſſum, præſumptio hîc eſſe debet contra nocentem. Deinde, eſt contra æquitatem, quod in caſu dubii, debeat unus, iſque innocens omnia alimenta præſtare ſolus, & alius ſit planè immunis. Neque obſtat, quod filius in dubio debeat ſeſe reputare legitimum, donec probetur ſpurius; dum innocentia filii id meretur, & hactenus ſit in legitimâ poſſeſſione. Adulter verò eſt cauſa injuſta, quod maritus det alimenta filio tamquam certo, qui tamen eſt dubius, quod proindè damnum debet marito compenſare.

Si verò duo aliqui cum eadem adultera eodem tempore converſentur, nec ſint ſigna manifeſta ad cognoſcendum partum magis eſſe unius, quam alterius, volunt alii non teneri quemquam eorum puerum recognoſcere pro ſuo, idque rurſum ex eo principio, quod in dubio ſit melior conditio poſſidentis, nec in caſu dubii debeat quis privari re ſuâ; unde ſicut in foro externo re non probatâ reus abſolvitur: ita & hic uterque abſolvitur ab obligatione præſtandi alimenta, donec probetur, puerum ad aliquem pertinere. Idem quoque eſt, quod ſi occiſo in via reperto, dubium ſit quis fecerit, an Petrus, an Paulus; non poſſit alter puniri, niſi de eo conſtet: ità & hic. Meliùs tamen, & æquitati conformiùs docent, utrumque adulterum teneri ad reſtitutionem pro ratione

tione dubii, & pro ratâ, ut ſicut quiſque fuit cauſa injuſta damni, ſic quiſque pro ſuâ parte illud reſarciat. Adde, iniquum eſſe, filium in eo caſu ſubſidio parentis manere deſtitutum, & quod proles jus habeat petendi ab illis alimenta pro ratione dubii, pro quo reputantur ejus eſſe parentes.

Tenetur inſuper adulter de damnis obvenientibus legitimis filiis ex ſuppoſitione ſpurii; idque, ſive adulter ſuppoſitionem ſuaſerit, ſive non. Quod ad illud obligetur adulter, ſi ſuppoſitionem ſuaſerit, communis omnium habet opinio. Si verò non ſuaſerit ſuppoſitionem adulter, varii cum Dominico Soto *l. 4. q. 7. art. 2. ad* 2. cenſent, adulterum ad hoc non teneri. Ratio illorum eſt *illa*, quod ſola mater hoc caſu ſit cauſa ſuppoſitionis, neque adulter eam nullo modo ſuaſerit, aut intenderit; adeo ut hîc idem eſſe videatur, ac ſi adultera procuraret abortum, cujus certè cauſa non eſſet adulter, niſi abortum ſuaſiſſet. Verior tamen eſt dicta opinio, communior, & in praxi penitùs ſequenda, dum adulteris in hoc negotio non eſt ullatenus favendum. Ratio eſt, quod etſi adulter ſuppoſitionem ſpurii non ſuaſerit: quis neget, eum equidem fuiſſe cauſam injuſtam damnorum obvenientium legitimis? Poterat enim, & debebat prævidiſſe adulter, quod ex ſuo adulterio illa ſuppoſitio ſequeretur; ex quo fit, quod etſi ſuppoſitionem non ſuaſerit, tamen ejuſdem ſit vera cauſa moralis, cui meritò ſuppoſitio illa imputatur.

Quod verò ad adulteram ſpectat, cum & ipſa ſit vera cauſa damnorum ex ſuppoſitione ſpurii obvenientium, tenetur & eadem quantum illa poteſt, reſarcire. Hoc autem facere poterit, procurando meliorationem legitimorum à ſe, vel Marito faciendam; illis dando ea, quæ poſſet dare extraneis; paraphernalia (ſi quæ habeat) dando legitimis; ſpurium ad religionem monendo; denique omni medio legitimo allaborando, ne ſpurius cum legitimis participet. Quod ſi adultera ſimilibus modis non poſſit damna illa compenſare; quæri ſolet, an debeat ſpurio indicare crimen ſuum, ut damna aliorum poſſit præcavere. Reſp. ſi veroſimiliter revelatio illa nihil proderit, & ex ea timeantur gravia damna, ac pericula, videtur adulteram ad eam revelationem non eſſe obligatam. Ubi adverte, filium non debere credere matri dicenti eum eſſe ſpurium, niſi id probet, cum unius teſtimonio non debeat credi, ubi agitur de præjudicio, uti hîc fit, neque alleganti ſuam turpitudinem ulla debeatur fides. Si verò ſit ſpes, quod per revelationem adulterii occurretur damnis illatis, nec de cætero ſit timor gravioris mali, tenebitur adultera crimen ſuum manifeſtare. Ratio eſt, quod reſtitutio ſit de jure naturæ, & fieri debeat, dum poteſt, prout hîc poteſt. Talis caſus intervenire poſſet, ſi & vir, & filius forent homines valde boni ac prudentes, qui crimen illud ſilentio forent compreſſuri, neque ideo adulteram vexaturi. Si verò ſit timor gravioris mali, v. g. infamiæ, verberum, mortis, &c. docent aliqui, etiam cum periculo vitæ debere adulteram aperire crimen adulterii, ſi aliàs regnum aliquod, aut domus præclara ad ſpurium ſilente adulterâ deberet tranſire. Ità etiam Adrianus *quodl.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Alii è contra docent generaliter, non

Quid teneatur adultera.

 teneri

Digitized by Google

teneri adulteram honeſtæ famæ, cum periculo vitæ, vel gravis infamiæ crimen ſuum aperire. Ratio eſt, quod hoc caſu cenſeatur reſtitutio eſſe moraliter impoſſibilis; & ſi fortè legitimi hîc dici poſſint eſſe inviti, quod eorumdem portio retineatur à ſpurio; dici poteſt, quod ſint hoc caſu irrationabiliter inviti, dum timentur graviora mala. Adde, quod bona inferioris ordinis non ſint reſtituenda cum diſpendio bonorum ſuperioris ordinis. Unde paſſim Canoniſtæ in *Capt. Officii. 9. de pœnit. & remiſſ.* docent, non eſſe negandam abſolutionem mulieri adulteræ, nolenti cum diſpendio vitæ, vel famæ manifeſtare ſuum crimen. Notant inſuper alii cum Navarro, neque Confeſſarium debere poſt obitum adulteræ illud revelare, tum ob ſigillum confeſſionis, tum ob rationes dictas; addens Navarrus, eam ob cauſam Confeſſarium, adulteram, & adulterum fuiſſe occiſum à marito adulteræ.

Dictum eſt, non teneri cum periculo famæ adulteram *honeſtæ aliàs famæ*; quia ſi eſſet perſona vilis, aut pro tali habita, non eſſet eo caſu habenda ratio famæ ejuſdem, quæ jam inde eſſet ablata. Excipiunt inſuper caſum, quo etiam cum periculo vitæ teneretur adultera crimen manifeſtare, ſi ſcilicet ex ſilentio adulteræ periclitaretur bonum commune; quod tamen non oriretur ex obligatione avertendi damna legitimorum hæredum, ſed ex obligatione avertendi malum communitatis, etiam cum periculo propriæ vitæ, quæ obligatio eſt juſtitiæ legalis. Porrò, ſi nec adulter, nec adultera occaſionem habeant, damna legitimis obvenientia reparandi, ſi non timeantur graviora mala ex revelatione, tenentur ambo, vel per ſe, vel per alium à marito adulteræ veniam petere, juxtà Heſſelium in Decal. & alios. Id enim exigit æquitas naturalis.

SECTIO IV.

De Pœnis ſtupri, adulterii, &c.

EXodi 22. ſtatuit Lex divina: *Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatam, dormieritque cum eâ, dotabit eam, & accipiet eam in uxorem.* Deuteron. 22. eadem ferè lex repetitur. Gregorius IX. jubet ſtupratorem ſtupratam ducere: quod ſi nolit, jubet eumdem detrudi in Monaſterium ad luendam pœnam. Habentur *capt. de adulteriis & ſtupro.* Leges civiles *Inſtit. de publ. judic.* ſtatuunt, ut ſtuprator relegetur, dimidiaque bonorum pars publicetur: ſi ſit vilis perſona, verberetur: ſi verò per vim fecerit, capitis condemnetur. Et quidem hoc ultimo ſtupro, tabulæ legum Brabantiæ 1312. ſtatuebant pœnam capitalem talem, ut tali ſtupratori aſſere cervix amputaretur. Hodie ſolet eſſe capitalis gladio, tam ſtupratori, quam coöperantibus violentiæ, & exilium indicitur parentibus hîc negligentibus. Vim verò illatam probatam volunt proclamatione in urbe: at rure in ſylvis violatæ juramento. Quod quouſque locum habeat, videri poteſt in *Notit. juris Belg. Zypæi ad leg. Jul. de adult.* quod ſi ſtuprum ſit attentatum quidem, ſed non conſummatum, equidem ſua conatui manet pœna, uti & in aliis delictis gravioribus, ſi ad actum

Pœna ſtupri.

proxi-

proximum pervenerint. Ita cædem tentatam morte plectendam cenſuit Senatus Antverp. 1629. ut refert Tulden Cod. ad *L. Cornel. de Sicariis num.* 2. Idem à 20. circiter annis cenſuit idem Senatus Antverp. & in Friſiâ conatum ſtupri. in puellâ 16. annorum publicis virgis, & perpetuâ relegatione punitum fuiſſe 1630. refert Sande *lib.* 5. *tit.* 9. *def.* 11.

Adulterii verò pœnæ ſunt variæ, de quibus ita Gudelinus de jure Noviſſ. l. v. cap. 18. num. v. *Pœna adulterii eſt gladius, ſeu capitis amputatio. Nec debet pœna mortis videri iniquè ad hoc crimen conſtituta, cum lex divina, ſeu Moyſaica eamdem approbaverit: Levit.* 20. *attamen, rariſſimè fuit adulterii inflicta pœna ſanguinis apud veteres Romanos, ſed mulcta pecuniaria, exilium, relegatio, & in militibus deportatio.......* & num. 6. *in his Provinciis*, ait, *etſi Rex fel. mem. Philippus, Gubernante Duce Albano, pœnam gladii adultero ſtatuerit: tamen hæc pœna hodie vix obſervatur, ſed mitior aliqua à Judicibus irrogari ſolet.* Similes pœnæ mitigatæ, ſolent eſſe ait Zyp. *Notit. juris Belg. ibi ſuprà*, mulctæ pecuniariæ, expoſitio in theatro ad ignominiam, infamis traductio per plateam, proceſſio in lineo induſio, & delatâ ad templum candelâ: adulteræ veſte ſuprà genua præciſâ; adultero, aut adulterâ alibi Aſino impoſitis, redimitis tempora cornu. In Hollandiâ adulter privatur officio, mulctatur exilio, & quandoque ſummâ 100. flor. ità Ord. Polit. art. 15. hîc Antverpiæ *conſuetud. tit.* 20. *art.* 7. adulter primâ vice mulctatur 25. flor. deinde duplo. Videri poteſt D. Chriſtyn *ad Bugnion l.* 1. *c.* 162. aliæ inſuper adulterii ſunt pœnæ, quod amittat jus petendi debitum adulter, id eſt, quod pars innocens non teneatur illud reddere: quod inducat divortium: quod amittat dotem; & donationem propter nuptias. Graviter quoque inſurgit Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 8. in adulterii crimen, tamquam quod ſit in magni hujus Sacramenti contemptum, novas conſtitutiones antiquis ſuperaddens. Pœnitentiam olim adulterio poſitam tradit Exim. D. Molanus *de Decal. tract.* 2. *concluſ.* 4.

Pœna adulterii communes, & in Belgio.

Rectè interim monet S. Auguſtinus l. 6. c. 6. de adulterin. conjug. ità ſcribens: *Poſtquam Chriſtus ait adulteræ, nec ego te condemnabo, vade, & amplius noli peccare; quis non intelligat, debere ignoſcere maritum, quod videt agnoviſſe Dominum amborum: nec jam ſe debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen, divinâ credit miſeratione deletum?* & illud cap. 8. *agnoſcant viri ſe duces, uxores autem comites eſſe debere: & ideo cavendum eſt viro, illàc ire vivendo; quà timet, ne uxor ſequatur imitando.*

Raptûs pœna jure civili eſt capitalis *L. unic. Cod. de rap. Virg.* ubi ſimul datur facultas parentibus raptæ, in flagranti delicto raptorem occidere; quod tamen tamquam Chriſtianæ manſuetudini adverſum, ac privatam vindictam ſapiens, lex Canonica ſolet abolere, prout ante diximus de occiſione adulteri in adulterio deprehenſi. Similibus tamen homicidiis ob juſtum animi dolorem, ſolet faciliùs dari abolitio. Moribus tamen noſtris, pœna raptûs eſt arbitraria. Monialium verò raptus eſt multò gravior, & capitalis, uti & inceſtus cum eiſdem, prout ſtatuitur *L. ſi quis non dicam* 5. *c. de Epiſc. & Cleric.* qualem ſententiam

Pœna captus.

paucis

paucis hinc annis vidimus datam in Flandria executioni. De aliis raptorum pœnis agitur de matrimonio.

Pœna Sodomiæ. Sodomiæ pœnam graviſſimam eſſe declarat ſubverſio Sodomæ,& Gomorræ. *Mores hodierni hoc genus ſtupri ulciſcuntur igne*, ait Gudelinus ibi ſuprà; etſi Lex Julia eos puniat gladio; ad quam Groenwegen, ait Turcas quoſdam Roterodami de eo crimine convictos, laqueo eſſe adjudicatos; addens ejuſmodi in Saxoniâ necari gladio. Si quis verò cum bruto rem habeat, ſine dubio vivus comburitur, & ſimul brutum in deteſtationem tanti ſceleris ſolet occidi, juxtà legem Levitici 20. Porrò, cognitionem prædictorum ſcelerum eſſe mixti fori, latè probat Franciſcus Zyp. *de juriſdict. Eccl. & ſecul. cap.* 48. *& ſeq.*

Adulterio confinis eſt bigamia, quâ quis ſimul cum duabus contaxit. Teſte Groenwegen ex aliis *Cod. l. V. tit. V. L.* 2. in Germaniâ, & in Galliâ propter violatum matrimonii Sacramentum, capitalis eſt Bigamiæ pœna. In Friſiâ Bigamus publicè virgis cæſus, ad quinquennium relegatur. In Hollandiâ publicè ludibrio exponitur (vulgò *op de kaeck ſetten*) deinde in exilium emittitur. Apud nos illorum pœna eſt capitalis, & quamquam Judex Eccleſiaſticus hîc præveniſſet, poterit tamen eo non obſtante Judex Sæcularis agere ad dictam pœnam infligendam. Vide Cod. Belg. V. *Ee-brekers* §. 1.

CAPUT VI.

De Injuriis in bonis temporalibus, eorumque reſtitutione.

SECTIO I.

De Furto, ac Rapinâ.

Quid furtum. FUrtum à *furvo*, aut *atro* dictum, quod fieri ſoleat in tenebris, & in occulto, unde & *furtivè* fieri dicitur, quod fit occultè; nihil eſt aliud, quam *ablatio injuſta rei alienæ*. Sub *ablatione* comprehende detentionem, quæ cum ablatione cenſetur eſſe moraliter eadem. Ablatio illa debet eſſe occulta, ſaltem ex intentione furantis, quia etſi ablationem illam Dominus cerneret, fure tamen illud neſciente, eſſet furtum, non rapina. Subintelligi etiam ſolet, & ab aliis ſuperaddi, quod fiat invito rationabiliter Domino: quia ſi auferens habeat rationabilem, & juſtam cauſam credendi, quod Dominus quoad ablationem non ſit invitus, ablatio illa non erit injuſta, neque conſequenter erit furtum. Sic fieri ſolet in collectione ſpicarum tempore meſſis, collectione lignorum aridorum, &c. ad quam juſtè præſumitur, Dominos non eſſe invitos. Denique, etſi etiam aliquando Dominus foret invitus, ſi tamen non eſſet *rationabiliter* invitus, non induceret rationem furti. Sic, qui in extremâ neceſſitate aliquid auferret, invito etiam tunc Domino, non furaretur; cum eo caſu ſit irrationabiliter

nabiliter invitus, de quo poſteà. Ubi tamen hoc notandum eſt, quod ſi Dominus videat rem ſuam auferri, nec contradicat, non ſemper ſit præſumendum, Dominum conſentire in ablationem: cum ſæpè non contradicat ex metu, vel verecundiâ, quo caſu regula non habet locum, quod qui tacet, videatur conſentire.

Differt furtum à rapinâ, quod hæc fiat manifeſtè, illud occultè juxtà ante dicta. Et quidem hæc illorum differentia eſt ſpecifica, dum furtum, quia occultè fit, ſolummodo dicat injuſtitiam reſpectu rei alterius, quam furatur invito Domino. Rapina verò inſuper addit ſpecialem injuriam in perſonam ob violentiam adjunctam. Idem fieri ſolet in detractione, & contumeliâ. Differentia furti à rapinâ.

Solet in jure diſtingui duplex furtum; ſimplex, & qualificatum. Simplex eſt modò definitum. Qualificatum eſt, quod ſpecialibus qualitatibus eſt veſtitum, eſtque quintuplex: ſcilicet *peculatus*, quando quidpiam aufertur de bonis publicis. *Plagiatus*, quando homo abducitur ad vendendum, ſerviendum, &c. *Sacrilegium*, quando aufertur res ſacra. *Abjegatus*, quando auferuntur pecora: & *Rapina*, dum res alterius aufertur cum violentiâ. Furti diviſio.

Furtum eſt peccatum de ſe mortale: *Neque fures Regnum Dei poſſidebunt.* 1. Cor. 6. Deinde deſtruit charitatem, dum nocet proximo. Denique, Præcepta Decalogi de ſe ad mortale obligant, quale eſt illud, *non furtum facies.* Patet idem ex pœnis furto ſtatutis, de quibus poſteà. Poterit tamen fieri Veniale, tam ex parte materiæ, quàm inadvertentiæ, quibus alii addunt etiam ex parte modi, ſi Dominus ſit ſolùm invitus quoad modum, prout fieri ſolet in furtis Uxorum, Filiorum, &c. Cæteris verò peccatis ſolet eſſe periculoſius, de quo ità S. Antoninus p. 1. tit. 15. cap. 4. §. 11. *Nullum*, ait, *peccatum periculoſius eſt furto. Nam de aliis homo dolendo, & confitendo ſalvatur: ſed de iſto oportet, ut etiam ſatisfaciat de alieno ablato, alioqui nil valet pœnitentia.* Gravitas furti.

Negant aliqui pœnam mortis furto convenire, inter quos Eraſmus in illud Thim. 3. *Hæreticum hominem, &c. Juriſperiti*, ait, *ignorantes vim vocabulorum, fures occidunt.* Lex tamen generalis è contrà Exodi 22. *Maleficum non patieris vivere.* Et Moyſes juſſit pro pecuniâ furto ablatâ reddi duplum, pro Ove ablatâ quadruplum. Prov. 18. Statutum eſt furto ſeptuplum. Apud Gentiles cedebat fur in ſervitutem Domino rei ablatæ. Moribus tamen noſtris, fures virgis cæſi mittuntur in exilium; iterato facinore additur in tergo ſtigma: tertiâ vice laqueo ſuſpenduntur. Sicuti autem pro qualitate furti minoris, interdum virgæ non adhibentur, ſed ſolummodo in theatro expoſitio, aut ſimilis pœna mitior: ità è contrà pro primo furto ſolet dicta pœna ſubindè ampliari, ſi adjunctæ circumſtantiæ majorem pœnam meritò exquirant. Sic fures vim publicam inferentes, clauſtra, oratoria perfringentes, piratas, & id genus alios, meritò primâ etiam vice morte plectunt. Addit Gudelinus *Juris noviſſ. l. V. Cap.* 19. *num.* 11. latrones, & piratas graviori pœnâ dignos eſſe, qui cum furto ſæpè cædes ſolent perpetrare, undè etiam flammis comburuntur, aut in rotâ altè erectâ, confractis brachiis, pedibus, ac coxis, ſemianimes relinquuntur, quod ſatis uſitatum eſt in Galliâ. Pœna furti.

Gra-

Digitized by Google

Pœna plagiatus.

Gravior quoque eſt furti ſpecies plagiatus, cujus pœna eſt capitalis. Jure Divino Exodi 21. Deut. 24. Jure Canonico *c.*1. ※ *defuit.* Item Civili L. 7. *quoniam*, & alibi idem tenent mores hodierni, niſi aliquando ratione circumſtantiarum occurrentium dicta pœna ſoleat mitigari. Vide Groenwegen *inſt. lib.* 4. in fine.

Pœna peculatus.

Idem dicendum eſt de peculatu, quo bona publica auferuntur, cujus quoque pœna eſt capitalis; etſi ſubindè etiam pœna illa mitigetur. Sacrilegium quoque, quo res ſacra aufertur, meritò ob reverentiam illi debitam, gravior debetur pœna. In Belgio, etiamſi minimam rem conſecratam, ſeu benedictam furarentur, plectuntur morte patibuli, ac confiſcatione bonorum. Vide Anſelmo V. *Kerck-roovers. Cod. Belg.*

Pœna ſacrilegii.

Pœna abjegatus.

Idem meretur abjegatus, quo pecora auferuntur: cui annectitur ablatio beſtialium, ac inſtrumentorum ad culturam agri pertinentium: quos, ſi in flagranti delicto reperiantur, permittit Lex noſtra impunè occidi: ſi poſteà deprehendantur, laqueo vitam finiunt. Receptatorum domus evertuntur, ac morte quoque puniuntur. Ità dictus Author V. *Dieven num.* 3.

Pœna monetas falſificantium, nummos radentium.

Ad peculatum referri poſſet raſura pecuniæ, ac falſificatio monetæ. Qui nummos aureos raſerit, olim ad beſtias, hodiè ad laqueum ſolet damnari, teſte Damhoudero *Prax. c.* 65. In Germaniâ gladio puniuntur: ex Conſtitut. Crim. Caroli V. art. 111. pro gravitate criminis, corporis pœnâ: aut pro levitate ejuſdem, pecuniariâ mulctâ ſolent plecti. Eodem referri poſſunt, qui pecuniam aquâ forti lavent, aut cemento liniunt, ut ſit gravior, & ponderoſior. Falſi Monetarii moribus noſtris in ferventi aquâ, & oleo ſolent ſuffocari ex Edicto dato 1628. 23. Junii art. 2. in Hollandiâ ait Groenwegen *Cod. l.* 9. *tit.* 24. gladio necantur, & eorumdem bona confiſcantur.

Quibus omnibus attentis, clarè patet, pœnam mortis, furto convenire: etſi enim vita hominis omni re temporali ſit longè præſtantior: tamen vita hominis hoc caſu non aufertur pro re acceptâ, ſed pro bono communi: puta, ut cæteri timorem habeant, & Rempublicam non perturbent. Poſſunt ergò tamquam membra putrida à toto corpore pro bono publico abſcindi fures.

Viarum Graſſatores, qui cum ferro aggredi, & ſpoliare inſtituerunt, noſtris, & aliorum moribus indiſtinctè, capite puniuntur, ait Groenwegen ex aliis Digeſ. lib. 48. tit. 19. §. 10. Latrones verò paſſim rotæ ſupplicio afficiuntur, & eorum cadavera publico ſpectaculo exponuntur. Incendiarii verò, qui caſas, aut villas dolo malo incendunt, moribus noſtris ſtrangulati comburuntur, & deindè publico ſpectaculo exponuntur. Vide Cod. Belg. V. *Straetſchynders*, & V. *Brandt-ſtichters.*

SECTIO II.

De Gravitate Furti ex parte materiæ.

GRavitatem materiæ in furto conſtituere ob varietatem Authorum in hoc puncto variè opinantium, eſt verè difficile. Navarrus *Cap.* 17. *ſumma num.* 4. furtum dragmæ, & mediæ, ſive unius ſoldi, & medii, cenſet eſſe mortale. Antoninus è contrà 2. *p. tit.* 1. *cap.* 15. §. idem furtum cenſet eſſe leve, niſi fiat fortè pauperi. Eodem diſcrimine diſſentiunt Authores alii, quam diſcrepandi diverſitatem ortam credo ex diverſitate temporum, ac locorum, ubi ſcribebatur, quod pecunia in uno loco ſit rarior, quàm in alio: uno tempore ſit carior, quàm alio. Varii interim ſunt, qui materiam hîc magnam ſtatuant 2. aureos; ex eo, quod Gloſſa *ad* §. *poſtr. ff. de dolo*, ubi dicitur, *de dolo non teneri, niſi magnâ calliditate: magna*, ait, *id eſt, ultrà duos aureos.* Aureus nobis eſt 3. Floreni Brabantici. Rectius alii cum Maldero illud grave cenſent, quod ſufficeret honeſtæ ſuſtentationi alicujus, attentâ circumſtantiâ temporis, & loci: vel ut alii, quod correſpondet ſtipendio diurno, puta 4. à 5. ſolidos noſtrates; hæc enim ſumma ſolet æſtimari maximè commoda ad uſus humanos, & de ſe ejus privatio cenſetur homini eſſe graviter injurioſa. Ubi hoc notandum eſt, rationem gravitatis in furto non eſſe per ſe deſumendam ex parte nocumenti extrinſeci, ſed intrinſeci, ſive, quod per ſe infertur per furtum in ordine ad uſus humanos: quod idem eſt, ſive 5. ſolidi auferantur à paupere, ſive à ditiore, dum ambo æqualiter privantur ſuo jure, quod habent, ut illis ſolidis ad uſum ſuum potuiſſent uti. Quæ materia in furto ſit gravis.

Cæterùm, omninò admittendum eſt, graviſſimè peccari etiam quid minimi auferendo à pauperiore, ratione damni extrinſeci adjuncti, quod fieri poteſt ratione paupertatis, cui aliquid mediocre eſt pro magno. Deindè, hoc fieri poteſt ratione utilitatis, quam ex re ablatâ poſſet habere, v. g. ſi à ſutore auferatur acus, à pictore penicillum, nec ſit commoditas alia ſimilia conquirendi. Adduntalii, id provenire etiam poſſe ob affectum Domini ad rem furto ablatam, tametſi parvam, maximè ſi affectus ille furi fuiſſet cognitus. His tamen caſibus furtum illud non cenſetur grave in genere furti, ſed in ratione damnificationis, vel odii: adeò ut, ſi furto gravi annexa foret excommunicatio, vel reſervatio, per talia furta, eadem non incurreretur. Ubi obiter hoc addo ex Salonio, quod apud prudentes non feratur excommunicatio pro furtis, niſi ad minus pertingant 50. argenteos. Unde augeatur furtum.

Augeri etiam ſæpè ſolet gravitas in furto ratione intentionis, ut ſi parvum ſurando intentionem habeant plura furandi, ſi plura ſe obtuliſſent. Et quia fures plerumque in furando habere ſolent ſimilem intentionem furandi, ſcilicet, quantum poſſent: hinc rectè monent aliqui, in confeſſione fures de ſimili intentione eſſe interrogandos. Undè Capt. *fin.* ex S. Hieron. *in furto, non quod furatum eſt; ſed animus furantis attenditur.*

Q Quæſtio

Digitized by Google

Quomodo peccetur per minuta furta.

Quæſtio eſt, quomodo peccetur aliquando mortaliter per minuta furta. Reſp. 1. certum eſt, quod, qui intendit per minuta furta auferre rem majoris momenti, hâc ipsâ intentione mortaliter peccet, uti & in quolibet furto tali, cum ſingula furta proveniant ex intentione mortaliter malâ. 2. Si qui ab eodem per plura furta minuta auferat rem notabilem, ſeu gravem, etſi expreſsè hoc non intendat; peccat tamen mortaliter; cùm ad magnam quantitatem pervenerit; eò quod tunc proximo ſuo inferat grave damnum. Hoc autem ita intelligendum eſt, non quod furta illa minuta ſimul conſtituant furtum mortale, dum venialia coagmentata non faciunt mortale: ſed quod ultimum furtum, quo completur materia gravis, ſit mortale. Et quamquam illud ultimum furtum, etiam de ſe ſit leve; tamen ut cum aliis junctum, complet materiam gravem, eſtque mortale.

Dices, furtum illud ultimum non habet ullam connexionem cum furtis anterioribus; non ex parte intentionis, cum ſupponatur furem illa furta committere independenter ab aliis: nec etiam ex parte actionum, uti patet. Reſp. dictum furtum conjungi aliis furtis ratione materiæ ablatæ, cum omnes materiæ, etſi diverſis furtis ablatæ, conſtituunt materiam gravem, & notabilem. Ex quo ſequitur ulterius, quod qui illis minutis furtis rem notabilem ablatam negligit reſtituere, continuò peccet peccato iniquæ detentionis: quo caſu, ſi rem aliqualem reſtituat, quâ reſtitutâ non manet amplius res notabilis, de cætero non peccabit mortaliter peccato iniquæ detentionis, dum non amplius retinet ſummam ad mortale ſufficientem.

Si verò ſciens ab alio ablatum eſſe exiguum, auferam quoque exiguum ab eodem, quod cum alio conjunctum complet materiam gravem, non ideo pecco mortaliter meo furto; eò quod, etſi eo caſu Dominus quoque patiatur grave damnum; tamen non patitur id totum ex mea parte, dummodo nullo modo ad alterius furtum concurram conſulendo, mandando, &c. Neque idem eſt, ſi quis poſt multa vulnera ab aliis inflicta, ſuperaddat vulnus leve, ex quo tamen ſequitur occiſio: dum illud ultimum vulnus cauſat injuriam gravem, diſtinctam ab injuriâ antecedentium vulnerum, dum cauſat mortem.

3. Qui per plura furta minuta intendit à diverſis auferre rem gravem, peccat mortaliter. Ratio eſt clara, ratione intentionis mortaliter malæ. Imo, etſi id non intendat, dum tamen eo caſu pervenit ad materiam gravem, peccat mortaliter, ſi hoc advertat. Ratio eſt, quod talis verè abſtulerit materiam gravem, eamque injuſtè detineat, ac grave damnum inferat communitati eorum, qui damnum patiuntur. Sic peccant mortaliter illi, qui volunt rem magnam ſibi conquirere, arrogando, & corradendo minuta à diverſis, ſive per ſtateram doloſam, ſive per minora pondera. Ubi hoc ſolent notare Authores, requiri plerumque majorem quantitatem, ut per minuta furta perveniatur ad mortale, quando ea furta facta ſunt diverſis, quam uni, & eidem; eò quod illo caſu non ſoleant diverſi ita eſſe inviti. Deinde, quod major etiam requi-

Digitized by Google

requiratur quantitas, ſi minuta illa furta fiant per longa intervalla, idque ob eamdem rationem mox datam.

4. Si plures communi ope, conſilio, juſſione, &c. ſimul inferant grave damnum uni perſonæ, peccant ſinguli mortaliter, & quilibet in defectu aliorum tenetur ad reſtitutionem in ſolidum, dum ſinguli ſunt injuſta cauſa gravis damni. Si verò id fiat merè caſualiter, neque dependenter ab alio, ſinguli non peccant, niſi venialiter, & ſolum obligatur quiſque ad reſtitutionem rei à ſe ablatæ, dum ſolùm ſunt cauſa illius injuſta.

Quæſtio tamen eſt, an ſi quis non quidem cooperetur alterius furto, tamen advertens modicum quid ab alio accipi, ipſe quoque modicum aufert ab eodem, an peccet ille mortaliter, ſi ſimul ſumpta conſtituant materiam gravem. v. g. tranſiens per vineam, vidiſti eam plenam racemis: poſtea reverſus vides eam à tranſeuntibus nudatam, & tu inſuper carpis aliquot racemos. Vides alium in alia parte horti ſurripere poma, tu in alia parte aliqua quoque capis. Reſp. alii volunt eum id advertentem, peccare mortaliter, eò quod talis cenſeatur aliorum furtis cooperari, & aliorum furta approbare, cauſetque Domino verè grave damnum. Alii dictam ſententiam ut nimis ſtrictam, & ſcrupulis obviam rejiciunt, maximè cum ſciamus à Magnatibus, ac Rebuſpublicis paſſim plura ſurripi, peccaremus ab iiſdem modicum auferendo. Ratio eſt, quia hoc caſu ſolummodo talis eſt cauſa exigui damni, nec ullo modo concauſa aliorum damnorum, adeoque ſolummodo peccat venialiter. Talis enim coöperatio eſt merè materialis, & præter alterius intentionem; ſicuti eſſet, ſi id neſciret ab aliis fieri, neque etiam neceſſe eſt dicere, eumdem aliorum furta approbare, cum fieri poſſet, quod eadem diſpliceant. Adde, quod etſi eadem approbaret, quamvis quidem ex malevolo animo graviter peccare poſſet: tamen ex eo neutiquam obligaretur ille ad reſtitutionem, cum per talem approbationem non fiat cauſa gravioris damni.

Quid ſi advertens alios furari, furetur.

SECTIO III.

De furtis Filiorum, Religioſorum, Uxorum, &c.

Qui *ſubſtrahit aliquid à Patre ſuo, & Matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.* Proverb. 28. ex quo clarè liquet, filios aliqua à parentibus ſurripiendo, verè peccare peccato furti. Ratio eſt generalis, quod rem alienam accipiant invito Domino: unde etiam tenentur ita ablata Patri reſtituere, ſi poſſint: ſi non poſſint, tenentur poſt Patris mortem ita accepta in partitionem deducere cum aliis fratribus, niſi fortè jam illud Pater condonaſſet, vel niſi conſtet, fratres tantumdem ex bonis paternis expendiſſe. Ubi hoc notandum eſt, quod filii quidem habeant jus, ut à Patre alantur §. *idem ff. de lib. agnoſc.* Non tamen habent jus in bona paterna, aut eorumdem adminiſtrationem, quamdiu vivit Pater. Unde deducitur falſum eſſe, quod alii tradunt, ſcilicet Parentes non eſſe omninò invitos in furtis Filiorum,

Furta filiorum fam.

Digitized by Google

liorum, ſed ſolùm eſſe invitos quoad modum auferendi. Denique notandum eſſe, furta Filiorum eſſe quoque contrà pietatem parentibus debitam, eoque titulo aliis graviora.

Variis modis in ſurripiendo excuſari poſſunt.

Poſſunt tamen ſæpè filii pro toto, aut pro parte excuſari. Ac primò generaliter, ſi adſit interpretativus conſenſus parentum, v. g. ſi ſciant eadem à filiis communiter auferri, nec contradicant: ſi ſimilia aliàs ſoleant contribuere: quod ſi eadem ab illis peterentur, meritò præſumerentur eadem conceſſuri: ut autem prudenter præſumi poſſit interpretativus parentum conſenſus, maximè juvat attendere qualitatem parentum, ætatem filii, & conſuetudinem loci. Opulentiores enim parentes cenſentur eſſe minus inviti, imo faciliùs conſentire in ablationem alicujus ſummæ à filiis factam, quam pauperiores. Idem eſt de ablatione provectiorum. Conſuetudo inſuper loci facit, ut meritò præſumi debeant parentes conſentire in illam ablationem, quâ filii auferunt ea, quæ neceſſaria ſunt, ut juxtà conſuetudinem honeſtè ſeſe recreent, & ſuſtentent. Attendenda eſt præterea qualitas rei ablatæ, cum quoad eſculenta v. g. & poculenta, non ſoleant parentes ita eſſe inviti; ac quoad pecunias, &c.

2. Excuſari poſſunt filii à furto, ſi aliqua à parentibus ſurripiant in gravi propriâ, aut alienâ neceſſitate; magis, ſi in extrema. Item, ſi eadem expendant in eleëmoſynas, quales alii ejuſdem ſecum conditionis ſolent erogare, & ad quas erogandas, parentes non poſſent eſſe rationabiliter inviti. Ubi & hoc notandum eſt, maximè hîc etiam attendendum eſſe finem ablationis, ut magis præſumi poſſit parentum conſenſus. Solent enim parentes magis eſſe inviti, ſi filii aliqua auferant in ordine ad faciendas eleëmoſynas, quam in ordine ad compotandum.

3. Excuſari poteſt filius aliqua auferendo, ſi filius gerat negotia patris, quo caſu poſſet detractis expenſis alimentationis, tantum exigere, quantum pro tali operâ exigere poſſet externus, niſi fortè intendiſſet Patri ſuo ſervire gratis. Nec enim hîc filii conditio deterior eſt, quam conditio externi, neque de jure naturæ pro Patre laborare debet, niſi dum Pater indiget. Ad hoc tamen ſolent tria exigere, 1. Ut prævië filius proteſtetur ſe velle lucrari, aut ob reverentiam Patris id non fuiſſet auſus. 2. Ut conſtet, quod Pater id non faciat per ſe, nec alius id minori prætio eſſet facturus. 3. Ne ante mortem Patris habeat uſum fructum talis prætii, cum illud cenſeatur pertinere ad bona adventitia. Hinc, ſi illa proteſtatio ſaltem implicita abſuerit, cenſetur filius id præſtitiſſe ex pietate, & gratitudine ergà parentes, neque ratione illius quidquam exigere poterit poſt mortem Parentum. Videri poteſt *L. penult. ff. de obſeq.* ſi verò Parentes aliqua dent filiis ad emendos v. g. libros, dandas eleëmoſynas, &c. & eadem inſumant in meretrices, peccant peccato furti, cum Pater eadem noluerit dare ſuo filio ſimpliciter, ſed ad uſus neceſſarios. Unde contrectat res Patris invito rationabiliter eodem. Ex quo patet, meritò rejiciendum eſſe, quod de ſimili caſu habet Baſſæus V. *furtum* quaſi ad ſimilem filiorum uſum Pater non ſoleret eſſe invitus.

Quan-

Digitized by Google

Quæ materia in furtis filiorum ſit gravis.

Quantitas verò furtorum, ejuſque gravitas non ſolet eadem ab omnibus definiri. Ubi hoc certum eſt, majorem quantitatem in filiis, & domeſticis requiri ad mortale, quam in furtis externorum. Deindè, quantitas illa cenſenda eſt hîc notabilis, quæ talis hîc taxatur prudenti judicio, conſiderato ſtatu, qualitate, ætate, divitiis, & aliis circumſtantiis hîc conſiderandis. Bannez verò 2. 2. *q.* 66. *art.* 6. docet in filio Patris prædivitis minus 50. aureis non eſſe mortale: quod quidem in filio Principis tolerat Lugo, non itidem in aliis. Verum juxtà ante dicta, id pendet ex conſideratione circumſtantiarum, juxtà quas prudentia Confeſſarii de eâdem quantitate judicabit. Poſtremo, quamvis filii à parentibus ſurripiendo, furta committant, non naſcitur tamen jure communi furti actio, dum inter Patrem, & Filium actio nulla poteſt enaſci. Cum tamen moribus noſtris invicem obligari poſſint, ſic ex illicita tali contrectatione Parentes, civili actione ad id, quod intereſt, agere poterunt, & Fiſcus vindictam publicam proſequi. Vide Groenwegen *inſtit. l.* 4. *tit.* 1. §. 12.

Furta uxorum.

Uxores quoque graviter peccant peccato furti, ſi notabile quid accipiant de bonis communibus, aut quorum adminiſtratio ſpectat ad Maritum, ſine ejus conſenſu. Rationem dat D. Thomas, quod durante matrimonio habeat Vir eorumdum dominium, vel adminiſtrationem, adeoque per ablationem notabilis quantitatis patitur Maritus gravem injuriam. Neque hîc objici poteſt, quod etſi tutor habeat adminiſtrationem bonorum pupilli, non tamen peccet pupillus peccato furti, ſi quæ notabilia tutore inſcio inſumat: eò quòd tutor ſolummodo in commodum pupilli habeat adminiſtrationem bonorum illius, & ſic ſolùm diſponere poteſt, prout ei expediens judicabitur. Vir autem habet generalem adminiſtrationem bonorum omnium, etiam ad ſuum commodum, & ad ferenda onera matrimonii, quo jure privatur per notabilem ablationem bonorum, & conſequenter patitur in eo gravem injuriam.

Quomodo in illis poſſit excuſari.

Excipiuntur tamen aliquot caſus, in quibus pro toto, vel pro parte excuſatur Uxor etiam notabilia ſurripiens. 1. Si eadem auferat de interpretativâ viri licentiâ, juxtà ante dicta de filio, v.g. ſi vir rogatus eadem facilè conceſſiſſet. 2. Si eadem det in extrema, aut gravi neceſſitate. 3. Si in honeſta recreatione eadem expendat; qualis non eſt, ſi pro ſumma notabili ludat cum periculo rei domeſticæ. Idem eſt, ſi eadem expendat in decentem ſtatum, aut ornatum, in decentes eleëmoſynas, &c. eò quòd Maritus quoad ea non ſit invitus; & ſi fortè ſit, non eſt niſi irrationabiliter invitus, cum ille non ſolum debeat dare Uxori neceſſaria ad ſtatum, ſed etiam ad ſtatum decentia. 4. Si eadem donet ad avertendum damnum familiæ, exemplo Abigail 1. Reg. 15. Si eadem expendat pro bono Mariti, v.g. eleëmoſynam ad ejus converſionem, eò quòd hoc caſu Uxor utiliter gerat negotia viri, & familiæ. 5. Si vir ſit prodigus, & decoctor, poterit mulier clanculò ea ſurripere, & reſervare aliqua, quæ ſibi, aut ſuis erunt neceſſaria, idque ob dictam eamdem rationem. 6. Si vir ſit abſens, amens, furioſus, &c. quia tunc adminiſtratio ad eam devolvitur, niſi aliundè à Magiſtratu ſit proviſum. 7. Si Pater, Mater, vel Filius ex priori matrimonio indigeant,

geant,

Digitized by Google

geant, non ſolum quoad vitam, ſed etiam quoad ſtatum, poterit Uxor illis providere de bonis communibus, petitâ prius ad hoc Mariti licentiâ, cum non ſit æquum, quod id faciat inſcio Marito. Si tamen id vir renuat, neque jus ſuum Uxor poſſit juridicè obtinere, poterit de ſuâ dote, ejuſque fructibus illis ſubvenire, cum obligationem naturalem non poſſit Maritus impedire. Idem alii extendunt ad caſum, quo egerent uxoris frater, aut ſoror; quia etſi hoc non ſit neceſſe ex jure naturæ: tamen maximè conducit bono Reipubl. & charitati conſervandæ, maximè cum Maritus ſuis fratribus debeat ſubvenire, ut docent Doctores, & Gloſ. in L. *qui filium ff. ubi pupillus educari debeat.* Videri poterit Dicaſtillo *de jure*, *& juſt. lib. 2. tract. 2. diſp. 9. dub. 6. num.* 204. 8. ſi quid accipiat ad faciendas donationes remuneratorias, eò quod ejuſmodi donationes computari ſoleant, ut ſolutiones debitorum. Notant tamen hîc paſſim Authores, non poſſe de facili Confeſſarios inſtigare fœminas, ut ſeſe in dictis caſibus contra Maritos manuteneant; cum hîc potius favendum ſit Viro, tamquam capiti Uxoris, & Mulier ad exceſſivas, & inordinatas donationes de ſe ſit ſatis proclivis. Vide, quæ dicam de Donatione Uxoris, in materia de Contractibus.

Furta famulorum & ancillarum.

Quod autem ad furta Famulorum attinet, & Ancillarum, obſervandum hîc eſt ante omnia, eoſdem facilius peccare peccato furti aliqua auferendo, quam ita peccent Uxor, & filii, reſpectu quorum non ſolent parentes ità eſſe inviti. Deindè, notant paſſim Authores, quoad eſculenta, & poculenta non ſolere Dominos ità eſſe invitos, ſi eadem ſurripiant ad edendum, aut bibendum, quæ ſi à Domino peterentur, facilè concederentur. Aliud eſſet, ſi eadem caperent ad compotationes, ad vendendum, extraneis donandum: item, ſi eſculenta illa, aut poculenta eſſent extraordinaria, quæ vellet Dominus ſibi ſoli reſervare. Si verò notabilem pecuniam, linea, aut quid ſimile accipiant, peccabunt mortaliter peccato furti, cum nullâ ratione hîc excuſentur. Quia tamen Domini ſciunt, ait Lugo, quod attentâ fragilitate humanâ res domeſticæ non ità fideliter adminiſtrentur, quin aliquid adhærere ſoleat manibus contrectantium: Hinc quoad minuta domeſticorum furta, non ſolent adeo eſſe inviti: ad quod conſiderandum, maximè juvat attendere qualitatem dominorum, an ſint divites, an ſint liberales, &c. Denique, etſi domeſtica furta, ſi viliora ſint, publicè vindicare leges non ſinant: hoc tamen moribus noſtris non obtinet, ait Groenwegen ibi ſuprà; quibus domeſtica famulorum, & mercenariorum, non minus ſeverè, quam cætera furta publicè vindicantur; maximè, ſi illi ipſi, quibus furta facta ſunt, fures deferant, & de illatâ injuriâ conquerantur pœnam expoſtulantes. Et meritò in Galliis ob perfidiam, & difficultatem ab iiſdem cavendi, ſeveriùs puniuntur, & ferè ultimo ſupplicio, juxtà Authores varios, quos ibidem refert idem Author.

Furta Religioſorum.

Furti quoque reus eſt Religioſus, qui ſine licentiâ ſuperioris ſui aliqua de communitate expendit, ſive in ſuum, ſive aliorum uſum. Idem eſt de eo, qui aliquid ſibi collatum celaverit, quem S. Auguſtinus in Regulâ, furti judi-

cio

cio docet eſſe condemnandum. Ratio eſt generalis, quia res communitatis diſtrahit invito Domino, puta communitate. Neque eo ſenſu bona communitatis ſunt, aut dicuntur eſſe ***communia***, quaſi quilibet Religioſus in particulari ex iis poſſit ſibi acquirere pro ſuo libitu neceſſaria, aut convenientia; ſed pro uti à ſuperioribus, prout cuique opus eſt, ſunt diſtribuenda. Verùm in Religioſorum furtis, ſolet duplex reperiri malitia; una furti, alia ſacrilegii. Deinde, in aſſignanda quantitate notabili pro furtis eorumdem, ſolent communiter in eo æquiparari filiis familias, eò quod Superior quoad ablationem Religioſorum, non cenſeatur eſſe magis invitus, quam ſint parentes reſpectu filiorum. Et quamquam ſoleant Superiores graviùs aliquando punire Religioſorum furta, quam eadem punirent parentes in filiis: tamen in hoc non magis ſeſe oſtendunt eſſe invitos quoad ſubſtantiam, quam quoad modum; puta, quod peccent unà contrà votum paupertatis, diſciplinam violent, & ſic furto addant ſacrilegium. Cæterùm, in deſignandâ quantitate furti notabilis in Religioſis, ità habet Lugo diſp. 3. num. 172. *Fateor Religioſum non conſiderari omninò ut extraneum, ſed ut partem conventûs: ideoque benigniùs agendum eſſe cum illo ad deſignandam materiam gravem furti, quam cum extraneis: hoc tamen moderandum eſt illâ altâ conſideratione damni ſpiritualis, ſicque judicandum in ſingulis materiis juxtà uſum, ac ſenſum cujuſlibet Ordinis, an Prælatus ſit graviter invitus, nec ne: & quidem in primis ſpectatâ qualitate actionis, per quam violatur votum paupertatis: nam alia de ſe habent magis de propietate, alia minus, quatenus per illas magis, aut minus aliquid extrahitur à communi uſu.* Subdit idem Author, graviſſimè furari illos, qui bona communibus neceſſitatibus deſtinata, applicant uſibus externis, puta donando conſanguineis, amicis, commeſſationibus, &c. quoad ablationem eſculentorum, & poculentorum, eadem majori jure locum habent, ante dicta de ejuſmodi ablatione famulorum: ſolent etenim quoad illa, Superiores ſolummodo eſſe inviti quoad modum. Denique, etſi in Societate, Decreto Generalis ſtatuatur notabilis hîc quantitas, quæ notabilis eſſet in ſæcularibus, puta filiis familias, ut alibi diximus: tamen in decernendâ tali quantitate, opus eſt conſideratione circumſtantiarum, opulentiæ Monaſterii, conditionis Religioſi, qualitatis rei ablatæ, &c. juxtà quam de ejuſmodi quantitate ferenda eſt ſententia.

Quod furtum Religioſorum reſervetur.

Solet inſuper juxtà Bullam Clementis VIII. reſervari furtum Religioſorum de rebus Monaſterii in eâ quantitate, quæ ſit peccatum mortale. Ubi intellige de peccato mortali *graviori*, cum ea ſola licitè reſervari poſſint, uti alibi confirmavimus ex aliis. Ex *Capt. Presbyter diſt.* 81. Clericus in furto captus jubetur deponi: furtis notabilibus indicitur excommunicatio, uti in Ordine noſtro indicitur furto 20. floren. cætera hanc materiam concernentia ſolent adferre Doctores de voto paupertatis.

Furta ſartorum, &c.

Addi hîc poſſunt furta ſartorum, vendentium veſtium fragmenta. Et quidem non deſunt aliqui, qui doceant, etiam majora veſtium fragmenta poſſe ab iiſdem vendi, eò quod ſartores, etiam timoratæ conſcientiæ teſtentur, com-

muniter

Digitized by Google

muniter ſibi dari minus juſtò pro laboris, & artis ſtipendio, quod proindè dicto vendendi modo ſolent compenſare. Verum infundatè, cum ut plurimùm occulta talis compenſatio non liceat, prout declarabitur in ſequentibus. Hinc dicendum eſt, ſartores poſſe minora veſtium fragmenta, quæ pro derelictis habentur à Dominis, vendere, & diſtrahere, cum quoad illa non ſoleant eſſe inviti, neque ſi rogarentur, dicerent quoad eadem ſe eſſe invitos. Cujus tamen contrarium cenſendum eſt quoad majora veſtium fragmenta, niſi fortè alibi praxis obtineret eadem quoque à ſartoribus retineri, cujus praxis conſcii eſſent Domini, neque vellent contradicere, & conſequenter non eſſent inviti.

In furtis etiam minimis domeſticorum, & aliorum, non eſt diſſimulandum à Confeſſariis.

Poſtremò rectè monent Doctores, in prædictis furtis non facilè eſſe diſſimulandum à Confeſſariis, etſi ad mortale non pertingant; ſed pro capacitate perſonarum ſemper aliquam injungendam eſſe reſtitutionem: quæ fiet reddendo ablatum, vel aliam ejuſdem ſpeciei, vel prætium rei, vel compenſatione melioris obſequii: quibus mediis meliùs à furando deterrentur, quàm aliis pœnitentiis infligi ſolitis pro peccatis venialibus: maximè, cum id verum ſit in furtis, quod qui ſpernit modica, paulatim decidet.

SECTIO IV.

An ſurripere aliena in neceſſitate, ſit furari.

Surripere aliena in extrema neceſſitate, non eſt furari.

SUppoſitâ triplici neceſſitate *extremâ* ſcilicet, *gravi*, & *communi*, de quibus alibi; communis eſt omnium ſententia, quod ſurripere aliena in neceſſitate extremâ, non ſit furari; eò quod pro tali caſu dominus non poſſit eſſe rationabiliter invitus, quod quiſque ſuæ extremæ neceſſitati quoquo modo provideat, cum pro eo caſu omnia ſint communia; dum communis rerum diviſio caſum extremæ neceſſitatis non comprehendat, nec comprehendere poteſt. Cum verò debeat quiſque proximum diligere, ſicut ſemetipſum, addunt Doctores, etiam poſſe quemlibet pro neceſſitate extremâ proximi aliena ſurripere. Imò, ſi pro tali caſu te ſurripientem vellet dominus repellere, poſſes eumdem tamquam juris tui invaſorem injuſtum aggredi, & viciſſim repellere: Excipiùnt tamen caſum, quo alius foret in eadem neceſſitate, dum in pari caſu, & pari neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis. Deindè, ſi Dominus rogatus crederetur veroſimiliter rem conceſſurus, non liceret rem eo inſcio ſurripere, niſi fortè eſſet talis, quem dedeceret mendicare.

An in illa neceſſitate debeat ſuccurri ex juſtitia.

An verò pro dicto caſu teneatur quilibet alteri extremè indigenti ſuccurrere ex juſtitia, an ſolum ex charitate, diſſentiunt Authores. Affirmant generaliter illi, qui obligationem eleëmoſynæ volunt eſſe juſtitiæ, de quo nos alibi egimus agendo de eleëmoſynâ. Alii quoque affirmant adeo ex juſtitia teneri quemlibet ſuccurrere eo caſu, ut ſi ex ejus omiſſione alteri ſequatur grave damnum, aut mors ipſa; alteri omittenti ſuccurrere ſit imputandum, & ad reſtitutionem eum fore obligatum. Ratio eſt, quod ſecundùm omnes, ſi talis alium impediat extremè indigentem in aliena ſurripiendo, peccet contrà juſti-

Digitized by Google

juſtitiam, quæ injuſtitia impediendi, oritur ex obligatione juſtitiæ ad dandum, ergo. Alii è contrà docent, quod quidem ex juſtitia teneatur aliena rapientem non impedire, ſed ex ſola charitate teneatur rem illam dare. Ratio eſt, quod neceſſitas illa non det dominium rei indigenti, ſed ſolummodo det jus ad rem, puta jus ad rem apprehendendam, quâ apprehenſâ, res fit ſua, prout fieri ſolet in apprehenſione rerum communium: ex quo ſequitur, quod Dominus non dando, quod necdum eſt alterius, alterius jus non violet, nec proinde peccet contrà Juſtitiam. Impediendo autem alterum ſurripere in tali neceſſitate, violat jus alterius, quod habet ad rem illam apprehendendam, quam neceſſitas facit eſſe communem.

Cum verò res illa ſolummodo ſurripi potuit, ad ſubveniendum ſuæ neceſſitati; ſequitur, quod eâ tranſactâ, debeat res ablata reddi, ſi adhuc extet in propriâ ſpecie, prout ſæpè fieri poſſet, ſi per ſolum rei uſum potuiſſet ſuæ neceſſitati ſubvenire. Si verò ſolo rei uſu res ipſa conſumatur, veriùs docent illi, quod tranſactâ neceſſitate, res in æquivalenti reddenda non ſit, eò quod res illa pro caſu talis neceſſitatis, non ſolùm ſit facta communis quoad uſum, ſed etiam quoad proprietatem. Sic alibi docuimus, non eſſe ſatis in extrema neceſſitate ſubvenire proximo mutuando v. g. ſed ſubveniendum eſſe dando eleëmoſynam, juxtà illud Pſ. 111. *Diſperſit, dedit pauperibus, &c.*

An liceat aliena ſurripere in gravi neceſſitate.

An verò ſimiliter in caſu gravioris neceſſitatis, v. g. morbi, famæ, nuditatis, aut ſimilis necdum extremæ, liceat aliena ſurripere, variant Authores. Varii inter quos & Malderus affirmant, ſi ablatio fiat ab opulentioribus. Ratio illorum eſt, quod dives æquè teneatur ſuccurrere egeno in graviori neceſſitate, ſicuti in extremâ: proinde, æqualiter etiam in utraque poterit alter ſurripere. Neque etiam poterit eo caſu eſſe rationabiliter invitus, dum ipſe ex charitate ſaltem ſub gravi tenetur hîc ſuccurrere. Deinde, ſicuti bonorum diviſio facta eſt eâ conditione, ut ſuperflua naturæ in extremâ neceſſitate fierent communia: ita eadem diviſio facta ſit eâ conditione, ut in graviori neceſſitate ſuperflua ſtatui fierent communia. Alii paſſim cum D. Thoma id negant, maximè adjuncto C. *Si quis fortè, de furtis*, ubi ita dicitur: *Si quis per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat per hebdomades tres.* Ubi dicta Decretalis, ait D. Th. loquitur de caſu, in quo non eſt quis in urgenti neceſſitate, id eſt extremâ, prout explicat, & continuò de eâdem agit *q. 6. art. 7.* Deindè, falſum eſt in gravi neceſſitate omnia fieri communia, neque eâ conditione facta eſt rerum omnium diviſio; aliàs innumeris furtis aperiretur aditus, dum quilibet ſe facilè fingeret eſſe in gravi neceſſitate, non ſine magna Reipubl. perturbatione. Et quamquam Domini teneantur in gravi neceſſitate ſuccurrere, tamen non erit aliis eam habentibus integrum eadem ſurripere, cum Domini arbitrio relictum ſit, cui voluerit de ſuis bonis ſubvenire. Addunt tamen alii, ſubindè eſſe neceſſitates aliquas tam graves, ut moraliter loquendo cenſeantur æquivalere extremæ, v. g. periculum gravioris morbi, ſervitutis, &c. Quo caſu

R idem

idem dicendum foret, ſicuti dictum eſt de extremâ. Talis autem neceſſitas non eſt dicenda, periculum infamiæ, aut proſtitutionis, prout tenet Bannez, & alii docentes 1. quod, ſi alicui nobili eſſet ignominioſum mendicare, poſſet licitè aliena ſurripere animo reſtituendi, ſi non poſſet aliter honorem ſuum conſervare. Fundat ſe in communi miſericordiâ, & pietate hominum erga ejuſmodi anguſtiatos; quaſi in hoc caſu Domini non ſint rationabiliter inviti. 2. Idem alii docent de puellâ conſtitutâ in tali inopiâ, ut niſi aliena ſurriperet, deberet ſeſe proſtituere. Verùm neutra opinio eſt admittenda: facilè enim quilibet vir honoratus ſibi perſuaderet, ſibi licitum eſſe aliena ſurripere, ſi ad aliquam inopiam redactus, timeret ſui nominis jacturam, quod fieri nequit, ſine ſummâ perturbatione Reipublicæ. Ad ſecundum ait Soto *l. V. q.* 3. *art.* 4. Quod quamvis ſit illuſtre miſericordiæ officium ejuſmodi miſeris in orphanitate periclitantibus ſubvenire: non illa tamen cenſetur extrema, ut poſſit puella alienum rapere: quoniam nulla eſt neceſſitas, quæ cogere poſſit illam, ut ſui copiam alteri faciat, aliàs conſenſus ille non eſſet peccatum, ſed perire potius debet, quam derelinquere. Ità Soto, qui & addit duo hîc notanda. 1. Eſſe quædam jura Civilia ſtatuentia, ut extremè indigens debeat recurrere ad Magiſtratum, qui providere debeat; quod intelligendum docet, id faciendum eſſe, dum commodè poteſt adiri. 2. Extremam neceſſitatem hîc non eſſe eam, dum quis jam jam eſt moriturus, quaſi illa neceſſitas ſit ſolum extrema, cujus impoſſibile ſit remedium: ſed hîc ſatis eſt, quod quis videat proximum appropinquare periculo incurabilis infirmitatis, aut talis miſeriæ, quæ ſolet homines conficere.

SECTIO V.

An liceat alicui rem ſuam occultè recuperare.

Occulta compenſatio quomodo ſit licita.

CUm cuilibet ſit naturale rem ſuam, ac jus ſuum proſequi quoquo modo ordinato; ſolet quæri; an occultè poſſit eam recuperare viâ compenſationis. Et in primis hoc certùm eſt, quod æquale utrimque debitum viâ compenſationis extinguatur, etiam ſine authoritate judicis. Quando autem eſt debitum ex una tantum parte, volunt alii authoritate ſuperioris opus eſſe, ut licitè fiat compenſatio. Deindè notandum, variis caſibus non permitti à jure compenſationem variam; primò in eo, quod Regi, Civitati, aut alteri communitati eſt debitum. 2. Condemnatus ad dandam pecuniam, vel aliud quidpiam ob injuriam illatam, non poteſt uti compenſatione. 3. Debita ex depoſito cum aliis item debitis ex depoſito compenſari nequeunt, ſed depoſitum, dum petitur, eſt reſtituendum, & poſtea debet actio intentari, ut alterius debitum, vel depoſitum accipiatur. In aliis pleriſque habet compenſatio vim ſolutionis, dum debitum eſt utrimque liquidum, cum creditori eo caſu præſtitum videtur, quod ipſi debetur. Dicta tamen legis conſtitutio ſolummodo locum habet in foro judiciali, ubi dictis caſibus non poteſt

Digitized by Google

teſt opponi exceptio compenſationis : in foro conſcientiæ tamen, ſi abſit ſcandalum, neque aliâ viâ poſſit debitum recuperari, ſuppoſitis quibuſdam conditionibus, de quibus infrà, etiam dictis caſibus locum habere poterit compenſatio, etſi aliqui etiam pro foro conſcientiæ excipere velint debitum ex depoſito, juxta id, quod ait Greg. 9. Cap. *Bona fides, de depoſito, ſanè, depoſitori licuit pro voluntate ſuâ depoſitum revocare, contra quod, nec compenſationi, vel reductioni locus non fuit, &c.* Quæ tamen quoque de foro externo ſunt intelligenda, cum jure naturæ poſſit quilibet rem ſuam vindicare. Deinde, compenſatio non tantum fieri poteſt in foro conſcientiæ in debitis ejuſdem, ſed & diverſæ ſpeciei, ſi debita ſervetur æqualitas. Denique compenſatio etiam locum habet, etſi debitum necdum contractum ſit, ſed jam proximè eſt contrahendum, ſi meritò timeat, quod tempore ſolutionis debitum ſibi non ſit ſolvendum : quo tamen caſu non poterit fieri talis compenſatio cum præjudicio creditorum anteriorum, v.g. ſi res illa, antequam tibi deberetur, jam alteri eſſet obligata, dum nullo titulo hîc alter eſt præferendus. Et quamquam ſoleant Doctores pro conditione ad licitam compenſationem requirere, ut debitum ſit contractum; tamen eo caſu moraliter contractum eſſe cenſetur, dum jam jam eſt contrahendum.

Porrò, conditiones ad debitam compenſationem requiſitæ ſunt 1. ut omnimoda ſervetur æqualitas, ut non plus per compenſationem auferatur, quam erat debitum : 2. Ne fiat compenſatio de bonis, quæ non ſunt Debitoris, v.g. quæ habet in depoſito : ſicuti enim non poteſt ipſe Debitor de talibus bonis ſolvere, ita nec Creditor ſibi compenſando. 3. Ut debitum ſit certum, & liquidum; cum in dubio nemo ſit privandus ſuo jure, & melior ſit conditio poſſidentis. 4. Ut ex compenſatione nullum inferatur alicui damnum : unde docent, monendum eſſe Debitorem de compenſatione factâ, ne iteratò reſtituat; ne maneat in mala fide, putans ſeſe adhuc eſſe Debitorem; ne aliis imputet, quod eſt ablatum, &c. 5. Ut debitum ſit ex juſtitia, non ſolum ex debito antidorali, aut charitate : Sic v.g. ſi quis ſæpè mutuaſſet alteri, qui poſtea non vellet mutuare, non liceret clanculò mutuum ab altero accipere, quia alter ex juſtitia mutuare non debet. Et ratio eſt, quod compenſatio ſolum habeat locum, ut recuperetur id, quod alteri ex juſtitia debetur. 6. Ut adſit ſuperior Authoritas, ſi commodè ea haberi poſſit. Unde S. Thomas q. 66. art. 5. ad 3. ita ait : *Qui furtim accipit rem ſuam apud alium injuſtè detentam, peccat quidem, non quia gravet enim, qui detinet (& ideò non tenetur ad reſtituendum aliquid, vel recompenſandum) ſed peccat contrà communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſua rei judicium, juris ordine prætermiſſo.* Additum eſt, *ſi commodè ea haberi poſſit* : Quia, ſi non niſi magnis expenſis, aut niſi cum periculo rei familiaris ſuperior authoritas haberi poſſit, licita erit ſine interventu judicis compenſatio, ſi de cætero abſit ſcandalum, periculum infamiæ, aut injuriæ.

Conditiones requiſitæ ad occultam compenſationem

Ratione tertii requiſiti quæri hîc ſolet, an compenſatio non habeat locum

An occulta compenſatio locum habeat in caſu dubii.

in caſu dubii: v. g. una opinio aſſerit probabiliter, Petrum mihi debere 100. alia itidem probabilis id negat: poſſumne mihi equidem occultè ſurripere 100. negant omnes id licere in dubio facti, quia poſſeſſio favet debitori. In dubiis opinionum verò diſſentiunt Authores. Card. Lugo *diſp.* 16. *ſect. V.* docet *num.* 99. Quod quando ſententia probabilis æquè, vel probabilior, favet Creditori volenti facere compenſationem, probabiliter poſſit eam facere ſervatis dictis conditionibus requiſitis. Rationem ejus à priori addit *num.* 101. Quod per probabilitatem juris, ſive opinionum habeat judicium ultimum, quod habet proximam probabilitatem ad operandum requiſitam. Alii è contra in univerſum negant, eò quod generatim in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Unde Suarez l. de legibus c. 18. num. 20. *Licet quis probabiliter opinetur, rem, quam alius poſſidet, eſſe ſuam: non poteſt eam ſuà authoritate ſurripere, quando conſcius etiam eſt, alteri non deeſſe rationem probabilem ad retinendam illam: quia tunc non poteſt applicare ad opus prius illud judicium probabile, cum ſciat in ſimili eventu meliorem eſſe conditionem poſſidentis.*

Julius Mercorus verò *parte* 3. *art.* 12. rectè tenet, in dubio opinionum compenſationem non eſſe pro toto licitam. Quia, ait, ſi creditor dubius poſſet ſibi compenſare in toto, ergo poſtea debitor, qui habet æqualem probabilitatem rem ſibi deberi, poterit iterum ſibi compenſare in toto, & ſic deinceps creditor uſque in infinitum. Addit ſecundò idem Author, quod in caſu hujus dubii licita quidem ſit compenſatio, ſed pro qualitate dubii. Ponit exemplum tale: *ſunt*, ait, *opiniones probabiles, an teſtamentum tempore peſtis cum minori numero teſtium ſit validum. Hæres habet probalitatem non teneri ſolvere legatum; etiam Legatarius habet probalitatem pro ſe, ſcilicet ſibi deberi Legatum. Dico Legatarium, ſi factà diligentià adhuc exiſtimat utramque opinionem eſſe probabilem, poterit occultè ſibi compenſare de medietate Legati: Ratio eſt, quia jura non minus ſtant pro hærede, quam Legatario; ergo uterque in illà portione relictà pro Legato debet habere partem. Ulterius, Legatarius accipiendo partem, non facit injuriam hæredi, cui pro ſuà parte jurium relinquit partem hæredi. Demum, hæc partitio videtur magis ſapere æquitatem, & magis conſonans rationi, cum uterque participet de re, ad quam unuſquiſque habet jus.* Et quamvis hæredi favere videatur poſſeſſio; tamen in hoc caſu dubii juris nil confert hæredi poſſeſſio ad præſumendum dictum teſtamentum eſſe invalidum. In dubio autem facti favet poſſeſſio debitori, dum in tali dubio poſſeſſio facit præſumptionem, rem eſſe ejus, qui eam poſſidet.

Occultæ compenſationes famulorum, &c.

Ex hucuſque dictis colligi poteſt, quid ſit dicendum de famulis, qui titulo compenſationis occultæ aliquid à Dominis accipiunt, conquerentes ſtipendium ſuum eſſe minus juſto, nec æquum ſtipendium ſeſe poſſe obtinere. Solet ea famulorum aliqua ſurripientium apud Confeſſarios eſſe excuſatio, ut notat Soto *L. V. q.* 3. *art.* 3. quibus tamen ait Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 80. rarò credendum eſt in hâc parte famulis obtendentibus defectum juſti ſtipendii. Cur enim

enim, ait, alium Dominum non quærunt, vel non quæſierunt cum majori ſtipendio, ſi invenire facilè poterant; ſi autem non poterant, non ergo fuit injuſtum prætium, quo majus non poterat communiter inveniri? Unde ſequitur, quod ſi famuli liberè convenerint de ſtipendio tanto, vel tanto, etſi etiam minori juſto, debeant illo eſſe contenti, nec eo titulo, quod minus juſto accipiant, poſſint uti compenſatione; eò quod cenſeantur condonare, quod deficit: cumque ſine vi, vel fraude detineantur, poterunt liberè alium Dominum inveſtigare. Idem dicendum eſt de caſu, quo famuli ſeſe liberè obtulerunt Domino, famulatum rogantes, aut eum ſubindè extorquentes, quia merces ultroneæ vileſcunt. Si verò ſine aliquo pacto explicito obſequium Domini acceptaverint, cenſetur illud eſſe juſtum ſtipendium, quod ſimilibus famulis communi conſuetudine ſolet dari. Aliud eſſet, ſi ſervus ad quædam opera conductus, aliis inſuper operibus à Domino adhiberetur, nec quidquam ſtipendio conductionis ſuperadderetur; poſſet famulus ſervatis ante dictis conditionibus uti compenſatione. Imo alii addunt, quod ſi debuerit ſe famulus ex neceſſitate elocare minori prætio, poſſe uſque ad juſtum prætium ſibi compenſare, quod pro eo caſu juſtitia permittit. Idem docent de caſu, quo Dominus conducens ſervum, promiſiſſet ſe ſervo illi beneficium aliquod conquiſiturum, quod tamen Dominus negligit, eò quod promiſſio illa ſit prætio æſtimabilis. In his tamen, & ſimilibus caſibus, neceſſariò adeſſe debent conditiones anteà requiſitæ, quæ quia ſæpè ſæpiùs non adſunt, ideo etiam famulis, & ſimilibus occulta compenſatio erit interdicenda: maximè cum ex contrario, ſoleat domeſticis furtis aperiri porta: unde meritò hæc condemnata eſt à S. Sede, poſteaquam condemnata fuerat ab Academia Pariſienſi, & Lovanienſi: ***Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*** Conformiter ad dicta de famulis, dicendum erit de operariis, ſive Mercenariis Mercatorum, conquerentibus ſuum ſtipendium eſſe minus juſto, & neceſſitate adigi ad laborandum ſtipendio juſto minori. Videndum tamen, ne hîc iniquitas mentiatur ſibi, & ut omnes conditiones ad legitimam compenſationem adſint. Denique in hâc materiâ Notandum eſt cum D. Wiggers, occultas compenſationes etiam debitis circumſtantiis veſtitas haberi in jure odioſas, & quod ſint natæ hoc inducere, ut ſenſim quilibet præſumat ſibi facere jus, non ſine periculo confuſionis in Republicâ: unde convenit magis homines paſſim ab eâ deterrere, quam ejuſmodi modos eis ſuggerrere, & in inculcare, *ut ab aliquibus*, ait, *nimis promptè fit*. Optandum magis, ut ſequantur illud Eximii Sinnichii Monitum, quod dat Saülis lib. 1. cap. 116. §. 442. ubi ita ait: *Neminem inter laxarum opinionum aſſertores, aut ſectatores reperiri arbitror, qui famulo abs ſe conducto dicturus ſit: ſi ſalarium, ſuper quo convenimus, videatur tibi minus juſto, ſupple illud ex bonis meis, uſque ad æqualitatem, proprio tuo juducio taxandam. Cum igitur nullus eorum hoc dicat famulo ſuo, cur tam prodigi ſunt in alieno? Cur non reſpiciunt regulam iſtam, quam omnes habent in corde fixam, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?* Notabile.

Ulti-

An occulta compenſatio locum habeat in caſu dubii, in caſu dubii : v. g. una opinio aſſerit probabiliter, Petrum mihi debere 100. alia itidem probabilis id negat : poſſumne mihi equidem occultè ſurripere 100. negant omnes id licere in dubio facti, quia poſſeſſio favet debitori. In dubiis opinionum verò diſſentiunt Authores. Card. Lugo *diſp.* 16. *ſect. V.* docet *num.* 99. Quod quando ſententia probabilis æquè, vel probabilior, favet Creditori volenti facere compenſationem, probabiliter poſſit eam facere ſervatis dictis conditionibus requiſitis. Rationem ejus à priori addit *num.* 101. Quod per probabilitatem juris, ſive opinionum habeat judicium ultimum, quod habet proximam probabilitatem ad operandum requiſitam. Alii è contra in univerſum negant, eò quod generatim in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Unde Suarez l. de legibus c. 18. num. 20. *Licet quis probabiliter opinetur, rem, quam alius poſſidet, eſſe ſuam : non poteſt eam ſuâ authoritate ſurripere, quando conſcius etiam eſt, alteri non deeſſe rationem probabilem ad retinendam illam : quia tunc non poteſt applicare ad opus prius illud judicium probabile, cum ſciat in ſimili eventu meliorem eſſe conditionem poſſidentis.*

Julius Mercorus verò *parte* 3. *art.* 12. rectè tenet, in dubio opinionum compenſationem non eſſe pro toto licitam. Quia, ait, ſi creditor dubius poſſet ſibi compenſare in toto, ergo poſtea debitor, qui habet æqualem probabilitatem rem ſibi deberi, poterit iterum ſibi compenſare in toto, & ſic deinceps creditor uſque in infinitum. Addit ſecundò idem Author, quod in caſu hujus dubii licita quidem ſit compenſatio, ſed pro qualitate dubii. Ponit exemplum tale : *ſunt*, ait, *opiniones probabiles, an teſtamentum tempore peſtis cum minori numero teſtium ſit validum. Hæres habet probalitatem non teneri ſolvere legatum ; etiam Legatarius habet probalitatem pro ſe, ſcilicet ſibi deberi Legatum. Dico Legatarium, ſi factâ diligentiâ adhuc exiſtimat utramque opinionem eſſe probabilem, poterit occultè ſibi compenſare de medietate Legati : Ratio eſt, quia jura non minus ſtant pro hærede, quam Legatario; ergo uterque in illâ portione relictâ pro Legato debet habere partem. Ulterius, Legatarius accipiendo partem, non facit injuriam hæredi, cui pro ſuâ parte jurium relinquit partem hæredi. Demum, hæc partitio videtur magis ſapere æquitatem, & magis conſonans rationi, cum uterque participet de re, ad quam unuſquiſque habet jus.* Et quamvis hæredi favere videatur poſſeſſio ; tamen in hoc caſu dubii juris nil confert hæredi poſſeſſio ad præſumendum dictum teſtamentum eſſe invalidum. In dubio autem facti favet poſſeſſio debitori, dum in tali dubio poſſeſſio facit præſumptionem, rem eſſe ejus, qui eam poſſidet.

Occultæ compenſationes famulorum, &c. Ex hucuſque dictis colligi poteſt, quid ſit dicendum de famulis, qui titulo compenſationis occultæ aliquid à Dominis accipiunt, conquerentes ſtipendium ſuum eſſe minus juſto, nec æquum ſtipendium ſeſe poſſe obtinere. Solet ea famulorum aliqua ſurripientium apud Confeſſarios eſſe excuſatio, ut notat Soto *L. V. q.* 3. *art.* 3. quibus tamen ait Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 80. rarò credendum eſt in hâc parte famulis obtendentibus defectum juſti ſtipendii. Cur enim

Digitized by Google

enim, ait, alium Dominum non quærunt, vel non quæſierunt cum majori ſtipendio, ſi invenire facilè poterant; ſi autem non poterant, non ergo fuit injuſtum prætium, quo majus non poterat communiter inveniri? Unde ſequitur, quod ſi famuli liberè convenerint de ſtipendio tanto, vel tanto, etſi etiam minori juſto, debeant illo eſſe contenti, nec eo titulo, quod minus juſto accipiant, poſſint uti compenſatione; eò quod cenſeantur condonare, quod deficit: cumque ſine vi, vel fraude detineantur, poterunt liberè alium Dominum inveſtigare. Idem dicendum eſt de caſu, quo famuli ſeſe liberè obtulerunt Domino, famulatum rogantes, aut eum ſubindè extorquentes, quia merces ultroneæ vileſcunt. Si verò ſine aliquo pacto explicito obſequium Domini acceptaverint, cenſetur illud eſſe juſtum ſtipendium, quod ſimilibus famulis communi conſuetudine ſolet dari. Aliud eſſet, ſi ſervus ad quædam opera conductus, aliis inſuper operibus à Domino adhiberetur, nec quidquam ſtipendio conductionis ſuperadderetur; poſſet famulus ſervatis ante dictis conditionibus uti compenſatione. Imo alii addunt, quod ſi debuerit ſe famulus ex neceſſitate elocare minori prætio, poſſe uſque ad juſtum prætium ſibi compenſare, quod pro eo caſu juſtitia permittit. Idem docent de caſu, quo Dominus conducens ſervum, promiſiſſet ſe ſervo illi beneficium aliquod conquiſiturum, quod tamen Dominus negligit, eò quod promiſſio illa ſit prætio æſtimabilis. In his tamen, & ſimilibus caſibus, neceſſariò adeſſe debent conditiones anteà requiſitæ, quæ quia ſæpè ſæpiùs non adſunt, ideo etiam famulis, & ſimilibus occulta compenſatio erit interdicenda: maximè cum ex contrario, ſoleat domeſticis furtis aperiri porta: unde meritò hæc condemnata eſt à S. Sede, poſteaquam condemnata fuerat ab Academia Pariſienſi, & Lovanienſi: *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Conformiter ad dicta de famulis, dicendum erit de operariis, ſive Mercenariis Mercatorum, conquerentibus ſuum ſtipendium eſſe minus juſto, & neceſſitate adigi ad laborandum ſtipendio juſto minori. Videndum tamen, ne hîc iniquitas mentiatur ſibi, & ut omnes conditiones ad legitimam compenſationem adſint. Denique in hàc materiâ Notandum eſt cum D. Wiggers, occultas compenſationes etiam debitis circumſtantiis veſtitas haberi in jure odioſas, & quod ſint natæ hoc inducere, ut ſenſim quilibet præſumat ſibi facere jus, non ſine periculo confuſionis in Republicâ: unde convenit magis homines paſſim ab eâ deterrere, quam ejuſmodi modos eis ſuggerrere, & in inculcare, *ut ab aliquibus*, ait, *nimis promptè fit*. Optandum magis, ut ſequantur illud Eximii Sinnichii Monitum, quod dat Saülis lib. 1. cap. 116. §. 442. ubi ita ait: *Neminem inter laxarum opinionum aſſertores, aut ſectatores repèriri arbitror, qui famulo abs ſe conducto dicturus ſit: ſi ſalarium, ſuper quo convenimus, videatur tibi minus juſto, ſupple illud ex bonis meis, uſque ad æqualitatem, proprio tuo juducio taxandam. Cum igitur nullus eorum hoc dicat famulo ſuo, cur tam prodigi ſunt in alieno? Cur non reſpiciunt regulam iſtam, quam omnes habent in corde fixam, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?* Notabile.

Ulti-

An liceat ſua bona recuperare per vim.

Ultima quæſtionis pars habet, an etiam per vim liceat rem ſuam recuperare, ſi aliâ viâ recuperari non poſſit. Ad quam paſſim reſpondere ſolent, generaliter id fieri non poſſe, propter uſurpationem publicæ juriſdictionis. Alii è contra docent id fieri poſſe, ſi res tua in ſpecie extet, neque aliâ viâ eam poſſis recuperare, ſi de cætero abſit ſcandalum, & alia inconvenientia. Addunt alii, non poſſe id fieri, ſi res ipſa à creditore non retineatur, eò quod vis illa ſit ſolum licita jure defenſionis; quæ fit, dum res tua ab alio retinetur, vel aufertur, quando quaſi vim vi repellendo eamdem recuperas. Quando autem debitor rem tuam non amplius detinet, nulla datur defenſio, aut offenſio, ad hoc ut ille ſolvat, quod debet: hæc autem coactio hîc facienda, eſt actus poteſtatis publicæ, non privatæ. Hinc etiam generaliter de omni compenſatione notat Zypæus Not. Belg. *tit. de compenſationibus*, in ſæcularibus tribunalibus pleraque locorum ſtatuta non admittere titulum *de compenſationibus*, niſi beneficio litterarum Regiarum, aut quod res connexæ ſint, aut quaſi alteræ alteris dependentes. Antverpiæ tamen ſatis eſt, compenſationem opponi, nec diploma Principis ibidem requiritur, *conſuet. tit.* 64.

Sed quid, ſi factâ compenſatione occultâ, à judice rogetur, an ipſe res illas acceperit, debeat compenſans illud confiteri. Negant plurimi, & docent, talem hoc abſolutè poſſe negare, ſubintelligendo, *ad tibi dicendum*, aut etiam *non accepiſſe injuſtè*, qualis cenſetur eſſe mens interrogantis: imo & illud idem juramento confirmare poſſe, addunt alii. Verum data doctrina favere plurimum videtur reſtrictionibus mentalibus: ſi enim licitè acceperit, quid timendum à judice? ſi illicitè, certum eſt, quod non poſſit id negare ſine mendacio, quia Judex rogat, an acceperit illud iniquè, non ſolum quoad ſubſtantiam acceptionis, ſed etiam quoad modum.

Sed quid, ſi creditor promiſiſſet ſe non uſurum occultâ compenſatione; quid ſi id juraſſet; poſſetne eo non obſtante illâ uti? Reſp. Cum promiſſio illa ſit de re licitâ, tenetur ſtare promiſſis, multò magis, ſi id promiſerit adjecto juramento. Variant tamen Authores, an illâ uti poſſis, ſi juraveris debitum ſolvere. Alii affirmant, alii negant, quaſi juramentum compenſationem impediat. Melius tamen alii diſtinguunt, quod ſi explicitè, vel implicitè juraverit non ſolùm ſolvere, ſed etiam non uti compenſatione, juramentum ad id totum obliget. Si verò ſolùm juraris ſolvere, adhuc integrum erit eâ uti. An autem hoc, vel illo modo juraveris, colligi poteſt ex circumſtantiis, v. g. ſi de compenſatione nequidem cogitaſti, poteris judicare te non juraſſe eâdem non uti. Vide Molinam diſp. 960.

SECTIO VI.

An fur continuò peccet, donec reſtituat.

QUæſtio non eſt de peccato habituali, quale ſolum hîc admiſit Caietanus in eo, qui culpabiliter omittit reſtituere: ſed de peccato actuali, ſicuti ille continuò peccat, qui hominem injuſtè detinet in vinculis, quia tali injuſtâ detentione

tentione continuò proximum lædit. Et reſponſio communis eſt affirmativa. Ratio eſt quod lex, ***non furtum facies***, non ſolum prohibeat iniquam acceptionem, ſed etiam injuſtam detentionem rei alienæ, ſive non reſtitutionem, dum illa commodè fieri poteſt. Hinc rectè Innocentius III. *Cap. ſæpè, de reſtit. ſpol.* ***Non multum***, ait, ***intereſt, quoad periculum animæ, injuſtè detinere, ac invadere alienum.*** Ubi Gloſſa: *Jura pro eodem reputant auferre, & detinere injuſtè: ſimiliter auferre, & non dare.* Deindè, iniquus ille detentor continuò lædit proximum injuſtè eum privando re ſuâ, aut ejus poſſeſſione, quæ læſio continuò dependet à non reſtitutione, quæ eſt omiſſio libera, cum reſtitutionem illam poſſit, & debeat adhibere, ne proximus lædatur. Idem ergò hîc eſt, ac ſi quis eſſet in continuo actu alium lædendi. Nec quidquam obſtat, quod prætendit Caietanus, quod detentio rei alienæ non ſit actio, ſed effectus actionis, dum eſt moralis actio, qualis eſt & poſſeſſio. Denique illa non reſtitutio, eſt omiſſio libera, quæ etiam dari poteſt ſine omni actu voluntatis, prout alibi oſtendimus agendo de actibus humanis.

Fur continuò peccat donec reſtituat, & quomodo.

Porrò, continuatio dicti peccati ſæpius poteſt interrumpi. 1. Si reſtitutio furi fiat impoſſibilis, ſi Domino longius diſſito ea fieri omninò nequeat, neque poſuerit Procuratorem. Tali enim caſu illa non reſtitutio non cenſetur amplius moraliter dependere à voluntate, & libertate furis, ſed à naturali rerum neceſſitate. 2. Interrumpitur, dum proponit reſtituere efficaciter; hinc quod ante dictum eſt, quod ille continuò peccet, qui cum poteſt, non reſtituit, intelligi debet de non reſtituente in re, vel in voto, ſive voluntate: etſi voluntate reſtituere dicendus non ſit, qui cum commodè poſſit, non reſtituit: aliud eſſet, ſi vellet brevi meliorem reſtituendi occaſionem expectare, quæ mora non poteſt Domino eſſe ingrata. In ſomnis verò, & ebrietate continuatur idem peccatum, non quaſi pro eo tempore contrahatur nova culpa, aut illa augeatur, quod non fit, niſi voluntas de facto aliquid velit, aut quid liberè omittit: ſed quod pro eo tempore talis omiſſio procedat à voluntate prævià non reſtituendi. Idem dicendum eſt de omiſſione reſtitutionis ratione impotentiæ, in quam ſeſe fur voluntariè conjecit, v.g. rem alteri elocando pro tempore, etſi reſtitutio ſit furi impoſſibilis, tamen cenſetur reſtitutionis omiſſio illi eſſe voluntaria.

Poteſt illud peccatum ſæpè interrumpi

Cum verò juxtà veriorem ſententiam, circumſtantiæ notabiliter aggravantes intrà eandem ſpeciem debeant in confeſſione aperiri: ſequitur, quod tempus retentionis rei, ſi ſit notabile, debeat in confeſſione aperiri; tum, quod diutius rem detinendo, cenſeatur gravius lædi proximus: tum, quod tempore diuturniori, ſoleant plures complacentiæ concurrere circà retentionem. Denique, majori jure tempus illud aperiendum eſt, ſi ex mora diuturniori Dominus rei aliqua damna extraordinaria ſit paſſus. Magis quoque tenetur aperire, ſi variæ interceſſerint perfectæ interruptiones, eò quod ſæpè animum mutaverit, & propoſuerit reſtituere, quod tamen poſtea non fecit, dum ſunt plura numero peccata per interruptionem poſita. Dictum eſt, *perfectæ interruptiones*, quia ut notat Lugo *de pœnitentiâ diſp.* 16. *ſect.* 14. *num.* 549.

Tempus retentionis in Confeſſione eſt aperiendum.

Si

Digitized by Google

Si per brevem morulam detur illa interruptio, & mox redeatur ad priſtinum actum, non eſt cenſenda prior voluntas moraliter interrupta. Sicuti, qui die jejunii finito prandio proponit non ampliùs comedere, ſi mox occurrat occaſio alium cibum ſumendi, non ideo præcedens prandium cenſetur moraliter interruptum. Addunt alii Authores, non debere Confeſſarium eſſe nimis anxium in inquirendis vicibus, quibus recordatus eſt obligationis reſtituendi: quot propoſita reſtituendi habuerit: quoties primam intentionem interruperit: ſed ſatis eſſe, quod per ſe ipſum Confeſſarius plus minuſve de tempore, & aliis probabiliter conjecturet, prout id locum habet in aliis multis.

CAPUT VII.

De obligatione reſtituendi rem alienam.

SECTIO I.

De obligatione reſtituendi rem alienam à poſſeſſore bonæ fidei.

Quis ſit poſſeſſor bonæ fidei.

POſſeſſor *bonæ fidei* ille hîc intelligitur, qui abſque conſcientiâ peccati mortalis rem alienam poſſidet, quia invincibiliter ignorat rem eſſe alienam, tametſi fortè venialiter peccet circà negligentiam in inquirendâ veritate, quæ culpa non tollit veroſimiliùs bonam fidem, nec generat malam fidem, ob quam ex injuſta actione naſcitur obligatio reſtitutionis, de qua hîc agimus. *Poſſeſſor malæ fidei* dicitur ille, qui vel ſcienter rem alienam aufert, vel retinet, vel id facit cum ignorantiâ craſsâ, affectatâ, aut ſupinâ, ſufficiente, ut in tali detentione mortaliter peccet. *Poſſeſſor denique dubiæ fidei* dicitur ille, qui cum dubio rem alienam detinet, vel aufert. De quibus poſteà.

Poſſeſſor malæ fidei. Poſſeſſor dubiæ fidei.

Obligatio poſſeſſoris bonæ fidei reſpectu rei alienæ.

In primis poſſeſſor bonæ fidei, quamdiu in ea eſt, poteſt rem alienam retinere, dum putat prudenter rem eſſe ſuam, etſi fortè à parte rei res ſit aliena: ut verò novit eam eſſe alterius, tenetur eam Domino reddere, niſi fortè jam eamdem legitimè præſcripſiſſet, de quo anteà. Poterit tamen deducere expenſas, quas in conſervatione rei debuit adhibere. Qui verò rem alienam bonâ fide conſumpſit, nil debet reſtituere, etſi poſtea noſcat rem fuiſſe alterius: quia, vel teneretur ad hoc ratione injuſtæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ: non primum, cum bonâ fide illam habuerit, & conſumpſerit: non ſecundum, cum nihil de tali re habeat. Denique, ſi ex conſumptione rei factus eſſet locupletior, tenetur illud Domino comparenti reſtituere, cum illud cenſeatur rei ſucceſſiſſe, & Domino proindè eſſe debitum.

Quæritur 1. an qui bonâ fide rem furtivam emit à fure, cum intelligit eam eſſe furtivam, poſſit emptor tutâ conſcientiâ reſcindere contractum venditionis,

An habens alienum bonâ fide per emptionem, poſſit contractum illum cum fure reſcindere, ut prætium recuperet.

tionis, & rem furi reddere, ut prætium recuperet, ſi aliâ viâ illud recuperare non poſſit. Variant hîc Authores. Alii affirmant his rationibus adducti. 1. Quod emptor ille nullam fecerit injuriam Domino rem illam bonâ fide emendo, & penes ſe retinendo; ergo ſine injuriâ Domini poterit eam furi reddere, ut datum prætium recuperet. 2. In caſu paris innocentiæ, tenetur primò emptor ſibi conſulere, deindè domino: & ſicut Dominus habet jus ad ſuam rem, ita emptor habet jus ad ſuum prætium. 3. Quòd contractus ille emptionis ab initio fuerit invalidus cum injuria emptoris: ergo poterit emptor ſe ab injuria vindicare contractum reſcindendo. Et quamquam emptio illa facta fuerit etiam cum injuria Domini, tamen id factum eſt ſine culpa emptoris bonâ fide ementis, & conſequenter poterit ille primò agere, ut liberetur ab injuria. 4. Nemo debet rem alterius curare cum damno proprio, niſi ad id ex officio, vel contractu teneatur, quod hîc aliàs fieret, ſi non poſſet emptor contractum reſciendere. 5. Quod ſi quis rem à pupillo emiſſet neſciens eum eſſe pupillum, de poſt id reſciens, poterit contractum reſcindere, tamquam cum eo initum, qui contrahere non poſſit.

Argumenta contraria

Objiciunt alii: 1. quod juxtà D. Thomam, quandocumque noſcitur res eſſe aliena, vero Domino ſit reſtituenda, undecumque veniat, rem illam haberi. Reſp. illud intelligendum eſt, quando reſtitui poteſt ſine noſtro damno; hîc autem id fieri non poteſt, niſi cum damno prætii.

Objiciunt 2. emptor ille non poſſet eam rem alteri vendere, quando noſcit eſſe alienam: ergò nec reddere furi. Reſp. Neg. conſeq. eò quod emptor jus habeat ad reſcindendum contractum, & ſe ſervandum indemnem; neque hoc fit cum injuria Domini, eò quòd ſolummodo rem ponat in eodem loco, undè cum ſuo gravamine inculpabiliter acceperat, cujus faciendi habet juſtam cauſam, puta, ut prætium recuperet. Si verò eam vendendo vellet ſe ſervare indemnem, fieret hoc cum injuria Domini, vendendo ſcilicet rem, cujus non habet dominium, & diſponendo de re alterius contra voluntatem Domini; & inſuper cum injuria emptoris, cui vendit rem furtivam.

Objiciunt 3. reddendo rem illam furi, reverà coöperabitur reddens iniquæ detentioni furis. Reſp. neq. aſſumpt. eò quòd maraliter loquendo eo caſu emptor ille ſolummodo ſe ſervet indemnem, & illam iniquam detentionem cenſeatur ſolum juſtâ de cauſâ permittere. De cætero non coöperatur conſulendo, mandando iniquam detentionem, imo potius reſcindendo contractum, furem monet reſtitutionis faciendæ.

Objiciunt 4. ſi fur ille eſſet abſens, aut mortuus, deberet eam rem domino comparenti reſtituere: ergo & quando fur eſt præſens: quod enim ille ſit præſens, vel abſens, indifferens planè eſt ad obligationem reſtitutionis, quæ oritur ex re alienâ ubicumque exiſtit. Reſp. ex Salonio, plurimum hoc referre, ſitne fur præſens, vel abſens: quando enim eſt præſens, habet emptor jus ad contractum reſcindendum, & prætium recuperandum; quod jus ceſſat, dum eſt abſens. Si verò dicas, ex abſentia furis nihil juris, magis acquiri

Digitized by Google

quiri Domino ad rem ſuam; quia equidem ex præſentia furis acquiritur jus emptori, & occaſio ſe per reſciſſionem contractûs, ſervandi indemnem.

Objiciunt 5. ſi Dominus rei reſciat, cui res ejus ſit vendita, & deſuper conveniat Judicem, decernet Judex rem illam eſſe reſtituendam, ergo etiam ante tale decretum Judicis tenebitur emptor eam rem reſtituere; eò quòd ſententia Judicis non faciat, ut alter obligetur ad id in conſcientia, ad quod antea non obligabatur. *Reſp.* Iterum ex Salonio, ſententiam illam Judicis inniti præſumptioni juris, quod conventio illa cum fure fuerit fraus, vel dolus; maximè, dum reſcinditur contractus. Deindè, hoc agit Judex, eò quod ad illum non pertineat vitare damnum emptoris, ſed ſolum reddere cuique, quod ſuum eſt. Emptor verò poteſt vitare ſuum damnum, & conſequenter non eſt hîc eadem ratio de Judice, & de emptore. Addit Wiggers, quod cum Judex ſoleat id, quod eſt expeditiſſimum ſequi, ſolummodo hîc reflectat ad rem furtivam, quam jubet reddi ſtatim Domino, abſque eo, quod per multas ambages ducere velit Dominum rei. Denique, ſi fur deprehendatur, condemnabitur ille ad prætium rei emptori refundendum.

Quid dicendum, ſi ſciens rem alienam à fure quis emerit.

Quæres 2. quid ſi rem alienam à fure emeris, ſciens eſſe alienam, quid hoc caſu fieri poſſit. *Reſp.* 1. ſi ſciens eam rem eſſe Domino gratiſſimam, meritò præſumas Dominum velle eamdem rem ſibi reddi, etſi etiam eamdem juſto prætio deberet recuperare: poſſe emptorem juſto prætio eamdem emere, ut eam Domino reddat, & poſtea illud prætium à Domino exigere. Ratio eſt, quod hoc caſu utiliter geſſerit negotia Domini, rem illam è tali periculo liberando, & nemo alterius utilitati debet incumbere cum ſuo detrimento. Aliud paſſim docent de eo, qui rem illam juſto, aut etiam majori prætio à fure emiſſet, ut Domino redderet, cum tamen Domini non multum referret, aut intereſſet, rem recuperare, aut perdere; eò quod tali caſu non cenſeatur ille utiliter egiſſe negotium Domini. Hinc eo caſu conſequenter docent, Dominum debere refundere prætii partem ad arbitrium prudentis viri.

Si verò quis ſciens rem eſſe furtivam, eam à fure emerit ad ſibi retinendum, veriùs negant, poſſe emptorem illum contractum reſcindere cum fure, ut prætium recipiat. Ratio eſt, quod non ſolùm hic teneatur ad reſtitutionem ex re acceptâ, ſed & ex injuſta acceptione: quid enim eſt aliud, emere rem furtivam ſibi appropriandam, quam eamdem de novo à Domino furari? hinc talis emptor quaſi in ſe recipit emendo obligationem furis, ſive rem illam conſumat, ſive alteri tradat.

Quid, ſi quis rem alienam bonâ fide emerit, ac bonâ fide vendiderit.

Quæres 3. an ille, qui bonâ fide rem furtivam emit, & bonâ fide vendidit, teneatur admittere reſciſſionem contractûs ab eo, cui vendidit, ſi Dominus compareat? *Reſp.* Teneri. Ratio eſt, quod contractus ille venditionis fuerit nullus, nec venditor transferat dominium rei in emptorem, quod ipſe non habet. Deinde, venditor debet ſervare emptorem indemnem. Sic etiam, qui pecuniam adulterinam alteri tradit, quam bonâ fide accepit ab alio, debet poſteriori ſubſtituere bonam; nec ſatis eſt, quod eum ad priorem remittat. Sic quoque non poterit venditor ille remittere emptorem ad furem ad recuperandum

præ-

Digitized by Google

prætium. Et hæc quidem fundatiſſima in foro conſcientiæ, cum variæ leges poſitivæ videantur hîc aliter ſtatuere, quaſi fur acquirat dominium prætii ex venditione rei furtivæ conquiſiti, etſi teneatur de evictione ad omne intereſſe, prout ſtatuit L. *rem alienam ff. de contrah. empt.* item L. *ſi emptione* §. *item ſi ff.* ibid. imo, *Chriſtinaus Vol.* 4. *Deciſ.* 173. *num.* 13. *&* 14. refert aliquoties in Mechlinienſi ſupremo, & Brabantiæ Conſilio judicatum eſſe, ut qui fundum ſciens alienum, vel obligatum emerit, neque de evectione anteà conveniat, amittat illud, quod eo nomine dedit. Alii tamen univerſim prætium reſtituendum eſſe tradunt, quod & moribus noſtris conſentaneum eſſe exiſtimat *Groenwegen Cod. L.* 8. *tit.* 45. §. *ſi fundum L.* 27. niſi expreſsè actum ſit, nè venditor de evictione teneatur, quod Noſtrates dicunt, *met den voet ſtooten :* hoc enim caſu emptor prætium amittit. *Grotius introd. l.* 3. *p.* 14. *num.* 26. verum de ea re poſteà de venditione.

Quæres 4. quid ſi ultimus emptor rei furtivæ, mox ut ſciverit rem eſſe furtivam, eam Domino reddat : an venditor maneat emptori obligatus ? Reſp. Manere, quia debet ei prætium refundere. Per illam enim rei redditionem, nullum damnum venditori infert, qui dedit cauſam damni, illi eam vendendo. Ita *Sylvius.* Excipe tamen, niſi per illam accelerationem, jam ille prior emptor non potuiſſet contractum cum fure reſcindere, quod anteà potuiſſet, ſi fuiſſet monitus.

Quæres 5. quid ſi venditor poſtquam rem furtivam vendidit, ſciat eam eſſe furtivam, neque compareat ille, cui vendidit, aut ſi rem illam ipſe conſumpſerit. *Bannez*, *Salonius*, & *Sylvius* docent, debere venditorem prætium rei Domino reſtituere. *Wiggers* cum aliis hoc negat, eò quod venditor non teneatur ratione rei acceptæ, quam non habet : nec ratione iniquæ acceptionis, cum bonâ fide eam emerit : neque etiam ratione damni, cum nullum damnum Domino intulerit emendo, aut vendendo. 2. Quia ut ante probatum eſt, ſi bonâ fide rem emiſſet à fure, non teneretur eam Domino reddere, ſed poſſet contractum cum fure reſcindere, ut prætium recuperet, eò quod non teneatur emptor pati damnum ob alterius utilitatem : ergò etiam, quando bonâ fide rem vendidit, poteſt prætium illud ſibi retinere. 3. Si primus ille emptor, ſeu venditor durante illâ bonâ fide, rem illam alteri donaſſet, vel aliàs conſumpſiſſet, ex quo non eſſet factus ditior, non deberet rem illam reſtituere. Ergò etiam non tenetur, ſi eam durante bonâ fide vendat.

Objicies tamen, quod venditor ille non potuerit illud prætium facere ſuum, cum venditio fuerit nulla, adeoque ſemper tenebitur ratione rei acceptæ. Reſp. inde tantum ſequi, quod illud prætium reddere debeat emptori, non autem Domino, cum illud prætium ſupponatur adhuc eſſe emptoris. Hinc aliorum fundamentum hîc falſum eſt, dum cenſent hîc prætium ſucceſſiſſe in locum rei, quando venditor ex eo non eſt factus ditior, ut ſupponitur : quare illud prætium potius hoc caſu ſucceſſit in locum prætii à venditore antea dati, & conſequenter nihil dari debet ratione rei acceptæ, ne quidem in æquivalenti, à venditore.

Si tamen ex ea venditione venditor factus ſit ditior, tenetur exceſſum prætii Domino reſtituere ratione rei acceptæ in æquivalenti jam exiſtentis: excipiunt tamen alii, niſi exceſſus ille non proveniret ex reipſa, ſed ex venditoris induſtria. Imò etiam ad id non teneri venditorem docent alii, ſi exceſſus ille ſit intrà latitudinem juſti prætii, quo caſu illud incrementum non eſt fructus rei, ſed induſtriæ.

Quæres VI. ſi quis pecunias furtivas bonâ fide accepiſſet à fure, v. g. emente res ſuas, teneatur venditor pecunias illas reddere domino, ſi adhuc extent. Reſp. ſi pecunias illas etiamnum ſeparatas, aliis ſuis pecuniis impermixtas ſervet, tenetur omninò eaſdem Domino comparenti reddere, & poſteà agere contrà furem ad recuperandam rem ſuam; eò quod res illa ſemper clamet ſuum dominum, & adhuc ſit verè ſub dominio alterius. Si verò eaſdem jam permiſcuerit venditor aliis ſuis pecuniis, ita ut diſcerni nequeant, non tenetur eas reddere domino, cum per illam mixtionem pecuniæ illæ tranſierint cum aliis in dominium venditoris, juxtà L. *Si alieni nummi ff. de ſolut. L. idem Pomponius ff. de rei vendit.* Unde non tenetur ad reſtitutionem ratione rei acceptæ; cum ſit ſua: nec ratione injuſtæ acceptionis, quia bonâ fide eas accepit: nec quia factus eſt ditior, quia tantum dedit, quantum accepit. Quod quidem verum eſt in foro fori.

Generaliter hîc notandum eſt, maximè ad quæſtionem 2. præcedentem, ſi Dominus rem ſuam furto ablatam, & alteri venditam ab emptore repetat; non debere Dominum prætium datum reſtituere, neque in foro conſcientiæ, nec in foro fori; cum nemo teneatur emere rem ſuam. Excipe tamen caſum, de quo in quæſtione 2. moribus quoque noſtris id obtinuit, ut quando quis bonâ fide rem furtivam in nundinis, aut foris liberis emerit, ſi non poſſit prætium à venditore recuperare, emptor rem reſtituere non debeat, niſi redhibito prætio, præſtito prius juramento, ſe dediſſe tale prætium. *Zyp. notit. de rei vendit.* Addit idem, illud quoque privilegium habere alibi Veteramentarios, & Aurifabros, ſi neque ante horam 8. matutinam, aut 2. pomeridianam, neque æſtate poſt 7. neque hiëme poſt 8. rem emptam per 8. dies ante fores publico ſpectaculo expoſuerint. Conſuetudines Urbis noſtræ addunt *tit.* 58. *art.* 1. generaliter rem furtivam eſſe reddendam Domino, abſque redditione prætii, ſi Dominus juramento probare poſſit, eam rem à ſe furtim eſſe ablatam. Unde ibidem dictæ Conſuetudines non habent locum.

Quid hic juris Belgici?

SECTIO II.

De obligatione reſtituendi rem alienam à poſſeſſore dubiæ fidei.

Obligatio poſſeſſoris dubiæ fidei.

Recollectis illis, quæ ſectione 4. c. 2. de Præſcriptione dicta ſunt, dum in ea advenit dubitatio: ante omnia certum eſt, eum mortaliter peccare, qui rem alienam emit, de quâ dubitat, an ſit furtiva; eò quod ſeſe exponat periculo rem alienam poſſidendi invito rationabiliter Domino. Deindè, verita-

Digitized by Google

veritatem omni modo inquirere tenetur, dum dubitat, an ſit furtiva: quâ cognitâ, res illa reddenda eſt domino comparenti, etſi prætium reſtituere nolit, juxtà ante dicta. Si verò factâ inquiſitione debitâ, dubium perſeveret, volunt aliqui, rem totam eſſe reddendam illi, de quo dubitatur, an ſit ejus: aut ſi dubium ſit generale ſine determinatione perſonæ debere totam dari pauperibus. Alii tamen rectiùs docent, rem non debere totam reddi, ſed pro qualitate dubii eſſe reddendam rei partem, ſive perſonæ determinatæ, ſive pauperibus. Ratio eſt, quod in dubio eatenus ſolùm ſit hîc ſequendum tutius, quatenus tenemur vitare damnum proximi: ſed non minus tenemur cavere periculum damni proximi, in eo, quod eſt ſui juris, quam in eo, quod eſt juris noſtri: Si ergò nihil reſtituas hoc caſu, poteſt fieri, quod defraudes proximum in toto, dum opinio affirmans rem eſſe alterius, poteſt à parte rei eſſe vera. Adeoque è duobus malis minus eſt eligendum, ut ſcilicet reſtitutio fiat pro qualitate dubii. Sic enim æqualitas periculi, & utilitatis correſpondebit æqualitati jurium utriuſque partis. Ità *Julius Mercerus p.* 3. *art.* XI. Addens, hanc praxim maximè congruere æquitati, & Confeſſarios eam tutò poſſe conſulere, idemque obſervandum eſſe in dubiis contractuum, compenſationum, &c.

Qui autem dubitans rem alienam recipit, animo non ſibi eam retinendi, ſed Dominum inquirendi, eidemque reddendi, ſi compareat; utiliter agit negotium Domini, neque tenetur de caſu fortuito, cum ſe habeat ut depoſitarius rem habens in utilitatem Domini: deindè, poterit ille recipere, & exigere prætium datum, juxtà dicta, ſectione præced. quæſt. 2.

Prætereà, qui poſtquam bonâ fide rem accepit, poſteà dubitat, an ſit furtiva, tenetur omni modo veritatem inquirere, quod quamdiu facit, poterit rem eam detinere, tamquam poſſeſſor bonæ fidei. Si verò negligat adhibere eam diligentiam inquirendi, docent multi, adhuc poſſe rem totam retineri; quia, qui dubitat, an ſuâ actione damnum intulerit, non tenetur quidquam ſtante tali dubio reſtituere, uti hîc fit, dum negligitur inquiſitio veritatis. Alii tamen rectius docent, talem debere reſtituere rem pro qualitate dubii; eò quod tali caſu non maneat dubius de damno illato, ſed certò illud intulit, auferendo ab alio injuſtè illam ſpem, quam in ſua conſcientia poterat habere, ut poſſet reperiri verus dominus, quæ ſpes debet æſtimari, & reſarciri. Inſuper ille, durante tali inquiſitione, non poteſt re illâ uti, ſi ſit uſu conſumptibilis; fruſtrà enim de re inquiritur, quæ unà conſumitur. Si verò non ſit res uſu conſumptibilis, v. g. equus, poterit eâdem uti, paratus interim ſolvere prætium dicti uſus, deductis expenſis alimentorum. Manente dubio poſt inquiſitionem factam, poteſt eamdem retinere, & vendere: ita tamen, ut dubium illud emptori aperiat, ne poſtea comparente Domino, emptor damnificetur, adeoque & debet eam minoris vendere. Hoc autem ſolùmmodo verum eſt, dum eſt aliqua ſpes moraliter loquendo, quod Dominus poſſit comparere: aliàs enim emptor morali periculo damni non exponitur.

Digitized by Google

SECTIO III.

De obligatione reſtituendi rem alienam à poſſeſſore malæ fidei.

POſſeſſor malæ fidei tenetur ipſam rem, ſi extet, domino integrè reſtituere: ſi verò non extet, vel quia eam vendidit, conſumpſit, &c. tenetur reddere prætium rei æquivalens; & hoc, etſi abſque ullo ſuo commodo res perierit, v. g. ſi ab alio rapiatur, caſu pereat, &c. ratio eſt, quod obligatio hæc reſtituendi non ſolùm oriatur ex re acceptâ, ſed & ex iniqua acceptione, & alterius læſione; unde ſimile damnum ipſe debet ſubire, quale alteri intulit, etſi ex re ipsâ nihil habuerit emolumenti. Debet inſuper reſtituere damnum omne ex illa iniqua acceptione emergens, uti & lucrum ex ea ceſſans. Sic, ſi quis ab alio furetur equum, debet eum reſtituere, item prætium conductionis, ſi debuerit Dominus alium conducere: & ſi ſolitus erat eum elocare, tenetur lucrum ceſſans reſarcire juxtà juſtam æſtimationem ſpei, quam habebat ad lucrandum ex tali re ablatâ. Excipe tamen caſum, quo fur purgaſſet moram detentoriam, v. g. ſi rem illam primò obtuliſſet Domino, & hic acceptare noluiſſet; quia eo caſu cenſetur fur eſſe magis depoſitarius, quam iniquus detentor; quo caſu non tenebitur, niſi pereat ſuâ culpâ, prout tantum tenetur depoſitarius.

Sed quid, ſi res peritura fuiſſet apud Dominum? Reſp. alii generaliter docent, furem eo caſu non teneri; eò quod juſtitia ſolùm exigat, ut damnum reipsâ illatum reſarciatur: hoc autem caſu fur non intulit aliud damnum, quam quòd Dominus fuiſſet equidem paſſurus, & conſequenter fur non cenſetur intuliſſe novum damnum. Iniqua enim acceptio non infert obligationem reſtituendi, niſi ob damnum realiter illatum, quod hîc non fit. Hoc verò intelligi volunt, pro iis tantum caſibus, quibus apud Dominum peritura fuiſſet caſu, vel naturaliter, vel juſto bello: quia, ſi peritura fuiſſet per injuriam apud Dominum, v. g. quod alii eam devaſtaſſent, tenebitur fur. Ille enim qui per injuriam eam perdidiſſet, foret obligatus; ergò ſi tu prævenias, prius teneberis; eò quod obligatio quâ alter teneretur, in te transfuſa ſit, & præventa. 2. Requiritur etiam, ut non teneatur fur eo caſu, quod *certò* apud Dominum ita fuiſſet peritura: quia, ſi de eo ſolummodò foret dubium, vel quod fortè Dominus eam alio diſtraxiſſet, tenebitur fur; eò quòd in dubio ſit melior conditio innocentis, & poſſeſſio ſtet pro Domino rei.

Sed, quid ſi fur ſuâ culpâ rem deſtruxiſſet, etſi apud Dominum quoque fuiſſet peritura? Reſp. Aliqui eo quoque caſu furem liberant, ſi fiat id eo loco, & tempore, quo certò apud Dominum fuiſſet quoque peritura. Ratio eſt, quòd res pro tali ſtatu moraliter loquendo ſit nullius momenti, adeoque parùm intereſt, ſive caſu, ſive culpâ furis res intereat.

Dictis tamen communiter contradicunt Juriſtæ, dicente *Covarruv.* ad

Reg.

Digitized by Google

Reg. *peccatum* p. 2. §. 6. num. 1. *Frequenti omnium conſenſu in foro exteriori receptum eſt, occupantem rem alienam malâ fide per crimen, & delictum, teneri omninò ad reſtitutionem, & æſtimationem, re peremptâ apud ipſum eodem penitùs modo, quo & apud Dominum foret peritura.* Alii, etſi priorem ſententiam admittant, dum res caſu vel fortuitò periit apud furem, eodem modo apud Dominum peritura: tamen negant eam locum habere, dum periit culpâ furis. Quidquid tamen de utraque ſententia jam dictâ dictum ſit, melius tamen docent, quod, ſive culpâ furis res pereat, ſive caſu, & fortuitò, etſi eodem modo apud Dominum eſſet peritura, tamen fur teneatur ad reſtitutionem. Hanc opinionem Medina *de reſtitut.* 9. 6. ait, in foro animæ eſſe juſtam, etſi rigidiorem, & etiam videri veriorem, probari poteſt. 1. Quia fur, ſive iniquus detentor ſemper eſt in mora; mora autem ſemper trahit ad ſe periculum. 2. Quando res apud furem perit, Dominus quidem amittit rei dominium; ſed ratione ejus acquirit jus, & actionem in perſonam: atqui non apparet, quare jus illud, & actio illa dicatur elidi, & extingui, eò quòd idem infortunium apud Dominum circà rem eveniſſet. Patet hoc clarius ex eo, quia, ſi res illa eo non obſtante apud furem adhuc exiſteret, obligaretur ille Domino, neque Dominus amitteret illud jus, aut in rem ſuam, aut in perſonam furis: atque adeo perſonalis obligatio furis per hoc non extinguitur, quod res apud Dominum periiſſet. 3. Si res illa apud emptorem pereat, tenebitur emptor de prætio, etſi eadem res apud venditorem periiſſet. Sicuti enim in emptore naſcitur obligatio reſtituendi prætii, ita in fure naſcitur obligatio rem reſtituendi, aut rei prætium. Si enim quoad furem deberet dici Domino amitti jus illud, & non quoad emptorem; videretur, quod juſtitia priori Domino obeſſet, & patrocinaretur furi ſua iniquitas. 4. Si res aliqua ſit penes aliquem titulo depoſiti, & pereat culpâ depoſitarii, tenebitur depoſitarius, etſi quoque apud Dominum fuiſſet peritura. Tam benè enim fur debet habere curam rei furtivæ ex natura rei, quam depoſitarius ex contractu; adeoque ſi culpâ furis pereat, etiam tenebitur. Hæc potiſſimum fundant dictam ſententiam.

Verùm enim verò, alia ſententia aliquibus videtur eſſe humanior, quatenus non apparet æquum, ut dum equidem res apud Dominum eſſet peritura, idque certò, tam rigidè obligandus eſſet detentor rei iniquus; dum morali loquendi modo, nullum Domino creatum eſt damnum, re illâ æſtimatâ nullius momenti in hoc caſu pro Domino; quo caſu ad deſtructionem rei videtur Dominus eſſe irrationabiliter invitus.

Hoc tamen quoque verum eſt, quod ſi fur rem vendiderit, aut conſumendo illam ex ea factus ſit ditior, v. g. quod illâ conſumptione rebus ſuis pepercerit, etſi etiam res illa certò apud Dominum fuiſſet peritura, equidem fur teneatur; eò quod, vel prætium rei, vel emolumentum ex illa re ſuccedat in locum ipſius rei, in quæ proindè Dominus habet jus, & actionem, quam habuiſſet in rem, ſi adhuc extaret.

Quæſtio

Digitized by Google

Juxtà quam æſtimationem debeat fieri reſtitutio rei furtivæ.

Quæſtio eſt, juxtà quam rei æſtimationem debeat fieri reſtitutio rei furtivæ. Reſp. in primis omnes conſentiunt, quod res dum adhuc extat, debeat in individuo (ut loquuntur Theologi) aut in ſpecie (ut loquuntur Juriſtæ) Domino ſuo reddi, dum res ſemper clamat ſuum Dominum, ubicumque exiſtat; id eſt, debeat reddi ipſiſſima res. Excipe, ſi ex reſtitutione rei ejuſdem manifeſtaretur peccator occultus, aut timeretur meritò ſecuturum aliud grave damnum. Aliis caſibus, etſi Domino offereretur aliquod rei æquivalens, non teneretur Dominus illud acceptare. Si verò ſit res uſu conſumptibilis, videtur ſatisfieri, ſi res aliæ ejuſdem valoris reſtituantur, v.g. pecuniâ, tritico, &c. in iis enim ſola diverſitas numerica communi hominum judicio non ponit inæqualitatem, ſi cætera ſint paria: quod ultimum additur, quia in ſpecie pecuniæ poterit eſſe ſubindè diverſitas, prout docebitur de Cambio. Aliàs, ſi cætera ſint paria, non cenſebitur dominus eſſe rationabiliter invitus, ſi non velit eamdem numero rem acceptare.

2. Si res furtiva apud furem fiat intrinſecè melior, v.g. ſi fur vitulum furtivum educet in Bovem, ut talis, Domino eſt reſtituenda. Res enim ſemper clamat ſuum Dominum, & ſi creſcat, Domino creſcit. Poterit tamen fur ille deducere expenſas neceſſarias, & utiles, adhibitas in rei melioratione; eò quòd nullo titulo Dominus rei debeat gaudere emolumento, non refundendo expenſas. Aliud eſſet de expenſis non neceſſariis, aut utilibus, v.g. factis ad ornatum rei, quæ ne quidem in re locatâ, aut conductâ poſſunt deduci. Hæc tamen deductio ſimilium expenſarum habent ſolummodo locum in foro conſcientiæ; jura etenim in pœnam furis ſtatuunt, ut fur privetur jure petendi expenſas. L. *Si ex argento ff. de conditione furt.*

3. Si res apud furem facta ſit deterior intrinſecè, idque ſive caſu, ſive culpâ furis, debet reddi res, prout valebat, quando eam fur furabatur. Ratio eſt, quod fur reverà rem tanti valoris ſit furatus, ergò debet rem tanti valoris reddere, ut fiat æqualitas: tali enim periculo fur ſeſe ſubjecit furando.

4. Si verò ſolùm extrinſecè res furtiva apud furem facta ſit deterior; puta, ſi facta ſit vilioris prætii, ſic ut intrinſecè maneat eadem, ſi certò conſtaret, quod Dominus rem illam in illud tempus etiam conſervaſſet, ſatis eſt, ſi eadem res in ſpecie reddatur; eo quod pro tali caſu, communi intelligendi uſu cenſeatur eſſe ſatisfactum, nec valor ille intrinſecus cenſetur hìc aliquid conferre. Excipe, niſi ob privationem rei debuiſſet Dominus rem aliam emere carioris, quo caſu debet fur ille ſupplere lucrum ceſſans, aut damnum emergens, quorum fuit vera cauſa. 2. Si dubium ſit, an Dominus rem illam, quando erat majoris prætii, fuiſſet venditurus, debet ea res reſtitui juxtà ſtatum optimum, etiam extrinſecum; cum in dubio potius favendum ſit innocenti, qui eam rem tanti potuiſſet vendere. Si tamen verè de eò ſit dubium, aut incertum, an Dominus rem vendidiſſet, ſatis fundatè docent alii, in conſcientia poſſe aliquid ſubtrahi ratione incertitudinis; eò quòd damnum illud non videatur eo caſu tanti æſtimandum, quanti æſtimaretur, ſi fuiſſet Dominus eam certò venditurus.

Si

Digitized by Google

5. Si res intrinſecè aucta ſit apud furem, & ita ab eo vendita, debet eam Domino reſtituere juxtà eam majorem æſtimationem, deductis tamen expenſis in melioratione factis. Ratio eſt, quod res tota cum ſuo incremento debeatur Domino; ſi verò apud furem ſit aucta extrinſecè, quia majori pretio eam vendidit, quamquam etiam Dominus eam certò fuiſſet ſervaturus, volunt aliqui ſufficere eam reddi juxtà æſtimationem, quâ Domino eſſet valitura, ſi res illa, neque in æquivalenti poſſit reddi. Ratio *Leſſii* eſt illa, quod exceſſus pretii illius videatur eſſe aliquid pertinens ad fructus induſtriæ furis. Alii tamen verius docent, etiam exceſſum pretii illius eſſe reſtituendum, eò quòd res tota cum toto ſuo incremento, etiam intrinſeco, ſit Domino reddenda. Deindè, ſi fur eam rem vendidiſſet, tenetur Domino de pretio, etſi res illa apud Dominum periiſſet, eò quòd pretium ſucceſſerit in locum rei: Ergò etiam in hoc caſu. Prætereà, nemo ex aliena re poteſt diteſcere, quod hîc fieret. Deniquè, falſum eſt, quod exceſſus ille pretii ſit fructus induſtriæ, non magis, quàm quando res eſt in optimo ſtatu intrinſeco. Quod enim aliqui volunt, eſſe induſtriæ, ſcire eo præcisè tempore rem vendere, quando maximi valet; nihil probat, nec magis, quàm illud ſit induſtriæ, ſcire rem vendere, quando eſt in optimo ſtatu.

SECTIO IV.

Quos fructus rei, debeat reſtituere poſſeſſor rei alienæ.

Fructus rei ſunt triplicis generis: *naturales*, quos natura ſponte ſuâ, ſine ullâ, vel modicâ hominis induſtriâ producit, ut poma, ficus, glandes, &c. De modicis enim curis adhibendis, hîc non curatur. *Induſtriales*, ſive fructus induſtriæ dicuntur, in quibus plurimùm verſatur humana induſtria L. *Fructus percipiendo ff. de uſur.* Tales ſunt frumentum, vinum, & alia hujuſmodi, quæ per ſolam induſtriam accommodantur uſibus humanis. De his autem fructibus, qui propriè dicuntur eſſe naturales, & induſtriales, non poteſt dari certa doctrina, ſed in foro externo de eo judicat Judex, ut paſſim Juriſtæ in L. *Certum*, in foro interno de eodem judicat prudens judicium: ita tamen, ut tàm Judex, quàm prudens judicium in eo determinando reflectere debeat, quid in fructibus illis producendis prævaleat, an natura, an hominis induſtria: in quibus enim natura prævalet, dicendi ſunt *naturales*: in quibus verò prævalet induſtria, dicendi ſunt *induſtriales*. Hinc oliva, ſeu oleum, omnes fructus, qui ſeminantur, fœnum, palea, lana, lac, lapicidinæ, aucupia, venationes, paſſim haberi ſolent fructus induſtriales, quia in illis maximè concurrit humana induſtria.

Quotuplex ſit fructus rei.

Qui dicendi ſunt naturales.

Alii fructus ſunt *mixti*, in quibus partim induſtria humana, partim natura concurrit, quales mox varii ſunt enumerati: addunt alii *fructus civiles*, ſeu *legales*, eò quòd à jure civili ſint introducti; undè nec ſimpliciter veniunt nomine fructuum: Gloſſa alibi eos vocat, *acceſſiones civiles*. Tales fructus ſunt penſiones domorum, vecturæ navium, mercedes jumentorum, operæ

Qui mixti.

Quid fructus legales.

ſervorum, & aliæ ſimiles obventiones, ut habetur L. *domum C. de rei vendic.* quia tamen ſimilia magis accedunt ad naturales; ideo alii eoſdem ſub illis comprehendunt. Iis poſitis.

Quos fructus debeat reſtituere poſſeſſor bonæ fidei.

Dicendum eſt 1. Poſſeſſorem bonæ fidei jure communi teneri reſtituere omnes fructus naturales extantes, deductis tamen expenſis, & æſtimatione induſtriæ: fructus verò induſtriæ ſunt illius, quos proindè non debet reſtituere. Ratio prioris eſt, quòd omnis res fructifera Domino fructificet: undè, ſicuti res debet Domino reddi, ita & fructus. Hoc autem etiam verum eſt, etſi res apud Dominum non habuiſſet fructus, dum equidem ſemper ſunt fructus rei. Ratio alterius eſt, quòd fructus induſtriæ non ſint fructus rei, fructus verò induſtriæ ſunt illius, cujus eſt induſtria. Hinc, ſi alieno penicillo picturam feciſti, tua eſt. Si alienis pecuniis negotiatus ſis, pretium negotiationis eſt tuum. Si verò Domum alterius, Equum, &c. elocaveris, etſi Dominus eadem non elocaſſet, reddi tamen debet res & pretium elocationis.

Si verò fructus naturales rei non amplius extent, ſed bonâ fide ſint conſumpti, eoſdem reſtituere non tenetur, cùm per conſumptionem bonâ fide factam, ſit factus eorundem Dominus. Si tamen ex illis fructibus conſumptis factus ſit ditior, tunc contra eum agi poteſt ex æquitate, puta ad æſtimationem ejus, in quo factus eſt ditior. Cenſetur autem factus eſſe ditior juxta *Thomam Sanchez Decal. l. 3. c. 23. num. 7.* bonæ fidei poſſeſſor ex conſumptione rei, quando occaſione illius rei ſic conſumptæ patrimonium ſuum eſt aliquo modo auctum, ut quia ſumptus aliquos alioquin ex ſuo patrimonio facturus, non fecit: aut aliquid lucri fecit illius rei occaſione. Quòd, ſi patrimonium non crevit, nec illius rei occaſione aliquid lucri fecit, non dicitur fieri locupletior. Quare ſi illius rei occaſione lautius vixerit, non dicitur ideo præciſè factus locupletior, ut explicat Juriſconſultus L. *ſed & ſi lege.* 28. §. *Quod autem quis ex hæreditate ff. de petit. hæred.* addit idem Author, *num.* 36. & 37. quod in dubio, an ex re ſit factus locupletior, probabilius non præſumi factum eſſe locupletiorem, cùm hîc potior ſit conditio poſſidentis: undè conſequenter docet *num. ſeq.* probandum eſſe poſſeſſorem ex re factum eſſe locupletiorem, neque ſatis eſſe probare rem illam in ejus utilitatem eſſe expenſam; ſed probandum, utilitatem illam in partem patrimonii pertranſiſſe, ita ut eo tempore, quo bona fides ceſſat, inveniatur patrimonium ratione illius rei alienæ eſſe auctum.

Quomodo aliquis ex re alienâ dicatur factus eſſe locupletior.

Porrò, prædictæ leges de reſtituendis à poſſeſſore bonæ fidei fructibus, tàm habent locum in foro conſcientiæ, quàm judiciali; eò quòd dictæ leges ſint juſtiſſimæ, neque de cætero innitantur præſumptioni, quo caſu ſunt leges in utroque foro obſervandæ.

Quod verò ad fructus induſtriales conſumptos attinet, volunt aliqui, quod etſi ex tali conſumptione factus ſit ditior, non tamen illud teneatur poſſeſſor bonæ fidei reſtituere; eò quòd conſumptione illâ acquiratur plenum illorum fructuum dominium, & omninò irrevocabile. Alii tamen, & fortè probabilius tenent, poſſeſſorem bonæ fidei hoc caſu teneri, quantum eſt

de

Digitized by Google

de jure communi. Ratio illorum eſt, quod æquum ſit, ut quando quis locupletior factus eſt ex re meâ, non tantum tunc mihi de illo teneatur, ſed etiam quando locupletior factus eſt ex re mihi debitâ, etſi necdum ad me res illa devenerit. Unde, ſicuti pingens bonâ fide in alienâ tabulâ, quamvis ille fiat Dominus rei pictæ, cedente tabulâ, quæ vilior eſt, picturæ pretioſiori, ut habetur expreſsè §. *Si quis in alienâ tabulâ, inſtit. de rerum diviſ.* Dominium hoc nihil obſtat, quo minus Pictor debeat pretium tabulæ Domino ſolvere, quia in eo factus ſit ditior: ita etiam, quamvis natura concurrens ad fructus ex re aliena perceptos cedat induſtriæ, quæ prævalet: tenebitur tamen poſſeſſor reddere Domino id, in quo eorumdem conſumptione factus eſt ditior. Sic etiam in petitione hæreditatis, qui ex aliena hæreditate bonâ fide fructus induſtriæ percepit, tenetur reddere id, in quo factus eſt ditior. L. *item veniunt* 20. §. *præter hoc* L. *ſed etſi lege*, ſuprà, & alibi. Ubi tamen hæres ſolum habet jus ad rem, ſcilicet ad hæreditatem nondum à ſe aditam, & tamen hîc habeat Dominus jus in re, adeoque hîc ſit major æquitatis ratio. Quibus adde, quod ipſa æquitas non patiatur, aliquem ex re aliena locupletari cum alterius jacturâ. Regula *locupletari* 48. *de reg. juris in* 6. Addunt tamen, ad rectè indicandum, quantum ex conſumptione fructuum factus ſit ditior, deducendas eſſe expenſas in percipiendis fructibus factas, uti & valorem induſtriæ ibidem factæ, atque laboris: eò quod hæc facta ſint in utilitatem fructuum, adeoque æquitas non ſinat, ut horum jacturam faciat poſſeſſor bonæ fidei. Nemò enim militat ſuis ſtipendiis umquam. Hinc inferunt, quod ſi elocaveris rem alienam bonâ fide, quæ elocari non ſolet, v. g. Equum divitis, torquem aureum, &c. tenearis quoque deductis expenſis dictis, pretium reſtituere.

Et hæc quidem de jure communi, cum varia jura particularia contrarium ſtatuant, ut Lex Caſtellæ, ſtatuens fructus induſtriales quoſcumque non extantes, non teneri poſſeſſorem bonæ fidei reſtituere, etſi etiam ex conſumptione factus ſit ditior. Et in Galliâ, fructus omnes indiſtinctè à quocumque poſſeſſore reſtituuntur à tempore litis motæ, idque nullâ factâ diſtinctione fructuum naturalium, aut induſtrialium: rejectâque ſtricti juris, & bonæ fidei, item realium, ac perſonalium actionum diſtinctione. Moribus tamen noſtris litis conteſtatæ tempus ſpectari ſolet. De quo vide *Groenwegen Cod. lib.* 3. *tit.* 32. §. *certum L.* 22. & D. Stockmans *Deciſ.* 127. docet in judiciis Brabantiæ obtinere ſententiam eorum, qui bonæ fidei poſſeſſori tribuunt fructus omnes perceptos, non tantum induſtriales, ſed etiam naturales; neque diſtingui, an locupletior inde factus ſit poſſeſſor, an non: nullam quoque eſſe diverſitatem hâc in parte inter judicium univerſale petitionis hæreditatis, & rei vindicationis, etſi jus commune aliud ſtatuat. Tandem hîc notant Authores, in dubio, an fructus conſumpti ſint, nec ne, onus probandi incumbere poſſeſſori bonæ fidei, eos eſſe conſumptos, niſi à poſſeſſione elapſum ſit triennium; eo enim elapſo præſumuntur eſſe conſumpti; Gloſſa L. *unica* V. *uſucapione* C. *ſi adverſus uſucapionem*, *&c.* T 2 Di-

Digitized by Google

Quos fructus debeat reſtituere poſſeſſor malæ fidei.

Dicendum 2. poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere omnes fructus rei naturales, & mixtos, deductis expenſis, de quo poſteà, idque ſive ea extent, ſive non: ſive factus fuerit ditior, ſive non; ſive res apud ipſum fructificaverit, ſive ad alios tranſierit: eò quod fructus illi pertinebant ad Dominum, quibus privatus eſt per injuſtam acceptionem. Idem dicimus de poſſeſſore bonæ fidei, qui poſtquam cognovit rem eſſe alienam, fuit in mora reſtituendi.

Sed quid dicendum eſt de fructibus rei, qui ex ipſa percipi poterant, ſed Dominus eos non fuiſſet percepturus? Reſp. quidquid ſit de foro exteriori, in foro conſcientiæ nil debere furem reſtituere, etſi fortè induſtriâ furis tales fructus percipi potuiſſent. Ratio eſt, quod illud ſolum ſit reſtituendum, in quo alter eſt damnificatus; atqui ſi Dominus rei non fuiſſet facturus fructus rei, nullum damnum patitur ex eo, quod fur eoſdem non faciat. Ergò. Aliud eſt, ſi fur tales fructus non fecerit, quos Dominus fuiſſet facturus juſtè, & ſine peccato, quo caſu tenetur illos fur reſtituere juxtà ***Capt. Gravis, de reſtitut. ſpoliatorum***, ut Authores ibi: eò quod æquitas velit illud reddi, quod quis patitur ex alterius injuſtitiâ, licet tale damnum inferat ſine ſuo commodo, ut patet in mutilatore, incendiario, &c.

Si verò fur perceperit fructus ex re, quos Dominus non fuerat percepturus, etſi aliqui doceant, non teneri furem aliquid reddere, quia Dominus illos fructus non habuiſſet, uti ſupponitur, neque ullum damnum illatum ſit Domino rei: tamen alii verius affirmant, eò quod res ſemper fructificet ſuo Domino, non verò furi. Deinde, fur ille non ſolùm debet reſtituere ratione injuſtæ damnificationis præcisè, ſed etiam ratione rei acceptæ, quæ ſemper Domino fructificat. Hinc tenetur fur pecuniam reddere, quam ex locatione domûs v. g. vel agri percepit, etſi Dominus eadem non elocaſſet, nec coluiſſet. Debet itidem fructus reſtituere, etſi jam illos conſumpſerit, quia res Domino ſemper fructificat.

Si verò fur alterius domum majori pretio elocarit, ratione alicujus portæ, vel feneſtræ, quam fur domui addidit, non tenetur fur exceſſum pretii reddere Domino, eò quod illa melioratio cenſeatur eſſe furis, & conſequenter illi fructificare. Aliud eſt, ſi illa melioratio cenſeretur ſpectare ad Dominum rei, v. g. ſi fundum aliquem ratione plantarum, aut domûs in eo fundatæ, carioris elocet, quo caſu tenetur exceſſum quoque elocationis reddere, quia illa melioratio cenſetur pertinere ad Dominum fundi, uti colligitur ex ***inſtit. de rerum diviſ.***

Fructus induſtriales non tenetur fur reddere Domino, quia illi non correſpondent rei, ſed induſtriæ furis; adeoque ratione rei acceptæ nihil eſt reſtituendum, cum nullo modo ad Dominum pertineant. Unde, ſi fur cum alterius pecuniâ negotietur, non tenetur reddere Domino pretium negotiationis; & ſi fortè Dominus eâdem pecuniâ fuiſſet negotiaturus, quo quidem caſu deberet fur reddere illud negotiationis pretium; non ideo tamen reddi debet,

Digitized by Google

debet, quia reddi debent fructus induſtriæ : ſed ex eo, quod reddi debeat lucrum ceſſans, aut damnum emergens, qui tamen titulus non ſemper adeſt; unde nec etiam reddi debet illud pretium, ſi Dominus eâ pecuniâ non fuiſſet negotiaturus.

Quæret aliquis, an ſi quis in re necdum maturâ intuliſſet damnum, debeat integrè reſtituere, ac ſi fructus fuiſſent maturi, v. g. ſi quis conculcaſſet ſegetes. *Reſp.* Quod non, ſed ſolùm debet reſtitui, quanti jam fructus valerent juxtà arbitrium boni viri. Non quidem creditoris, qui facilè plus; nec Debitoris, qui facilè minus damni judicabit; ſed judicis indifferentis. Ubi conſiderari debet ſpes perficiendæ rei, pro tempore, & loco, quâ ratione fiet æqualitas. Alii tamen volunt, totum rei pretium eſſe reddendum, eò quod Dominus pro eo pretio rem illam noluiſſet vendere, & expectare maturitatem. Verum ex eo non ſequitur, damnum illud eſſe majus, aut minus, aut etiam fieri debet major compenſatio, ſed tantum ſequitur, id eſſe magis contrà Domini voluntatem, & magis illi injurioſum. Sic etiam, ſi quis ab alio furetur rem aliquam, non tenetur ideo alteri quid magis reddere, quia Dominus illi rei eſt magis addictus, eâque nolit ægrius carere, nec ideo inferret majorem injuriam.

Quæres 2. Quænam expenſæ in reſtitutione rei poſſint deduci. *Reſp.* Prænotato, expenſas alias eſſe ***neceſſarias***, ſine quibus res conſervari non poſſet in ſuo ſtatu, ut ſunt alimenta animalium : refectio, ſeu reparatio domûs, cultura agri, &c. Alias verò eſſe ***utiles***, puta, quibus res redditur pulchrior, utilior, v. g. augmentatio gregis, melioratio domûs, &c. alias denique eſſe ***voluntarias***, ſcilicet, quæ nec ad conſervationem rei, nec ad utilitatem ejus pertinent, ſed ſolum ſerviunt ad voluptatem, ad recreationem, &c. v. g. picturæ, &c. Capt. ***impenſæ, de verb. ſignific.*** Quæ expenſæ in reſtituendâ re ſint deducendæ.

His poſitis *Reſp.* 1. poteſt poſſeſſor rei alienæ petere expenſas neceſſarias, niſi factæ eſſent in alimentis ſervi fugitivi ***L. 1. Cap. de infantibus expoſ.*** 2. expenſas utiles, nec per actionem, nec per retentionem conſequi poteſt, ſed eas deducere poteſt ſeparando à re ipsâ, ſi deduci poſſint abſque priſtini ſtatûs rei damno. Quod intellige de foro externo, in foro autem conſcientiæ expenſas neceſſarias, & utiles abſolutè deducere poteſt, & Dominus debet eas in conſcientia reddere, etſi ipſe rem non eſſet melioraturus. Ratio eſt, quia æquitati non eſt conſonum, Dominum ob reſtitutionem lucrum reportare, nec vellè eſſe contentum cum æquali ſuæ rei ſatisfactione, quod tamen fieret, ſi non deducerentur expenſæ. Si verò Dominus expenſas illas reddere noluerit, poſſet in conſcientia rem illam detinere in pignus, aut eam Domino vendere, ut ſe ſervet indemnem. Si verò expenſæ factæ excedant pretium rei, non tenetur omnes eas Dominus ſolvere, cum hoc non cedat in utilitatem ejus, nec ex ejus conſenſu factum cenſeatur, cum eo caſu cogeretur Dominus rem ſuam emere; aut majori, quam valeat, pretio comparare. Denique hîc notandum eſt, non plus eſſe deducendum, quam valeant expenſæ factæ, labor, & induſtria adhibita,

Digitized by Google

bita, etſi melioratio rei plus valeat *L. in fundo ff. de rei vendic.* Ratio eſt, quod omnis melioratio pertineat ad Dominum rei, & tantum poſſeſſor id deducere poteſt, quod ipſe in meliorandâ re conſumpſit. Unde non eſt attendendum ad majorem rei valorem; ſed ad id quod circà illam rem eſt impenſum. Et quidem, qui ſciens in alieno fundo ædificavit, pretium materiæ, & mercedes Fabrorum hodie non amittit, ſed quaſcumque expenſas utiles, non modò per exceptionem retinere, verùm etiam per actionem petere poteſt. Atque ita actum eſſe cum illis, qui Antverpiâ ſub obedientiâ Regis Cathol. redactâ in Eccleſiaſticorum fundis ſcienter ædificaverant, refert *Zypæus notit. Belg. l. 5. tit. de rei vendicat.*

Circà expenſas voluntarias deducendas, variant Authores. Alii docent, poſſe eaſdem à poſſeſſore tam bonæ, quam malæ fidei deduci, & Dominum debere eas ſolvere; imò eas poſſe aliàs poſſeſſorem à re ſeparare: ſi verò ſeparari nequeant, rem eſſe arbitrio æqui Judicis tranſigendam. Alii è contrà docent, eas non debere ſolvi à Domino, ſi ſeparari nequeant, abſque læſione rei, & fur ſibi imputare debet, quod eas ſine Domini conſenſu fecerit. Si tamen ſimiles expenſæ redderent rem morali judicio meliorem, & æſtimabiliorem; videtur æquitati conformius, poſſe poſſeſſorem ad arbitrium prudentum aliquid detrahere pro ejuſmodi impenſis, cum eo caſu aliquid cenſeantur tales impenſæ participare de utilibus.

SECTIO V.

De reſtitutione bonorum incertorum, & inventorum.

Quis ſit Dominus ignotus.

Rectè notat *Salonius q. 62. art. 5. Controv. 5.* illum tantummodo dicendum eſſe Dominum incertum, & ignotum, qui factâ diligenti inquiſitione pro qualitate rei, non invenitur. Dico, *pro qualitate rei*; quia major diligentia in inquirendo fieri debet, dum quis habet 100. flor. incerti Domini, quàm qui ſolùm habet pallium v. g. ubi in priori inquiſitione longior mora eſt adhibenda in inquirendo, per plura loca, plures perſonas, &c. Hæc autem inquiſitio fieri debet expenſis rei reſtituendæ, ſi fieri debeat à poſſeſſore bonæ fidei: ſi verò facienda ſit à poſſeſſore malæ fidei, facienda eſt expenſis ipſius poſſeſſoris. De quo poſtea latius, agendo de expenſis in reſtitutione faciendis. Ante dictam inveſtigationem debitam, non cenſentur illa bona eſſe incerta, & conſequenter ante eam, nec poſſunt dari Reipubl. Nec etiam pauperibus. Denique, non ſunt ea habenda pro incertis, ſi conſtet, ea debita eſſe communitati; aut etiam ſi conſtet, ea eſſe debita aliquibus ex 4. aut 5. quo caſu pro qualitate dubii res illis erit dividenda.

Si autem factâ debitâ inquiſitione Dominus rei maneat ignotus, ſi quis illa bona habeat ex delicto, v. g. per uſuras, per ſimoniam, &c. res illæ dandæ ſunt pauperibus. *Capt. cum tu, de uſuris, Capt. quamquam, eodem tit.* quæ jura pariformiter extenduntur ad omnia incerta ex delicto, ne contingat aliquem

alienis

Digitized by Google

alienis divitiis diteſcere, & porta pateat injuſtitiis. Et ità habet vetus fidelium, & Eccleſiæ conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres.

Gravis tamen eſt controverſia, an ex jure poſitivo tantum, an verò ex jure naturali danda ſint pauperibus. Ultimum multis videtur verius, eo quod 1. reſtitutio fieri debeat eo modo, quo fieri poteſt, idque jure naturæ; quod fit dando pauperibus, in refrigerium animæ Domini incerti. 2. quod nemo dominio ſuæ rei privetur, niſi liberâ ſuâ voluntate, vel juſtâ lege, aut ſententiâ: atqui Dominus non abdicavit à ſe rem illam ex eo, quod ignoretur: neque etiam poteſt eſſe juſta lex, eam rem ſine causâ ab eo abjudicans: ergo videtur eſſe contra rectam rationem, rem illam nullo reſpectu Domino non tradere. 3. Quod illa cenſeatur eſſe voluntas Domini præſumpta, & non alia; adeo ut, ſi rogaretur Dominus, an vellet rem illam dari pauperibus, omninò id vellet. Cum ergo reſtituere commodiori modo, quo poſſit, ſit de jure naturæ; ſequitur, quod etiam de jure naturæ ſint danda pauperibus. Quo jure incerta ſint danda pauperibus.

Objiciunt 1. Si hoc eſſet de jure naturæ, non poſſet Pontifex dare in hoc caſu Bullas compoſitionum: nec poſſet lex poſitiva ſtatuere, ut ſimilia bona debeantur Fiſco, Cameræ Regiæ, &c. quod tamen ſæpè fit. Reſp. Papam hoc quoque juſtè facere ex præſumpta Creditorum voluntate, dum illis abundè ſupplet ex Theſauro Eccleſiæ, quod ex alia parte illis obvenire potuiſſet ex eleemoſyna. Reges verò id juſtè faciunt ob bonum commune, ob quod poſſunt transferre bonorum dominia; tum, ne illa maneant incerta; tum etiam ſubindè in pœnam eorum, qui ſunt negligentes in bonis ſuis inquirendis.

Objiciunt 2. Lex naturæ apud omnes obligat, etiam apud Ethnicos, apud quos ſimilia non dantur pauperibus. Imo fieri poteſt, quod Dominus in infidelitate fuerit mortuus. Ita *Soto*, & *Sylvius*. Reſp. quod apud infideles expendi aliquando ſoleant in commune bonum, & dictante conſcientiâ ſæpè apud eos magis vigere aliquando opera eleëmoſynæ, quam apud Chriſtianos: alii ad hoc reſpondent, quod ſaltem ſuppoſitâ fide ſit de jure naturæ, eadem dare pauperibus.

Objicies 3. Bona incerta ſunt redigenda in commune, cum fiant talia, ac ſi primò eſſent indiviſa. Deindè, ea bona debent dici manere ſub dominio Domini incogniti, vel tranſire in dominium pauperum; ſed neutrum horum dici poteſt; ergo debet dici manere ſub dominio Reipublicæ. Ita *Salonius*. Reſp. antequam dentur pauperibus manere ſub dominio Domini incogniti; quod ex eo patet, quod ſi Dominus compareat, antequam dentur pauperibus, illi debeant reddi. Dum verò dantur pauperibus, dantur ex præſumpta Domini voluntate. Quod autem dicitur, ea bona redire ad priſtinum ſtatum, nimium probat; quia exindè ea bona non fierent Reipublicæ, ſed fierent primò occupantis, & conſequenter ejus, penes quem extant.

Objicies ultimò, ſi de jure naturæ debeantur pauperibus, non erit eleemoſyna, ſi illis dentur. Reſp. neg. conſ. poteſt enim aliquid ex juſtitiâ alteri eſſe debitum, & ſimul eſſe eleëmoſyna: v.g. legatum dandum pauperibus. Imò

juxtà

Digitized by Google

juxtà fundatam ſententiam, ſuperflua etiam ex juſtitia danda ſunt in eleëmoſynam. Eadem planè ratio militat pro bonis incertis ex contractu, quod debeant dari pauperibus; cui accedit communis Eccleſiæ, & Fidelium praxis; à quâ non eſt facilè recedendum in re morali. Hinc monentur Confeſſarii, horum bonorum elargitionem pœnitentibus inculcare; & ſi renuant, per modum pœnitentiæ illis illam imponere.

Notabile.

Cui reddi debeant bona inventa.

De bonis autem inventis, quorum Dominus non eſt amplius reperibilis, & habentur pro derelictis, egimus antea C. 7. ſect. V. de aliis verò inventis, quorum habetur Dominus, ſed ignotus, v. g. de crumenâ inventâ, vetus eſt opinio, ea danda eſſe pauperibus. S. Auguſtinus Hom. 9. ex 50. *Quicumque rem cujuſcumque invenerit, tamquam alienam citò reſtituat; quia ſine dubio, ſi ipſe & perdidiſſet, hoc ſibi de alio fieri voluiſſet.* Et infrà: *ſi quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Et hæc quidem de illis, quæ habent Dominum. Teſte *Layman* primus Author hîc fuit *Soto*, qui doceret, inventa poſſe retineri, quem deindè alii recentiores ſunt ſecuti. Ratio prioris dicti eſt, quod ut mox dictum eſt, bona incerta pauperibus ſint eroganda; ergo & inventa, idque ob eandem rationem. 2. Illa bona inventa habent Dominum, etſi neſciatur; & conſequenter dictat ratio, ut expendi debeant juxtà præſumptam Domini voluntatem, puta in uſus pios. 3. Quod illud confirmet communis fidelium uſus, in hac re meritò obſervandus.

Objiciunt alii cum *Soto*, quod res, quæ non habent Dominum, fiant primò occupantis, niſi obſtet lex Eccleſiæ, aut civilis. Reſp. obſtare hîc conſuetudinem legitimam, vim legis obtinentem.

Dices, ergo & theſauri ſunt dandi pauperibus, quia aliquando habuerunt Dominum. Reſp. Cum *Lugone* neq. conſeq. eò quod theſaurus, ſit talis rei depoſitio, quæ nullum Dominum habet, nec humano modo poteſt haberi, & conſequenter meritò dicitur eſſe nullius, & fieri primò occupantis. In inventis autem eſt alia ratio, quæ ſupponuntur habere Dominum, & qui humano modo reperiri poteſt, etſi per accidens reperiri non poſſit: unde & ſæpè ſolet reperiri.

Quæres, quo jure inventa ſint danda pauperibus. Reſp. Jure naturæ, ob eaſdem rationes, ante in ſimili quæſtione datas de bonis incertis. Debent enim eadem reſtitui de jure naturæ, prout reſtitui poſſunt juxtà præſumptam Domini voluntatem. Si verò alibi ejuſmodi inventa addicantur Fiſco, poſſunt præſumi Domini eâ lege ob bonum commune eſſe contenti. Sic in Hiſpania animalia oberrantia, quæ dicuntur *Monſtrenca*, ex eo, ait *Dicaſtillo*, quod olim darentur *Præmonſtratenſibus*, unde nomen accepiſſe videntur, aſſignari ſolent poſt inveſtigationem 14. menſium de Domino, Fratribus SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum. Sic etiam *Groenwegen inſtit. lib. 2. tit. 1. §. 39.* dicit de eâ re: *ad mores noſtros, quod attinet, obſcuri ſunt. Sicuti bona reperta, ita & theſaurum quocumque in loco inventum, ad Fiſcum pertinere contendunt Fiſci patroni. Ego*, ait, *S. M. judicio, non puto delinquere eum, qui in hâc dubiâ*

dubiâ quæſtione contra Fiſcum facile reſponderit, ut verbis utar Modeſtini L. non puto D. de jure Fiſci. Deinde diſtinguit cum Gallis quoad errata, & quoad theſaurum, prout etiam facit *Lugo fol.* 164. *de jure, & juſtit.* quod illa non poſſint ſtatim retineri; adeo ut, qui inventa lucri-faciendi gratiâ ſuſtulerit, furti obſtringatur; ſive ſciat, cujus ſit, ſive ignoret. Unde, ne non tantum in damna, ſed etiam in furti ſuſpicionem incidat inventor, reperta publicæ cuſtodiæ mancipare tenetur: quorum Dominus, ſi debitâ inveſtigatione factâ non innoteſcat, ut alia bona vacantia, addicuntur Fiſco. Ita etiam ſtatuunt conſuetudines noſtræ Antverp. *tit.* 58. *art.* 3. *conſuetud. Mechlinienſes tit.* 1. *art.* 51.

Quæres 1. an inventor rem inventam reddens poſſit exigere manciam. Reſp. Poteſt in primis etiam ex juſtitiâ exigere omne id, quod in aſſequendâ re, aut eâ conſervandâ adhibuit: non poteſt tamen aliquid exigere pro ipsâ re, tamquam ex juſtitiâ debitum, dum Dominus non debet rem ſuam emere, ne quidem quoad partem, dum tota eſt Domini. Poterit tamen aliquid hîc exigere ex gratitudine, ex quâ virtute etiam Dominus aliquid tenetur rependere, quod res ſua per eum ad ſe devenerit.

Quæres 2. quibus pauperibus prædicta bona debeant elargiri. Reſp. Etſi conſultò poſſint, non tamen debent dari pauperioribus, ut quidam volunt, cum hoc nullâ lege, aut conſuetudine ſit ſtatutum. Alii volunt, eligendos hîc eſſe pauperes loci, in quo res eſt ablata, aut inventa, ubi veroſimiliter Domini hæres aliquis, aut amicus reperiri poteſt, quibus præſumi poteſt, velle Dominum rem ſuam eo caſu elargiri. Et quamquam hoc quidem admitti poſſit, quando poſſeſſor eſt in tali loco, ubi res aliena habet ejuſmodi ſucceſſores, aut ubi fuit deperdita: tamen, quia ſæpè contingere poteſt, poſſeſſorem degere alio in loco; hinc ſatis erit eam rem dari pauperibus. Quibus, & à quo debeant illa dari pauperibus.

Per pauperes verò hîc intellige, etiam opera pia, etiam pauperes poſſeſſoris amicos, aut conſanguineos, etiam ipſum poſſeſſorem pauperem. Ne tamen his, & ſimilibus caſibus mentiatur iniquitas ſibi; conſultò alii monent, in elargitione prædictorum bonorum, utendum eſſe Conſilio Epiſcopi, Parochi, aut Confeſſarii; maximè, ſi ſit res majoris momenti. Quod enim hîc generaliter utendum ſit Epiſcopi conſilio, ut quidam volunt, eſt planè infundatum: etſi enim S. Thomas *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 5. doceat, reſtitutionem eſſe faciendam conſulto Epiſcopo, aut eo, qui habet curam Civitatis: id tamen de conſilio rectè intelligit *Soto*, non de præcepto. Deinde, nil quoque obſtat, quod Epiſcopi dicantur eſſe *pauperum Patres*; id enim intelligitur, quod eos alere debeant, de ſuis proventibus, non de alienis. Denique, dici non poteſt, ejuſmodi bona induere rationem rei ſpiritualis, eo ipſo, quo debentur pauperibus pro ſalute Domini, quaſi eâ ratione debeant per Epiſcopum erogari; dum eadem ratione omnes eleemoſynæ deberent dari de conſenſu Epiſcopi, dum omnes dandæ ſunt pro ſalute ſpirituali. Plura de hac re videre licet apud *Comitolum Reſp. mor. lib.* 1. *q.* 28.

Quæres 3. quid ſi poſt diſtributionem in pauperes Dominus compareat.

Digitized by Google

Reſp. Nullam deinceps faciendam eſſe reſtitutionem; eò quòd illa bona ritè, & bonâ fide fuerint diſtributa in pauperes: *bona* autem *fides non patitur, ut debitum amplius exigatur.* Reg. 83. in 6. ſicuti ergo facta legitimâ præſcriptione Domino comparenti nihil ex juſtitia reddi debet, ita nec hîc.

Cui naufragorum bona ſint danda.

Quæres 4. quid hîc dicendum ſit de bonis naufragio ejectis, & alibi in littore inventis. Reſp. De illâ re ità *Gudelinus de jure Noviſſ. l. 5. cap. 10. num. 21. Olim, ſi naufragio facto navis expulſa eſſet ad littus, Fiſco acquirebatur: non quidem delicti alicujus causâ: quid namque imputari ei poteſt, quem vis tempeſtatis oppreſſit? ſed ideo, ni fallor, quod derelictum dominium rei videretur ab eo, qui naufragium paſſus eſſet, atque ita res in littore emergens tamquam vacans à Fiſco occuparetur. Sed injuſtum, ac minus durum hoc viſum eſt Antonino ſancienti L. 1. Cod. de naufrag. rem priſtino Domino reſtitui. Quod enim jus (inquit) habet Fiſcus in alienâ calamitate, ut de re tam luctuosâ compendium ſectetur?* Idem poſtea ſtatuit Fredericus II. *de ſtatut. & conſ. cont. Eccl. libert.* eadem lex in Belgio poſterioribus ſæculis obſervata eſt ab Anno

Quid juris Belgici

1495. in tractatu pacis inter Philippum pulchrum, & Henricum VII. Regem Angliæ. Et Carolus V. Edicto 10. Decemb. 1547. ſtatuit, ut bona naufraga è mari vendicata, nec Fiſcus, nec alius quiſquam occupare præſumeret, ſed redderentur Domino intra annum comparenti, modico pro rei cuſtodiâ perſoluto pretio; anno verò elapſo Fiſco cederent: ità *Zyp. not. tit. de jure Fiſci.* In Hollandia idem obtinet, niſi forent bona talis Regionis, ubi Batavorum bona etiam naufragio ejecta Fiſco cederent, idque jure retorſionis. *Grot. introd. l. 2. p. 4. in Galliâ autem, Angliâ, Hiſpaniâ,* ait Groenwegen Cod. l. xi. tit. v. *aliiſque ferè totius Orbis Regionibus, tanta regnat animi inclementia, ut Fiſcus in rebus tam luctuoſis compendium ſectetur, & in aliena calamitate, atque naufragorum bonis inveterata conſuetudine indiſtinctè jus habeat vendicationis.* Hanc Gallorum conſuetudinem (ubi obtinet) vocat Salonius, *iniquam tyrannidem, ac corruptelam: repugnantem juri communi, & Eccleſiaſtico.*

Quo quidem jure ante omnia adhibenda eſt ſumma diligentia in inquirendo Domino; quo non comparente, danda ſunt Ordinario loci, ut pro ſuâ prudentiâ de illis diſponat: aliter facientes, ac eadem retinentes excommunicantur. *Extrav. de raptoribus c. excommun.* Quibus advenit ipſum jus naturale, quod dictat aliorum bona eſſe reddenda Domino comparenti: quis autem neget, ea quæ in tempeſtate projiciuntur levandæ navis causâ, manere ſub dominio Dominorum; dum palàm eſt, non eo animo ejici, quod quis nolit ea habere, ſed ut ipſe cum navi fiat ſalvus, ut rectè notat Sylvius q. 66. art. V. concluſ. 8. unde & Caſſiod. lib. 4. Variarum: *Crudelitatis genus eſt ultra naufragium velle ſævire, & illos ad diſpendia cogere, quibus inopem vitam probantur inanima elementa dediſſe.* Hinc etiam pœna eorum, qui è naufragio deperdita deſurantur, jure civili eſt arbitraria. *Cod. c. de naufrag.* Sed ex conſtitutione Philippi, propter inſignem perfidiam Nautæ ad vivicomburium, reliqui ad laqueum condemnantur, injunctâ nihilominus reſtitutione. Cod. Belg.

Digitized by Google

Belg. V. *Dieven* §. 10. ex Edicto ult. oct. 1583. tit. *van ſchipbracke*. Juxta alios in Sicilia plectuntur capite; de quo vide Groenweg. *ad Cod. loco cit.*

SECTIO VI.

An acquiſita pro opere aliàs debito, aut opere per ſe malo ſint reſtituenda: item, quando Dominus ſuâ re eſt abuſurus.

ILle, qui pretium accipit, ut aliquid agat, aut omittat, quod ex juſtitia agere, aut omittere tenetur, debet illud illicò reſtituere, v.g. ſi judex aliquid accipiat, ut juſtè judicet, ne alium nocentem occidat, &c. Ratio eſt, quod res eo ipſo, quo gratis eſt præſtanda, non poſſit juſtè vendi; eò quòd, etſi ſecundum ſe eſſet pretio æſtimabilis, eo tamen caſu cenſeatur eſſe infra omne pretium. Deindè, accipiens pretium duplex pro eâdem re, reverà peccat contra juſtitiam, quod hîc fit. Volunt tamen plurimi, licitum eſſe aliquid dari Judici, ut juſtè judicet, ſi certò ſciat pars aliqua ſe jus habere, & meritò timeat iniquitatem Judicis. De quâ re agam de Judiciis ſect. 3.

Quod ad aliam quæſtionis partem attinet, Notandum eſt primò, non omnem ſtipu'ationem malam eſſe & irritam, uti patet in donatione prodigâ, quæ etſi ſit mala, non tamen eſt irrita, ſed verè transfert dominium. Notandum ſecundò, pactum de re turpi ante actum eſſe nullum, & omninò reſcindendum: ſi enim promiſſio Deo facta, uti & juramentum tale ſit reſcindendum, multò magis pactum cum homine factum. Hinc 22. q. 24. Can. *in malis*, dicitur: *in malis promiſſis reſcinde fidem: quia impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur*. Et Cap. *pactiones*, *de pactis* ait Greg. 9. *juxta legitimas ſanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis, de jure, vel de facto nullam obligationem inducit*. Et L. *generaliter ff. de verb. oblig. generaliter novimus turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti*, Et L. *pacta C. de pactis. Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris eſt*. Ubi hoc non ità intelligendum eſt, quaſi pro nullo opere malo aliquid accipere liceat, cum ſervus conductus die feſto ad laborandum, juſtè retineat mercedem laboris: ſed id intellige de illis, quæ ſunt de ſe, & intrinſecè mala. Neque id ſolummodo verum eſt, ut aliquibus placet, ante factum ejuſmodi ſtipulationes nullius eſſe momenti, ſed etiam poſt factum: jura enim dicunt, *nullam obligationem illa pacta inducere, nullius eſſe momenti, nullam habere vim*; adeoque nec poſt factum. Deinde, actus ij nullius ſunt pretii, ergo nihil pro illis exigi poteſt, aut retineri, adeoque reddi debet, prout data pro aliis rebus, quæ nullo pretio æſtimantur.

Pactum de re turpi eſt nullum.

Dices, etſi opera illa per ſe æſtimari nequeant, æſtimari tamen poſſunt voluptas, moleſtia, pericula illis annexa, & ratione illorum aliquid accipi, ac retineri. Reſp. ſic quidlibet poſſe vendi, etiam maxima ſcelera, res ſacratiſſimas, &c. Deinde, non cenſetur vendi voluptas, aut moleſtia; ſed ipſum opus, cui illa connectuntur.

V 2 In-

Digitized by Google

Inſtabis, ſtipulatio cum Meretrice poſt factum valet, adeo ut etiam ſcortator à judice conventum pretium cogatur ſolvere. Reſp. etſi id ſatis appareat ex *L. 4. ff. de condict. ob turp. cauſ.* Alii reſpondent id in foro conſcientiæ non habere locum, ſed ſolum in foro externo. Alii dicunt, eo caſu Meretrici dandum eſſe pretium illud, non ex contractu, nec pro ſuo crimine: ſed ob crimen ſcortatoris, quod Reſpublica ita plectit, ut in pœnam criminis, eum velit privari ſuis nummis. Sicuti ergo Reſpublica pretio aliorum contractuum inhoneſtorum addicit Fiſco: ita & hoc pretium addicit Meretricibus, quas Reſpublica tolerat. Privatas verò Meretrices, multò magis adulteras, pretium illud reddere debere in foro animæ, vocat Adrianus *ſententiam communem*; cum deſit ratio pretium illud retinendi. Et quamquam non ſoleant paſſim Confeſſarii Meretricibus imponere ſimilem reſtitutionem, id ſolum non agunt, quod ratione impotentiæ paſſim ab eadem ſint excuſandæ; imo, quod dantes ob earumdem inopiam cenſeantur illud pretium illis dediſſe in eleëmoſynam. Ut ut ſit, in hoc negotio eſt aliquid particulare ob dictas rationes, quod non militat in aliis contractibus turpibus, & inhoneſtis. Addunt alii, meritò conſulendum Confeſſariis, ut etiam in omni turpi ſtipulatione reſtitutionem injungant, ut efficacius eâ reſtitutione à ſceleribus arceantur, quam per conſuetas pœnitentias. Denique, meritò Eccleſia reprobat ſimilibus meretriciis ſtipendiis ſacra procurari, juxtà illud Deut. 23. *Non offeres mercedem proſtibuli in domo Domini.* Et Eccli. 24. *Oblatio ex iniquo, oblatio eſt commaculata: & dona iniquorum non probat Altiſſimus.*

Notabile.

Ad ultimam quæſtionis partem quod attinet, dicendum eſt, non poſſe rem Domino reddi, dum eâ noſcitur certò eſſe abuſurus, ſi ſine ſuo incommodo gravi poſſit eam denegare: charitas enim ſaltem, omnes obligat, ut à proximo ſuo grave damnum avertant, quando id ſine ſuo gravi incommodo poſſunt avertere, & impedire. Si verò ſine ſuo gravi incommodo negari non poſſit, etſi etiam prævideant, quod ex eo grave incommodum ſit ſecuturum, poterunt tamen rem illam reddere, nec tali caſu cenſebuntur eſſe moralis cauſa mali ſecuti, ad quod cenſentur ſe ſolùm habere permiſſivè. Imò, non tantum peccat contra charitatem, ſed etiam verius contra juſtitiam, qui priori caſu redderet v. g. gladium Domino, quo eſſet alium occiſurus: quæ opinio, ait *Salonius q. 62. art. 5. Controv. 2.* Etſi rigidior videatur, eſt tamen vera. Ratio ejus eſt, quod qui ſine ſuo damno poteſt v. g. gladium eo caſu negare, & tamen reddit, cenſeatur morali judicio injuriæ ſecutæ conſentire; & efficaciter coöperari damno proximi, ergo. Deindè, qui eo caſu gladium redderet homini furioſo, qui ſe occideret, ſecundum omnes peccaret contra juſtitiam; ergo & dum datur alteri. Quod enim homo ille furioſus ſit, nec ne, eſt planè per accidens. Præterea, talis redditor judicaretur in foro externo tamquam particeps homicidii. Denique, ſi Pharmacopola venderet venenum, quo ſciret ementem eſſe abuſurum, peccaret contra juſtitiam, ergo & hîc. Neque enim talis ſolum negativè, vel permiſſivè ſe tenet ad damnum ſecutum,

Digitized by Google

cutum, ſed inſuper poſitivè ad illud aliquid contribuit, rem eam reddendo. Aliud eſſet, ut rectè obſervat *Wiggers*, ſi ſolum rem ſuam repetat ad eâdem abutendum quidem, ſed ſine damno alterius, v. g. ad prodigendum in libidines, &c. quo caſu non peccatur contra juſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, dum enim Dominus nulli facit injuriam, nec facit alter Domino cooperando, neque de cætero tenetur ex juſtitiâ conſulere alterius utilitati.

SECTIO VII.

In quo loco, & cujus expenſis debeat fieri reſtitutio.

DIſtinguendum hîc eſt debitum ex re acceptâ, ex injuſta acceptione, & ex contractu, ut conſequenter poſſit reſponderi. 1. Qui rem alienam habet bonâ fide, ſi ubi eam alterius eſſe recognoſcit, velit reddere, ſatisfacit, ſi eam reddat eo loco, ubi res habetur; & ſi Dominus ſit abſens, debet eò mitti expenſis Domini, dum æquum non eſt, quod poſſeſſor bonæ fidei ex redditione rei alienæ patiatur aliquod damnum. *L. poſſeſſor ff. de petit. hæredit.* Primò tamen monendus erit rei Dominus, ſi ſit abſens, & ab eo inquirendum, quid de re ſuâ fieri velit, an ſibi remitti, an ulterius aſſervari. Si verò rem illam, poſtquam eam novit eſſe alterius, aliò tranſtulerit, reddenda erit expenſis poſſeſſoris, deductis tamen expenſis, quas Dominus facere debuiſſet in recuperandâ re à priori loco, à quo fuit tranſlata. Aliud foret, ſi id fecerit bonâ fide, quia judicaret rem in alio loco poſſe commodius aſſervari, ex eo commodius Domino reſtitui, quam in alio loco, &c. ſi autem Dominus moneri nequeat, quia fortè nimium diſtat; aut etiam ſi res illa ſit adeo vilis, ut pretium tranſmiſſionis ſuperet pretium rei, poterit interim retinere, donec ſperatur rem illam, vel ejus pretium poſſe aliquando ad Dominum tranſmitti: aut etiam tradi loco pio, ut Domino comparenti poſtea tradi queat; eò quòd hæc preſumatur voluntas Domini pro eo caſu. Si denique non ſperetur, aut rem, aut pretium ad Dominum umquam deveniendum, poterit res illa tradi conſanguineis Domini, vel in eorum defectu pauperibus, quia talis cenſetur eſſe voluntas Domini rationabilis.

Ubi debeat fieri reſtitutio.

Cujus expenſis.

2. Si reſtitutio facienda ſit ex injuſta acceptione, facienda eſt impenſis Debitoris, & in loco, ubi Dominus eam habuiſſet, ſi res ei ablata non fuiſſet: nec enim Dominus ob alterius crimen debet pati detrimentum. Imò, ſi Dominus ob rem ablatam debuerit aliò migrare, debet ibidem res ſua reddi, dum ejus migrationis fur fuit vera cauſa. Idem eſt de Debitore moroſo, ſi interea Dominus ſe aliò tranſtulerit. Hinc rectè Covarruv. Tom. 1. *ad Reg. Peccatum p. 1. num. 9. qui iniquè habet rem alienam, & ratione acceptionis injuſta ad reſtitutionem tenetur, ſubiturus eſt expenſarum onus, & omne damnum, quod ex eâ reſtitutione proceſſerit; cum abſque ullâ diſtinctione obligetur Dominum poſſeſſorem facere rei propria: idcircò parum refert, quod Creditor poſt furtum, uſuram, aliamve iniquam acceptionem, à loco, ubi damnum illatum eſt, diſceſſerit.* Si verò hoc etiam

Digitized by Google

etiam caſu majores expenſæ faciendæ ſint in reſtitutione rei, quam valeat res ipſa, poterit rem apud ſe retinere, uſque dum occaſio opportunior ſe obtulit ſine tanto detrimendo eam reſtituendi: eo enim caſu non poteſt Dominus eſſe rationabiliter invitus quoad moram reſtitutionis: maximè, cum illa fieri debeat, ut ſervetur æqualitas; ubi tamen magna foret inæqualitas, ſi cum tanto damno reſtitutio eſſet facienda. Alij addunt, quod ſi eo caſu non ſperetur futura melior opportunitas Domino reſtituendi abſque tanto damno, quod poſſit rem illam, vel conſanguineis, vel loco pio, vel pauperibus elargiri, ex præſumpta Domini voluntate. Alii denique cum *Navarro C.* 17. *num.* 43. *Covarruv. Reg. Peccatum*, & aliis, non infundatè ſuſtinent, etiam eo caſu teneri furem ad reſtitutionem rei alienæ; eò quod Dominus nullo prorſus modo privandus ſit re Notabile. ſuâ, & ſibi fur imputet, ſi tot ſumptibus debeat rem reſtituere. Quæ quidem ſententia, etſi fundata ſit ſpectando ſtrictas juſtitiæ regulas; prior tamen eſt Chriſtianæ charitati conformior; maximè, ſi iniquus detentor ex tali reſtitutione graviter gravaretur.

2. Si reſtitutio facienda ſit ex contractu, facienda eſt eo in loco, ubi contractus fuit initus, ſi aliud in contractu non exprimatur; aliàs facienda eſt eo loco in contractu deſignato. Ubi tamen particulares leges, & conſuetudines ſunt attendendæ; cum diverſæ leges, & praxes ſtatuant diverſam obligationem reſtituendi rem ex contractu, quoad locum, & deductionem expenſarum; quamvis regulariter ſolutio facienda ſit in domo Debitoris, ex *L.* 1. *ff. de eo, quod certo loco.* Excipitur tamen ſolutio decimarum, & primitiarum, quæ facienda eſt in loco Creditoris, de quâ re poſtea, de Decimis.

SECTIO VIII.

Quando, & quomodo facienda ſit reſtitutio.

PAtet ex dictis c. 3. ſect. 2. præceptum reſtituendi eſſe affirmativum quidem quoad vocem, in ſe tamen continere negativum, ſcilicèt hoc, *non retinebis alienum*; & conſequenter obligare ad ſemper, dum res commodè reſtitui poteſt. Ubi alii addunt ibi dictis, duo hîc eſſe conſideranda, ſcilicèt præparationem animi, & executionem. Primam debet habere ſemper: ſecundam, non niſi eo tempore, quo commodè poteſt. Et quidem, ſi res reddenda ſit ex delicto, vel ratione rei bonâ fide poſſeſſæ, non eſt expectanda rei petitio *L. quoties in diem ff. de verb. oblig. L. in re furtivâ ff. de condit. furt.* Ipſa enim res per ſe petere cenſetur. Si verò debeat ex contractu, aut quaſi contractu, debet rem reſtituere tempore in contractu deſignato, etſi etiam à Domino non moneatur, dum dies definita monet pro Domino. *Cap. fin. de locato, & conducto.* Si autem tempus deſignatum non fuerit, non cenſetur graviter delinquere, aut eſſe in mora, ſi non reſtituat antequam admoneatur, eò quòd Dominus ſciens ſolutionem deberi, & potens exigere, & non exigens, videatur conſentire dilationi. Excipiunt tamen cum *Covarruviâ lib.* 4. *Var. cap.* 17. *illat.* 5. ſi con-

Quomodo reſtitutio facienda ſit ſtatim.

tractui

tractui additum fuerit juramentum, quod vim habet interpellandi, & obligat, ut quamprimùm debitum reddatur ac ſi eſſet petitum. Neque hîc objici poteſt, quod juramentum ſequatur naturam actûs, cui adjicitur: quia natura contractûs de ſe habet, quod quamprimùm poſſit, fiat ſolutio: & quod aliquando adeſſe debeat petitio, habet ex accidente, puta ex conſuetudine uſu receptа.

Quomodo autem Confeſſarius agere debeat cum illo, qui cum poſſit, non reſtituit; item, qui reſtitutionem uſque ad diem mortis, vel etiam poſt mortem differt, dictum eſt C.3. ſect.3. ubi egimus de neceſſitate reſtitutionis, ſimul allatâ circa hoc punctum præclarâ Dominici Soto ſententiâ. Cui hanc adde, quam tradit Cajetanus V. *reſtitutio; ne præceptum hoc de ſtatim reſtituendo pœnitentes, & Confeſſores reos ſimul involvat: non ſunt abſolvendi pœnitentes, antequam cum effectu reſtituant, ſi in alia confeſſione abſoluti, reſtituere neglexerint: dicentibus enim hàc vice,* RESTITUAM PATER: *verè reſponderi debet,* CREDO TIBI: *& propterea modò in illa bona diſpoſitione vade ad reſtituendum, & poſtea abſolvêris.*

Notandum circà jam dicta cum Card. *de Lugo. Diſp.20. ſect. ult. num.* 211. quod dum dicitur, ſtatim eſſe reſtituendum, non debeat illud *ſtatim*, intelligi mathematicè, ſed moraliter; eò quòd brevis dilatio reſtitutionis parum, aut nihil noceat Creditori. Hinc, ad diſcernendum, quando dilatio reſtitutionis ſit gravis, ſi de cætero adſit animus reſtituendi, deſumi oportet ex damno, quod per dilationem infertur Creditori, & ex majoris ejuſdem renitentia.

Notat inſuper ibidem ex Molina, Debitorem debentem ex contractu, & termino præfixo non ſolventem, non facilè damnandum eſſe mortalis culpæ, ſi per aliquod tempus differat ſolutionem, & de cætero habeat animum reſtituendi, quando Creditor ex tali dilatione non incurrit grave damnum: & hoc, etſi Creditor ſæpè ſolutionem exegiſſet, præſertim ſi Debitor non niſi ægrè poſſet ſolvere; quo caſu debet quidem Confeſſarius urgere Debitorem, ut ſolvat, nec tamen debet eum facilè condemnare peccati mortalis ob talem dilationem non magnam.

Addunt alii, non poſſe Confeſſarium hîc indulgere pœnitenti, ut ſolutionem, quam jam inde commodè facere poteſt, aliquatenus differat; cum non poſſit ſolutionis obligationem remittere, dum non eſt creditoris Procurator. Aliud eſſet, ſi probabiliter crederet, Creditorem quoad exiguam dilationem non fore rationabiliter invitum; quo caſu ex præſumpta rationabiliter Creditoris voluntate, dilationem aliquam concedere poſſet. Notabile.

Quod verò ad modum reſtituendi attinet, poterit primò reſtituere debitor, tam per ſe, quam per alium, qui tamen ſit fidelis; ſi enim per infidelem vulgò internuntium reſtituens deciperetur, ipſi ſibi imputet, ſe per illum fuiſſe deceptum; dum ſcire potuit, ac debuit, ſe ſimili manu utentem, fore decipiendum. Si tamen ejuſmodi perſona intermedia communiter haberetur fidelis, à quo tamen decipitur, videndum eſt, an teneatur Debitor ratione rei acceptæ, an De reſtitutione per internuntium.

ratione

ratione iniquæ acceptionis. Si enim eamdem rem remiſerit per talem, & interreà pereat, liberatur Debitor, juxtà *L. argumentum ff. Commodati.* Res enim, quæ caſu perit, Domino perit. Si verò debeat ratione iniquæ acceptionis, tenebitur Debitor, ſi antequam perveniat ad manus Creditoris, pereat; addunt aliqui, niſi eodem modo apud Dominum non fuiſſet peritura. Colligitur ex *Capt. ſignificaſti, de pignoribus. L. incendium C. ſi certum petatur.* Ratio eſt, quod quamdiu res non pervenit ad manus Creditoris, nondum eſt procurata æqualitas violata, dum adhuc Dominus habet minus de rebus ſuis, quam debeat habere: reſtitutio autem obligat, ut procuretur plena æqualitas; deinde, quod poſſeſſor malæ fidei obligetur etiam de caſu fortuito. Denique, quamdiu res eſt in manu Nuntii, eſt quoque in manu mittentis, cum Nuntius ſit quaſi vices gerens Debitoris mittentis, adeoque ſi pereat, perit mittenti.

Si verò res in genere (ut loquuntur Juriſtæ) vel in ſpecie (ut Theologi) ſit debita, ſi ad manus Domini non devenerit, obligabitur Debitor iteratò reſtituere; undè ſi alicui Equum commodatum debeas cum pecuniâ ex venditione debitâ, quæ ſimul miſiſti cum Nuntio, & utroque ille ſpoliatur in viâ, aut cum utroque fugiat. Equum non teneris reddere, pecunias verò teneris; quia Equum commodatum habebat, & Domino perit, ſi per fidelem internuntium curaverit tranſmitti, juxtà antedicta; & manebat ſub dominio alterius, ergò illi perit. Pecuniæ verò, quamdiu traditæ non ſunt, erant ſub dominio mittentis, & ſic illi pereunt. Deindè, ut benè notat Sylveſter, obligatus eſt ad ſolutionem in genere, quæ obligatio non tollitur, niſi pretium tradatur ei, cui debetur. Aliud eſt, ſi Creditor juſſiſſet mitti per talem Nuntium.

An fieri debeat publicè.

Nec ſolùm publicè debet, ſed nec ſæpè poteſt fieri reſtitutio. Debet enim in eâ faciendâ, quantùm commodè poſſit, conſuli famæ, & honori debitoris, prout latius deduximus in antedictis. Aliud eſſet, ſi cum publico ſcandalo reſtitutioni factus eſſet obnoxius, v. g. fuiſſet publicus fœnerator, quo caſu publicè reſtituendo ſcandalum oportet reparare, quale exemplum narrat Cæſarius *l. 2. Hiſt. mem. c. 34.* & expreſsè id exigit diſciplina Eccleſiaſtica. Nequè etiam ille, qui aliquid debet in ſolidum, vel integrè reſtituere, ſatisfacit reſtituendo per partes: eò quòd illo caſu aliquid retineretur invito rationabiliter Domino. Aliud eſſet, ſi non poſſet totum reſtituere, aut Dominus præſumeretur in ſimilem ſolutionem conſentire. Imò *Navarrus Enchirid. 17. num. 66. ex Adriano* docet, eum, qui non vult reſtituere, niſi per partes, cùm poſſit in ſolidum, non eſſe abſolvendum; quod & *Petrus Navarra de reſtit. l. 4. c. 4. num. 64.* approbat.

An reſtitutio poſſit anticipari.

Reſtitutio quoque à Debitore anticipari poteſt ante terminum reſtituendi, ſi terminus ille appoſitus ſit in favorem Debitoris, quo caſu etiam tenetur in id Creditor conſentire. Creditor tamen non poteſt debitum ante talem terminum affixum exigere, *Capt. unico. De plus petitionibus.* Excipe tamen, niſi Debitor veniret ad inopiam, aut ſuſpectus ſit de fugâ; quo caſu cogi poteſt Debitor, ad dandam cautionem, niſi forte ante contractum fuiſſet ſuſpectus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IX.

De ordine in reſtitutione obſervando.

QUæſtio hæc multùm eſt neceſſaria in ordine ad praxim, & plurimùm pendet à variis Conſtitutionibus particularibus, dum aliæ & aliæ, dent aliam & aliam præferentiam Creditoribus in ſolvendo. Ante omnia tamen hîc prænotandum, diverſa eſſe Creditorum genera: alii dicuntur *privilegiati*, quia à lege habent jus prælationis: alii tâle jus habent à jure, & æquitate naturali, independenter à lege poſitivâ: alii verò ſunt hîc ſibi mutuò æquales. Alii inſuper ſunt merè perſonales, qui ſolam Debitoris perſonam habent obligatam, non itidem ejus bona, niſi indirectè; ut quia non habent hypothecam, aut pignus ex ejus bonis, qui à Juriſtis vocantur *Chirographarii*, à Theologis *Perſonales*. Alii ſunt *Hypothecarii*, qui non ſolùm habent actionem perſonalem contra Debitorem, ſed etiam realem in ejus bona, ut quæ habent oppignorata, aut hypothecata, quo proindè caſu illi ſemper manent obligata. Notandum etiam aliam hypothecam eſſe *tacitam*, quæ provenit ex vi legis; ſic leges ſtatuunt, omnia Mariti bona eſſe hypothecata pro dote Uxoris: omnia bona recipientium vectigalia, eſſe hypothecata Fiſco, &c. Alia eſt *expreſſa* ex contrahentium conventione inducta. Alia inſuper eſt *generalis*, quæ omnia Debitoris bona habet hypothecata: alia *ſpecialis*, quæ hanc, vel illam rem in ſpeciali habet obligatam, v.g. hanc domum, agrum, &c. de illis alibi latius, agendo de hypothecâ.

Prænotandum inſuper, leges tam Civiles, quàm Canonicas ordinem reſtituendi ordinantes, etiam obligare in conſcientia, etiam ante Judicis ſententiam; cùm non ſint leges pœnales, nec innitantur alicui falſæ præſumptioni, ſed innituntur æquitati naturali, in foro conſcientiæ maximè attendendæ: adeo ut, qui ſcienter eas prætergreditur ordinem illum intervertendo, & peccet, & teneatur prætermiſſos ſuo ordini reſtituere. Dixi, *ſcienter*, quia multi de plebe hunc ordinem invincibiliter ignorare poſſunt, & eo titulo hîc excuſari. Alii tamen volunt, quod quamvis dictæ leges id ſtatuant, quod maximè convenit æquitati naturali, ad ſervandam communem pacem, non tamen in conſcientia ligent, quod locum habet in aliis legibus ejuſmodi, de quo videri poteſt *Jac. Marchant in reſolut. Paſtor. cap.* 7. *q.* 7. quod maximè locum habere poteſt, quando Debitor à poſteriori Creditore maximè urgetur ad ſibi reſtituendum. Ut ut ſit, hoc in primis certum eſt, quod ſi res in propria adhuc ſpecie extet, ante omnes debeat ea dari illius Domino, cùm res ſemper clamet ſuum Dominum; quod maximè verum eſt, ſi Dominus innoteſcat; ſi verò Dominus ſit incertus; juxta dicta, debet dari pauperibus, nequè de illa poteſt ſatisfieri aliis Creditoribus, cùm reſtitutio fieri debeat de bonis propriis Debitoris, non verò alienis.

2. Debita certa prius ſolvenda ſunt, quàm incerta, quidquid alii contradi-

 cant.

Digitized by Google

Debita certa prius ſolvenda quàm incerta.

cant. Ratio eſt, quòd obligatio juſtitiæ primò obliget ad reparanda damna certa, quàm incerta; & certi Creditores incertis ſunt præferendi: alii hoc probant ex eo, quod pauperibus incerta ſint danda de jure tantùm poſitivo: certis verò Creditoribus ex jure naturæ, adeoque præferendi; quod tamen à nobis anteà ſect. 9. eſt reprobatum. Hinc meritò deducit *Sylvius* hîc, quod graviter errent illi, qui cùm non poſſint omnia reddere, componunt cum Prælatis Eccleſiæ de incertis, ut poſſint retinere, quod illis remittitur, certos Creditores eo modo defraudantes: deberent enim primò certis Creditoribus reddere, & demùm pro incertis petere compoſitionem.

3. An verò inter certos Creditores primò ſolvi debeat venditori, controvertitur. Alii affirmant, eò quòd per ſolam venditionem non transferatur rei dominium, niſi datum ſit pignus, aut fide juſſio, aut pretium oblatum, adeoque res illa ita vendita venditori tamquam Domino ſit reddenda. L. *Quod vendidi* 19. *ff. de contrah. empt.* §. *vendita Juſt. de rerum diviſ.* Venditor enim non cenſetur dominium rei transferre in emptorem, niſi ſub conditione pretii ſibi dati: quod etſi verum ſit de jure poſitivo, tamen an quoque id verum ſit de jure naturæ, videndum reſtat, agendo de venditione. Si tamen res vendita fuiſſet, habitâ emptori fide de ſolvendo pretio, & cenſeretur ita tranſiſſe in dominium emptoris, an eo caſu venditor præferri debeat, ſi non ſit emptor omnibus ſolvendo, adhuc dubitatur: alii affirmant ex eo, quod videatur eſſe contra æquitatem naturalem, quòd res talis apud emptorem extans, detur aliis Creditoribus, venditore defraudato, quoad rem, & ejus pretium. Econtra, alii cum *Wiggers* illud negant: & ratio eſt, quòd res illa per venditionem talem fiat emptoris, nec ullo modo maneat obſtricta, vel hypothecata venditori, nec jure naturæ, nec poſitivo, nec ex communi contrahentium conſenſu, de quo nihil conſtat. Patet idem ex eo, quod ſi emptor ille rem illam vendidiſſet alicui tertio, non poſſet ab emptore ſecundo res illa à venditore vendicari: ex quo palam fit, non eſſe rem illam ullo modo venditori hypothecatam, quod tamen alterius opinionis eſt fundamentum.

An prius ſolvi debeant debita ex delicto, quàm ex contractu juſto.

4. An autem inter debita certa, prius ſolvenda ſint debita ex delicto, quàm ex contractu juſto, variant Authores. Alii præponunt debita ex contractu, eò quòd non ſint accipienda aliena invito Domino, ut reſtituantur malè accepta. Verùm hæc eſt petitio principii, & tota quæſtio. Undè alii hoc probant ex eo, quod debita ex contractu ſimpliciter ſint magis debita, quàm ex delicto, eò quòd Creditor eâ intentione dederit æquivalens, ut ſibi tantùm ex juſtitia redderetur. Alii tamen è diametro præferunt debita ex delicto, cui adducunt *D. Thomam Opuſc.* 73. Quod tamen Opuſculum eſſe D. Thomæ negat *Sylvius*, eò quòd in editione Romana habeatur litteris diſtinctis. Ratio interim illius eſt, quod illa debita ſint prius ſolvenda, quæ contracta ſunt cum majori culpa & injuria, & conſentaneum ſit, ut ſi non poſſit recedi ſimul ab omnibus culpis, ſaltem primò recedatur à majoribus. 2. Ille, qui contrahit, aliquo modo voluntariè ſe illi periculo cenſetur ſubjicere, quod fortè amittet pretium, ſi alter fiat

fiat non ſolvendo: qui verò ex delicto damnum recipit, cenſetur eſſe involuntarius, tàm circa injuriam, quàm circa periculum amittendi; undè etiam juxta illos, pro diverſitate injuriæ prius debita debent ſolvi, ut primò debita ex rapina, deindè ex furto, deniquè ex uſura, &c.

Alia denique opinio, eaque verior, nullum prorſus ponit ordinem inter debita certa ex delicto, aut contractu; dum nullum jus, aut ulla ratio id probet, cum ſit utrobique eadem utriuſque debiti ratio, etſi in debitis ex delicto ſit major injuria, quæ præciſo domno (quod eſt æquale) ſolùm exigit aliquam ſatisfactionem; & conſequenter non eſt major obligatio reſtituendi in uno, quam in alio caſu. Deinde, in foro judiciali nulla habetur ratio debiti ex delicto, aut ex contractu; ergo nec in foro conſcientiæ ejus ratio eſt habenda, dum juxta ante dicta, dictæ leges etiam teneant pro foro conſcientiæ, dum innituntur æquitati naturali.

Quod autem ſecunda ſententia dicit, prius recedendum eſſe à majori injuria & peccato; verum quidem eſt, quando injuriæ ſunt diverſæ ſpeciei, non tamen quando ſunt ejuſdem: ut v. g. ſi furatus ſis à Petro 100. & à Joanne 10. non ideo prius ſolvendum eſt Petro, quam Joanni. Nec etiam refert, quod in debito ex contractu ultra debitum juſtitiæ adveniat debitum ex fidelitate, adeoque videatur illud fortius ligare, quam debitum ex delicto: dum fidelitatis obligatio hîc ſolum eſt acceſſoria, quæ proindè non urget cum præjudicio alterius, uti nec aliquid conferret accedens promiſſio in hoc eodem caſu.

5. Debitum ex gratitudine omnibus aliis debitis eſt poſtponendum. Nec enim eſt ratio, quare ex alienis debitis poſſet fieri donatio liberalis; hoc enim eſſet quaſi offerre munus de rapina. Deindè, liberalis promiſſio facta eſt, vel quando alter jam non erat ſolvendo, quo caſu & erit iniqua in fraudem Creditorum, adeoque revocanda. Si verò ad eadem implenda erat potens, dum promittebat, & antequam promiſſio impleatur, fiat impotens, nec tum erit adimplenda, cum promiſſio facta ſit cum ea conditione, *ſi commodè, & ſine alterius præjudicio poſſit adimpleri.* De debito ex gratitudine.

6. Creditores hypothecarii præferendi ſunt aliis Creditoribus chirographariis, & perſonalibus; eò quòd hypotheca detur ad majorem ſecuritatem, ut ſibi poſſit Creditor de ea procurare ſolutionem. Habent enim illi directè actionem in bona oppignorata, quæ eo ipſo, quo oppignorantur, manent quaſi ex parte alienata. Colligi poteſt ex *L. eos qui C. qui potiores in pignore. L. pro debito C. de bonis auctoris, &c.* Excipe tamen, niſi in caſibus in jure expreſſis; uti ſolent præferri illi, qui dederunt neceſſarias funeris expenſas; quod juſtè ſtatutum eſt, ne ullus hoc vellet facere præ timore inſufficientis fortè hæreditatis, niſi eadem eâ ratione præſtita, antè omnia ſolverentur. De præferentia creditorum hypothecariorum.

7. Inter hypothecarios primò ſolvendum eſt illi, qui prior eſt tempore, qui etiam hîc potior eſt jure: & meritò, ne alterius jus jam acquiſitum, per aliud ſuperveniens minuatur. Intellige tamen, quando hypotheca eſt ſtatuta in eadem re; & niſi alia hypotheca ſit privilegiata, quales ſunt hypotheca Quis ordo inter hypothecarios.

 dotalis,

dotalis, hypotheca Fiſcalis; qui enim cum Fiſco contrahit, omnia ſua bona ei oppignorat *L. Si is, qui, ff. de jure Fiſci.* L. 2. C. *de privil. Fiſci, &c.* Item ille, qui pecuniam dedit ad ædificationem domûs, emptionem ejuſdem, agri, ad eorumdem cuſtodiam, culturam; qui domum, agrumve pro hypotheca relinquunt. *L. 3. ff. qui potiores. L. licet C. eodem tit. &c.* Idem dic de eo, qui dat pecunias ad reparationem navis, domûs, prædii, &c. Qui præfertur etiam habenti hypothecam expreſſam etiam in eadem re; eò quòd, niſi pecuniam ſubminiſtraſſet, res illa non ſubſiſteret. L. *interdum* 5. *ff. qui potiores, &c.* Idem jus habent, qui pecunias tribuunt causâ, ſeu intuitu militiæ, v. g. ad emendos Equos, arma, &c. Cui etiam cedunt cæteræ hypothecæ, etiam dotales, Fiſcales. *L. quo jure, & L. aſſiduis Cod. qui potiores in pign.* Idem eſt, dum pecuniâ pupilli emitur domus, ager, vel res alia manet ei privilegio juris hypothecata, & prævalet cæteris hypothecis, exceptis illis, quæ causâ militiæ, de quo mox antè. Idem dic de hypotheca inſtrumento publico munita, quæ cuilibet privatæ prævalet; eò quòd in privata ſcriptura præſumatur fallacia: *L. ſcripturas Cod. qui potiores.* In foro tamen conſcientiæ, ubi aberit fraus, nulla inter eas hypothecas eſt differentia, ſed quæ prior eſt tempore, potior eſt & jure. Hypotheca verò ex liberali promiſſione nata, omnibus aliis hypothecis ex contractu oneroſo ortis eſt poſtponenda, juxta dicta Concl. 5. moribus quoque noſtris *Antverp. tit. 57. art. 51.* Poſterior rei immobilis hypotheca ſpecialis, præfertur anteriori generali. Amſtelrodami tamen hoc deficit, & obtinet jus ſcriptum *l. ſi generaliter Cod. qui potiores in pignore*, idque ex ſpeciali Ordinum conſtitutione, ait *Groenwegen* ibid. Addens ad *L. interdum ff. qui potiores in pignore*, quod ille, qui in novæ domûs ædificationem, aut emptionem credidit, aliis creditoribus non ſit potior, niſi ei domum pignori eſſe obligatam convenerit: quod ita in Galliis, Friſia, Hollandia ex aliis refert eſſe judicatum; unde & vult, quod dictæ leges commodâ interpretatione ſint intelligendæ de eo Creditore, qui ſibi ſpecialiter de hypotheca proſpexit.

Notandum quoque ex D. Stockmans *Deciſ. 96. num. 9.* aliquando in dubium vocatum fuiſſe in Brabantia, an hypotheca tacita competens Civitati in bona Adminiſtratorum; item competens in bona Curatorum, hodie adhuc vim habeat: & judicatum eſſe, eum, qui ſpecialem poſteriorem per legis operas, coram Magiſtratu loci ſibi acquiſiverat, præferendum eſſe Civitati, & minori; qui anteriori tacitâ legali tantum munitus erat. Inauditum enim, & abſonum dicebatur, non poſſe Tutores, & Adminiſtratores rerum Civitatis, res ſuas, aut alienare, aut ſpeciatim pignori ſubjicere, niſi cum onere prioris cujuſdam hypothecæ, nemini contrahenti id hodie eſſe perſuaſum. Ita ille.

An autem hîc præferendus ſit venditor in re vendita, aut Creditor hypothecarius, etſi juxta dicta conſtet, venditorem non præferendum eſſe aliis Creditoribus certis; tamen juxta dictum Authorem *Deciſ. 93.* non ſemel ſecundum

cundum venditorem judicatum eſt; maximè, ſi non diu poſt res emptas lapſus ſit facultatibus emptor: quia creditur, dum emeret, ſciviſſe Authorem ſuum non eſſe ſolvendo, & conſequenter doloſè obtinuiſſe traditionem rei ſine ſolutione pretii: adeo ut, etſi etiam expreſsè data eſſet fides emptori; tamen propter præſumptionem fraudis, cenſetur fides non fuiſſe data, nec tam cenſetur res tradita, quam dolo extorta. Idem dicendum eſt, ſi emptor mox re emptâ cedat foro.

Creditoribus hìc ſuccedunt Legatarii, eò quòd legata dentur de bonis defuncti, & conſequenter jure poſtponuntur Creditori. Cenſentur quoque per particulares alibi leges, particularia debita eſſe privilegiata, uti hìc habentur mercedes Famulorum, Operariorum, medicamentorum, reditus annui, qui cenſentur eſſe quaſi Creditoris hypotecarii.

Demum hìc notandum eſt circa hypothecam dotalem, de qua antea, Edicto Caroli V. nullam eſſe prærogativam dotium, quæ à mercatoribus conſtituuntur, dum illæ aliquando exceſſivè multiplicarentur in fraudem Creditorum. Hìc tamen Antverpiæ, poteſt Mulier præ reliquis Creditoribus viâ præferentiæ efferre dotem, quam attulit; etſi de reliquo pro victu, & aliis neceſſariis illa etiam obligetur.

8. Prius petenti, prius ſolvendum eſſe, ſi Creditores ſint jure pares, volunt juxta jus commune, etſi alii ſint tempore priores, quaſi diligentia poſterioris, faciat eum jure potiorem. L. *Pupillus ff. quæ in fraudem Credit.* Alii tamen contendunt legem illam, & ſimiles ſolummodo denegare actionem Creditori priori poſterius petenti, contra diligentiorem; non verò concedere jus prælationis; eò quòd ex natura rei ob illam diligentiam poſterioris, non amittatur jus prioris Creditoris. Alii tamen inferunt, Creditorem etiam tempore poſteriorem poſſe petere, & accipere ſolutionem debiti, dum timet Debitorem non fore ſolvendo, nec teneri ad aliquam reſtitutionem aliis faciendam, quod privilegium volunt illi juſtâ lege eſſe conceſſum; quod tamen negat ſecunda opinio. Non tamen licet Debitori Creditorem poſteriorem præferre aliis prioribus, eo ſolo titulo, ut illi gratificetur; eò quòd nullo titulo factus ſit jure potior, nec ſola Debitoris voluntas id poteſt facere in præjudicium aliorum Creditorum. Hinc talis eo caſu peccat, niſi eum juris, vel facti ignorantia excuſet, ac tenebitur de damno, & expenſis Creditoris potius jus habentis, qui etiam poterit illud, quod alteri in ſuum præjudicium ſolutum fuit, judicio recuperare *L. ſcimus* 22. §. *etſi præfatam C. de jure delib.*

An prius petenti debeat prius ſolvi.

An verò Creditor ipſe acceptando peccet, variant Authores. *Sylvius* affirmat, eò quòd ille cenſeatur acceptando coöperari alterius peccato, & accipiat id ab alio, quod alter dare non poteſt: unde etiam infert, quod debeat aliis Creditoribus pro rata refundere. Alii tamen id ipſum negant, & docent, illud nihil aliud eſſe, quam ſolummodo materialiter coöperari alterius peccato, & quod vi legum jus habeat id petendi, ac retinendi; quæ leges, cum non fundentur in præſumptione, etiam tenent in foro conſcientiæ. Deindè,

poteſt

Digitized by Google

poteſt ſæpè acceptatio eſſe bona; etſi datio ſit mala, v. g. dum quis bonâ fide ab excommunicato, aut alio improbo accipit Sacramenta, aliquid recipit à prodigo, &c. Aliud eſt, ſi Creditor ille ſciret, Debitorem id facere in fraudem aliorum Creditorum, quo caſu cenſeretur accipiendo moraliter tali fraudi coöperari.

An Creditor magis pauper ſit præferendus.

9. Inter perſonales Creditores præferri hîc poſſe pauperiores, ſentit *Salonius* cum aliis, eò quòd pauperior ablatione rei ſuæ magis lædatur, eâque magis indigeat: cum enim reſtitutio ordinetur ad vitandum damnum illatum, ſequitur, quod prius fieri debeat pauperiori, cui majus damnum eſt illatum. Alii interim rectius id negant, eò quòd pauperior hîc, nec jure poſitivo, nec naturali habeat jus prælationis: imo potius eſt contra æquitatem, quod illa portio, quæ debetur ex juſtitia aliis, detur pauperiori. Aliud eſſet, ſi pauper ille foret in gravi, aut extremâ neceſſitate, cum hoc caſu creditores ditiores non poſſint eſſe rationabiliter inviti, quod pauperior præferatur: maximè, cum ipſe creditor ditior deberet per ſe tali ſuccurrere. Quod autem ille pauper majus damnum ſentiat, nihil urget, quod illi debeat prius ſolvi cum alterius præjudicio: major enim injuria non debet ſemper prius deponi, ut jam antea annotavimus.

Ex quibus omnibus liquet, creditorem poſteriorem nullo prælationis jure gaudentem, prius à debitore impotente ad cæteris creditoribus ſolvendum, debere aliis creditoribus prioribus reſtituere ſuam cuique partem pro rata. Conſuetudo hîc quoque tenet, quod creditores ejuſdem ſocietatis præferantur aliis creditoribus. *Conſuet. Antv. tit.* 52. *art.* 4.

S E C T I O X.

De reſtitutione illius, qui alium injuſtè impedivit in conſecutione alicujus boni.

OBſervandum eſt 1. Poſſe aliquem impediri à beneficio v. g. vel officio juſtè, & injuſtè: juſtè quidem, quia eo noſcitur eſſe indignus, quo caſu impedientem non teneri ad reſtitutionem, clarum eſt apud omnes. Injuſtè autem impeditur, ſi nullâ juſtâ causâ retrahatur à conſecutione boni ſperati. Notandum 2. aliquem poſſe injuſtè impediri, ita ut, dum impeditur, nullum habeat jus ad bonum ſperatum; ſed illud ex mera alterius liberalitate expectat. Poteſt verò etiam fieri, quod ille, qui ita impeditur, habeat jus acquiſitum ad bonum ſperatum.

Quibus poſitis, dicunt 1. quod qui alterum impedit à conſecutione boni, quod alteri ex juſtitia eſt debitum, ut quia ad illud jam habebat jus ad rem v. g. ſive hoc fiat vi, dolo, fraude; ſive precibus, aut conſilio, teneatur illud reſtituere; & quidem totum, ſi eam certò fuiſſet alteri collatum beneficium, aut officium: ſi verò hoc non fuiſſet certum, reſtituendum

Digitized by Google

dum eſt tantum, quanti æſtimatur ſpes illud conſequendi. Ratio illius eſt, quod jam collator ipſe ex juſtitia teneretur illud præſtare, adeoque conſilio tuo coöpereris iniquæ negationi collatoris, quo alter privatur ſuo jure, quod jam indè habebat, adeoque teneris ad reſtitutionem. Aliud eſt, ſi ſolùm quis alteri ſuadeat, ut à proſecutione boni abſtineat, dum ex ejus voluntate pendet, illud proſequi, vel non proſequi, quo caſu non tenetur conſulens ad reſtitutionem: aliud autem eſt, ſi id fiat vi, dolove. Unde ſi quis ſuadeat Artifici, ut per menſem non laboret, nil reſtituere tenetur, dum ſemper liberam retinuit voluntatem laborandi, & ipſe ſolus cenſeatur in cauſa, quod non fuerit lucratus. Si verò id effecerit vi, vel fraude, tenetur; eò quòd injuſtè alium privârit lucro, quod eſſet percepturus, quod proindè alter tenetur reſtituere.

Dicunt 2. quod, qui vi, vel dolo impedit bonum alterius indebitum, teneatur illud reſtituere; ſecus eſt, ſi ſolum id impediat precibus, aut muneribus. Ratio prioris eſt, quod etſi ille non habeat jus ad bonum ſperatum; habet tamen jus, ne quis dolo, vi, vel fraude benefactorem impediat, quò minùs illud tribuat, quod erat tributurus, & bonam ejus voluntatem dolo auferat. Ratio poſterioris eſt, quod ſi conſilio, vel precibus id fiat, relinquatur benefactori libera voluntas benefaciendi, adeoque ſi non benefaciat, non tam oritur hoc ex alterius conſilio, quàm propria benefactoris voluntate. Imo hoc verum volunt, etſi id conſulendo impediant, manifeſtando occultum alterius defectum, ſed verum; eò quòd cuique ſit jus, in his occultè detegere id, quod alium reddit inidoneum ad bonum ſperatum; unde etiam ſolent à ſapientioribus, & ſanctioribus viris in ſimilibus fieri informationes occultæ. Aliud eſſet ſi illa revelatio eſſet injuſta, v. g. ſi crimen eſſet falſum, ſi coram illis revelaretur, quorum non intereſt; quo caſu & ſecuta infamia, & damnum ſecutum oporteret reſarciri.

Quæres, quid ſi ex pravo animo alteri impedias bonum illi indebitum ſine vi, vel dolo, v. g. ſolâ ſuaſione. Reſp. ſecundum ea, quæ diximus de injuria C. 3. ſect. 1. ubi diximus ex intentione malâ actum poſſe eſſe injurioſum, qui talis ſecluſâ intentione non fuiſſet: dicimus etiam ad reſtitutionem obligari eum, qui bonum ſperatum, etſi indebitum impedit, etiam ſine vi, vel dolo, ſi id agat animo nocendi. Ratio id aſſerendi, patet ex ibi dictis.

Ex dictis concludi poteſt, quod ille, qui impedit adimpleri promiſſionem alicui factam, & acceptatam, etſi id fiat ſine vi, vel fraude, teneatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quod alter jam habeat jus ad rem. Qui dolo alium avertit à danda eleëmoſyna, dicendo v. g. falsò eum non eſſe pauperem, tenetur ad reſtitutionem eleëmoſynæ: ſecus eſt, ſi ſolùm id impedierit ſuaſione. Qui ſine vi, vel fraude curavit teſtamentum revocari, & alium hæredem inſtitui, non tenetur ad reſtitutionem; quia nec hæredes, nec legatarii habent aliquod jus ad ſucceſſionem, quamdiu teſtator eſt in vivis, habeatque ille ambulatoriam voluntatem uſque ad mortem. Sicuti ergo potuit teſtator ſine alicujus injuriâ teſtamentum revocare: ita poteſt alter ſine alicujus injuriâ

riâ revocationem illam conſulere, & aliis modis licitis perſuadere. Aliud eſt de illo, qui vi, vel minis, aut calumniis extorſit teſtamenti, aut legati alicujus revocationem: item de eo, qui volentem condere teſtamentum, aut codicillum, per vim, vel fraudem impedivit, v. g. impediendo Notarii, vel teſtium acceſſum: ubi habet locum illa generalis regula, quod qui vi, vel fraude impedivit alterius bonum, peccet contra juſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem. Idem dic de eo, qui vi, vel fraude plures competitores ad idem beneficium, ab aſſecutione ejus impedivit, qui tenetur reſtituere ſingulis eorum, quanti valebat ſpes illud aſſequendi, juxta prudens judicium. Sequitur ulterius, illum, qui impedit, quò minus bona ob crimen applicanda Fiſco, non applicentur ante juſtam ſententiam, non teneri ad reſtitutionem, etſi etiam fraude id impediat: ratio eſt, quod Fiſcus non habeat jus ad ejuſmodi bona, niſi poſt ſententiam judicis, eò quòd illa bonorum confiſcatio fiat in pœnam delicti, & pœna non debeatur, niſi poſt ſententiam judicis.

Requiſita, ut impediens bonum alterius teneatur ad reſtitutionem.

Patet ex dictis, ſimul tria neceſſaria eſſe ad hoc, ut impediens bonum alterius teneatur ad reſtitutionem: primò, ut impeditus potuiſſet rem obtinere, niſi hoc impedimenrum obſtitiſſet: nec enim dicitur fuiſſe impedimentum, niſi alia res obventura fuiſſet ſepoſito impedimento. 2. Ut impeditus potuiſſet rem juſtè conſequi: qui enim juſtè alium impedit, qui juſtè bonum ſperatnm conſequi non poterat, non tenetur ad reſtitutionem, cum non abſtulerit jus alterius, v. g. in caſu, quo indignus beneficio, ab eo conſequendo juſtè impeditur. 3. Requiritur, ut impedimentum factum ſit per actionem injuſtam: ex ea enim ultimatè oritur reſtitutionis obligatio. Quomodo autem teneatur ad reſtitutionem ille, qui dignum impedivit à conſecutione beneficii, dicetur agendo de beneficiis.

SECTIO XI.

Quomodo reſtituere obligetur ille, qui alium læſit in bonis ſpiritualibus.

CUm proximum lædere in bonis temporalibus de ſe ſit peccatum mortale; ſequitur, quod eumdem lædere in bonis ſpiritualibus de ſe majori jure ſit lethale. Sicut autem in primo, ita & in ſecundo caſu poteſt eſſe parvitas materiæ, & veniale peccatum.

An verò ille æquè teneatur ad reſtitutionem, non convenit inter DD. alii voluerunt, quod teneatur, quorum fundamenta videbimus in objectionibus futuris. Alii ergo docent, illum, qui alium læſit in ſpiritualibus vi, vel fraude v. g. impellendo in peccatum, teneatur ad talem reſtitutionem, ut ſi fraude impulerit, puta decipiendo, debeat errorem auferre: qui verò vi, vel metu, debeat alium ponere in ſua plena libertate. Ratio eſt, quod fraus, & vis ſit contra juſtitiam: quæ proindè ablata, dicto modo debent reparari. Sic Hæreſiarcha debet revocare errores, &c. 2. Qui ſine vi, vel fraude, vel metu alterum induxit ad peccatum, nulli alteri tertio nocivum, non tenetur ad aliquam reſtitu-

ſtitutionem; neque etiam obligatur ad eumdem movendum ad pœnitentiam ex juſtitia, ſed bene ex charitate. Ratio eſt, quod ſola violatio juſtitiæ inferat obligationem reſtitutionis: ſed hîc ſupponitur nulla eſſe facta injuria, dum hîc abeſt vis, fraus, & metus. Deinde, talis inductus eſt verè ſciens, & volens, cui proinde nulla fit injuria. 2. Qui ſine vi, fraude, &c. ſuaſiſſet alteri, ut diſſiparet bona ſua, non tenetur ad reſtitutionem aliquam; eò quòd alter prodegiſſet bona, quorum erat Dominus, & alter nulli facit injuriam. Ergo & hîc, dum homo etiam eſt Dominus actuum ſuorum, & bonorum ſpiritualium, quæ ſuo labore acquirit; etſi à Deo, ut Authore bonorum omnium debeant inchoari. 3. Si quid ab alio iniquè abſtuli, & alter hoc mihi condonet, ad nihil tenebor: ergo & hîc: cum alter cenſeatur hoc mihi condonare eo ipſo, quo dum à peccato poteſt exire, liberè in eo manet. Ultimò juxta *Reg. juris in 6. capt. nullus*: Nemo tenetur de reſtitutione, niſi de conſilio fraudulento.

Dictum fuit in 2. concluſione, *nulli alteri tertio nocivum*; quia, ſi ſic alium quis impuliſſet ad homicidium v. g. abſolutè teneretur ad reſtitutionem, uti dictum eſt de Conſulente ſect. 2. Cap. ſeq.

Objicies contra primam concluſionem, quod ille, qui alium decipit invincibiliter in re fidei, non teneatur ad aliquam reſtitutionem; ergo nec ille, qui vi, vel fraude alium decepit. Probatur conſequentia, quia obligatio reſtitutionis oritur ex damno dato, quod utroque modo eſt æquale; ergo utroque caſu eadem eſt obligatio. Reſp. Quamdiu invincibiliter ignorat ſe docuiſſe errorem, non tenetur alius ad reſtitutionem, dum ratione ignorantiæ invincibilis excuſatur: quamprimùm tamen id noverit, ad illud tenetur; eò quòd jam inde incipiat alium lædere, & conſentire in illius damnum, manente actione lædendi moraliter eâdem, quæ ante ob ignorantiam non erat injurioſa, & jam ob ſcientiam fit injurioſa, adeòque tenetur damnum reſarcire. Argumenta contraria.

Objicies contra 2. concluſionem generaliter, quod qui alium læſit in bonis temporalibus, teneatur ad reſtitutionem: ergo & ille, qui alium læſit in bonis ſpiritualibus, quæ ſunt altioris ordinis, nec ſine gravi damno poſſunt auferri. Reſp. eâ quidem ratione rectè probari hunc gravius peccare, qui alterum lædit in bonis ſpiritualibus; non tamen inde probari, quod teneatur ad reſtitutionem; cum obligatio reſtitutionis non oriatur ex gravitate peccati, ſed majori injuriâ, & injuſtitiâ, quâ nocetur proximo.

Objicies 2. qui alteri propinavit venenum, ſtatim ac videt alium periclitari de vita, tenetur ex juſtitia adhibere remedium, quantum poſſit: ergo multò magis ille ex juſtitia tenetur adhibere remedium, qui alium induxit ad peccatum. Reſp. illum propinantem peccaſſe contra juſtitiam, etſi conſenſerit propinanti, eò quòd conſentire non poſſit, cum homo non ſit Dominus ſuæ vitæ. Alter verò inducitur ad peccatum ſine vi, vel fraude, adeoque ſua libera voluntate. Hoc eſt, quod ait D. Thomas q. 73. 1. 2. art. 8. ad 3. *Homicida eſt per ſe, & ſufficiens cauſa corporalis mortis: ſpiritualis autem mortis nullus poteſt eſſe alteri cauſa ſufficiens, quia nullus ſpiritualiter moritur, niſi propriâ voluntate peccando.*

Digitized by Google

Dices, etſi alter conſentiat, tamen equidem non poteſt conſentire, dum Deus ſit ſolus cauſa gratiæ. Reſp. etſi gratia à Deo ſit ut Authore gratiæ : tamen uſus gratiæ eſt quoque hominis conſentientis, & Deus eam ſic homini largitur, ut eam homo ſine injuſtitiâ abjicere poſſit, ſi velit.

Objicies 3. Prælatus inducens ſubditum ad peccatum, tenetur ad reſtitutionem : ergo & quivis alius. Reſp. aliqui docent, quod Prælatus ex officio teneatur procurare ſalutem ſubditorum, adeoque peccet eo caſu contra juſtitiam æquè, ac contra charitatem, & conſequenter ex juſtitia tenetur procurare emendationem ſubditi inducti ad peccatum. Volunt enim illi, intercedere contractum virtualem inter Prælatum, & ſubditum, quo Prælatus ſe obligat ad procurandam ſui ſubditi ſalutem : & ſubditus ſe obligat ad parendum Prælato juxta regulam. *Sylvius* tamen *q.* 33. *art.* 3. docet probabile eſſe, quod Prælatus non debeat ex juſtitia corripere ſubditum, prout Juſtitia complectitur partes ſuas ſubjectivas, puta commutativam, & diſtributivam : bene tamen prout complectitur fidelitatem, quæ eſt virtus juſtitiæ annexa, cum debeat Prælatus officium ſuum fideliter exequi. Hinc conſequenter reſpondet ille, quod ſi ſine vi, vel fraude, &c. ſubditum inducat ad peccatum, non videatur, quare ex juſtitia teneatur eum revocare ad ſtatum gratiæ. Ita ille ; qui tamen rectè addit, teneri Prælatum inquirere in vitam ſubditorum, prudenter tamen, *& cavendum*, ait, *ne vel nimis, vel temerè inquirens, præceps fiat in ſuſpicando, & odioſus. Ideo non inquirat per homines leves, & diſcolos, neque per eos, qui lucris inhiantes, vel propriis paſſionibus victi, magis quærunt invenire vitia, quæ reprehendant, quam virtutes, quas prædicent ; ſed per bonos, & prudentes.*

Quid reſtituere debeat, qui alium abduxit à ſtatu Religionis.

Quæres hîc etiam, ad quid teneatur, qui alium abduxit à ſtatu Religionis. Reſp. Aliqui, inter quos S. Antoninus, docuerunt, quod qui alium à Religione retrahit, debeat eum ex juſtitia reducere, vel alium ejus loco ſubſtituere, vel demum ipſe Religionem intrare, prouti feciſſe Raymundum Generalum Dominicanorum aliqui tradunt. Ratio illorum eſt, quod qui alteri diſſuadet, quo minus habeat id, ad quod habendum erat in proxima potentia, teneatur illi ad reſtitutionem, etſi illud alteri quoque non fuiſſet debitum. Rectius tamen docent illi, quod qui alium juſtâ de cauſâ à Religione retrahit, non peccet contra juſtitiam, nec contra charitatem, ſed faciat opus veræ charitatis : tales cauſæ ſunt, ſi quis videat quempiam Religioni ineptum : quod alibi non ſit regularis diſciplina ; ſi alibi invidia, & mundana politia vigeat : ſi parentes alicujus egeant, &c. Ubi è contra graviter condemnat alios, ſine reſpectu omnes ad Religionem inſtigantes *Wiggers tract.* 4. *c.* 3. *dub.* 4. *num.* 9. Ità *ex Maldero* ſcribens : *quod ſicut Deus permittit mala, ut inde eliciat bona : ita & Diabolum ſubindè excitare homines ad Religionem, ut inde eveniant mala, quæ aliquando probabiliter eventura ſperat, & conjicit : ut quando ex reſpectu humano obſervat eos, à ſe, vel ab aliis ad eam moveri. Quare opus eſt bonâ diſcuſſione, diſcretione, & probatione, utrum ſpiritus à Deo ſit. Et ſanè*

nè Parentes ſæpè gravius peccant, dum proles ſine diſcrimine, & examine protrudunt ad Monaſteria, ut ſe à ſumptibus liberent, & ut hæreditas inter pauciores dividatur. Sicut & illi magiſtri reprehendendi ſunt, qui inducunt, & quaſi pertrahunt indifferenter quoſlibet, quos apprehendunt Religioni futuros utiles, ſive propter ipſorum media temporalia, ſive propter dotes naturæ: non ſatis attenti, utrum in perſonâ eluceant ſigna, ex quibus prudenter poſſit judicari, quod à Deo ad hujuſmodi ſtatum ordinentur, ac vocentur; & hinc poſtmodum lacrymæ, & tot incommoda. Ita ille, & experientiâ veriſſimè. Aliud hâc in re exemplum dedit S. Norbertus, qui nobiliſſimum Franciæ Principem *Theobaldum*, omnia ſua Norberto offerentem, ut eum ſanctus vir in Religionem admitteret, noluit recipere; Conſiderans eum eſſe Patrem Orphanorum, ſponſum viduarum, pauperum Dapiferum, inſuper ſolamen laſſorum: cui proindè nuptias commendavit, ut habet fuſius ejus vita Cap. 33. rarum hoc ſæculo exemplum! hinc & providè Reg. Societatis Lugduni anno 1607. editæ c. 4. de admittendis, ita ſtatuunt, *cavebit tamen* (Provincialis) *ne cujuſquam admiſſio juſtam aliquam externorum offenſionem, aut Societatis nocumentum pariat, quod cum iis potiſſimum obſervandum erit, qui in ſcholis noſtris inſtituuntur. Attendat, ne nimii ſint noſtri in hominibus ad ſocietatem alliciendis, ſed per virtutes, & bonæ vitæ odorem omnes ad Chriſtum trahere ſtudiosè curent.*

2. Qui ſine vi, vel fraude, ſolâ perſuaſione alium à Religione retrahit, etiam ſine rationabili causâ, non tenetur aliquid reſtituere, vel retracto, vel Religioni. Ratio eſt, quod ubi non eſt injuria, non ſit etiam onus reſtitutionis, dum per hanc debeat injuria reſarciri: atque retrahens non peccat contra juſtitiam, nec facit retracto injuriam, dum ſciens, & volens eſt abductus: nec etiam injuriam facit Religioni, cum Religio non habeat jus in illum, etſi etiam voto ſimplici ſe illi devoviſſet, quamvis ſit in proxima poteſtate ad tale jus.

3. Qui vi, vel fraude volentem ingredi Religionem ab eâ retrahit, tenetur primò fraudem, & vim revocare. 2. Debet omnia illa impedimenta removere, quibus alter abductus eſt; dum per vim, & fraudem inductus, paſſus eſt injuriam, & conſequentur debet reſtitui in integro. 3. Tenetur ad compenſanda omnia damna ex eo Religioni obvenientia; eò quòd Religio jus habeat, ne quis vi, vel fraude arceatur ab ingreſſu, vel profeſſione, adeoque debet illud jus per vim, vel fraudem læſum, per reſtitutionem reſarcire. Deinde, etſi Religio non habeat jus acquiſitum; habet tamen tale jus dependens à liberâ voluntate volentis ingredi: ſi ergo vi, vel fraude illo jure privetur, debet in integrum reſtitui: cæterùm, quia ille poterat adhuc mutare ſuam voluntatem; ideo etiam non debet reſtituere damna omnia, vel utilitates, quas Religio habere potuiſſet, ſed tantum, quanti valebat ſpes eas obtinendi.

4. Qui profeſſum ſine vi, vel fraude à Religione abduxit, non tenetur aliquid reſtituere Religioni, nec ipſi abducto. Non Religioni, dum non te-

netur illi, ratione perſonæ retractæ, dum Religio non poſſidet Religioſum, ut ſervum, ſed ut filium : at ſi filio id ſuadeam, ut relinquat domum paternam, etſi etiam patri ſit utilis, non tenebor ad reſtitutionem filii. Patet hoc itidem ex eo, quod ſi ipſe Religioſus apoſtatetur, non debet ſeſe ex juſtitia reddere Religioni, neque etiam ex juſtitia ea debet reſtituere, quæ tempore apoſtaſiæ potuiſſet monaſterio acquiſiviſſe, etſi etiam haberet unde poſſet reſtituere, v. g. ſi haberet beneficium diſpenſatione Pontificia, aut aliâ viâ legitimâ.

5. Qui vi, vel fraude profeſſum abſtrahit à Religione, tenetur de omni damno dato Religioſo, & Religioni. Ratio eſt, quod qui alteri fecit injuriam, teneatur eam reſarcire : ubi autem fraus, & dolus, ibi injuria. Deinde, Religio jus habet, ut nemo poſſit eam ſpoliare Religioſo, ut re ſuâ, dum per profeſſionem Religioſus eſt aliquid Religionis. 2. Dum debet reſarcire omnia damna Religioſo, etiam eadem reſarcire debet Religioni, dum omnia jura Religioſi profeſſi ſunt & Religionis. 3. Qui Eccleſiam aliquam vi, vel fraude privat aliquâ utilitate illi acceſſurâ, tenetur omnium conſenſu ad arbitrium boni viri damnum illatum reſtituere; ergo & qui privat Religionem tali utilitate. Rectè tamen hîc notat *Sylvius*, quod damnum aliquod verè ex tali abductione Religioſi profeſſi ſit Religioni ſecutum : quia ſi Religioſus tantum ſolebat conſumere, quantum ſolebat addere utilitatis, ad nihil alter obligatur.

6. Qui volentem ingredi à Religione abſtrahit, non debet alium ejus loco ſubſtituere, aut ipſe ingredi. Ratio eſt, quod cum ſtatus Religionis ſit via ad perfectionem, jure divino, & de natura ſua debet eſſe voluntarius, & liberè ſuſcipi; hinc dictum eſt : *Si vis perfectus eſſe, vade, &c.* Et illud : *Maria optimam partem elegit.* Voluntas autem, & electio important libertatem. Hinc etiam Eccleſia, etſi aliquos ob aliqua crimina Monaſteriis includat : numquam tamen aliquos ad Religionem capeſcendam impulit. Imò hoc eſſet directè conrra SS. Canones, ſtatuentes, & requirentes in profeſſione ſummam libertatem : Vide Concilium Trident. *ſeſ.* 25. *Reg. c.* 18. Ubi anathemati ſubjicit omnes perſonas, cujuſcumque qualitatis fuerint, vel conditionis, qui quomodocumque coëgerint aliquam Virginem, aut Viduam, aut aliam Mulierem invitam, præterquam in caſibus in jure expreſſis, ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcumque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem. Conſiderent hoc Parentes omnes, & tutores puellarum.

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De coöperatoribus Damnorum, eorumque obligationibus.

SECTIO I.

Quot modis fiat talis coöperatio; ac primò de Præcipiente, ſeu juſſione.

NOn ſolùm, qui injuriam ipſi inferunt, ſed etiam alii quicumque, qui ad eamdem efficaciter cum cauſa principali concurrunt, tenentur ad reſtitutionem. Novem id potiſſimum fit modis; hoc verſu contentis:

Juſſio, conſilium, conſenſus, Palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sex primi directè, & poſitivè ad injuriam concurrunt; tres ultimi ſolùm privativè, & indirectè.

Quæritur hîc 1. an ſi alter equidem eſſet coöperatus ad inferendam injuriam, teneatur eo caſu conſulens, aut mandans? Reſp. Varii de eo caſu id negant, ſi ſine eorum conſilio, aut mandato injuria nihilominus fuiſſet illata; cum eo caſu non cenſerentur illi eſſe cauſa damni efficax, dum equidem damnum certò fuiſſet illatum. Verius tamen alii affirmant, & probant 1. Quod eo non obſtante, illi ſint verè cauſa damni ſecuti; quod etiam patet in naturalibus, dum duo ignes ſimul comburunt domum, quam unus potuiſſet comburere. 2. Ideo tenetur quis ad reſtitutionem, quia verè ad damnum concurrit, ſive alius illud intuliſſet, ſive non intuliſſet. Illa enim conditionalis, *ſi ego non feciſſem, alii feciſſent*, parum ſpectat ad mores; nec tollit, quò minus à me damnum ſit verè illatum, dummodo ego illud intulerim : idem habet locum in bonis. Si dem eleëmoſynam, quam alter equidem dediſſet; non ideo privor mercede eleëmoſynæ. Idem eſt, ſi hodie occidam hominem, qui cras equidem morietur. 3. Talem coöperantem condemnarent leges, quæ cum ſupponantur juſtæ, ligabunt in conſcientia. Denique, ſicuti neceſſe quidem eſt, ut veniant ſcandala; væ tamen eſt homini illi, per quem ſcandalum venit : ita, etſi damnum hîc neceſſariò eveniſſet; væ tamen eſt illi, per quem damnum infertur.

Hinc rectè notat Soto, quod hîc duo poſſint attendi : unum affirmativum, id eſt, quod efficacitur, & verè quis concurrat : aliud negativum, quod ſine ipſo equidem damnum fuiſſet illatum. Solùm autem in hac materia attendi oportet primum affirmativum, nullo modo autem attendi poteſt aliud negativum. Quare ulterius aliqui ponunt pro regula, quod quotieſcumque aliquis iniquâ ſuâ actione verè concurrit ad damnum, & efficit aliquid, quod per ſe ad eam actionem pertinet, ſit vera, & efficax cauſa damni, & teneatur ad reſtitutionem.

Dixi,

Digitized by Google

Dixi, *quod per ſe, &c.* quia, ſi id, quod præſtat, non pertineat ad illam actionem, non erit ejus causâ efficax. Sic famulus merè ſervans pecuniam uſurariam, aut eamdem merè portans, nihil cenſetur concurrere ed contractum uſurarium, uti alii componendo litteras uſurarias, uſurariè contrahentes, de quo poſtea.

Objiciunt aliqui contrà datam doctrinam, quod *L. vulgaris, ff. de furtis §. ut furti*, ſtatuatur, quod ſi plures deferant lignum, quod unus non poſſit ſolus ferre, omnes teneantur ad reſtitutionem: ergo à contrario, quando unus ſine alio id ferre poteſt, non tenetur ad reſtitutionem. Reſp. Cum *Sylvio*, legem hîc ſolum id dicere, quod erat certum; cum ſit planè certum, quod efficaciter concurrens debeat reſtituere.

Quomodo teneatur jubens, ſeu mandans.

Juſſio ergo, primò denotat illum eſſe obligatum ad reſtitutionem, tamquam cauſam damni illati veram, & efficacem, qui implicitè, vel explicitè mandat damni illationem, v.g. alium occidere. Implicitè mandat magnates, dicendo, *quis me vindicabit? quam gratam rem mihi quis præſtaret talem occidendo?* Taliter mandabat Henricus Angliæ Rex, dicendo ſæpè, ſe cum uno Sacerdote in Regno ſuo pacem obtinere non poſſe, ad quam vocem, alii occiderunt S. Thomam Cantuarienſem.

Quæres, quid ſi mandatarius jam eſſet ad inferendum damnum paratiſſimus? Reſp. Si mandatum illud mandatarium nihil moveat, nec confirmet, ut animoſius, aut celerius damnum inferat, mandans erit liber. Ratio eſt, quia hoc caſu mandans non concurrit efficaciter ad alterius damnum, ſed ſola alterius prava voluntas. Sic nec Chriſtus mandavit formaliter ſui traditionem, dum dixit Judæ: *Quod facis, fac citius.* Ex quo notandum eſt, S. Thomam dicentem generaliter teneri ad reſtitutionem jubentem, ſeu mandantem; intelligendum eſſe, quod ex genere ſuo ſoleat jubens eſſe cauſa efficax damni mandati: non verò de eo, quod ſubindè per accidens poteſt fieri, dum juſſio alium nihil prorſus movet.

Liber interim erit etiam mandans, ſi mandatum efficaciter revocaverit, ſive explicitè ſive implicitè. Implicitè ſit, quando aliquis v.g. mandavit occidere inimicum, & videt mandatarius poſtea mandantem familiariter cum altero converſari. Ad hanc efficacem revocationem requiritur id generaliter, ut ita mandatum mandans revocet, ut mandatarius de cætero non cenſeatur amplius eo mandato ad iniquam actionem moveri, ſed merè ſuâ malâ voluntate. Requiritur ergo, ut omnibus mandatariis, ſive immediatis, ſive mediatis revocatio facta innoteſcat, ac tantopere revocetur, ut moraliter loquendo mandatum cenſeatur nullam efficaciam poſſe obtinere ad movendum. Quod ſi eo non obſtante, aliorum prava voluntas perſeveret, jam nulla culpa manebit mandanti, ſed ſoli mandatario. Utrum autem mandatarium in malo propoſito permanentem admonere debeat poſtea ipſe mandans, controvertunt Authores. Quod ad illud teneatur ex charitate, paſſim conveniunt, dum ex charitate tenetur quilibet avertere à ſuo proximo damnum impendens, dum ſine ſuo incommodo illud avertere poteſt.

Tota

Digitized by Google

Tota quæſtio eſt, an etiam ad hoc teneatur mandans ex juſtitia. Negant alii, eò quòd totum mandatum, quoad vim, & efficaciam movendi ſit revocatum. Alii tamen volunt, eumdem ex juſtitia ad hoc obligatum, etſi non in ratione mandantis; tamen obligetur in ratione non obſtantis. Pro quo volunt obſervandum eſſe, quod qui ex iniqua ſua actione creavit alteri periculum, teneatur & ipſum periculum & ipſam cauſam periculi quantum fieri poteſt, amovere; & ſi ex cauſa illa jam ſubmota tale periculum etiamnum perſeveret, malum eveniens illi imputetur, ſi non obſiſtat periculo mali ex ſua data cauſa creato: adeoque teneatur velut non obſtans, de quo infrà. Et hæc ſententia eſt juri, & æquitati ſatis conformis.

Quod ſi retractet mandatum ſuum per dolorem de eodem, ante executionem mandati, cenſetur quidem illud revocaſſe coram Deo, ſed non quoad mandatarium, & in ordine ad impediendam injuriam non quoad mandatarium, & in ordine ad impediendam injuriam, reſpectu cujus eo titulo non cenſetur eſſe efficaciter retractatum,

Tenetur inſuper mandans promiſcuè de caſu fortuito, ſi caſum illum ex ſuo mandato prævidere poterat, & debebat eſſe ſecuturum, ſi v. g. quis alicui alterum mandaret egregiè verberari, & ille occidatur. Hoc autem prudenti judicio eſt determinandum, an id ex mandato eſſet moraliter prævidendum. Aliud eſt, ſi mandatarius mandati limites excedat, quo caſu tenetur mandans in tantum, in quantum per ſuum mandatum efficaciter concurrit ad injuriam mandatam, cætera imputanda ſunt mandatario excedenti limites mandati.

Cum verò dicatur, Reſp. 10. reg. jur. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium æquiparari*, Et Bonifacius VIII. dicat Capt. *ſi quis de ſent. excommunic.* quod cum quis abſque tuo mandato manus injicit in Clericum, & tamen tu illud ratum habeas, excommunicatus ſis ipſo facto: exindè tamen non ſequitur, per ſolam ratihabitionem damni alterius, ratihabentem eſſe cauſam efficacem damni, aut teneri propter ratihabitionem ad reſtitutionem; cum dicta regula juris habeat quidem locum quoad contractus, & pœnas in foro externo: ut puta, quod contractus tuo nomine initi, ratihabitione tuâ cenſeantur eſſe initi te mandante: quod ſi maleficium ratum habet, in foro externo ita puniri ſoleat, ac ſi mandaſſet: in ratione tamen reſtitutionis non habet locum, cum ille ſolum reſtitutioni ſit obnoxius, qui cauſam damni verè poſuit; non verò ille, qui in illud conſentit; aliàs & illud nudè approbans ad reſtitutionem foret obligandus. Videri poteſt ad dictam Regulam *Peckius, de reg. juris*, ubi ultimò etiam addit, quibuſnam caſibus locum non habeat ratihabitio.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Conſulente.

Quomodo ad reſtitutionem teneatur conſulens

SEcundo loco coöperandi ad injuriam alterius ponitur conſulens, qui ſuo conſilio dat cauſam injuriæ, non ſecus ac mandans. Verè Alexander III. Capt. *Sicut dignum, de homicidio volunt, qui ſuis iniquis ſuggeſtionibus præbuit conſilium Regi, ut occiderent S. Epiſcopum Cantuarienſem; ita ſeverâ pœnâ eſt puniendus, ſicut & ille, qui occidit.* Et Ariſtot. *lib.2.c.3.Phyſic.* Conſiliarium vocat, *cauſam efficientem rei* per conſilium factæ. Unde etiam Conſiliarii in jure puniuntur, ut malefactores ipſi. Nec hîc quidquam refert, quod *Reg. 62.reg.juris in 9.* iterum dicatur: *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Ad hoc enim alii reſpondent, id ſolùm ſtatui pro foro externo; neque intelligi, hîc debere intercedere fraudem formalem ſed malum conſilium ex lata culpa. Alii verò cum Salonio dicunt, omne conſilium eſſe fraudulentum, eo ipſo, quo alteri eſt nocivum. Ex dictis infert dicitur Author, quomodo ſibi cavere debeant quivis in quovis negotio Conſiliarii, ſuo malo conſilio dantes cauſam injuriis, ac injuſtitiis, puta, ſententiis falſis, innocentum oppreſſionibus, nocentum abſolutionibus, &c. hi enim tenentur ad reſtitutionem damnorum, ex ſuo malo conſilio ſecutorum, juxta Capt. *Si tuâ culpâ damnum datum eſt, jure ſuper his te ſatisfacere oportet, neque ignorantia te excuſat., quia jure ſcire debuiſti.* Vide, quæ dicta ſunt de obligatione reſtituendi ex officio, C. 3. ſect. 5.

Unde cognoſci poſſit conſulentem dediſſe cauſam injuriæ.

Quæres 1. Unde dignoſces, Conſiliarium dediſſe cauſam efficacem injuriæ ſecutæ: idem ſimul quære de adulatore, ſeu palpone. Reſp. Ex teſtimonio illius, cui conſilium eſt datum, dicentis ſe alterius conſilio damnum intuliſſe. 2. Ex circumſtantia temporis; puta, ſi ſtatim à Conſilio dato damnum ſit illatum: ſi enim longo tempore poſt datum conſilium damnum ſit illatum, præſumendum eſt, voluntatem alterius ex alterius conſilio non fuiſſe motam, ſed ex propria ſua malitia motam eſſe ad damnum inferendum. Si verò dubium ſit, ſitne alter verè inſtigatus malo conſilio, aut adulatione, ſtandum eſt pro conſulentis, aut adulantis innocentiâ, juxta ante dicta de dubio mandati.

Dicta etiam habent locum, etſi alterius voluntas ad malum inferendum jam ſit parata, ſi ſuo malo conſilio, aut adulatione voluntatem illius ad malum inferendum magis inflammet; quo caſu verè aliquid confert, quod per ſe ſpectat ad iniquam actionem, & conſequenter cenſetur damnum ex ea iniqua actione datum, ab alterius conſilio, aut adulatione profectum. Idem eſt de eo, qui alium ad malum inferendum jam paratum adjuvat; quo caſu, etſi ab uno, & eodem damnum fuiſſet illatum, tamen verè ab utroque procedit, & uterque concurrendo ad damnum obligabitur ad reſtitutionem.

Ex dictis aliqui reſolvunt hos caſus: Si quis determinatus ad inferendum Petro

tro aliquod malum, & alter conſulat illud inferre Paulo, teneri conſulentem de damno ſecuto. 2. Si quis volenti auferre aliquid majus, conſulat, ut auferat minus, non teneri conſulentem de damno; eò quòd ſolummodo hoc agat, ut à majori damno abſtineat, & cenſetur potius conſulens utiliter gerere negotium alterius. 3. Quod ſi quis volenti furari hodie, conſulat, ut furetur cras, non teneri conſulentem tamquam coöperatorem, dum non influit in ſubſtantiam actûs, ſed solùm in dilationem, quæ de ſe non eſt injurioſa. 4. Si quis volenti furari rem aliquam, conſulat, ut inſuper furetur aliam rem, teneri ad reſtitutionem rei alterius, quam conſuluit auferri, cum reſpectu illius ſolummodo coöperetur.

Quæres 2. an ſi conſulens conſilium ſuum ante factum revocet, teneatur de damno ſecuto. Reſp. Si conſuluerit ſolum rogando, vel promittendo, & poſtea revocet conſilium, declarando ſe malè conſuluiſſe, promiſſionem reſcindere, &c. non tenebitur: quod enim alius eo caſu facit, non fit vi conſilii ante dati, ſed ex alterius malâ voluntate. Si autem conſuluerit proponendo rationes, & motiva, quomodo, & quare hoc utiliter fieri poſſit, etſi conſilium datum retractet, equidem manet obligatus; eò quòd, etſi conſilium ſit quidem revocatum quoad verba, non tamen revocatum eſt, quoad pondus rationum ante ſuggeſtarum, quæ manent in mente alterius fixæ, & effectum producunt. An conſulens teneatur ſi conſilium revocet.

Nec refert, quod mandato efficaciter revocato ceſſet concurſus mandati; cum mandans ſolummodo concurrat, per intimationem ſuæ voluntatis, adeoque non cenſetur amplius operari, & concurrere, quando contrariam voluntatem indicat, quod fit revocatione. Conſulens autem inſuper concurrit per motiva, & rationes, alterius menti impreſſas, quæ cum ſæpè in alterius mente perſeverent, etſi conſulens conſilium revocet, cenſetur tamen ratione motivorum perſeverantium etiamnum operari vi conſilii ante dati. Hinc, ſi conſulens non tantum conſilium revocet, ſed etiam rationes, & motiva antea data diſſolverit, & tamquam inſufficientia rejecerit: ſi alter equidem perſiſtat in ſuâ malâ voluntate, cenſetur damnum conſequens, magis ſequi ex malâ alterius voluntate, quam de alterius conſilio, & conſequenter hoc caſu non teneri conſultorem.

Quæres 3. an qui ex officio dat bonâ fide conſilium malum, & noxium alteri, ſive alicui tertio, teneatur de damno. Reſp. Si ratione officii, aut profeſſionis, vel quia aliàs ſe pro pretio ad dandum conſilium exponit, tenebitur omninò, ſi ignorantiâ, aut latâ culpâ id fiat, juxtà capt. *ſi tuâ culpâ, &c.* tenetur enim ille ex ſuo officio illa ſcire, & alterius damnum ex ſuâ ignorantiâ conſequens evitare. Sufficiet tamen dare conſilium juxtà ſententiam verè fundatam, niſi agatur de materiâ litis, quo caſu debet judicare, quid ſit veroſimilius, cum juxtà illud debeat Judex judicare: aliàs exponit clientem ſuum, expenſarum damno: idem dic, ſi ſolum dicat ſuam opinionem, nihil conſulendo, vel etiam indicando ſeſe dubitare: quo caſu, ſi alter decipiatur, & ſentiat damnum aliquod, debet id ſibi imputare, & ſuæ temeritati, vel malæ fortunæ, Quid de illo, qui bonâ fide dat malum conſilium.

non verò alterius conſilio. Colligant ex illis, quam providi, & circumſpecti eſſe debeant in dandis Conſiliis, Medici, Advocati, Confeſſarii, & alii.

SECTIO III.

Conſenſus, *Palpo*, *recurſus*, *participans*.

Quomodo teneatur conſentiens.

PEr *conſenſum* intelligitur ille, qui conſentiendo efficaciter concurrit ad injuſtam alterius actionem. Pro quo nota, quod conſenſus poſſit abſolvi in ſolâ approbatione alterius facti, ſic ut nullo modo ſit cauſa, quare illud animoſius, vel abſolutè fiat. Quo caſu, etſi peccet conſentiens juxta doctrinam Apoſtoli Rom. 1. non tamen conſentiens tenetur de domno ſecuto, reſpectu cujus hoc caſu non cenſetur eſſe cauſa efficax, ſed ſolum illius approbator. Alio modo, conſenſus ille poteſt eſſe ſimul efficax cauſa alterius damni, dum non ſolum illud approbat, ſed illâ ipsâ approbatione alter verè movetur ad inferendum damnum; ita ut ſine ejus conſenſu damnum non fieret, v. g. dum quis ſubſcribit injuſtæ ſententiæ, iniquæ electioni, &c. exemplo dictam annotationem explicat Navarrus Manualis cap. 17. num. 21. *Quod, quando in Capitulo, Conſiſtorio, aut Univerſitate, ubi majori parti ſtatur, & publicè ſuffragia feruntur, pauciores que majoris partis ſententiam ſequuntur, quamvis peccet conſentiens in delictum ſecundum Innoc. in C.* SICUT DIGNUM, DE HOMICID. *non tenetur tamen de reſtitutione damni, quod illam malam ſententiam conſequitur, quandoquidem illius cauſa non fuit, cum etſi ipſe contradixiſſet, id conſequeretur, ut rectè Cajetanus dixit: præſertim, quando qui ſuffragatur, nequit data ſuffragia revocare, & credit ob ſuum ſuffragium, majorem partem non mutaturam, quod ſuffragiis concluſit. Nam ſi crederet ob ſuam contradictionem alios ſententiam ſuam mutaturos, nec contradiceret, cum id facere deberet, diceretur conſentire, ejuſque conſenſus cauſa illius partialis diceretur, & ita teneretur, cum ex ſuo officio ad id obligaretur.* Ita ille.

Quomodo teneatur palpo.

Palponis nomine intelligitur omnis ille, qui laudando, adulando, irridendo, alium ad inferendum damnum inſtigat. v. g. qui offenſum irrident, ignominiam improperant, ejus generoſitatem, & nobilitatem extollunt; quo facto, aut dicto ille ad ulciſcendum movetur: qui marito exprobrat adulterium uxoris, quo alter ad occiſionem adulteræ, vel adulteri inſtigatur.

Quid ſignificat recurſus.

Recurſus ſignificat furtorum, ac prædarum receptatores; id eſt, qui fures, ut tales, recipiunt, fovent, illos in ſuam ſecuritatem intertinent, eorumve furta, inſtrumenta furandi, qui fures in judicio defendunt, ne reſtituant; quo fit, ut furta poſtea liberius faciant. De quibus S. Auguſtinus Epiſt. 54. ad Maced. ita ſcribit: *Illud verò fidentiſſimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne malè ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem, quantum honeſtè poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis, & criminis.* His adde Caupones, & ſimiles juventutis perverſores, qui pecuniam, aut res parentum à filiis furtim ablatas recipiunt, aut occultant: item Magnates, qui famulos eorum protectioni ac potentiæ fidentes non cohibent.

Dictum

Dictum eſt, *qui fures, ut tales, &c.* quia hîc comprehendi non cenſentur illi qui fures hoſpitio recipiunt, ut alios hoſpites, qui amicitiæ cauſâ, aut conſanguinitatis titulo eos recipiunt, cum illi non recipiant eos, *ut fures*, ſed ſolumodo materialiter eos recipiant ut cæteros, ſine aliquâ coöperatione morali ad furtum. Cæterum, providè ſtatuta inhibent hoſpitibus recipere perſonas criminum ſuſpectas, & eaſdem jubent receptas juſtitiæ indicare, de quo agit *Cod. Belg. V. Herbergen num.* 17. & 22. verè enim illud Belgarum: *en vont men geen aenhouders, men vont geen dieven.* Id eſt. Deſint receptatores, deërunt & raptores. Quomodo teneatur particeps injuriæ.

Participans ſignificat illum, qui vel partem habet in re acceptâ, vel in iniquâ actione, quomodo omnis coöperator generaliter poſſit dici participare; hîc tamen cenſetur propriè, & diſtinctim ille eſſe participans, qui vel habet partem prædæ, eam cum fure conſumendo, dividendo, &c. vel qui immediatè cum fure v. g. concurrit ad furandum, v. g. aperiendo feneſtras, ſuſtinendo ſchalas, tenendo excubias, latronem comitando, ut eum fortè defendat, fabri ferrarii, qui falſas claves efficiunt, &c. excuſat hîc metus mortis, aut gravioris damni, qualiter ſolent excuſari hîc Ruſtici, qui à militibus angariati, prædas coguntur vehere, eò quòd Dominus rei non poſſit quoad illos eſſe rationabiliter invitus. Imo *Leſſius* eos excuſat, ſi dicto metu foras effringant, pecora ex aliorum ſtabulis abigant; in quibus caſibus rectius non videt *Sylvius* eos excuſandos; cum ut cauſa principalis, & proximè damnum inferant, & illæ actiones, ut hîc, & nunc fiunt, ſint coöperationes ad damnum: vehere autem militum prædam, eſt actio de ſe indifferens.

SECTIO VI.

Mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Mutus ſignificat non loquentem, aut tacentem ad alterius damnnm; *non obſtans*, eum, qui alterius iniquæ actioni non reſiſtit; *non manifeſtans*, qui cum damnum impedire poteſt manifeſtando, illud non manifeſtat. Varii generaliter de illis volunt, quod ſint cauſa damni ſecuti, qui illud præcavere potuerunt loquendo, obſtando, aut manifeſtando, nec tamen manifeſtârunt, aut obſtiterunt; eò quòd de iis verè dici poſſet, illos eſſe in cauſâ, quare illud damnum evenerit. Alii tamen verius id negant, & dicunt, tunc ſolum ejuſmodi eſſe cauſam damni, & ut tales teneri ad reſtitutionem, quando ex juſtitiâ, vel officio tenebantur illud impedire. Quomodo teneantur ii, qui privativè concurrunt.

Pro quo notandum eſt, quod quando quis accipit admini ſtrandum aliquod officium, virtualiter intercedat contractus aliquis, quod faciet ea, quæ ad debitam executionem officii ſunt neceſſaria; pro quo viciſſim alii ſpondent mercedem pretii, vel honoris: adeo ut, ſi officio ſuo deſit, cenſeatur violare contractum, & conſequenter peccare contra juſtitiam. Hoc poſito, probat S. Thomas hîc ad 3. non ſemper illum, qui non manifeſtat latronem v. g.

Digitized by Google

teneri ad reſtitutionem, aut qui non obſtat, aut non loquitur: ſed illum tantummodo, cui ex officio incumbit eum manifeſtare, aut obſiſtere: ſicut Principes terræ, qui tenentur cuſtodire juſtitiam in terrâ, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur; quia, ait, reditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, ut juſtitiam conſervent in terra. Ratio hujus fundamentalis eſt illa, quod ad cauſam indirectam requiratur 1. ut damnum impedire quis poſſit: 2. ut illud impedire teneatur. 3. quod illud non impediat. Atqui ille non debet illud impedire, etſi poſſit, ergo. Non debet, inquam, ex juſtitia, etſi debeat ex charitate, cujus violatio non inducit obligationem reſtituendi.

Objiciunt hîc, quod Innocentius 3. Capt. *quantæ*, *de ſent. excommun.* eos delinquentibus favere interpretetur, qui cum poſſunt, manifeſto facinori deſinunt obviare. Et Alex. III. Capt. *Sicut dignum*, *de homicidio volunt*: dicit: *qui potuit hominem liberare à morte, & non liberat, occidit: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Reſp. aliqui ea jura loqui de perſonis publicis, quibus ex officio incumbit ea impedire. Alii, quibus hæc reſponſio non arridet, eò quòd, dum lex non diſtinguit, ab aliis non ſit diſtinguendum; Reſpondent, quod illi meritò excommunicentur, quod graviter peccent contra charitatem, & qui ideo non tenentur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etſi in foro externo ſæpè tenerentur, ob præſumptam coöperationem: unde ait Pontifex; *non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, &c.* Hinc etiam ejusmodi ibidem vocantur *homicidæ, fautores homicidii, &c.* Sicuti dicitur homicida, qui non ſuccurrendo ſinit egentem mori, juxta illud S. Ambroſii: *Si non paviſti, occidiſti.* Ita etiam vocantur fautores homicidii, eò quòd præſumi meritò poſſint homicidio faviſſe. Neque hîc ulterius objici poteſt, quod qui loquendo damnum impedire poſſunt, nec impediunt, ſaltem damno conſentire videantur, & conſequenter teneantur ob conſenſum: quia hoc caſu conſentire hîc ſolum ſignificat approbare, non verò efficaciter conſentiendo coöperari: vide dicta de conſenſu. Hinc ad ſummum effectus ſecutus poſſet illis dici voluntarius contrà charitatem, non itidem contrà juſtitiam.

Quæres 1. an ille qui aliquid à latrone recipit, ne loquatur, aut obſtet manifeſtando, teneatur ad reſtitutionem. Reſp. Si poſt furtum aliquid accipiat, ne prodat, non tenetur; cum nudè ſit mutus, non coöperans. At ſi ante furtum aliquid recipiat, ne loquendo obſtet, aliàs fure non auſo furari, juxtà plurimos tenetur; eò quòd tali modo concurrere cenſeatur, & furto coöperari non obſtando, & efficaciter conſentiendo.

Quæres 2. an ille, qui hîc obſtare tenetur, teneatur etiam cum periculo vitæ. Reſp. Si ex illâ non reſiſtentiâ, timeretur graviſſimum Reipublicæ damnum, tenetur etiam cum vitæ periculo obſtare, aliàs non tenetur. Ratio hujus prioris eſt, quòd bonum commune etiam cum periculo vitæ ſit conſervandum. Ratio poſterioris eſt, quod nemo teneatur vitam ſuam exponere,

nisi

niſi pro bono Reipublicæ, aut bono ſpirituali fratris, dum ille eſt in extremâ neceſſitate ſpirituali, à quâ ſine alio nequit liberari. Talia aut tanta non ſunt plerumque ea mala, quibus obſtare teneantur Officiales ex officio. Sæpè interim cum ſuo damno temporali obſtare tenentur; maximè, dum tanta ſtipendia recipiunt pro officio, quæ damna, aut periculo damni longè ſuperant. Ex dictis collige, quod teneantur de damnis ex non obſtando ſecutis, tutores quoad damna pupillorum: Gubernatores, quoad damna ſubditorum: Patres familias quoad damna filiorum: Duces belli, quoad damna militum, &c. Item teneri famulos, quibus aliquarum rerum cura commiſſa eſt, nec obſtant aliis res illas corrumpentibus, &c.

Quæres 3. quomodo hîc teneantur ad reſtitutionem Cuſtodes ſylvarum non obſtando. *Reſp.* 1. ſi foret lex aliqua, prohibens ex communi ſylvâ aliqua exportari, quæ tamen exportari poſſent, ad nil tenerentur; cum ejuſmodi lex eſſet injuſta, ac tyrannica; & conſequenter lex non eſſet. Etſi ergo hîc juraſſent obſtare direptoribus ſylvarum; tamen hoc caſu obſtare non poſſent, dum juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, & in malè promiſſis ſit fides reſcindenda. 2. Si ex gravi neceſſitate ligna colligant ex communi ſylvâ, etiam non tenentur Cuſtodes non obſtantes. Ratio eſt quod charitas id exigat, cui nulla promiſſio, aut juramentum poteſt præjudicare. Imo Cuſtodes illud permittentes hominibus miſeris, cenſentur potius miſericorditer proceſſiſſe, neque Dominus quoad hoc poteſt eſſe rationabiliter invitus. 3. Si prohibitio ſit licita, peccant Cuſtodes non obſtantes; eòquòd violent fidelitatem, quam hîc tenentur ſervare ex juſtitiâ. Deinde, in licitis rebus, tenentur obſervare juramentum datum. 4. Dum cædentes ligna tenentur ex violatâ juſtitiâ reſtituere, in eorum defectu tenentur Cuſtodes: cum enim accipiant ſua ſtipendia, ut res illis commiſſas cuſtodiant; contra juſtitiam agunt, eas non cuſtodiendo, dum poſſunt, & conſequenter tenentur reſtituere. Imo, & ſi illi cædentes non peccent, poterit tamen fieri, quod Cuſtodes equidem teneantur ad reſtitutionem: v. g. ſi plures aliquot ligna juxtà licitum uſum aſportaſſent, ex quo fieret, quod ſylva deteriorata minoris venderetur, aut elocaretur, quæ pluris fuiſſet vendita, aut elocata, ſi Cuſtodes debitè invigilaſſent; tenebitur Cuſtos ſylvæ de damno. Ratio eſt, quod ad hoc teneatur ex officio, adeoque ex juſtitiâ illud impedire, dum poteſt; & conſequenter non impediendo tenebitur reſtituere. Ex quo etiam patet, poſſe ſubindè contingere, quod cauſa principalis, quæ hîc eſt cædens ligna, non teneatur reſtituere; & tamen ad illud teneatur cauſa ſecundaria, puta Cuſtodes: cujus ratio eſt illa, quod cauſa principalis non peccet contra juſtitiam, cauſa verò ſecundaria contra juſtitiam delinquat, dum ex officio ad illud obligatur.

Quomodo teneantur Cuſtodes ſylvarum non obſtantes.

Varia interim quoad lignorum collectores è ſylvis extant Edicta in Codice Belg. V. *Boſchen*, & V. *Zonie-boſch.* Ac 1. ne aliqui ex dictâ ſylvâ, niſi Brabanti ligna colligant, quantum humeris, aut capiti impoſita poſſint ſuſtinere: vehiculis autem id poſſint à 1. Novembris uſque ad 1. Februarii, Inhibetur

quo

Quid hîc statuat lex Belgii. quoque graviter ligna viridia exportari, aut arbores malis artibus occidere, ſeu areſacere: quibus id attentantibus primâ vice amputatur auris, ſecunda datur collo laqueus. Neque id permittitur, niſi egenis: unde Braçcatores, Piſtores, &c. Sylvis communibus contigui excluduntur Edict. 6. Novemb. 1634. Aliæ alibi ſunt pœnæ in furtivas lignorum cæſiones; & quidem *Groenwegen ff. l. 97. tit. 7.* vidit Hagæ Comitis ruſticum quemdam ob hoc crimen alligatâ ad collum unâ ex arboribus furtim cæſis publicè virgis cædi ex judicio Scabinorum. Similis lignorum cæſor fuit nuper Bruxellis expoſitus ludibrio.

Quæres 4. an prædicti Cuſtodes, aut collectores vectigalium defraudantibus non obſtantes, teneantur ad mulctam pecuniariam defraudatoribus conſtitutam. Reſp. Quod non; ratio eſt, quod illi eos prodere non debeant, ut Reſpublica ditetur mulctis; ſed ut avertatur damnum commune, & vectigalia ſolvantur. Quare eorum officium eſt procurare ſolutinem vectigalium, aut ut damnum avertatur, non verò ſolutionem mulctarum: ubi ſi delinquant, tenebuntur ad reſtitutionem vectigalium, aut damni illati reparationem, non verò ad ſolvendas mulctas. Et hoc ſentit Sylvius probabilius. Alii tamen docent, quod cum mulctæ illæ impoſitæ ſint, partim ut compenſentur aliorum defraudationes occultæ, partim ut conſulatur bono communi: non videatur, quare dicti Præſides vectigalium minus obligentur ad procurandas mulctas, quam ad procurandâ vectigalia, ſi hîc delinquant, maximè, cum mulctæ ſuccedant loco vectigalium, & debeant mulctæ procurari, ne damnum ſentiat bonum commune. Et hoc fortè verius, & æquius, etſi rigidius.

Gravius peccant Cuſtodes ſylvarum, qui ab aliis pecunias recipiunt, ne ab illis in furando moleſtentur. Si enim res illa apud furem non amplius extet, tenebitur ipſe Cuſtos, ut cauſa principalis, cum ſit quaſi defenſor furis, ſub cujus tutelâ eſt fur. Aliàs, ſi res apud furem extet, tenetur fur ratione rei acceptæ.

SECTIO V.

An, & quomodo dicti coöperatores teneantur ad reſtitutionem.

Quo ordine debeant reſtituere coöperatores. SI plures eamdem rem furati ſint, ille primo loco debet totam rem reſtituere, apud quem ipſa res in ſe, vel in æquivalenti extat; ſic ut alii non niſi in ejus defectu teneantur. Ratio eſt, quod res ſemper clamet ſuum Dominum. Si rem conſumpſerit bonâ fide, non tenetur ad reſtitutionem, niſi in quantum de eâ re factus eſt ditior: ſi verò malâ fide id fecerit, tenetur quoque ante omnes alios reſtituere. Si verò damnum ortum ſit ex iniqua actione, v. g. incendio, tenetur primo loco præcipiens, deinde exequens mandatum. Mandans enim eſt hîc primaria cauſa damnificationis, & alii ejus mandato ad damnificandum impelluntur, ſuntque alii tamquam mandantis inſtrumenta.

Exe-

Digitized by Google

Exequens autem illum immediatè ſequitur, & immediatè in damnum phyſicè influit. Si verò hîc ſint ſimul plures mandantes, aut plures exequentes, tenentur ii æquè primò. Poſt exequentem tenentur omnes poſitivè concurrentes, v.g. conſulens, conſentiens, adulator, receptans; qui quia ſibi mutuò non ſubordinantur, tenentur æquè primò, dum æquè proximè cenſentur influere in damnum. Poſt hos tenentur negativè concurrentes, abſque ordine tamen inter illos.

Quæres 1. an ſi plures concurrerunt ad idem damnum, & unus eorum integrè ſolvat, reliqui cenſeantur liberi. *Reſp.* Alii generaliter hîc docent, quod ſint alii liberi, nec alteri quidquam debeant refundere, idque alius ſolvens ratione ſuæ iniquitatis mereatur in pœnam. Hoc tamen non eſt generaliter admittendum: unde rectius dicitur 1. quod, quando ſinguli habent partem prædæ, uno in integro reſtituente, teneantur reliqui illi ſuam partem refundere. Ratio eſt, quod quiſque teneatur ratione rei acceptæ, & quilibet fuerit in morâ: aliàs ex ſua mora alii reportarent commodum, dum alio reſtituente, ipſi non tenerentur. Deindè ille, qui integrè ſolvit, ſuccedit quoad alios in locum veri domini de jure, & conſequenter alii debent illi ſolvere, quod deberent ſolvere domino, puta ſuam quiſque partem.

2. Si ille, qui habet totam prædam, totum reſtituat, liberi ſunt reliqui. Non enim aliquid debent domino, cui integrè eſt ſatisfactum: non alteri, qui reſtituit, dum ille ſolùm id fecit, quod facere debuit, nec in ſuis bonis habet quid minus. Denique, ſi quid illi deberetur, reportaret ille commodum ex ſua iniquitate.

3. Si ille, qui fuit Dux criminis non acceperit prædam, ipſe tamen integrè reſtituat; ille, qui prædam habet, tenetur Duci in integrum refundere, cæteris abſolutè liberis. Ratio eſt, quod ut ante dictum eſt, ille, qui totum reſtituit, ſuccedat in locum veri domini, cui eſt ſatisfactum: & conſequenter ille, qui rem habet, tenetur alteri, qui totum reſtituit, totum reddere. Alii verò ſunt liberi, eo ipſo, quo nihil acceperint, nec in aliquo ſint facti ditiores.

4. Si Dux criminis damnum illatum reparaverit, liberi ſunt alii. Ratio eſt, quod Dux ille teneatur alios concurrentes ſervare indemnes, & maneat obnoxius damno, quod aliis ex ſua inſtigatione poſſet obtingere, dum ſuâ inductione talis damni ſit verà cauſa. Hinc inducens alios, contrahit quaſi duplicem obligationem; unam, cum aliis ſatisfaciendi verò domino: aliam ſatisfaciendi, & ſervandi à ſe inductos ab omni damno indemnes.

5. Si eo caſu unus ex inductis integrum ſolverit, alii minus principales tenentur illi ſolvere ſuam quiſque partem; Dux autem debet ſingulis reſtituere ſuam. Ratio prioris eſt, quod cum omnes ad damnum concurrerint, obligârunt ſe ad ſatisfaciendum integrè in defectu aliorum, ſaltem ſecundum ſuam quiſque partem: quo fit, ut uno ex minus principalibus integrè ſolvente, ſuccedat ille in locum veri domini, cui ſicut ſinguli debent dare ſuas partes, ita

&

& illi eaſdem dare oportet. Ratio poſterioris eſt, quod Dux ille, juxtà ante dicta debeat alios ſervare indemnes.

6. Si communi conſilio omnes damnum intulerint, ſi unus integrè reſtituat, tenentur alii refundere illi ſuas partes: ſicuti enim omnes ſunt ſocii damni, ita ſunt ſocii obligationis reſtituendi, adeo ut inter eos ſit quaſi contractus ſocietatis ad hoc, ad quod quilibet proindè pro ſuâ parte obligatur.

Quæres 2. an ſi ille, qui damnum paſſus eſt, remittat uni ex concurrentibus, liberi ſint cæteri. Reſp. Ante omnia hîc notandum eſt, aliud eſſe remittere actionem non repetendi debitum in judicio, aliud remittere ipſum debitum. Poteſt enim illa actio remitti, manente debito in foro conſcientiæ. Hinc dicunt, quod poſſit uni remitti talis actio, & non alteri, quod cuique manet liberum. 2. Si remittat debitum principaliori, ſive aliorum Duci, alii ſint liberi: ex eo, quod ut ante dictum eſt, eo reſtituente liberi ſint reliqui: ergo dum remittitur illi, remittitur & reliquis. 3. Si tamen remittat uni ex concurrentibus, non ideo liberi ſunt reliqui, neque etiam Dux liberabitur à reſtituendo. Ratio prioris eſt, quod illa remiſſio ſolummodo concernat partem illius, cui remittitur, manentibus aliorum obligationibus. Ratio alterius eſt, quod principalis ille, maneat ſemper obligatus, etſi alii reſtituant, quos debet ſervare indemnes. Cum ergo alii minus principales non reſtituerint, manet ipſe tamquam cauſa principalis obligatus vero Domino. Debet tamen tunc detrahi pars alteri remiſſa; eò quòd creditor non poſſit remittere alicui, cum præjudicio aliorum, qui ſinguli ſolum debent ſuas partes.

Quæres 3. quid ſi dubites, aut neſcias, an principalis reſtituerit, teneatur reſtituere ille, qui tenetur in defectum principalis. Idem eſt de eo, qui illud idem dubitat de ſuo ſocio. Reſp. In primis talis dubitans non debet apponere reſtituendo partem, ab alio ponendam; de quâ dubitat; ſed potius præſumendum eſt, alium ſuæ obligationi ſatisfeciſſe, dum quilibet præſumatur bonus, donec probetur malus: hinc talis debet magis hîc attendere ad id, quod ſibi reſtat agendum. Ante omnia tamen debet debitam adhibere diligentiam in inquirenda veritate: quâ factâ, & dubio perſeverante, ſatisfacit ſuæ conſcientiæ refundendo ſuam partem debitam; cum non teneatur ad aliam partem, niſi in defectu alterius; de quo non conſtat; & in pari dubio melior ſit conditio poſſidentis, neque in dubio de alterius malitiâ ſit præſumendum.

SECTIO VI.

De excuſantibus à reſtitutione faciendâ.

Excuſat impotentia.

VAria ſunt, quæ à reſtitutione ſtatim, aut abſolutè faciendâ excuſant; ac in primis tale quid eſt impotentia, ſive phyſica, ſive moralis; puta quando debitor, non niſi cum magno ſuo damno ſpirituali, vel temporali poſſet reſtituere. Ratio eſt, quod reſtitutio ſit actus juſtitiæ ad procurandam æqualitatem violatam: non eſſet autem æqualitas; ſi cum tanto diſpendio deberet fieri reſti-

reſtitutio. Deinde reſtitutio obligat, dum creditor eſt rationabiliter invitus; qualiter hìc eſſe nequit. Unde, qui non poſſet ſolvere niſi ſua prædia viliſſimo pretio deberet vendere, aut ſuam familiam in anguſtias redigere, poterit ſolutionem meritò differre.

Nec refert, quod ad evitandum proprium damnum non liceat aliena bona ſurripere, ubi tamen pro iiſdem habentur, aliena ſurripere, & aliena retinere: quia id intelligi debet de retentione injuſtâ; qualis hìc non eſt, dum adeſt talis cauſa. Debet tamen reſtitutio eo non obſtante etiam fieri, ſi creditor ſit in æquali periculo damni, dum in pari causâ melior eſt conditio innocentis.

Neque etiam privatio magni lucri, cauſa ſufficiens eſt ad differendam reſtitutionem; eò quòd hoc non ſit damnum pati ex reſtitutione; neque æquum ſit, quod creditor privetur ſuis bonis, ut debitor ex illis capiat emolumemtum. Aliud eſſet, ſi quoad hoc lucrum percipiendum, Dominus non ſit invitus, v. g. ſi hoc emolumentum faceret, ad aliis creditoribus ſatisfaciendum. Quæ ſit juſta cauſa differendi reſtitutionem.

Quando autem ex rationabili causâ differtur ſolutio, tenetur ad reſtitutionem equidem damni emergentis, & lucri ceſſantis, ſi ſit debitum ex delicto; non itidem ſi ſit debitum ex contractu. Ratio prioris eſt, quod is fuerit cauſa injuſta illius damni, quod alter patitur; & par non eſt, creditorem damnum pati ob dilectum debitoris. Ratio alterius eſt, quod tunc debitor ex contractu teneatur ad reſtitutionem damni emergentis, quando eſt in morâ, in quâ non eſt ille, qui ex rationabili causâ reſtitutionem differt.

Sed quid ſi reſtituendo debitor deberet cadere de ſuo ſtatu? Reſp. *Soto lib.* 4. *de jure, & juſt. q.* 7. *art.* 4. docet, quod ſi acceptio fuerit iniqua, v. g. per latrocinium, uſuras, aut alias injurias, qualecumque citrà extremam neceſſitatem patiatur detrimentum, tenebitur ſtatim reſtituere, etſi ſtatum ſuum deperdat. Hoc enim (ait) non eſt de ſuo ſtatu cadere, imo in ſuum ab illo deſcendere, qui non erat ſuus. Si autem per acceptionem juſtam debita contraxerit, tunc æſtimandum eſt, quâ viâ in pauperiem inciderit, nam ſi citrà ſuam culpam aliqua eum adverſa fortuna ſuis nudavit bonis, facilius illi indulgenda eſt reſtitutionis prorogatio. Ita Soto. Et conſentit Molina *Tom.* 3. *diſp.* 754. Lugo tamen *diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 10. dicit, quod illud ſpeculativè quidem poſſet ſuſtineri: ſed tamen in praxi eſſe nimium rigidum, nec illud poſſe debitoribus perſuaderi, maximè ſtante praxi contrariâ in foro interno. Addit ille, quod etſi jus externum contrarium ſtatuat, id tamen juſtè ſtatuat, ad declinandas lites, & innumeras debitorum fraudes, quæ poſſent præſumi; ac etiam ad deterrendos debitores, ne aliorum debitis lautè vivant: in foro tamen benigni Judicis habere oportet locum illud Evangelii, *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Et verò attendendo legem Charitatis, *quod tibi vis fieri, alteri facias*; ſuaderi oportet miſeros homines, quantum fieri poteſt, hìc excuſare; maximè, ſi creditor nullum, vel parvum inde habeat damnum. An excuſet diminutio ſtatûs.

Addit idem Author *num.* 14. quod ſi reſtitutio fieri non poſſit, ſine de-

trimento famæ, utendum ſit Confeſſario, ſed fideli; monens etiam Confeſſarium, vel quamcumque perſonam intermediam, ut à creditore chyrographum recipiat, quo confiteatur ſe recepiſſe id, quod erat reſtituendum, non exprimendo perſonam, à quâ debebat reſtitui. Addit Lugo experientiâ Confeſſarii edoctus, ut ſi debitori dederit chyrographum pecuniæ à ſe receptæ ad reſtituendum, addat etiam ibi, cui reſtitutio ſit facienda; alioqui ſi conſtet de receptione pecuniæ, & non de executione, vexari poterit ſaltem poſt mortem debitoris, prout ille Confeſſarius vexatus fuit, & juſſus pecuniam illam tamquam apud ſe depoſitam à defuncto, ejus hæredibus ſolvere.

Excuſat remiſſio debiti.

2. A reſtitutione excuſat remiſſio, ſive condonatio creditoris; remiſſio enim illa æquivalet ſolutioni, & volenti non fit injuria non ſolvendo. Debet autem dicta remiſſio eſſe voluntaria, non extorta. Deinde, quod non ſit à jure impedita, v. g. dum fit à pupillo, furioſo; item ex ſtatuto Trid. *ſeſ.* 24. *c.* 12. *Refor.* non poteſt Canonicus retinere diſtributiones correſpondentes tempori, quo officio divino non interfuit; etſi Canonicus ille obtineat illarum remiſſionem, dum talis remiſſio à jure irritatur. Defectu prioris invalida eſt remiſſio involuntaria, facta v. g. ab ebrio, ex metu gravi, per tam importunas preces, ut creditor malit re ſuâ privari, quam tantam moleſtiam precum amplius ſuſtinere. Item remiſſio extorta per fraudem, ſi v. g. alter ſe fingat pauperem, vel impotentem. Remiſſio enim debet eſſe donatio liberalis, & gratuita, adeoque ſummè libera.

Item bonorum ceſſio.

3. Ultimum miſerorum remedium, ait Soto lib. 4. in fine, quod leges *miſerabile*, ac *flebile* vocant, eſt bonis cedere. De quo ſciſcitantur, an tutâ conſcientiâ poſſit quiſquam bonis cedere, idque poſſit à Republicâ permitti. Et reſpondet, *quod, qui negotiationes ſubdolè, & vafrè, vel ingrediuntur, vel exercent, non eſſe permittendos. Sunt enim*, ait, *qui cum nihil in bonis habeant, creditò undique corradunt, unde fidem aliquam ſibi arrogent, & quod ipſi vocant* (CREDIT) *neque eâ fraude contenti, vivere lautè, atque indies lautius perſeverant. Quâ ratione æs alienum ingens conflant, quo poſtea preſſi in ſacrum aliquod ſe recipiunt. Hoc profectò peſtilentiſſimum eſt latrocinii genus, neque eſſent iſti à Republicâ ferendi, ſed ceu latrones plectendi. Qui autem bonâ fide negotiantur, ſed calamitoſè ſunt in pauperiem conjecti, optimâ conſcientiâ poſſunt legum beneficio uti, ne carceribus abſumantur. Ob hoc enim beneficium inſtituta eſt cæremonia cedendi bonis, ut habetur L.* 1. *Cod.* QUI BONIS CEDERE POSSINT : *ac ſubindè poſſunt licitè illa retinere, quæ ſibi leges permittunt, puta inſtrumenta ſua artis, quotidiana alimenta, menſtrua, atque annua. L.* QUI BONIS *ff. eodem tit. & eſt habenda ratio, ne egeant, ut ſanctè cavetur L.* IN CONDEMNATIONE *ff.* DE REG. *juris.* Hactenus Soto.

Pro quo ulterius Notandum, olim debitores non ſolvendo, creditoribus in ſervitutem temporariam fuiſſe addictos: poſtea carceri traditos, donec tandem ceſſionis beneficium advenerit, ad quod utendum; nulla primitus obſervanda erat ſolemnitas. At cum exindè nimiæ fraudis occaſio, in Gallia ſancitum

ſancitum fuit à Ludovico XII. ut nemo, niſi præſens, & in judicio, diſcinctus, ac nudâ cervice bonis cederet. Idem obſervari mandat Edictum 20. Octob. 1541. in Belgio, quo inſuper cavetur, ut qui litteras ad cedendum impetrarunt, eas in judicio infrà menſem offerant, unà cum juratâ Synopſi omnium bonorum, eaque relinquat creditoribus dimiſsâ poſſeſſione, ſibi tamen ad victum relicta neceſſaria ſupellectili. In Hiſpaniâ, qui cedit bonis, traditur creditoribus, quibus niſi ſatiſdato ſatisfecerit, furciferi habitu operis præſtandis debitum exſolvere cogitur. In quibuſdam Hollandiæ locis uſus habet, ut cedens bonis ad interulam nudatus, per aliquod tempus in lapide ſublimis ignominioſè ſublatus, & expoſitus publicè profiteatur ſe hoc beneficio uti. Alibi aliis ignominiis ſubduntur hujuſmodi. Vide Chryſtinæum *in notis Bugn. l.* 114. *cap.*

Neque illis, qui vivendo luxurioſè, & prodigè ſua bona diſſiparunt, competit hoc beneficium cedendi bonis, ſed ſolummodo per infortunia ad paupertatem dejectis: illos enim, ut fures caſtigari præcepit pius V. & ſimiles Edicto 7. Oct. 1531. & 4. Oct. 1530. æſtimantur fures publici, ut inimici boni communis, & laqueo ſunt plectendi. Nullâ quoque gaudent immunitate: ſunt infames: Presbiteri, ſi illis aſſiſtant, eorum bona occultando, puniuntur per apprehenſionem temporalium. *Zyp. juris Pont. de ſolutionibus lib.* 3. neque per hoc, quod falliti ignominiam ſuſtinuerint cedentibus poſitam, liberantur poſtea à ſolvendo, quidquid aliqui Juriſtæ in contrarium velint: nec enim illa ignominia irrogatur pro debito, cum præjudicio creditorum; ſed ſolummodo ob præſumptam culpam, aut nè alii facilè bonis cedant. Sic, qui ob debita conjicitur in carcerem, non fit liber à ſolvendo, dum carcerem egreditur.

Notandum ulterius, ceſſionem bonorum non prodeſſe fidejuſſoribus debitoris, quin ipſi nihilominus in ſolidum teneantur. In eum enim eventum maximè videtur ſibi creditor fidejuſſione caviſſe. *Inſtit. de replicat.* §. *ult.* Inſuper qui bonis ceſſit, ſi antequam ejus bona ſint divendita, pœniteat, ac dicat ſe creditoribus poſſe ſatisfacere, reſtituuntur ei bona, *L.* 2. *Cod. qui bonis cedere.* Hoc tamen locum non habet, quando debitor ea bona dedit creditoribus in ſolutum, ibid. L. 4.

Præterea obſervandum eſt, quod ſi cedens bonis cum creditoribus componat pro 30. aut 20. in 100. v. g. teneatur tamen, ubi poſtea ad pinguiorem fortunam venerit, creditoribus in integrum ſolvere; neque enim cenſentur creditores componendo, juri ſuo renuntiaſſe, quod habent quoad reliquam partem. Talem enim compoſitionem involuntariè fecêre creditores, nec eam facere voluiſſent, ſi aliter potuiſſent. Denique, quicumque bonis cedit, non poteſt retinere ea, quæ ad ſtatum intertinendum ſunt neceſſaria, & ſi poſtea ad meliorem fortunam venerit, tenetur in conſcientia creditoribus ſatisfacere: imo ad illud alibi juramento conſtringuntur; uti fit Mechliniæ *Conſuet. tit.* 21. *art.* 4. idem ſtatuit *L. is, qui bonis cedere* 2. *cod. tit.*

 hinc

hinc & meritò Facultas Theologica Lov. cenſuravit hanc : *qui ceſſit foro, poteſt ſibi retinere bona, quibus indiget ad ſuſtentationem familiæ, ne indecorè vivat, licet debita, quibus cedit, ſint ex injuſtitia, & notorio delicto contracta.* Quam cenſuram confirmavit Synodus Namurcenſis 1659. His adde, eorum contractus, ceſſiones actionum, earumque venditiones in Flandria poſt bonorum ceſſionem eſſe nullos. Ita *Ordinat. Fland. lib.* 3. *rub.* 1.

De litteris moratoriis in Belgio, & alibi.

Solent etiam in Belgio ad dilationem ſolutionis impetrandam, dari litteræ moratoriæ, vulgò, *brieven van reſpyt*, aliàs *papieren hernas*. Circà quarum impetrationem, & efficaciam varia ſunt ſtatuta. Solent in primis tantum concedi ad quinquennium; unde & *quinquennales* ſunt dictæ. Nec ſolent concedi, niſi per idoneos teſtes conſtet de damnis, & jacturis, quodque ea debitori obvenerint ſine ſuâ culpâ, aut noxâ. Deinde, debet Creditores omnes Debitor vocare ad Conſilium Provinciale, præſtitâ cautione intrà menſem: ità tamen, ut Creditoribus integrum erit impugnare cautionem de inſufficientia. In Gallia non datur cautio, *Bugn. leg. abrog. l.* 3. *ſect.* 106. Vide *Anſelmo* latè de hâc re agentem *Trib. Cap.* 59. Additque *num. ſeq.* quod, ſi Debitor obtentis litteris bona ſua occultet, amoveat, &c. in præjudicium Creditorum, eo caſu litteræ non proſint; cum litteræ habeant hanc tacitam conditionem; *niſi impetrans novam det cauſam*; neque privilegium ei prodeſſe poteſt, qui eo abutitur. Non habent itidem locum contrà hypothecam, aut actionem realem habentem. Tenent tamen etiam pro debitis ex delicto, dum generaliter dantur contrà omnes Creditores, & privilegia Principis oportet ampliari. Finitâ denique dilatione, aliæ litteræ dari non debent; aliàs illis iterum elapſis, dari poſſent aliæ, & aliæ, & planè extingui jus alienum.

Litteræ conformitatis.

His adjungi poſſent *littera conformitatis*, quibus conceditur, quod Creditor debeat conſentire, & ſe conformare compoſitionibus, & tranſactionibus factis inter Debitorem, & alios Creditores. Olim quidem non cogebatur ſe conformare, vel unus tantum Creditor diſſentiens, dum quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Modò tamen aliud ſtatuit Edictum S. Auguſti 1615. Quod in Curia Brabantiæ approbatum eſſe 29. Julii 1617. ſcribit *Anſelmo* ibi ſuprà *Cap.* 49. §. 2. Non tamen deberet ſe conformare, ſi compoſitio majoris partis contineret iniquitatem, vel minor pars etiam ſit ſanior in conſentiendo. Nec tamen, ſi major pars remittat debitum, præjudicabit ideo parti minori. Vide plura ibidem.

Excuſat compenſatio.

4. Excuſantur à reſtitutione per viam debitæ compenſationis; quænam autem ad debitam compenſationem ſint requiſita, videri poſſunt Sect. 5. Cap. 6.

Item compoſitio.

5. Excuſat à reſtituendo compoſitio facta cum Pontifice, & obtenta per Bullam compoſitionis. Circà eam tamen Notandum eſt, eam compoſitionem non fieri cum præjudicio tertii innocentis; unde, ſi poſteà Dominus compareat, debet reddi, quod eſt reſiduum, aut ex quo alius factus

fue-

fuerit ditior. Sic quoque, dum conſtat; cui in particulari, vel cui Communitati debita debeantur, invalida erit illa compoſitio, eò quòd Papa non ſit Dominus, neque Diſpenſator, ſed potius tutor, & defenſor bonorum fidelium; & quæ jure naturæ ſunt debita, jure poſitivo nequeant immutari. In pœnam tamen Hæreſis, Apoſtaſiæ, &c. aut ob jus repræſaliarum, aut compenſationis, poſſet Pontifex Creditores ſuo jure ſpoliare, & illud in pias cauſas, ſive ipſum etiam Debitorem transferre.

6. Excuſatur Debitor, ſi ſatisfecerit Creditori ſui Creditoris, cum ſic virtualiter ſolvat, quod debet.

7. Excuſat præſcriptio, de quâ antè egimus C. 2. Sect. 4.

8. Judicis authoritas, &c.

9. Quæſtio eſt de ingreſſu Religionis, an ille liberet à facienda reſtitutione. Et triplex hîc eſt ſententia. Prima eſt Gerſonis cum aliis, qui docent per ingreſſum non liberari Debitorem à ſolvendis debitis, neque ingredi licere. Ratio eſt, quod manens in ſæculo poſſit ſolvere, & ingrediendo ſe reddat impotentem ad ſolvendum, adeoque ingreſſus ſit injuſtus. Solvere enim eſt juris naturæ, cujus obligatio ſemper tenet, etiam poſt profeſſionem. Deindè, iniquum eſt quærere lucrum ſpirituale cùm damno corporali alterius; neque facienda ſunt mala, ut eveniant bona. Denique, ſicut nemo debet ſua bona dare alteri, ut ingrediatur Monaſterium; ità nec Creditor debet remittere ſuum debitum: adeoque per ingreſſum fieret Creditori præjudicium. An etiam excuſet ingreſſus Religionis.

Secunda ſententia tenet, illum poſſe ingredi, nec teneri expectare, etſi foret ſpes, quod manendo in ſæculo, poſſet ſatisfacere. Et ratio illorum eſt, quod ob debita pecuniariâ homo liber obligari non poſſit; cum perſona hominis ſit ſuprà omnem æſtimationem pecuniæ. Hæc tamen illorum ratio eſt parum firma, cum homo pro debitis non poſſit quidem vendi, non tamen ideo poteſt dici, ipſam perſonam ratione debitorum non eſſe alteri obſtrictam, dum concedi debet actio perſonalis.

Tertia ſententia docet, quod ſi Debitor pauco tempore manendo in ſæculo, puta per 2. aut 3. annos, ut volunt aliqui; poſſit Creditoribus ſatisfacere, non poſſit ingredi Religionem. Probant id rationes pro primâ ſententiâ adductæ. Si verò non poſſit illis ſatisfacere, niſi longo tempore in ſæculo remanendo, aut niſi inſolito labore, arduâ arte laborando, poſſit ingredi Religionem, cedendo prius bonis ſuis Creditoribus. Ratio eſt, quod talis, nec in re, nec in ſpe ſit potens ad ſolvendum, nec debeat extraordinariè laborare, ut ſatisfacere poſſit; cum nec hoc jura imponant cedentibus foro. Unde privilegium non reſtituendi, hîc non ita oritur ex ingreſſu Religionis, quam ratione impotentiæ. Et hæc opinio uti communior eſt, ita eſt æquitati conformior.

Sed ſciendum hîc eſt, Sixtum V. 1587. inhabiles reddidiſſe ære alieno gravatos ad profeſſionem. Clemens VIII. poſteà hoc temperavit 1602. ſtatuens, illorum

illorum quidem profeſſionem eſſe illicitam, ſed non invalidam, & tales acceptantes ad profeſſionem ſubjacêre pœnis. Statutum tamen Sixti V. adhuc alibi viget, proteſtante ſuperiore nomine communitatis, ſe nolle incorporare eos, qui poſtea deprehenduntur ære alieno gravati. Additur verò in Bullâ, *ingenti ære*, unde non comprehenduntur illi, qui paucis debitis gravantur. Deindè additur, *quod multi decoctores poſt dilapidatam rem familiarem, & contractam vim æris alieni, &c.* Ex quo colligitur, ſolùm intelligi illos, qui dilapidarunt bona ſua, commeſſationibus, luxuriis, &c. Non verò illos, qui caſu redacti ſunt ad inopiam, & impotentiam ſolvendi.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CONTRACTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Contractibus in genere.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit contractus, & quot modis perficiatur.

VASTISSIMA eſt hæc de contractibus materia, Juriſtis propria, Theologis etiam neceſſaria, cum in iiſdem mille modis ſeſe palliat avaritia, & fraudulentia; quos proindè diſjudicare debet ſpiritualis Judex conſcientiæ, id eſt, Confeſſarius. *Contractus* igitur, dictus ex eo, quod vel duas voluntates ad ſe trahat, ſive contrahat: vel; quod obligationem contrahant ii, qui contractum ineunt, ſolet communiter definiri, *ultrò citroque obligatio*, quæ definitio non eſt formalis, ſed cauſalis; dum contractus non eſt formaliter obligatio, ſed obligationem cauſat. Alii deſcribunt, quod ſit *pactum ad inducendam obligationem mutuam*. Pactum autem *eſt duorum, vel plurium in idem placitum, & conſenſus.* Quid ſit contractus. Quid ſit pactum.

Obligatio verò, quam contractus cauſat, *eſt vinculum juris, quo homo velit, nolit, ad aliquid adſtringitur. Juris*, id eſt, vel naturalis, vel divini, Quid obligatio.

ni, vel humani. Dicitur *vinculum*, ut excludatur debitum morale exſurgens ex urbanitate, gratitudine, honeſtate: item, ut excludatur actio, & exceptio; actio enim non eſt vinculum, ſed poteſtas aliquid judicialiter exigendi. *Exceptio* autem eſt facultas data Reo, ut judicialiter ſe defendat: unde ſicut Actoris eſt agere; ita & Rei eſt excipere. Solet autem diſtingui contractus à *diſtractu*, qui eſt conventio ad mutuam obligationem diſſolvendam: & à *retractu*, qui fit Agnatis venditoris par pretium offerentibus, & venditionem cum aliis factam diſſolventibus, & in ſe retrahentibus emptoris obligationem.

Quid ſit actio, & exceptio.

Quid diſtractus, & retractus.

Solet autem generaliter omne prorſus pactum, dici contractus, etiamſi ex eo nulla oriatur obligatio, v. g. in donatione. Magis propriè ſumi aliquando ſolet pro tali conventione, quæ in alterâ ſaltem parte obligationem inducit, qualis eſt promiſſio, ubi obligatur promittens, non promiſſarius. Strictius ſumitur pro tali conventione, quæ in utrâque parte inducit obligationem, qualis eſt emptio, & venditio.

Corollaria.

Ex dictis ſequitur primo, in omni contractu reperiri ad minus duas voluntates, & duas perſonas; etſi poſſet eſſe interio, ut patet in contractu ſocietatis. 2. Sequitur, quod ex parte unius voluntatis ſemper ſit virtualiter aliqua promiſſio, ex parte verò alterius ſit acceptatio, dum una voluntas ſe alteri obligat, & alia viciſſim eam obligationem acceptat; & è contra. 3. Ex illis ſequitur, quod donatio ante acceptationem non ſit contractus, & proindè ante illam poſſit revocari, & dari locus pœnitentiæ, neque revocando fieri alteri injuriam, cum ante acceptationem, alter nullum jus in rem acquiſierit. Sequitur 4. quod effectus contractûs ſit obligatio ex juſtitiâ, non ex ſolâ honeſtate.

Objiciunt contra hoc ultimum alii, 1. quod contractus annullandus, quamdiu non annullatur, ſit verus contractus, & tamen non obliget. 2. Quod pacta nuda ſint veri contractus, & tamen non obligent, ſed ſolummodo pariant exceptionem. 3. Quod donatiò, quæ incipit à traditione ſit contractus, & tamen in donante nullam pariat obligationem, dum donatio potius obligationem extinguit. Ad illa Reſp. ad primum quidem, contractum annullandum, quamdiu non annullatur, eſſe contractum, & eatenus etiam obligare. Poſt annullationem verò non eſt contractus, neque amplius obligat. Ad 2. Dico, pacta nuda eſſe de jure naturæ contractus, & naturaliter obligare: jure tamen Civili Rom. non pariunt obligationem civilem, nec ideo illis adempta eſt obligatio naturalis. Hinc etiam pacta nuda alibi pariunt obligationem civilem æquè, ac naturalem, uti & hîc in Belgio. Ad 3. Reſp. quod quamvis ideo Leſſius, & alii contra communem aliorum ſenſum cenſeant, donationem non eſſe contractum: rectius tamen dicitur, quod difficulter intelligi poſſit, quomodo quis eodem planè momento explicet ſe dare, & ſimul ſe obligare. Tamen eo etiam dato, quod id fieri poſſit; dicendum eſt, quod in priori naturæ debeat concipi voluntas dandi, ex quâ deinde oritur dandi obli-

obligatio; ut quando poſtea res traditur, jam quaſi promiſſio adimpleatur, & obligatio nata extinguatur.

Porrò, obligatio, ut ante innuimus, duplex eſt; naturalis, & civilis. *Naturalis* eſt, quæ naturaliter ex contractu ſequitur, ſine reſpectu ad jus externum, v. g. ſi clam inter ſe duo contraxerint, quod probari non poſſit per teſtes, ſcripturam, &c. dicitur aliàs hæc *obligatio in conſcientiâ, in foro animæ, in foro interno, &c. Obligatio civilis*, eſt obligatio pertinens ad forum externum, quæ quaſi vires addit obligationi naturali, ut hæc poſſit ſortiri ſuum effectum. Cum verò advenit obligatio hæc obligationi naturali, ſequitur, quod numquam dari poſſit obligatio civilis ſine naturali. Quotuplex ſit obligatio.

Habet quoque jus civile poteſtatem inducendi obligationem naturalem, quæ antea vi contractûs non inerat, uti fieri ſolet in ſtipulationibus ſervorum pro dominis, filiorum familias pro Patre. Deinde, poteſt itidem naturalem obligationem tollere, ut patet in impedimentis irritantibus contractum matrimonii. Deinde poteſt idem jus obligationem naturalem invariare, uti patet in donationibus conjugum, Patris, & filii: quæ etſi de jure naturæ ratæ eſſent, & obligationem naturalem producerent: jure tamen poſitivo eatenus infirmantur, ut liberum ſit alteri parti donationem revocare. Si enim particulari licitum ſit contractui addere circumſtantias, & conditiones, quibus limitantur: cur non illud idem liceat publicæ poteſtati?

Quæres, an ad obligationem inducendam, requiratur intentio ſeſe obligandi. Reſp. Qui videtur externo ſigno contrahere, ſic ut non habeat intentionem contrahendi, aut ſeſe obligandi, imò forte habeat contrariam, non contrahit, nec obligatur in foro interno, etſi teneatur de damnis, quæ alteri ex tali fictione obveniunt: imò & ad illud compelli poteſt in foro externo, quod ſolum attendit ſigna externa. Ratio hujus eſt, quod talis verè non contrahat, dum contractus, ſi quid ſit, obligatorius eſt; adeo ut intentio non ſe obligandi, deſtruat intentionem contrahendi. Deindè, obligatio contractûs, non pendet ſolum à ſono verborum, aut aliis ſignis, ſed ex conſenſu voluntatis, & intentione contrahentis. Si tamen poſtea talis conſenſum addat, tenet contractûs obligatio per ratihabitionem, dummodo altera contrahentium pars conſenſum non revocaverit. Vide quæ dicta ſunt de tali ratihabitione C. 8. Sect. 3. de conſenſu coöperantis. An ad obligationem inducendam requiratur intentio ſe obligandi.

Qui autem habet intentionem verè contrahendi, & tamen non habet intentionem ſeſe obligandi, verius non contrahit. Ratio jam ante eſt data, quod ſcilicet contractus ſit nullus, ſi non ſit obligatorius; adeoque, qui non vult ſe obligare, non vult etiam contrahere. Neque dici hîc poteſt, quod eo ipſo, quo volo contrahere, velim unà me obligare: dum obligatio reſpectu contractûs non eſt effectus ejus naturalis, ſive naturaliter conſequens; ſed moralis, moraliter ſolum ex voluntate contrahendi conſequens, quâ ratione etiam impediri poteſt, per voluntatem ſe non obligandi. Aliud eſt in effectu naturali, ac neceſſario, qui velit, nolit, ponens cauſam, cenſetur velle effectum naturaliter, ac neceſſariò connexum cauſæ.

 Obli-

Digitized by Google

Obligatio inſuper naſcitur aliquando ex quaſi contractu, per quem quis tacitè obligatur, etiam abſens, & ignorans. Tales ſunt, 1. pignus tacitum, quod locum habet in mobilibus invectis in domum locatam, ut locator domûs poſſit ea pro penſione domûs retinere, ex quo etiam ei competit actio ſerviana ex Edicto Servii Præt. L. *labeo*, & L. *ſi inter*. §. *ſi debitor D. de pig*. 2.

Quid ſit quaſi contractus. Talis obligatio ex quaſi contractu eſt etiam in tutela, & curatela, in negotiis geſtis; in legatario adverſus hæredem, &c. De quibus alibi ſuo loco reſtat agendum. Generaliter cenſetur eſſe quaſi contractus, dum vel fictione juris, vel ex natura rei cenſetur intercedere contractus aliquis virtualis, ex quo demum naſcitur obligatio.

Quot modis contractus ſoleat perfici. Contractus generaliter 4. modis ſolet perfici, re, verbis, ſcripturâ, & conſenſu. Pro quo Nota, tunc contractum propriè perfici, dum contrahitur obligatio, dum contractus nihil ſit aliud, quam pactum obligans ex juſtitiâ: Hinc fit, quod ſicuti diverſimodè contrahi poteſt illa obligatio, ita & diverſimodè iniri poſſit contractus. Alii enim ad inducendam obligationem requirunt rei ipſius traditionem; alii certam verborum formam; alii ſcripturam; alii denique conſenſum quoquo modo expreſſum. Prout ergo diverſimodè obligatio illa contrahitur, etiam diverſimodè poteſt perfici contractus. Perfectiſſimè tamen contractus perficitur traditione ipſius rei, & obligatio ejuſdem contrahitur, dum eodem momento, & obligatio contrahitur, & nata extinguitur, dum fit traditio; ubi in aliis contractibus aliud eſt tempus conventionis, aliud executionis. Tales contractus, qui re perficiuntur, ſunt mutuum, depoſitum, commodatum, pignoratio, donatio, permutatio, & alii, quorum nomina executionem ſignificant, ait Barth.

Circà ſcripturam quæri ſolet, an dum contrahentes recurrunt ad Notarium ad contrahendum, judicari debeat, non voluiſſe conſummari contractum, niſi ſcriptura adimpleatur. Reſp. Etſi hoc ſit ſignum, quod voluerint ſe partes ſcripturæ adſtringere, non tamen ideo contractus illi debent dici perfici ſcripturâ; ſed tunc ſolum, quando contractus de naturâ ſuâ ſcripturam exigit, qualis eſt Emphyteuſis. Hinc etiam alii notant, tunc quoque ſcripturâ contractum perfici, quando contrahentes ſe ad ſcripturam referunt, non verò ſemper, dum ad contrahendum Notarium accerſunt. Item etiam, quando ab initio contrahentes conveniunt de ſcripturâ faciendâ, quo caſu alteri licet pœnitere, & reſilire, donec perfectum ſit inſtrumentum. Ita Tulden, *in Cod. de fide inſtrum.* Interim hîc in Belgio 1611. ſtatutum eſt, ut omnis conventio de re excedente 300. flor. valorem, fiat in ſcripto, quod accipiatur in probationem, adeo ut hîc teſtes admitti non debeant, nec poſſint. Hoc tamen Edictum propriè probationem concernit, non itidem ſubſtantiam donationis; etſi Franciſcus bonæ ſpei contendat illud ultimum ſtatui ſub pœnâ nullitatis contractûs, quod tamen Edictum non dicit, ut rectè obſervat P. Herinx. Excipiuntur hîc 1617. contractus mercatorii Antverpiæ celebrati ſtylo Burſæ; ſeu Periſtylii. Ita Zyp. not. *tit. de act. & oblig.* Et Codex Belg. V. *Commercien.* Per-

Digitized by Google

Perficiuntur autem contractus *verbis*, qui requirunt certam verborum formam, v.g. omnis ſtipulatio, quæ eſt provocatio ad promittendum per legitimam interrogationem, & reſponſionem, v.g. dum dicitur, *ſpondes? ſpondeo. Fide jubes? fide jubeo. Dabis? dabo, &c. Conſenſu* denique contractus perficitur, dum nec requirit rei traditionem, nec certam verborum formam, nec ſcripturam; ſed ad quem ſufficit conſenſus quoquo modo expreſſus, v.g. in emptione, & venditione, locatione: ſocietate, &c. Quid ſit ſtipulatio.

Contractus variè dividitur. 1. *in nominatum*, qui ſpecifico nomine ſolet indigitari, ut emptio, locatio, &c. Et *innominatum*, qui generali contractûs ratione abſolvitur, nec ſpeciali nomine indigitatur, ut ſunt hi 4. *do, ut des: do, ut facias: facio, ut facias; facio, ut des.* Ubi ſub affirmatione comprehenditur negatio, v.g. *facio, ut non facias, &c.* In quibus hoc eſt notandum, quod in contractibus innominatis illud ſit ſpeciale, alteri parti ſemper integrum eſſe reſilire, etiam quando ex altera parte eſt impletus. v.g. dedi pecuniam, ut ires Romam, poſſum pecuniam etiam juridicè repetere, ſi necdum ieris, nec expenſis te itineri præparaveris. In contractibus verò nominatis id locum non habet, ſed illis ſemel initis abſolutè eſt inſiſtendum, dum ex alia parte eſt impletus, neque poteſt niſi mutuo conſenſu diſſolvi. Diviſio contractus.

2. Dividitur contractus in nudum, & veſtitum. *Nudus* dicitur ex eo, quod nullo juris robore fulciatur, ſeu veſtiatur, cui etiam proprium eſt, quod ex eo non detur actio, ſed ſolum exceptio. v. g. ſi alteri ſimpliciter promittas 100. flor. poteris reſilire in foro externo, etſi non in foro conſcientiæ; nec Judex poteſt compellere promittentem ad dandum, quia promiſſarius ex nuda illa promiſſione non habet actionem; idque ideò ſtatutum ad cavendam litium multitudinem. Concedit tamen nudum pactum, ſive contractus nudus exceptionem, quia ſi v.g. emeris quidpiam pro 100. flor. cras ſolvendis, eâ conditione, ut tibi 100. mutuaret, ſi alter vendens nolit mutuare, poteris excipere de ſolutione tunc faciendâ, ratione nudæ promiſſionis mutuandi. Quid contractus nudus, & veſtitus.

Variè autem ſolent nuda pacta veſtiri, v.g. ſcripturâ, publico inſtrumento, juramento, ſtipulatione, inſinuatione factâ Judici, &c. Moribus tamen noſtris etiam nuda pacta inducunt obligationem, & actionem, ac ſi ſtipulatione (quæ jam eſſe deſiit) fuiſſent veſtita. Nec enim jam amplius ſolent ſtipulari, id eſt, modo ante dicto interrogari, & reſponderi. Zyp. notit. Belg. tit. *de contrah. ſtipul.*

3. Dividitur contractus in *contractum bonæ fidei*, & *ſtricti juris. Bona fides* hîc non ſumitur pro eâ fidelitate, quæ opponitur dolo, & in omni prorſus contractu eſt neceſſaria: ſed accipitur hîc pro quâdam æquitate, benignitate tamen moderatâ. Unde contractus bonæ fidei eſt ille, in quo permittitur Judici multa moderari, & arbitrari, quæ etſi à contrahentibus non fuerint omninò expreſſa, tamen ſecundum bonam æſtimationem, & bonam fidem cenſentur contractui ineſſe. Tales ſunt emptio, venditio, locatio, conductio, Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris.

ctio, negotiorum geſtio, mandatum, depoſitum, ſocietas, & reliqui nominati in §. *actionum Inſtit. de actionib.*

Contractus *ſtricti juris eſt*, in quo Judex adſtringitur ad verba contractûs, nec illi liberum eſt aliquid ex æquo moderari, aut interpretari: dicitur autem *ſtricti juris*, eò quòd ſtrictam velit interpretationem. Tales ſunt Cenſus, Emphytenſis, donatio, mutuum, ſtipulatio. Ut enim ait L. *quidquid* 99. D *de verborum obligat. Quidquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi verbis palam exprimatur, omiſſum intelligitur, ac ferè ſemper ſecundum promiſſionem interpretamur.* Id eſt, quod obligatio non extendat ſe ultrà, quam ipſa verba ſtrictè ſumpta contineant. Idem in votis Deo factis locum habet, quæ cum initio fuerint gratuita, ſunt ſtrictè interpretanda, nec ultrà voventis verba ſunt extendenda. Notat tamen Gudelinus *L.* 3. *jur. noviſ. c.* 13. *num.* 26. Omnes penè actiones moribus noſtris eſſe bonæ fidei, ſaltem vi, & effectu.

Contractus oneroſus & lucrativus.

4. Dividitur contractus in lucrativum, & oneroſum. *Lucrativus* eſt, in quo altera pars nihil rependit, ut donatio, commodatum. *Oneroſus* eſt, in quo hinc inde aliquid datur, & redditur v. g. emptio, venditio, conductio, Emphytenſis, &c.

Contractus implicitus, & expreſſus.

5. Dividitur contractus in expreſſum, & implicitum; *expreſſus* eſt, quando expreſſè de aliquo convenitur. *Implicitus* eſt quando implicitè, ut dum quis accipit mandatum, aut officium; quando ille obligatur juxtà leges, & conſuetudinem mandati, vel officii.

SECTIO II.

Quinam poſſint contrahere.

Generaliter contrahere poſſunt illi, qui habent liberam bonorum adminiſtrationem. Generaliter verò contrahere non poſſunt, qui uſu rationis carent, ut amentes, furioſi, infantes. Imo, etſi aliquis eum uſum habeat, ſi tamen per leges ſit impeditus, etiam contrahere non poteſt, uti fit in prodigis, minoribus, &c. Ut tamen hìc ordine procedamus, agendum eſt de ſingulis, ac primò,

De Pupillis.

Quis pupillus.

Pupilli propriè cenſentur illi, qui curâ parentis maximè defuncti carent, uſque ad ſeptimum ætatis annum completum. Alii dicuntur infantiæ proximi, eò quòd infantiæ proximiores ſint, quam pubertati. Alii verò ſunt proximi pubertati, puta maſculi, cum jam ſunt 10½. annorum: feminæ, dum 9½. etſi hoc alii relinquant prudenti judicio attentâ præcocitate ingenii. Et quidem pubertas olim probabatur in viri potentiâ, & turpi feminæ inſpectione, quæ tamen ſæpè erat fallax, & meritò de cætero non obſervatur. Communiter pubertas in maſculis incipit anno 14. in feminis verò 12. completo, quo tempore finiri ſolet officium tutelæ. Poſtea dicuntur eſſe *minores*, ſeu *minorennes* uſque

ad

ad annum 25. completum, quando dicuntur *majores*, & eximi à curatelâ. Ubi nota ex *Bugnion. leg. abrog. l. 2. c. 70.* Rationem, quare feminæ citius exeant de poteſtate tutoris, quam mares, eam eſſe, quod citius aptæ ſint ad generationem, & quia mala herba citius creſcit. Moribus noſtris curatela deſinit per ſuſceptionem Ordinis Sacri, & per matrimonium quoad bonorum adminiſtrationem, ſed non quoad immobilium diſtractionem. Deſinit itidem per veniam ætatis, quam aliqui ob mercaturam, alii aliâ de causâ à Principe ſolent obtinere, maximè ab iis, qui præcoci ſunt ingenio. Idem obtinet in Galliis teſte *Duaren. ad Cod. de his, qui venia ætatis*, & impetrari debet à Rege. In Hollandia ab Ordinibus: alibi aliquæ Civitates privilegium habent, eamdem veniam minoribus concedendi, ut habet Antverpia *tit.* 43. *art.* 83. Mechlinia *tit.* 10. *art.* 28. Lugdunum Batav. Amſtelrodamum. Nec omnibus minorennibus indifferenter ſolet ea concedi, ſed maribus 20. feminis verò 18. annorum dumtaxat, etſi attentâ præcocitate ingenii poſſit Princeps ex plenitudine Poteſtatis etiam dare eamdem veniam ante dictam ætatem, qualem dediſſe Regem Galliæ maſculo 17. annorum, ex aliis tradit *Groenwegen Cod. lib.* 2. *tit.* 47. Commendanda autem hîc eſt Ordinum fœderati Belgii conſuetudo, quam tradit ibid. idem Author, dicens, quod ille, qui veniam petit, tradat ſupplicem libellum Ordinibus, quem illi deinde minoris Magiſtratui tradunt, qui accitis minoris tutoribus, & propinquis, in ejus vitam, ac mores inquirit, & comperta reſcribit DD. Ordinibus, qui communicatis cum minoris magiſtratu conſiliis veniam ætatis dant, aut denegant, prout è re minoris fuerint arbitrati. Et quamquam ante dictum ſit, per matrimonium curatelam deſinere, quoad miniſtrationem bonorum, etſi non quoad immobilium diſtractionem, tamen plerumque etiam in litteris veniæ ætatis, dicta facultas ſolet concedi. Zyp. notit. tit. *de tutoribus*. Noſtris quoque, & aliorum moribus tutela non finitur pubertate, ſed ea perſeverat uſque ad annum 25. completum. Quo tempore etiam nomen tutelæ illis remanet, dum hodie tutelæ, & curatelæ nomina, & jura ſunt confuſa: alibi ante tale tempus tutela finitur: in quo cujuſque Regni attendenda eſt conſuetudo. Videri poterit *Gudelinus in fine L.* 1.

Quando deſinit curatela, in Belgio, & alibi.

His interim poſitis, dico 1. quod ad hoc, ut pupillus, vel minor alienare poſſit rem immobilem, requiratur decretum Judicis. Per alienationem intelligo hîc omnem actum, quo res pupilli transfertur in alterius dominium, vel uſum, eave minuit, ut eſt venditio, donatio, oppignoratio, ſervitutis impoſitio, juris ceſſio, &c. Idem extendunt alii non ſolum ad immobilia, ſed etiam ad mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, v. g. gemmas, vaſa aurea, & argentea, &c. ſecus eſt de aliis, ut veſtibus detritis, & ſimilibus. Ut autem hoc decretum valeat, requiritur juſta cauſa, puta ut alieno æri ſatisfiat; neque concedi ſolet ultrà neceſſitatem. Deinde, etiam tale decretum eſt neceſſarium illis, qui habent veniam ætatis, niſi tale privilegium unà cum veniâ ætatis obtinuiſſent, quod ſæpè ita concedi ſolere, antea eſt notatum.

In Belgio interim indifferenter omnes minorum, ac pupillorum contractus

Digitized by Google

non tenent ſine Authoritate Mouburni initi niſi in quantum illis ſunt utiles: ita *Chriſtinæus ad Conſuet. Mechel. tit.* 19. *art.* 22. Ratio hujus conſtitutionis eſt juſta, ex eo ſcilicet, quod hæc ætas ſit infirma, & lubrica, fraudibus avarorum expoſita, cui proindè hâc in re ejus ſuccurrit, ſtatuendo providè, ut eorum contractus ſine authoritate tutoris initi, eſſent nulli: deinde, ſi ſeſe læſos ſentiant, uti poſſint reſtitutione in integrum. Quomodo donare poſſint, &teſtari, dicetur ſuo loco de donatione, & teſtamentis.

Quæres hîc, an hæc omnia intelligi debeant tam de obligatione civili, quam de naturali? Reſp. Quod non, eò quòd minor contrahens ſine authoritate tutoris, naturaliter obligetur, dum obligatio naturalis ſolummodo requirit ſufficientem conſenſum, qui hîc poteſt adeſſe: hanc enim obligationem lex poſitiva non infirmavit, ſed ſolum negavit actionem contrà minorennem. Ratio eſt, quod aliquæ leges Civiles expreſsè habeant, quod pupillus ita contrahens naturaliter obligetur, ut *L. ſi pupillus ff. ad L. falcid. L.* 1. *ff. de novat.* Ubi expreſsè habetur, pupillum ſine authoritate tutoris contrahentem naturaliter obligari. Deinde, deficiente obligatione principali, non obligat acceſſoria, juxtà reg. 138. ff. ſi verò ad contractum pupilli accedat fidejuſſor, ille obligabitur: ergo ſignum eſt, quod principalis obligatio ſubſiſtat, cum fidejuſſor tamquam acceſſorius obligetur. Sic *L. naturaliter ff. de condict. indeb.* dicitur, quod fidejuſſor pro ſervo teneatur, quia ſervus tenetur naturaliter.

Excipiunt tamen 1. ſi pupillus fuerit infantiæ proximus, quo caſu non præſumitur habuiſſe ſufficientem uſum rationis, & jus illos hîc reputet infantes, adeoque non ſolum jus non aſſiſtit, ſed etiam reſiſtit eorum contrahentibus, ne pateat eorum innocentia fraudibus avarorum. 2. Excipe, ſi contrahat pupillus cum ipſo tutore; eò quòd leges tali quoque contractui reſiſtant. Si verò ſint plures tutores, poteſt pupillus obligari uni tutori, authore alio tutore. *L. pupillus ff. de authorit. tut.* 3. Excipe in accepto mutuo; eò quòd ob turpitudinem mutuo dantis jus etiam reſiſtat, qui eâ ratione pupillis dat anſam patrimonium diſſipandi, ſub ſpe accipiendi mutuo. Ità L. *pupillus ff. de act. & obligat.* Excipe 4. ut ante dictum eſt, ſi ſine authoritate Judicis alienet bona immobilia, aut talia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, quibus alienationibus etiam jus reſiſtit.

Ex dictis ſequitur ulterius, quod ſi pupillus ludendo, aut vendendo ſine authoritate Tutoris aliquid debeat, ſolvere non teneatur, ſed exceptione legis Civilis poſſit ſeſe defendere: nam ſi ſolviſſet, poſſet uti beneficio reſtitutionis in integrum; qui verò ad agendum admittitur, eſt multò magis ad excipiendum admittendus. *Regula* 71 *in* 6 quid enim hîc opus eſt ambagibus, primò ſolvendo, deinde repetendo? excipiunt alii, niſi minor ſe ſoluturum juraſſet. Sequitur ultimò, quod ſi minor alteri ſolverit, poſſit alter illud retinere, donec minor per beneficium legis illud repetat, quod beneficium illis non prodeſt, niſi eo utantur.

Dicendum præterea, quod minor contrahens cum majori ſine authoritate tuto-

Digitized by Google

tutoris, non obligetur majori, ſed majorem ſibi obliget; ita jure ſtatuente, ut minor ætas ſervetur indemnis, & in pœnam turpitudinis ita contrahentium: quâ ratione dicuntur ejuſmodi contractus claudicare ex unâ parte: quo fit, ut minores ſtatum ſuum nequeant deteriorare, ſed bene poſſint meliorare, dum illis hoc caſu optio detur, ſtandi, vel non ſtandi contractui.

Objiciet aliquis, quod contractus ille juxtà dicta ſit nullus, ergo non poteſt eo major obligari. Reſp. Contractus illos non eſſe omninò nullos, ſed multum retinere validitatis: ut, quod inducat obligationem naturalem in pupillo: quod etiam civilem in majori: vocantur tamen ejuſmodi contractus in jure *nulli*, eò quòd in pupillo non producant obligationem civilem, nec actionem civilem in alio, ad quod jus ſolet reflectere.

Dicet alius, contractus oneroſi inferunt obligationem mutuam: ergo obligabitur hîc uterque. Reſp. Id verum eſſe, quantum eſt ex vi contractûs oneroſi, ſed id poſſe à jure impediri ob juſtas rationes.

Sæpè interim contractus cum pupillo initi ſunt validi, etſi ſine authoritate tutoris ſint celebrati: 1. Dum pupillo eſt utilis. 2. Si res pupillo tradita, dolo ejus periit, qui tamen dolus non præſumitur, quamdiu pupillus eſt infantiæ proximus: 3. Si contractus ſit juratus. 4. Si contractus ſit factus à profeſſuro Religionem, in quo nulla requiritur juris ſolemnitas. Primum habet *L. pupillus §. pupillus ff. de auth. tut.* ſecundum habet *L.* 1. *§. an in pupillum ff. depoſiti.* Tertium, *Authent. Sacramenta puberum, C. ſi adverſus venditorem.* Quartum denique habet, *§. illud quoque Authent. de Monachis.* (Quando contractus pupillorum ſine authoritate tutorum initi ſint validi.)

Circa tertium rectè ſcribit *Caniſius* 2. *Decret. tit.* 24. *de jure jurando*, id rectè à jure ſtatui ob periculum perjurii, neque id tantummodò verum eſſe in minore pubere, ſed & impubere, qui doli eſt capax, dum in utrumque cadit perjurium, ut apertè conſtat ex *C.* 1. *de delict. puer.* inde ait dictus Author, quod qui *Authent. Sacramenta puberum* tantummodò locum habere contendunt in puberibus, graviter errant; cum ad impuberes doli capaces pertrahi quoque debeat, ut utriuſque juris DD. communiter ſentiunt. Quomodo tamen moribus noſtris talium juramentis non totaliter deferatur, dicam agendo de reſtitut. in integrum, & poſtea ſect. V.

De Prodigis.

Prodigus ille in jure dicitur, qui neque tempus, neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua profundit ea diſſipando, & ſine causâ, ultrà quàm vires ferant, expendendo. Olim etiam apud Romanos dabantur illis Curatores, interdictâ iiſdem bonorum ſuorum adminiſtratione, & ex eorum factis probatâ prodigalitate. Et quidem in Hollandiâ teſte *Grot. introd. l.* 1. *p.* 11. non datur Curator prodigis, uti & furioſis à Magiſtris pupillorum, ſed à Curiâ Provinciali, aut à Judice ordinario. Antverpiæ *tit.* 43. *art.* 90. *& ſeq.* publicatur ejuſmodi prodigus à Magiſtratu, à quo Curator præſcribi ſolet. (Quis ſit prodigus.)

Quod

Quod ergo ad eorum contractus attinet, eorumdem contractus, antequam illis detur Curator, validi ſunt in utroque foro: poſt verò, ſine conſenſu Curatoris initi invalidi ſunt in foro externo, dum per dationem Curatoris, omnis bonorum adminiſtratio illis eſt interdicta. Si tamen quis cum aliquo notoriè prodigo contraxiſſet, etiam ante datum Curatorem, idque factum eſſet cum notabili præjudicio prodigi: poſſet adhuc prodigo per Judicem ſuccurri; eò quòd ita contrahens, cenſeatur egiſſe fraude, & dolo; in cujus pœnam poteſt per Judicem Prodigo ſuccurri, dum non debet fraus, & dolus alicui patrocinari. Deindè, ſicuti ante dictum eſt de minoribus; ità & prodigi ſine conſenſu Curatoris validè diſponere poſſunt in profeſſione Religionis.

An contractus prodigorum valeant.

Quæres hîc, an quando prodigus ſine conſenſu Curatoris contrahit, obligetur ſaltem naturaliter, uti ante dictum eſt de contractu minorum. Reſp. quod non; cujus ratio eſt illa, quod jus non tantum non aſſiſtat eorumdem contractibus ſine Curatoris conſenſu initis, ſed & omninò reſiſtat, eos etiam ad ſubſtantiam contractûs inhabilitando. Minoribus verò ita contrahentibus, nec omninò reſiſtit, nec planè aſſiſtit, ſed eos relinquit in ſufficienti poteſtate ſeſe naturaliter obligandi. Hinc & in jure Prodigis non poteſt dari fidejuſſor, qualis ſi detur minori, obligabitur, ut ante notavimus; quod ſi ille tamquam acceſſorius obligetur, obligatur & minor naturaliter tamquam principalis. Unde etiam conſequenter ſequitur, non poſſe prodigum compellere alium ad implendum contractum, etiam in favorem prodigi celebratum, neque firmare juramento, &c. quod tamen poſſunt Minores. Prædicta vera ſunt, quamdiu prodigus eſt ſub curatelâ, etſi etiam jam vitam emendaverit, donec jam ante foret rehabilitatus, quæ rehabilitatio (ſi rehabilitatus exigat) publicè ſolet proclamari à Magiſtratu, ut habet *Art.* 91. *Conſuet. Antverp.* ſuprà.

Filii Familias.

Peculium caſtrenſe.

Quadruplex in jure diſtingui ſolet peculium filii familias. 1. Eſt *Caſtrenſe*, dictum à Caſtris, quod ratione militiæ filio obveniat, ut ſunt militum ſtipendia, ſpolia, dona Ducum. Hîc comprehende non ſolum milites, ſed & omnes, qui caſtra quovis modo ſequuntur, ut Aulicos, qui dicuntur *milites Palatini*, ſive *Palatii*. 2. Eſt *quaſi Caſtrenſe*, quod obvenit alteri ex officio publico, v.g. Doctoris, Medici, Advocati, Notarii, &c. Item bona provenientia ex beneficio Clericali. 3. *Adventitium*, quod filio obvenit, nec à Patre, nec intuitu Patris; ſed vel ex propriâ induſtriâ, vel ex liberali alterius donatione, legato, &c. Aut etiam Matris, aut Avi hæreditate. 4. *Profectitium*, quod filio obvenit à Patre, vel intuitu Patris. Caſtrenſium, & quaſi Caſtrenſium ſunt filii veri & pleni domini; adeo ut eorumdem habeant proprietatem, fructum, & adminiſtrationem. Adventitiorum dominium, & uſusfructus ſpectat ad Patrem: ſic tamen, ut ſine licentiâ Judicis non poſſit Pater eadem alienare. Moribus tamen noſtris adventitiorum uſusfructus Patri non

Quaſi caſtrenſe. Adventitium. Profectitium.

non competit, ſed ex eo filiis alimenta decernuntur, dum Pater non tenetur alere filium, qui aliundè ſe exhibere poteſt *L. V. ſi quis à liberis.* Et *Conſuetud. Antv. tit.* 36. *art. V.* & hoc intellige, quod alimentatio illa fieri ſolum poſſit de proventibus annuis dictorum bonorum, uti expreſsè dicitur dicto Artic. aliàs debent parentes de ſuo ſuperaddere. Et art. 7. ſtatuitur, ut quidquid provenit ex operâ liberorum, quos enutriunt, pleno jure acquiratur Parentibus. Si tamen filius extra domum paternam ſua, aut aliorum gerat negotia, pleno jure illud retinet, quod ita conquiſivit, etſi etiam necdum ſit emancipatus. Ita habet art. 9.

Patria poteſtas, etſi apud Romanos fuerit perampla, imo teſte Julio Cæſ. Gallorum, & Belgarum mores deſcribente l. 6. de bel. eadem ſe extendere ſolebat uſque ad necis, vitæque poteſtatem; moribus tamen noſtris jam dudum evanuit, ait *Gudelin. jure Noviſ. l.* 1. *cap.* 13. *num.* 14. Poteſtas hæc, teſte eodem Authore, ſolvitur matrimonio: 2. Separatâ à parte habitatione, & negotiatione. 3. Indulto Principis, quod etiam ſubindè invito Patre tradi poteſt, ſi Pater filium crudeliter tractet. 4. Per hæreſim Patris. 5. Per profeſſionem Religioſam. 6. Per indignitatem Cardinalitiam, aut Epiſcopalem. 7. Per dignitatem Patriciam, v. g. quod quis eligatur in Conſiliarium Regis. 8. Dum ſit Præfectus Urbis. 9. Dum Pater ſciens contraxit incæſtas nuptias cum conſanguineâ. 10. Quod quamvis *ff. de iis, qui ſui, vel alieni juris ſunt*, ſtatuatur patriam poteſtatem non ſolvi per furioſitatem Patris; tamen uti patria Romanorum poteſtas hodie exolevit, ita & hæc dicta conſtitutio; dum pater furioſus, nequeat curam ſuſtinere filii, cui à jure conceditur Curator. Vide *Groenwegen ad dictum juris locum.*

Quæ ſit patria poteſtas.

Quomodo ſolvatur.

An verò per ſuſceptionem Ordinis Sacri ſolvatur patria poteſtas, diſſentiunt DD. alii affirmant, eò quòd illa ſuſceptio longè ſuperet quamlibet dignitatem ſæcularem, ratione cujus aliquos eximi, jam dictum eſt. Alii Abſolutè id negant, dum nullum jus eoſdem eximit, & ſpecialiter id tantum conceditur Ordini Epiſcopali, ex quâ exceptione firmari poteſt regula in contrarium. Deinde, quod in jure non valeat argumentum à fortiori, à pari, &c. quod autem ii, qui Conſularis fiunt dignitatis, eximantur à patriâ poteſtate, eſt, quod abſurdum ſit, eis privato nomine cum periculo credi, quibus graviſſima Reipublicæ cura, atque negotia credita ſunt, *Novellâ Conſtit.* 81. jure tamen hoc utimur, ait *Gudelinus* ibi ſupra, ut tam dignitas Sacerdotalis, quam Epiſcopalis, ſolvat patriam poteſtatem.

His poſitis Reſp. Filius familias impubes, etiam authore Patre contrahens, non obligatur civiliter, etiam quoad Caſtrenſia, *inſt. de inutil. ſtipulat.* neque eadem hîc eſt ratio, quæ eſt de pupillo contrahente de conſenſu tutoris, quo caſu ille civiliter obligatur: eò quòd pupillus habeat ſibi obligatum tutorem, ſi iniquè agat; non verò ita obligatus eſt filio Pater. Cum tamen hodie Pater nullum jus habeat in bonis liberorum, & Pater apud nos ſit legitimus liberorum tutor: ideo moribus noſtris nihil vetat, quo minus filius familias

Digitized by Google

Patre, ac tutore authore, quodcumque negotium rectè gerere poſſit. *Vinnius* ibid.

De contractibus Uxorum.

Teſte *Bugnion leg. abrog. lib.* 3. *tit.* 74. olim mulieribus dabantur tutores, ob conſilii infirmitatem; adeo ut ſine eorumdem arbitrio nihil agere poſſent, quæ illarum tutela per varia annorum, & ætatis ſpatia ſolebat variari. Idem alibi fuit dudum obſervatum; & quidem apud nos Antverpiæ ex jure antiquo remanſit, ut mulieres majores, & innuptæ, nocivos contractus inire nequeant, niſi coram magiſtratu, electo ipſis eâ de causâ tutore: *Conſuetud. Antv. c.* 42. *art.* 1, 2. *& ſeq.*

Hoc ergo jure impræſentiarum utimur, ait *Gudelinus juris noviſ. l.* 1. *c.* 7. *num.* 4. & ita ferè ſonant omnium leges municipiorum, maritum habere uxorem in poteſtate, ejuſque eſſe veluti Patrem, atque tutorem: & hujus poteſtatis hanc vim eſſe, ut nequeat uxor abſque mariti conſenſu, & authoritate contrahere, nec in judicio conſiſtere, nec quidquam aliud agere, exceptâ palam negotiante. Quod hoc non poſſit licitè uxor, clarè patet ex eo, quod illud ſit contrà jus maritale: deinde, ne quidem naturaliter hîc poteſt obligari, quâ in parte pejoris eſt conditionis, quam ſit minor; eò quòd plenariè illi adempta ſit adminiſtratio, & aliter agendo fiat viro injuria, cujus proindè contractibus jura reſiſtunt.

Excipe hîc, 1. quod mulier inconſulto viro poſſit adire hæreditatem, quæ vergere ſolet in emolumentum familiæ. 2. Quod poſſit hoc in illis, in quibus vir tenetur ei licentiam dare ad contrahendum. 3. Hanc dare cenſetur, ſi uxor præſideat officio publico, vel officinæ publicæ mercandi, dum ea obire cenſetur de licentiâ viri. 4. Eamdem dare cenſetur ad emenda illa, quæ ſunt neceſſaria familiæ juxtà ſtatum intertinendæ v. g. quoad eſculenta, poculenta, veſtes, &c.

E contrà, juxtà dictum Authorem ibid. libera eſt penes virum, plenaque bonorum omnium adminiſtratio; adeo ut ferè ſolus videatur illorum Dominus, præterquam prædiorum propriorum uxoris, quorum ſolorum pleriſque in locis interdicta eſt ei alienatio. Mobilia verò, debita, & conquæſta ſunt utrique communia, viro adminiſtrante, ut dictum eſt, tamquam tutore uxoris. Soluto demùm matrimonio, immobilia plerumque tranſeunt ad defuncti hæredes: conquæſta verò, debita, ac mobilia æqualiter dividuntur cum ſuperſtite. Superſtes autem lucrari ſolet doarium, quod in nuptiis ſuprà dotem ſuperviventi ſtatui ſolet; ſubindè proprietatem mobilium, vel immobilium uſum-fructum; adeo tamen, ut doarium conventionale non poſſit hîc excedere medietatem proventuum bonorum immobilium, dum proles eſt relicta. Ita habet *Edictum Anni* 1611. *art.* 27.

An verò vir pro mulieris debitis conveniri poſſit, aut è contra, ſolet diſputari. Ad hanc tamen quæſtionem ita ex variis ſcribit *Groenwegen Cod. lib.* 4. *tit.* 12.

quod

An, & quomodo uxor pro viro poſſit conveniri, & è contrà.

quod tanta apud nos ſit maritalis poteſtas, ut uxor, ejuſque hæredes ex quocumque mariti contractu pro mediâ parte conveniri poſſint, adeoque & ex parte teneantur ad debita, quæ maritus ſuâ prodigalitate contraxit: ne ſi rigida in mores mariti inquiſitio permitteretur, in infinitam multitudinem lites excreſcerent, & honor matrimonii crebris hujuſmodi altercationibus conſpurcaretur. Idem tradit, ſi maritus condemnatus ſit in mulctam pecuniariam ex causâ civili. Si autem ob gravius delictum, adulterium puta, aut homicidium, certam mulctam Fiſco juſſus ſit contribuere, damnum illud ex ſolis mariti bonis eſt ſolvendum. Similiter juxtà *Conſuetud. Antverp. tit.* 16. *art.* 1. confiſcatis ob delictum omnibus mariti bonis, ſalva eſt uxori dimidia conquæſtuum pars. Plura vide apud dictum Authorem, ubi & addit, mulierem pro viro citari poſſe in judicio & obligari, dum maritus eſt abſens, ne dum maritus expectatur, res familiaris interim capiat detrimentum. *Conſuet. Antverp. tit.* 41. *art.* 23. idem eſt, ſi quidem maritus ſit præſens, ſed uxoris bona, jura, aut actiones malitioſè defendere detrectet, aut negligat, & poteſtate maritali abutatur. Vide *D. Stockmans Deciſ.* 56.

Sed quæres 1. an contractus mulieris nuptæ ſine viri licentiâ initus, diſſoluto matrimonio valeat, v.g. mortuâ uxore, & viro ſuccedente in mobilibus. Reſp. Aliqui volunt contractum talem & obligationem ejus dormire tantum eatenus, quatenus uxor non eſt ſui juris, nec habeat hæredes. Alii è contrà volunt, contractus ità initos etiam diſſoluto matrimonio non obligare, dum dicuntur moribus noſtris eſſe nulli, & abſolutè irriti, prouti nec filius ex J.C. *Maced.* ex mutuo tenetur poſt mortem Patris: imo aliàs conſuetudo dicta modici erit effectûs, uti notat *D. Stockmans Deciſ.* 52. & ità refert judicatum in Curiâ Brab. 1650. in causâ *Gabriëlis de Febvre impet.* contra *D. de Bettencourt.*

Alienatio quatenus viro permiſſa.

Quæres 2. quatenus maritus alienare poſſit acquiſita matrimonio durante. Reſp. Ex dicto Authore Deciſ. 55. quod maritus liberè alienet mobilia, non ſolum acquiſita, ſed etiam ab uxore allata. In Galliâ tamen, & Hiſpaniâ etiam invitâ uxore maritus alienare poteſt bona immobilia, modò non fiat id, ad eam fraudandam, quod & habent mores Mechlinienſes, Sylvæducenſes, Leodienſes, & Tranſmoſanæ. Lovanienſes verò, & Bruxellenſes diſtinguunt, ut conquiſita poſſit maritus alienare, in quibus mulier ſimul inveſtita non eſt; deſideretur autem uxoris conſenſus in iis, in quibus ipſa eſt inveſtita. Et quamvis uxor de ſocietate conjugali pro dimidio ſit Domina illorum; tamen notandum eſt, virum non eſſe hîc ſolummodo tutorem uxoris, ſed & inſtitorem: inſtitor autem facultatem habet vendendi, alienandi, negotiandi. *Baldus ad L. nemo ff. pro ſocio.* Generaliter tamen maritus facultatem diſponendi non habet in fraudem uxoris, v.g. ſi maritus ad mortem tendens donet liberis primi thori: ſi clam inhæredari faciat ſuos conſanguineos: ſi notabilem rem nullâ probabili causâ motus donet, & generaliter, ſi ex circumſtantiis judicetur ſubeſſe fraudem, & præjudicium uxoris. An verò uxor mariti hæres alienationes in frau-

Digitized by Google

dem ſuam factas debeat habere ratas, videre eſt apud eumdem *Deciſ.* 58.

A contrahendo deniquè arceantur amentes, ac ebrii, & quotquot ratione carent. In dubio tamen, an quis ſit ſanæ mentis, dum de ejus amentia non conſtat, præſumendum eſt, eum non fuiſſe amentem. Si verò conſtet eum fuiſſe amentem, & dubium ſit, an contraxerit tempore lucidi intervalli, variant DD. aliqui docent, præſumendum illum eſſe factum tempore lucidi intervalli, & contractum tenere. Alii volunt eum factum eſſe tempore amentiæ, de quâ conſtat, & non de contrario; maximè, cum amentia ſit morbus de ſe perpetuus, qui hîc proindè conſideratur per ſe, & ſana mens cenſetur eſſe per accidens; in negotiis verò ſoleat attendi ad illud, quod eſt per ſe; non verò ad id, quod eſt per accidens. Hinc etiam notant alii, quod tempus lucidi intervalli difficulter in jure probari poſſit, dum (ut dictum eſt) amentia judicatur eſſe morbus de ſe perpetuus. Aliud eſt, dum de amentiâ dubitatur, eò quòd natura ſoleat homines ſanæ mentis producere de ſe, non vero eâ carentes.

Contractus amentium

De iis, qui poſſint ſolum contrahere ex parte.

In primis jure communi, nequeunt Magiſtratus, & Judices publici emere domos, naves, prædia, &c. Præter neceſſaria ad victum, & veſtitum, etiam per impoſitam perſonam, in eo loco, in quo exercent juriſdictionem: quod ſi attentent, erit invalidum, quod attentant. Ratio eſt, ne minoris juſto emerent, ob poteſtatem; domos, & prædia aliis eriperent, & ut magis alieni eſſent ab omni affectu præoccupato in judicando. Unde etiam in Regno Caſtellæ ſtatutum referunt, & ſtrictè obſervatum, ne Senatores Regii in eâ ditione matrimonium contrahant, ubi exercent Juriſdictionem, ut refert Oniate de Contract. tom. 1. fol. 152. Lex tamen communis 1. *Cod. de contract. Judicum L. quiſquis ſi certum*, moribus Gallorum non obſervatur teſte *Bugnon lib.* 1. *tit.* 39. Ubi etiam permiſſum eſt Magiſtratui cum ſubditis contrahere, & matrimonia cum illis inire. Idem fit in Belgio teſte Zypæo tit. *de juriſdict.* quibus in locis quoque in jus vocari poſſunt, ut reliqui, quod olim non licebat.

2. Tutores, ac Curatores contrahere non poſſunt cum minoribus, & pupillis ſuis, ne illis minorum bona invadendi daretur occaſio, ſub prætextu, & ſpecie contrahendi, aut parvo, & ſibi placito pretio res pupillares ſibi, aut ſuis comparandi, cum ipſimet eſſent eo caſu, & qui emunt, & qui vendunt. Excipitur tamen caſus publicæ auctionis, in quâ tam tutor, quam ejus Uxor res pupilli emere poteſt, ſalvâ tamen pupillo tutelæ, & doli mali actione, ſi in vendendis rebus fraudem commiſiſſe convincatur. Vide de eâ re *Groenweg. Cod. lib.* 4. *tit.* 38. *L.* 5. *cum ipſe tutor.*

Prohibentur itidem contrahere Medici cum ægro durante morbo, Advocati durante lite; idque ideo, ne ægri, aut Clientes cogantur inviti, neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitate coacti res ſuas vendere, vel emere alienas, ut illis gratificarentur. Itidem prohibetur contrahere executor teſtamenti de rebus teſtatoris defuncti, etiam per interpoſitam perſonam. De Advocato id habet *L. quiſquis Cod. de poſtul.* De Medico verò *L. ſi medicus 3. ff. de extraord. cognit.*

SECTIO III.

Quomodo error, aut dolus obſtet contractibus.

NOtandum eſt 1. quod *error* nil ſit aliud, quam falſum judicium de re, de quâ quid judicatur. *Dolus* verò eſt ex parte decipientis, qui dicitur etiam *fraus*, *machinatio*, *& deceptio*: Quæ, etſi ſæpè confundantur, diſtingui tamen poſſunt in eo, quòd machinatio ſit fraus in verbis; deceptio, ſeu fallacia fiat mentiendo; calliditas aliquid ſubticendo. 2. Notandum, quod error, & dolus verſari poſſit circà rem, circà perſonam, & circà accidentia rei. Circà rem, ſeu ut alii, circà ſubſtantiam rei verſari cenſentur, quando putat quis inire contractum circà rem unam, quæ reverà eſt alia. Circà perſonam, quando putat ſe contrahere cum unâ perſonâ, quæ tamen eſt alia. Circà accidentia, quando putat de aliquâ re, ut certis circumſtantiis veſtitâ, quæ eiſdem veſtita non eſt, ſe contrahere. 3. Notari poteſt, quod error, & dolus poſſint dare cauſam contractui; ſive eſſe tales, ut ſi abeſſent, contractus non fieret, & ſint cauſa, cur contractus fiat; & ille dicitur eſſe error, vel dolus *antecedens.* Si verò non det cauſam contractui, eò quòd equidem contractus fuiſſet initus, etſi abſuiſſet, dicitur eſſe *concomitans.* Quid ſit error, quid dolus, & quotuplex.

His poſitis dicendum, quod error, & dolus circa ſubſtantiam rei, jure naturæ contractum dirimat, dum deeſt conſenſus ad contrahendum eſſentialiter requiſitus, juxta illud juris: *Nihil eſt magis contrarium conſenſui, quam error.* 2. Error circà perſonam contractum non irritat, niſi perſona ſit objectum contractûs, aut ejuſdem materia, quia tunc error eſt in ſubſtantiâ, ſive cenſetur eſſe circà rem ipſam contractûs. 3. Error circà accidentia rei, non irritat contractum. Ratio eſt, quod cum eo errore ſufficienter ſtet conſenſus ad contrahendum neceſſarius. Imo (ut notant alii) ſi hâc ratione contractus non ſubſiſterent, nihil in illis fermè poſſet firmi ſtatui, dum plerumque ſimilis error ſolet concomitari. Sic valent contractus matrimonii cum deformi, quæ putabatur pulchra, &c. Hoc autem intellige de qualitate accidentali; quia ſi ſit ſubſtantialis, contractum omninò irritat. Cenſetur verò ſubſtantialis, quæ in contrahendo cenſetur eſſe magni momenti, & multum variat hominum judicium, adeo ut videatur potius reduci ad contractûs ſubſtantiam, quam ad accidentia. Error, & dolus circa ſubſtantiam rei dirimit contractum de jure naturæ.

Dicet aliquis contrà datam concluſionem. 3. Ideo error circà ſubſtantiam contractûs invalidat contractum, quia tollit voluntarium; atqui etiam error circà accidentia tollit voluntarium, dum nihil eſt volitum, niſi ſit cognitum. Reſp. Etſi error cauſet involuntarium, in eâ qualitate, quæ ignoratur; non tamen

tamen cauſat involuntarium ſimpliciter, & abſolutè in ipſo contractu, aut illa re, de qua contrahitur, quæ certè non ignoratur, ſed in quam tendit conſenſus contrahentis, etiam ſtante tali errore accidentali. Fatendum tamen eſt, poſſe contrahentes convenire de aliquâ qualitate, etiam accidentali, quæ ſi adveniat contractui, nolunt eum tenere; quo caſu, etſi illa qualitas ſecundum ſe ſit accidentalis; tamen ex intentione contrahentium hoc caſu cenſetur eſſe ſubſtantialis.

An dolus circa qualitatem dans cauſam contractui jure naturæ eum irritet.

Dicta omnia de errore, conformiter dicenda ſunt de dolo. Speciale tamen hîc eſt, dum quæritur, an quando dolus circà qualitatem dat cauſam contractui, eumdem ſaltem de jure naturæ irritet. Et variant hîc DD. Affirmant alii ex eo, quod omnes deceptores illi teneantur ad reſtitutionem; ergo ſignum eſt, illum contractum fuiſſe nullum. 2. Si non eſſent jure naturæ nulli, parerent obligationem naturalem ſtandi contractui; item in decepto actionem non parendi, poteſtatem excipiendi, &c. Sed illa non cauſant, ergo. 3. Si eo jure non eſſent nulli, etſi deceptus vellet contractum reſcindere, decipiens ad hoc non teneretur, dum contractus eſſet validus; ſed ſatisfaceret reſtituendo damna ex deceptione illata: ſed tenetur ad inſtantiam decepti illum reſcindere, quia ſcilicet jure naturæ erat nullus. Ergo.

His tamen non obſtantibus, negant alii ex eo, quod hîc omnia eſſentialiter ad contractum requiſita cenſeantur adeſſe, & ſolummodo ſit error circà accidentalia, quæ tamen relinquit ſufficiens voluntarium, juxtà mox ante dicta. 2. Si jure naturæ eſſet nullus, etiam eſſet nullus ſimilis contractus matrimonii, atqui ille non eſt nullus, ergo. 3. Si deceptus velit ſe tenere contractui, non poſſet deceptor reſilire; ergo ſignum eſt, eum fuiſſe jure naturæ validum. Et hæc ſententia multis apparet verior, aliis ferè certa. Hinc ad alterius opinionis affirmativæ fundamenta reſpondent; ac primò

Ad 1. neganda eſt conſequentia; ſæpè enim ex validis contractibus oritur obligatio reſtituendi, uti patet in obligatione reſtituendi, ob deceptionem citrà medietatem juſti pretii. Nec dicas, contractum illum, quoad exceſſum pretii jure naturæ eſſe nullum, cum equidem contractus quoad eſſentiam ſuam maneat validus. Unde etiam hîc, contractus quidem poteſt dici nullus quoad qualitatem aliquam, eſt tamen quoad ſubſtantiam ſuam validus. Ad 2. dicendum, quod ſi contractus ille relinqueretur juri naturæ, etiam pariturum eſſe obligationem naturalem, actionem, exceptionem, &c. Conjuncta tamen cum jure exigendi damna per deceptionem illata: ſed in odium doli, jus civile hoc impedivit, auferendo obligationem in decepto, & actionem decipienti ad ſtandum contractui, etſi etiam damna ex deceptione orta vellet reſarcire. Unde etiam patet Reſponſio ad 3.

Contractus tamen illi, quibus dolus dat cauſam, etiam circà qualitatem, poteſt reſcindi ad voluntatem dolum paſſi, ſi ſit reſcindilibis. Ratio eſt, quod deceptor intulerit injuriam decepto per dolum, ergo ex juſtitia debet eum in integrum reſtituere, ſi deceptus velit. Deindè, deceptus non cenſetur conſen-

Digitized by Google

ſenſiſſe, niſi cum eâ conditione, quod poſſet reſcindere, ſi foret notabiliter læſus. Imo alii addunt, reſciſſione hîc non eſſe opus, & tantum valere contractum ex parte deceptoris; ex aliâ verò parte claudicare, & decepto integrum eſſe ſtare, vel non ſtare contractui, & ante acceptationem, contractum ex parte decepti eſſe nullum.

Dolus tamen incidens non reddit contractum jure naturæ nullum. Dicitur *dolus incidens*, quando ſecluſo dolo fieret quidem contractus, ſed non eo modo; v. g. ſi quis vendiderit librum carioris propter dolum, quem emptor equidem emiſſet. Ratio hujus eſt quod dolus ille non det cauſam contractui, nec contractus à dolo incidente dependeat. Debet tamen deceptor exceſſum pretii reducere ad æqualitatem; eò quòd illum exceſſum per dolum, & conſequenter per injuriam extorſerit. Quis dolus incidens.

Quæret hîc aliquis, an ſi dolus ille, aut error proveniat ex parte tertii, teneat contractus. *Reſp.* Sive error det cauſam contractui, ſive non; nullò jure eum irritat hoc caſu, niſi ſit circà ſubſtantiam. Ratio eſt, quia cum ſupponatur error ille eſſe circà accidens, etſi det cauſam contractui, tamen nec cauſat involuntarium in decepto, & alter contrahentium non decipiens non cenſetur eſſe cauſa deceptionis: ergo nulla eſt hîc ratio, quare contractus jure naturæ ſit nullus, dum utrobique eſt ſufficiens conſenſus. De cætero, nulla quoque eſt lex dictum contractum irritans. Idem dic de tali dolo. Hoc tamen adde, quod decipiens ille tertius dans cauſam contractui, ſive dolus ſit circà ſubſtantiam, ſive circà accidens, teneatur reſarcire damnum per deceptionem illatum, dum qui dat cauſam damni, damnum dediſſe videtur: cauſa autem damni indubiè tenetur ad reſtitutionem. Quomodo tamen conquerens ſe hîc deceptum, poſtea audiri poſſit, dicam de reſtitut. in integrum.

SECTIO IV.

An, & quomodo metus contractum vitiet.

AGunt de hac re Juriſconſulti in *ff. de eo, quod metus cauſà.* Et *Cod. quod metus cauſà.* Canoniſtæ in *C. de iis, quæ vi, metuſque cauſâ*: Theologi hîc, & in materia de matrimonio: ad cujus rei intelligentiam, advertendum eſt 1. quod cum illud, quod metu fit, abſolutè ſit liberum, & metus voluntatem non moveat, niſi per coactionem metui connexam: quod metus non poſſit directè, & ſimpliciter auferre voluntarium, ſed ſolum conditionatè; dum ille, qui metu contrahit, nollet contrahere, ſi metus abeſſet. 2. Prænotandum eſt, alium metum eſſe gravem, alium levem. *Gravis* eſt, quo vir conſtans ſolet permoveri, ut metus mortis, carceris, exilii, infamiæ, &c. Metus hîc etiam currit, dum eadem timemus amicis noſtris, qui ſunt nobis conjuncti, & quid quaſi noſtri. Ad hunc metum requiritur 1. ut malum, quod timetur, revera ſit grave. 2. Ut timens non vanè, ſed prudenter timeat hoc ſibi eventurum. 3. Ut metum incutiens potens ſit illud malum inferre. Quis metus ſit gravis.

4. Si

Digitized by Google

4. Si ille, qui minas infert, non ſit blatero, ſolitus minari multum, punire parum. 5. Quod timens, vel per ſe, vel per ſuperiorem poteſtatem non poſſit facilè evitare illud malum, quod alter intentat.

Quid ſit levis. *Metus levis* eſt, quo non ſolet vir conſtans permoveri. Ubi tamen hoc notandum eſt, quod metus ſecundum ſe levis, reſpectu alicujus perſonæ meticuloſæ, v. g. Puellæ, ſenis, aut ſimilis, poſſit eſſe gravis, adeo ut gravitas metûs, vel metûs levitas ſumenda hîc ſit reſpectivè. Sic etiam ſubindè malum grave intentatum poteſt ſolummodo inferre metum levem, ſi aliqua ex dictis conditionibus ad metum gravem contingat abeſſe, v. g. ſi facilè malum illud poſſit evitari. 3. Notandum eſt, metum gravem poſſe provenire aliquando ab agente extrinſeco naturaliter, ut à tempeſtate, bruto, &c. aut ab agente libero, v. g. à Deo, ab homine. Deinde, quod metus poſſit incuti aliquando directè ad extorquendum conſenſum, aliquando ad alium finem. 4. Illud quoque attendi hîc oportet, quod ad contractum non ſufficiat plenus conſenſus, ſed inſuper requiratur juſtus titulus, ſeu cauſa, quare contractus obliget. Qui enim dat uſuras, dat eas voluntariè, & pleno conſenſu, ubi tamen donationis contractus eſt nullus; eò quòd uſurarius non habeat juſtum titulum; unde etiam non poteſt illud ſibi retinere. Nec enim eſt titulus dati, & accepti; quia mutuatarius ſolum accepit pecuniæ uſum, qui ſepoſitâ pecuniâ non poteſt æſtimari: non etiam titulus donationis liberalis; quia ille, qui dat uſuras non dat illas liberaliter, ſed ratione mutui, aliàs non daturus.

His prænotatis docent communiter 1. ſi metus ille incutiatur ab agente extrinſeco naturali, metum illum non irritare contractus, vota, &c. Ratio eſt, quod metus ille non auferat voluntatem ex tali metu operantis: unde Conc. Trid. ſeſſ. 14. Can. 5. docet attritionem ex metu pœnarum exortam, non eſſe coäctam, ſed liberam, & voluntariam. Sic votum emiſſum in tempeſtate metu mortis eſt validum, promiſſio eodem caſu tenet, &c.

Docent 2. Contractus gravi metu, ſed juſtè incuſſo initos, quamvis etiam incutiantur ad extorquendum conſenſum, eſſe etiam validos. Taliter enim contrahens eſt ſimpliciter voluntarius, etſi ſit involuntarius ſecundum quid, nec de injuriâ poteſt rationabiliter conqueri. Cum enim gravis metus non irritet contractum, dum non incutitur ad extorquendum conſenſum: multò minus enim irritat talis metus, etſi ad extorquendum conſenſum ordinetur, ſi juſtè ad hoc incutiatur, dum contrahens meritò poſſet conqueri de metu injuſto, non autem de juſto. Si verò alibi jura dicant, ea, quæ metu fiunt, debere carere omni robore, uti dicitur *Capt. ad audientiam*: intelligendum erit de metu injuſtè incuſſo.

Docent 3. Contractus gravi metu injuſtè incuſſos jure poſitivo generaliter non eſſe invalidos. Varii enim contractus eo jure irritantur, qui ſic ineuntur, ut contractus matrimonii, *Capt. ad locum*, *de ſponſalibus*. Item ſponſalia; deinde profeſſio Religioſa *c. 1. de his, quæ vi.* Inſuper promiſſio dotis, aut ejus ſolutio *L. ſi mulier §. ſi dos ff. de eo, quod metus cauſâ.* Electio Prælati

Capt.

Capt. periculum §. *cæterum de elect. in* 6. authoritas tutorum per metum extorta *L.* 1. §. *ult. de authoritate tutorum.* Promiſſio rerum Eccleſiaſticarum, *Capt. pervenit de jurejurando, &c.*

Docent 4. communius, contractus gravi metu injuſtè incuſſo, etiam de jure naturæ eſſe validos; ratio eſt quia quod metu fit, abſolutè & ſimpliciter eſt voluntarium, adeoque conſenſus eſt immediata cauſa contractûs, non verò injuria. Alii tamen non pauci ſatis plauſibiliter tenent contrarium his ducti rationibus. Primò, quod naturalis ratio dictet, quod nemo poſſit acquirere dominium rei, quam alter à me per injuriam extorquet: hinc etiam latro ante omnem actionem debet reddere rem per talem metum à me illi datam. Donatio enim debet eſſe omninò libera, uti & contractus omnis, quo tranfertur dominium; ubi autem eſt gravis metus, non eſt plena libertas. Ad quod reſponderi poteſt, ne talis portet, aut acquirat jus per injuriam, aut utile per malitiam, tenetur ille rem illam cum omni ſuâ utilitate reddere, etiam ante ſententiam Judicis, puta de jure naturæ; non quidem ex vi nullitatis contractûs, qui tam liberè initus fuit, quam votum tali metu emiſſum Deo; ſed ratione damni injuſtè dati, quod jure naturæ debet reparari. Ratione contractûs autem ſolummodo reſtituere debet poſt ſententiam Judicis. An contractus gravi metu injuſto initi ſint irriti de jure naturæ.

Ad aliud Reſp. Donationem ſimilem jure naturæ eſſe validam, uti reliquos contractus, etſi facilè irritari poſſit per ſuperiores.

2. Opponunt, quod Capt. *cum locum*, decernat Pontifex, matrimonium gravi metu initum ità eſſe nullum, ac ſi numquam extitiſſet. Sic etiam Profeſſionem ità factam dicunt eſſe irritam, non irritandam. Reſp. Aliam eſſe rationem contractûs matrimonii, &c. aliam aliorum contractuum: ratio diverſitatis eſt hæc, quod matrimonium, uti & profeſſio ſint de ſe perpetua, & ſemel rectè inita, non poſſunt irritari; quâ etiam ratione exigunt pleniſſimam libertatem. Imo ratione illius, idem dicunt de ſponſalibus, & promiſſione dotis, quæ ſunt diſpoſitiones proximæ, & circunſtantiæ quaſi eſſentiales ad matrimonium contrahendum, & ejus onera ſuſtinenda. Unde infert *Eſtius in* 4. *diſt.* 29. §. 2. quod ſi matrimonium eſſet contractus ſolubilis, ratum eſſet per conſenſum ſic extortum: cum verò ſit indiſſolubilis, poſtulet jus naturæ, ut ratus omninò, ac validus effici nequeat per eum conſenſum, propter quem aliàs diſſolvi deberet. Videri quoque poterit *Heſſelius* de matrim.

Docent 5. quod licet contractus illi ſint validi, ſint tamen irritabiles ex parte metum paſſi, cui in foro externo datur actio adverſus metum incutientem, quæ in jure dicitur *actio, & exceptio metus causâ* §. 1. *inſtit. de except.*& alibi. Deinde, præſcribitur Judicibus, ut ejuſmodi contractus reſcindant Cap. 2. *de his, quæ vi, L. ſi mulier* 21 §. *ſi metu coactus* 2. *ff. de eo, quod metus causâ.* Inſuper, etſi contractus illi ſint validi, tenetur tamen alter ratione injuriæ per metum illatæ reſtituere, quod per eam recepit; adeoque etſi alter per talem contractum requirat jus in illam rem, tamen jus illud eſt parum firmum, dum eſt revocabile ad nutum metum paſſi; ita tamen, ut contractus teneat, ſi

Digitized by Google

metum paſſus velit conſentire. Imo, addunt alii ex *L. ſi cum exceptione §. Padius ff. de eo, quod metus causâ.* Quod, etſi res per metum talem extorta bonâ fide ad alterum devenerit, poſſit tamen adhuc repeti ab eo, qui metum paſſus eſt; eò quòd res illo vitio, metu ſcilicet affecta, tranſeat cum ſuo vitio ad alium poſſeſſorem; quod maximè verum eſt in illa opinione, quæ tenet tales contractus eſſe irritos. Poterit ergo ille, ſi velit, incipere actionem contrà illum tertium poſſeſſorem, qui ſi contractu oneroſo eam habuit, poterit poſtea agere contra venditorem, qui de evictione tenebitur, ac ſi rem alienam vendidiſſet.

Contractus metu levi initi, ſunt validi, & quouſque.

Docent 6. contractus levi metu initos eſſe jure naturæ validos, imo etiam jure poſitivo, etſi per Judicem ſint irritandi, ſi dent cauſam contractui; & hoc probatur ex eo, quod non ſit æquum, quod ex iniquitate alter debeat reportare commodum. Quod etſi æquitati ſit ſatis conſonum, non ſolet tamen id jus civile concedere, nec tribuere actionem paſſo metum levem, neque etiam contractûs reſciſſionem, idque ad lites evitandas, & ne humana commercia de facili impediantur. Hinc & in jure dicitur, vani timoris juſtam excuſationem non eſſe. Et ratio à priori eſt hæc, quòd jus illud fundetur in præſumptione, quòd metus levis non præſumatur fuiſſe cauſa contractûs, ſed liber, & ſpontaneus conſenſus. In foro tamen conſcientiæ, juxtà multos etiam non obligant ſimiles contractus, eò quòd metus ille ſæpè impediat hominis libertatem, & ad præſtandum conſenſum ſæpè impellat, & quòd per illum metum acquiritur, injuſtè acquiratur, & per injuriam, adeoque debeat id reduci ad æqualitatem per reſtitutionem; quod fiet, quando id, quod metu factum eſt, poterit revocari. Imo & alii docent, etiam matrimonium levi metu initum in foro conſcientiæ non tenere, ſi metus ille dederit matrimonio cauſam, de quo alibi egimus de matrimonio.

Reſtitutio ab incutiente metum facienda.

Docent 7. quod ille, qui metum injuſtè intulit non tantum debeat reddere rem per metum extortam, ſed etiam debeat reſtituere omnia damna, & totum intereſſe, quod metum paſſus ſenſit, idque, ſive metus ſive gravis, ſive levis, dummodo verè fuerit cauſa contractûs. Ratio eſt, quod ille fuerit illorum vera cauſa injuſta, adeoque ex natura rei teneatur ad eorumdem reſtitutionem. Et quamquam in caſu metûs levis non dent jura actionem, aut exceptionem ob rationes ante datas: tamen non ideo alius liberatur ab obligatione ſuâ, quam iniquâ ſuâ actione contraxit de jure naturæ.

SECTIO V.

An, & quomodo juramentum firmet contractum.

Ad intelligendum plenius id, de quo agit hæc quæſtio, varia ſunt prænotanda. 1. Quod dupliciter poſſit dici contractum firmari juramento: ſemel, quod contractus validus, ſed revocabilis, per adjectum juramentum revocari non poſſit: alio modo, quod contractus de jure invalidus, per adjectum

ctum juramentum fiat validus, aut ſaltem accipiat tales effectus, ac ſi validus eſſet. Neutro tamen modo habet juramentum vim illam ex naturâ ſuâ, dum de ſe juramentum eſt inſtitutum ad confirmandam rei veritatem: unde, ſi vim illam habeat, habere eam oportet adminiculo legis. 2. Notandum eſt, aliud eſſe juramentum eſſe validum, aliud firmare contractum. Dicitur enim eſſe validum, quia ob honorem divini numinis vocati in teſtem, ſervari debet; ſic ut nullum jus ex eo acquiratur alicui tertio, relinquatque contractum, ac ſi adjectum non fuiſſet juramentum; adeo ut juramento irritato, poſſit contrahens agere, ſicuti antea; & ſi relaxatione juramenti non obtentâ non præſtet, quod promiſit; erit quidam perjurus ob violatam fidem, non tamen erit injuſtus. Si verò confirmet contractum, erit contractus ratione juramenti irrevocabilis, & obligabitur jurans non ſolum ex Religione, ſed etiam ex juſtitiâ ad implendum, quod promiſit, neque etiam poteſt petere relaxationem: quam, ſi ex gravi causâ aliquando obtineat, adhuc manet contractus ille firmus, neque datum poteſt repeti, & ſolum deſervit talis relaxatio, ut poſſit agere in judicio de valore contractûs. Ex quo ulterius illud ſequitur, quod juramentum validum contractum firmans non poſſit relaxari, niſi urgentiſſimâ de causâ, dum cederet in præjudicium tertii, qui ob jus acquiſitum, habet actionem in foro externo contrà jurantem. Si verò non firmet contractum, poterit relaxatio obtineri, dum nullum jus alter obtinuit contrà jurantem. 3. Notandum eſt, aliquandò irritari contractus ob bonum commune principaliter intentum, aliquando ſolum ob bonum alicujus privati.

His notatis docent 1. Juramentum illud validum eſſe, quotieſcumque ſine peccato poteſt adimpleri. Patet illud ex tractatu de juramento. Si verò ſine peccato adimpleri non poſſit, non eſt validum; dum juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, nec valeat contrà bonos mores præſtitum juramentum. Quod tamen intelligendum eſt, niſi jus contrarium ſtatuat; ſic Novitii diſpoſitio de ſuis bonis ſine licentiâ Epiſcopi, etiam jurata intrà 2. menſes proximos ante profeſſionem non tenet, etſi ſine peccato etiam poſſet obſervari. *Trident. ſeſ.* 25. *c.* 16. *Regul.* idem habet locum in quibuſdam aliis. *Quale juramentum contractui adjectum ſit validum.*

Docent 2. etiam juramentum non poſſe firmare contractum, qui de jure naturæ eſt nullus, etſi ſit de re licitâ. Ratio eſt, quod juramentum ſequatur naturam contractûs, cui adjungitur, juxtà primordialem contractûs naturam, quem tamquam principalem ſequitur juramentum tamquam acceſſorium. Unde ſi contractus de ſuâ naturâ ſit nullus, aut irritabilis, illius naturæ conformabitur juramentum. Hinc, ſi quis juret non revocare ſuum teſtamentum, illud tenetur adimplere, aliàs perjurus: teſtamentum tamen illud non firmatur juramento, dum uſque ad mortem teſtatoris poteſt revocari. *Juramentum non poteſt firmare contractum jure naturæ nullum.*

Docent 3. quod quando contractus jure poſitivo invalidatur ob bonum commune, juramentum illi contractui adjectum, non poſſit illum confirmare. Ratio eſt, quod contractus ille eo ipſo, quo eſt contrà bonum commune, ſit contrà bonos mores, adeoque & tale juramentum tali contractui adjunctum;

Digitized by Google

quod proindè non debet obſervari. Si enim juramentum non obliget, cujus executio vergit in præjudicium tertii; multò magis, obſervari non debet, dum vergit in præjudicium boni communis.

Docent 4. quod quando contractus eſt illicitus ex alterâ contrahentium parte, & ideo lege poſitivâ prohibetur, non poſſit firmari juramento. Probant hoc ex *L. non eſt dubium, Cod. de leg.* §. *nullum*, ubi expreſsè dicitur, nullum contractum eſſe ſubſecutum, dum contrahunt lege prohibente contrahere, ubi nec jus admittit ullum Sacramentum, id eſt, juramentum. Idem ex eo probari poteſt, quod tale juramentum ſit contrà bonos mores, dum eſt contrà legem prohibentem.

Juramentum firmat aliquando contractus prohibitos jure poſitivo.

Docent V. quod juramentum ſubindè confirmet contractum jure poſitivo invalidum propter utilitatem contrahentium magis, quam ob bonum commune. Ita hoc locum habet in contractibus minorennium, qui etſi à jure invalidentur ob favorem illorum, tenent tamen ob reverentiam juramenti. *Cap. cum pactum, Capt. cum contingat, de jure jurando, &c.* Neque ibi ſolum jura volunt, juramenta eſſe ſervanda, ſed & pacta jurata eſſe abſolutè ſervanda. Idem expreſsè ſtatuitur *Auth. Sacramentum puberum*, ubi ſtatuitur, ut ea contractibus addita inviolabiliter ſerventur, nec gaudeant beneficio reſtitutionis in integrum. Sed hoc de jure Canonico; nam de jure Civili non ſolum actus ipſe legi alicui contrarius ipſo jure inutilis eſt, ſed etiam, quidquid tali actui acceſſerit, ſive pactum, ſive pignus, ſive ſtipulatio, ſive jusjurandum L. 7. §. *& generaliter ff. de pactis.* Ita *Chriſtyn in notis Bugn. lib.* 1. *c.* 128. Imo ex *Duareno* refert prædictas juris Canonici conſtitutiones non obſervari in Republicâ rectius conſtitutâ, prout non obſervantur in plerîſque Italiæ locis, nec in Hiſpaniâ, nec in Belgio, teſte *Zypæo not. Belg. tit. de in integrum reſtit.* & aliis. Imo in Friſiâ Ordinum placito ſtatutum eſt, ut contractus minorum jurati non majorem vim habeant, quam non jurati, prohibenturque Tabelliones contractus minorum juramento eorum ſubjicere, cum eâdem facilitate ad jurandum adigi poſſunt, quâ poſſunt adigi ad contrahendum. Ita dictus Author eodem *lib. tit.* 119. Dicens, quod generalis omnium locorum conſuetudo obtinuerit, ut impetratâ juramenti abſolutione, minor adverſus contractum etiam juratum reſtituatur. Addit denique, in Imperiali Camerâ dictam juris Canonici conſtitutionem obtinere. Videri etiam poteſt *Gudelinus de jure Noviſ. l.* 3. *c.* 14. *num.* 13.

Ratio autem, quare ita diſcrepet in hâc eâdem materiâ jus Civile à Canonico, videtur eſſe illa, quod jus Canonicum, conſideret juramentum tamquam ſpeciali obligatione obligans, etſi contractui adjungatur, aliàs de jure nullo; quam obligationem expleri oportet, quamdiu poteſt ſine diſpendio ſalutis. Jus Civile verò, conſiderat juramentum tamquam aliquod acceſſorium ad contractum; quo non ſubſiſtente, non cenſet ſubſiſtere juramentum.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VI.

An contractus ſine ſolemnitate juris initus valeat in foro conſcientiæ.

PEndet reſolutio hujus quæſtionis ex variis. 1. Certum eſt, valere contractum ſine ſolemnitatibus accidentalibus initum, v.g. contractum matrimonii ſine bannis: aliud enim eſt, contractum eſſe illicitum, aliud eum eſſe nullum. 2. Attendendum eſt ad verba legis, quæ ſi dicant, *contrahentes ſine ſolemnitate requiſitâ non poſſe contrahere: contractus ſine eâ ſolemnitate eſſe nullos, & irritos*: Signum eſt, quod jura contractus ſimiles non ſolùm reddere velint illicitos, ſed etiam invalidos. Idem haberi poteſt ex communi praxi, & ſenſu ſimiles contractus ſine eis ſolemnitatibus initos habente pro invalidis.

Alii ergo ad propoſitam quæſtionem reſpondent, valere ejuſmodi contractus non ſolemnes in foro conſcientiæ. Ducuntur his rationibus, quod hæ leges poſitivæ fundentur in præſumptione doli, & fraudis, quæ deficiente dolo, & fraude in conſcientiâ non ligant. Deinde, quod deficiente fine legis, deficiat ipſa lex; finis verò harum legum eſt vitare fraudes, & dolos, quibus non præſentibus, tenebunt contractus, ac ſi non eſſent prohibiti: prætereà de jure naturæ ſufficit ad transferenda illorum dominia, ſpontanea voluntas domini eadem transferentis, abſque aliâ ſolemnitate poſitivâ requiſitâ. Denique, quod teſtamentum ad pias cauſas ſine dictâ ſolemnitate valeat. Alii tamen è contrà hîc docent, quod contractus ſine ſolemnitate initi ſint nulli, etiam in foro conſcientiæ; tum, quod ſolemnitates à jure requiſitæ ſint actui eſſentiales, & tamquam forma actûs, res verò ſine ſuâ formâ nequeat ſubſiſtere: tum, quod dictæ leges non fundentur in præſumptione doli, ſed periculi fraudis, & doli, quales leges etiam obligant in foro conſcientiæ: nec enim finis legum earumdem eſt vitare fraudes, & dolos, ſed periculum earumdem, quod periculum etiam illis abſentibus meritò timetur. Quod autem tales actus irritare poſſit Eccleſia, & poteſtas ſuperior, patet in matrimonio clandeſtino. Et certè, ſi ipſi contrahentes poſſint requirere quaſdam conditiones ad eſſentiam contractûs, adeo ut illis abſentibus contractus non teneat; quare illud denegandum eſt poteſtati ſuperiori?

Quæ quidem ſententia ſecundum ſe meritò præferenda eſt priori, ob rationes jam dictas. Sæpè tamen in foro conſcientiæ ſimiles contractus admittendos eſſe apparet, maximè, ſi jura ſolemnitatem aliquam ſolummodo requirant; adeo ut ex contractu ſine eis inito negent actionem in foro externo, non tamen illum contractum irritant, uti patet in donationibus de re excedente 300. flor. quas jus noſtrum vult fieri præſente Notario, & in ſcriptis: quæ ſi aliter factæ ſint, denegant quidem jura actionem ex illis, in foro externo: tenent tamen in foro conſcientiæ tales donationes, neque donatarius tenetur reddere ità acceptum ante ſententiam judicis. Contrarium plerumque fit, quando jura exigentia certam

certam ſolemnitatem, unà contractum irritant, ac invalidant, prout fit in matrimonio Clandeſtino.

Unde colligi poſſit, quod lex contractum irritet.

Quæret quiſpiam, quid agendum ſit in dubio, an jura contractum ſine ſolemnitate irritum omninò irritent, nec ne, ut ſatisfiat ſecuritati conſcientiæ contrahentium. Reſp. videndum unde dignoſci poſſit, an lex aliqua contractum omninò irritet: & inprimis certum eſt, quod non omnis lex actum inhibens, eumdem etiam invalidet, dum aliud eſt eſſe illicitum, & aliud eſt eſſe invalidum; & multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Hinc videndum hîc eſt, an prohibitio legis, vel expreſsè, vel ſaltem implicitè annexam habeat actûs irritationem. Cenſetur autem lex implicitè actum irritare, ſi lex actui præſcribat certam eſſentialem formam, quia res ſine ſuâ formâ eſſe non poteſt; quod autem forma præſcripta ſit eſſentialis, colligi poteſt, ſi lex dicat talem ſolemnitatem eſſe pro formâ: ſi addat, aliàs actus nullius erit roboris, erit nullus, &c. Quod, ſi equidem maneat verè dubium, debet in his fieri, quod conſideratis conſiderandis, apparet eſſe tutius, & à periculo injuſtitiæ maximè apparet alienum. Ad hoc autem plurimum juvabit doctiores conſulere de validitate contractûs; conſulere legem charitatis, quid ſibi vellet fieri eo caſu ab alio: vel demum tutiſſimum hic erit amicabiliter tranſigere, vel authoritate ſuperioris, aut æquis Arbitris rem determinare, pro qualitate dubii, & juris utriuſque. Si enim quis totum hoc caſu ſibi appropriet, exponit ſe periculo injuſtitiæ ergà alium de jure diſputantem.

SECTIO VII.

Quatenus valeat contractus ſub conditione initus.

Conditio eſt varia.

PRæmittendum eſt, conditiones multifariàm diſtingui, 1. in conditionem de præſenti, præterito, & de futuro; etſi de præſenti, vel præterito hîc non ſoleant ita conſiderari, neque contractum efficiunt conditionatum, neque eum ſuſpendunt, ejuſve obligationem; ſed ſi adſint verè, faciunt contractum abſolutum. Aliæ inſuper ſunt conditiones neceſſariæ, aliæ contingentes, aliæ impoſſibiles, prout ſunt de objecto neceſſario, contingenti, aut impoſſibili: aliæ ſunt conditiones turpes, quæ ſine peccato impleri nequeunt, aliæ ſunt honeſtæ, quæ abſque peccato impleri poſſunt.

Neceſſaria non ſuſpendunt contractum.

Conditiones neceſſariæ non ſuſpendunt contractum, ſed habentur pro impletis, ac ſtatim contrahitur non expectato ullo rei adventu, qualiter fit, dum dicitur, *contraham tecum, ſi cras ſol oriatur:* ubi perindè eſt, ac ſi abſolutè fieret contractus, uti colligitur ex *L. pupillus 9. ff. de novat.* Hoc tamen hîc notandum eſt, ne ſimilis conditio accipiatur tamquam determinatio temporis, quouſque velit contractum, ejuſve obligationem ſuſpendere, uſque dum eventus, etſi neceſſarius, ſit impletus. Aliud quoque eſſet, ſi conditio neceſſaria, à contrahentibus non ſciretur eſſe neceſſaria, ſed putaretur eſſe contingens, aut ſaltem de eo dubitarent: quo caſu contrahens habet rationem ſufficientem ſuſpendendi contractum uſque ad eventum conditionis.

Con-

Digitized by Google

Conditiones de futuro impoſſibili, aut turpi, ordinariè contractum irritant. Cum enim talis non cenſeatur velle contrahere ante adventum conditionis, qui noſcitur eſſe impoſſibilis; ſequitur, quod nec ille velit contrahere abſolutè. Et quamvis fortè putet contrahens conditionem eſſe poſſibilem, per hoc non firmabitur contractus, dum nolit contractum habere ſuam vim ante adimpletam conditionem, quæ numquam fiet. Dictum eſt *ordinariè*, eò quòd conditio impoſſibilis, & turpis habeatur pro non adjecta in contractu matrimonii, & in ultimis diſpoſitionibus, puta hæredum inſtitutionibus, legatis, fideicommiſſis, donationibus mortis causâ, codicillis.

Impoſſibilis ordinariè irritat.

Ubi acris inter DD. eſt quæſtio, quomodo jus Canonicum, aut civile, poſſit contractus illos de re turpi, aut impoſſibili reddere validos, 1. quod conditio impoſſibilis cauſet defectum conſensûs ad contrahendum requiſiti, ut mox diximus: defectus autem hîc requiſitus ſuppleri nequeat ab ullâ lege, aut poteſtate, dum eſt contractui eſſentialis. 2. Quod leges non poſſint immutare naturas rerum, aut contractuum, *L. in rebus dotalibus* 30. *C. de jure dot.* ergo, etſi jura dicant, conditiones impoſſibiles, vel turpes habendas eſſe pro non adjectis, non poterunt tamen mutare naturam contractuum, qui exigunt libertatem, & conſenſum, qui deeſt in hoc caſu. 3. Quod ſecundum omnes DD. ſi interius contrahentes non conſentiant, niſi poſitâ conditione, quantumvis inutili, turpi, aut impoſſibili, & quantumvis per eos non ſtet conditionem non poni, contractus ſit nullus, defectu conſensûs. Ergo & hîc, cum ille omninò deſit. 4. Quod in aliis contractibus conditio impoſſibilis, aut turpis appoſita cenſeatur joco, nec ſeriò adjecta, adeoque conſenſum contrahentium deſtruere: ergo id magis cenſendum eſt de contractu matrimonii, & ultimis voluntatibus, quæ exigunt maximam libertatem, & pleniſſimum conſenſum. 5. Quod ſi quis coram Parocho & teſtibus dicat, *nolo nubere*, interim alia matrimonii ſigna adhibens, ſecundum omnes reputabitur contractus matrimonii eſſe nullus: ſed magis expreſsè cenſetur ille nolle contrahere, qui dicit, *nolo contrahere tecum, niſi volaveris.* Ergo & ibi cenſetur eſſe diſſenſus matrimonii.

Quomodo jus Can. in contractu matrimonii, & civile in ultimis voluntatibus poſſit validare contractum de re turpi aut impoſſibili.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, rectè jus Canonicum in matrimonii contractu, & jus civile in ultimis voluntatibus conditiones impoſſibiles habere pro non adjectis, cum præſumant hîc, quod æquitati, & rationi maximè congruit fieri; id eſt, contrahentes matrimonium, aut ultimò diſponentes ſolummodo fictè conditiones addidiſſe, & interim velle ſeriò contrahere, & diſponere. Ratio autem hoc præſumendi eſt, quod aliàs fictè contrahens matrimonium, graviſſimo ſacrilegio peccaret, quod meritò præſumit Eccleſia nolle contrahentem committere: adeoque meritò præſumit eum velle ſeriò contrahere, & de cætero conditiones ejuſmodi non ſeriò adjeciſſe. Adde, quod ſi ille fictè contraheret, graviſſimè alium deciperet, ſeſe onere reſtitutionis obſtringeret, prolibus ſecuturis obeſſet, & generaliter cauſa eſſet omnium damnorum ex nullitate matrimonii ſubſequentium, ob quod meritò prædicta, præſumit Eccleſia.

Idem

Digitized by Google

Idem pariformiter dicendum eſt de conditionibus illis adjectis ultimis voluntatibus, quod jus civile meritò præſumat, hominem de ſuis bonis, ſæpius & communiter in articulo mortis diſponentem, velle ſeriò diſponere; nec velle hæredibus illudere, lites fovere, familiam turbare, bona ſua contrà ſuam ſubindè voluntatem aliis obvenire: adeoque meritò ejuſmodi conditiones, ut non adjectas habet jus civile; hoc autem magis præſumit, tam Eccleſia, quam illud jus, dum noſcit contrahens, aut teſtator id ità in hoc caſu eſſe lege definitum; quamvis illa ſcientia hic non requiratur, quo minus dicti contractus valeant, ut prætendit Sanchez; aliàs enim lex illa vix locum obtinet, dum plerumque contrahentes talis legis ſolent eſſe ignari.

Ad illa, quæ in contrarium allata ſunt, breviter dicendum eſt, illa quidem obtinere locum, dum de nullitate conſenſûs conſtat; non autem, quando de illo eſt dubium, an adſit, cum hîc præſumat lex de contrario, ut hactenus demonſtravi. Leges igitur conſenſum abſentem non addunt, nec naturam contractûs immutant; ſed ſolum docent, quid in caſu dubii rationabiliter ſit præſumendum, an conditionem ſeriò, an fictè cenſeantur contrahentes addidiſſe.

Conditiones, quæ ſunt contrà naturam contractuum, eoſdem deſtruunt, v.g. dum dicitur, *nubo tibi, ſi poſſim nubere alteri: emo à te equum, ſi poſſim retinere pretium, &c.* ità habetur *Cap. ult. de condit. appoſ.* Ratio ejus eſt, quod non ſit intelligibile, quomodo ille ſeriò conſentiat in contractum, qui addit aliquid, quod eſt contrà naturam contractûs.

Conditio turpis an contractum vitiet.

Quod ante dictum eſt de conditionibus impoſſibilibus, idem pariformiter dicendum eſt de conditione turpi, quæ matrimonio addita habetur pro non adjecta, aliis verò contractibus addita, eoſdem vitiat. Ratio eſt, quod obligatio nequeat eſſe ad turpia, adeoque conditio turpis etiam jure naturæ contractum irritat. *L. non dubit. ff. de condit. & demonſt.* & DD. ibi. Imo hoc aliqui extendunt non ſolùm, dum illa conditio continet turpitudinem moralem; ſed etiam, dum continet civilem; ſi jure communi prohibeatur, uti eſt conditio viduitatis, conditio manendi inteſtabilis. *L. ſed ſi hoc 62. §. cum vir ff. de condit.* eadem rejicitur, *C. de indict. viduit.* ſed lege Novellarum id abrogatur: & hodiè conditio viduitatis rejicitur, ut etiam legatum non amittat ſecundo nubens, relictum ne nuberet. Vide *Zypaum not. jur. belg. tit. de ſecundis nuptiis.*

Quæret hîc aliquis, an conditio impoſſibilis teſtamento adjecta, etiam in foro conſcientiæ habenda ſit pro nullâ: idem quæritur de matrimonio. Reſp. Quoad matrimonium docet *Caniſius 4. Decret. ad Cap. ult. de condit. app.* quod in foro exteriori dicta ſolùm locum habeant, non in foro conſcientiæ, in quo dicta interpretatio ceſſat, & ſtatur ſoli veritati: adeo ut, ſi qui conditionem adjecit, non aliter ſe obligare voluerit, quam eveniente conditione; non tenebitur in foro conſcientiæ, ob defectum conſenſûs conjugalis, quem in eventum conditionis retulit. Imo, id etiam dicendum eſt de foro exteriori, ſi de mente contrahentium certò conſtet, eos non voluiſſe aliter contrahere, quando ante dicta legis præſumptio ceſſat.

Quod

Quod verò ad conditionem impoſſibilem teſtamentis adjectam attinet, ex *Grotio introd. l. 2. p. 18. num. 38.* docet *Groenwegen inſtit. lib. 2. tit. 24. §. 10.* Quod, etſi jure Civili habeatur pro non adjectâ, cum tamen omnis ſuprema voluntas interpretari ſoleat, & debeat, ſecundum id, quod eſt veroſimilius ſenſiſſe teſtatorem, cujus ſola voluntas in conditionibus obtinet primum locum: ideo ejuſmodi inſtitutiones cenſet habendas eſſe pro ridiculis, & nullis.

Conditio de futuro contingenti honeſto & licito, ordinariè ſuſpendit obligationem contractûs, uſque dum conditio adimpleatur: ratio hujus petenda eſt ex voluntate taliter contrahentium, qui eouſque cenſentur velle ſuſpendere ſuum conſenſum, neque actus agentium ultrà intentionem operantur: finita autem tali conditione, tranſit contractus ille in abſolutum, & à conditione purificatur. Quid faciat conditio de contigenti.

Sola eſt quæſtio, an id fiat ſine novo conſenſu poſtea addendo. Et certum eſt, quod requiratur novus conſenſus, ſi prior conſenſus non amplius, ne quidem virtualiter perſeveret; ut puta, ſi ſit retractatus. Eo tamen ſepoſito, & ſuppoſito, quod conſenſus virtualiter perſeveret, verior eſt opinio, quæ non exigit novum conſenſum; eò quòd contrahens ita ſoleat eſſe affectus, ut poſitâ conditione, vellet contractum ſortiri ſuum effectum. Neque hîc dici ullatenus poteſt, quod dum ponitur conditio, conſenſus non amplius exiſtat, nec adferat conditio poſita novum conſenſum: quia, etſi conſenſus non exiſtat tunc phyſicè; exiſtit tamen moraliter, & virtualiter, quatenus cenſetur ferri ad conditionis eventum. Deindè, licet non adferat novum conſenſum; facit tamen, quod conſenſus ille non pendeat de cætero ab eventu futuro, & contractus ex conditionato fiat abſolutus, adeoque non ſit opus novo conſenſu. Quia tamen alia opinio verè probabilis eſt concedenda, hinc in contractu matrimonii ſub tali conditione inito, poſitâ conditione exigendus erit pro ſecuritate novus conſenſus, prout alibi de eo caſu ſuo loco diximus.

Intereà tamen pendente conditionis eventu, non poteſt ita contrahens reſilire, ſed tenetur expectare eventum conditionis. Etſi enim alter pendente conditione non habeat ſtrictum, & abſolutum jus, habet tamen conditionatum, ſi conditio ponatur. Si tamen contractus ille conſiſtat in traditione, valeret poſterior contractus cum traditione factus, etſi prior contractus ante adventum conditionis eſſet reſciſſus. V. g. promitto Petro Equum, ſi cras pluat: ſi ante adventum diei craſtinæ trado Equum Paulo, valebit donatio, extinctâ priorè promiſſione. Non ideo tamen per hoc extinguitur jus Petri, dum equidem Petro debeat Equus dari, aut aliud in æquivalenti.

Prædicta omnia intelligenda ſunt de verâ conditione, non de modo contractui adjuncto qui ſit tamquam aliquod onus alteri contrahentium injectum, ut id faciat abſoluto contractu v. g. *contraho, ut me doceas.* Modus ille non ſuſpendit ullo modo contractum, ſed ſtatim perficitur, ſolummodo remanente obligatione edocendi. Si verò hic modus ſit de re tur-

E e pi,

pi, ſtatim quidem contractus fit, ſed obligatio deſinit, dum ad turpe nemo obligatur.

SECTIO VIII.

De Beneficio reſtitutionis in integrum.

Quid ſit reſtitutio in integrum.

Reſtitutio in integrum, in jure aliquando *repoſitio*, *redditio*, aut *beneficium reſtitutionis* dicta, nihil eſt aliud, quam privilegium juris, certis perſonis conceſſum, quæ violentiæ, ac aliorum fraudibus ſunt præ cæteris magis expoſitæ, ut earumdem damna per dictam reſtitutionem reparentur. Hinc etiam dicitur *actio privilegiata*, quia non promiſcuè omnibus contrahentibus competit, ſed ſolummodo certis perſonis. Differt etiam hæc reſtitutio à reſtitutione communi, quòd hæc ſit de lege naturali, illa de lege ſolum poſitivâ.

Ad eam requiſita.

De jure communi varia ad hanc reſtitutionem ſunt requiſita. 1. Ut judicetur contractus eſſe temerè initus, dum non omnia, quæ Minores v. g. faciunt, ſunt irrita; unde, ſi minor prudenter contraxiſſet, v. g. ſi ſe æquali periculo perdendi, & lucrandi expoſuiſſet, gaudere non poſſet eo beneficio minor, dum jura hîc ſolum ſubveniunt læſis, non verò prudenter agentibus. Ex *L. verùm §. ſecundum ff. de minoribus*. 2. Requiritur ut læſio ſit notabilis, dum de minimis non curat Prætor, & modicum pro nihilo reputatur. 3. Ut dicta læſio probetur in judicio, quia hoc beneficium non datur, niſi petatur, neque niſi causâ cognitâ ſolet concedi. 4. Ut petatur intra quadriennium, poſtquam facti ſunt majores. 5. Requiritur, ne contractus aliunde ſit nullus, neque aliud remedium aliunde ſuppetat; eò quòd remedium reſtitutionis pro ultimo remedio debeat adhiberi, & ſit ſolum juris privilegium in ſubſidium aliorum. 6. Requiritur, ne contractus ſit juratus. *Auth. Sacramenta pub.* 7. ne minor factus major contractum approbaverit. *L. 1. & 2. C. ſi major factus ratum, &c.* 8. ne ſecum contrahentem minor deceperit, v. g. dicens ſe eſſe majorem, eò quòd errantibus, non fallentibus minoribus publica jura ſubveniant.

Qui eo beneficio gaudeant.

Gaudent autem dicto reſtitutionis beneficio Minores omnes, etiam Poſthumi, pupilli, infantes, adoleſcentes uſque ad 25. annum. Filius familias minor: Tutor pro ſuo minore: hæres quoad jura defuncti: Curator pro minore: negotiorum geſtor pro eodem. Item Prodigi, Eccleſia, loca pia, ut hoſpitalia, Reſpublica, Fiſcus, milites eo tempore, quo armatam militiam exercent; abſentes causâ Reipublicæ, pro eo tempore, quo abſunt: item omnes, qui paſſi ſunt gravem metum.

Quid hic ſit reſtituendum.

Reſtitui verò hîc debet ſors ipſa, ſive res, de qua eſt contractum, eaque integra, quod reſtitutio in integrum propriè importat. Item reſtitui debent omnes fructus rei, tam exiſtentes, quam conſumpti, ſi inde facti ſint ditiores, dum judex per hoc reſtitutionis beneficium velit reducere æqualitatem,

neque

Digitized by Google

neque ut alius ex ſuâ fraude caperet emolumentum, quod aliàs fieret. Imo *Covarruv.* rectè docet, quod quando judex hîc imponit reddi rem, ſimul etiam imponat reddi & fructus rei, dum acceſſorium ſequitur ſuum principale, deductis tamen expenſis utilibus factis. Debet inſuper reſtitui damnum emergens, & lucrum ceſſans, hypotheca, pignus, & generaliter omne omninò damnum, dum debet eſſe reſtitutio *in integrum.* Hoc interim rectè alii hîc notant, quod judices reſtitutionem hanc injungentes, non debeant adhibere omnem rigorem cum Debitoribus, dum res ſit illis odioſa; & grave ſit, quod res, cujus jam acquiſierunt dominium ab illis auferatur, & minori tradatur. Deinde etiam, ne Majores à contrahendo cum minoribus in aliis caſibus avocarentur cum præjudicio minorum; quo caſu cederet minoribus in damnum, quod illis conceſſum eſt in beneficium. Et hæc quidem de jure communi, nam de jure particulari aliter eſt diſcernendum.

Intrà quod tempus poſſit peti illa reſtitutio in Belgio, & alibi.

Quod enim ad quartum antea requiſitum attinet, notandum eſt, antiquitus minoribus jam factis majoribus datum fuiſſe *annum utilem*, in quo reſtitutionem in integrum poſſent poſtulare. Poſtmodum dati ſunt ad hoc à Conſtantino, 5. anni Romæ, 4. in Italiâ, 3. in Provinciis, ac tandem generaliter præfixum fuit quadriennium, juxtà ante dicta, adeo ut intra 29. ætatis annum peti poſſet reſtitutio. In Galliis tamen ex Edicto Franciſci I. datur decennium, niſi contractus nullitatis arguatur. Idem decennii tempus reſtitutioni petendæ præfixum Edicto Regis Hiſpaniæ Anno 1611. tradit *Zypæus not. juris Belg.* Et *Anſelmo Cod. Belg. V. Commercien* §. 16. 33. Alii tamen cum *Wameſio Cent.* 3. *Conſ.* 34. *num.* 6. volunt, ſolummodo in Belgio ſpectari quadriennium juxtà jus commune, deficiente lege particulari: & Edictum præfatum ſolummodo loqui docent, de reſciſſione contractûs, qui vi, dolo, aut metu eſt initus, vel quo alter ultrà dimidium ſit læſus.

An reſtitutio hæc requiratur in contractu nullo.

Ad quintum quod attinet, quamvis jure communi in contractibus ipſo jure nullis hæc reſtitutio non ſit neceſſaria: moribus tamen noſtris, uti & Gallorum, reſtitutionem etiam tunc neceſſariam eſſe ſaltem ad cautelam, contendunt plurimi, & illud in praxi obſervari docet *Zypæus* ſup. *Groenwegen Cod. lib.* 2. *tit.*41. Diſtinguit hîc inter contractus, & judicia: in judiciis docet; nullitates non attendi, niſi quæ ex defectu citationis, juriſdictionis, aut mandati ad expeditionem cauſarum procedunt: in contractibus autem ipſo jure nullis, etſi reſtitutio ad cautelam ſoleat impetrari, hanc tamen praxim docet magis ſecuritatis eſſe, quam neceſſitatis; ac proindè ejuſmodi contractus abſque beneficio reſtitutionis, nullas vires habere exiſtimat dictus Author, quod & variis Senatus Conſultis ibidem probat, & confirmat: concludens tamen in praxi ad majorem cautelam reſtitutionem poſtulari, inſertis libello ſupplici his verbis, *voor ſoo veel des noot zy*; quàm cautelam quoque adhibere potius conſulit, quam totam cauſam fortunæ judicio, incertoque litis eventui committere; & meritò.

Quod ad ſextum pertinet, ex ante dictis de contractibus minorum ſatis con-

ſtat, etiam contrà contractum juratum reſtitui poſſe minores; unde & *Groenwegen* docet eſſe perabſurdum, & periniquum, in præſtando juramento firmum videri judicium pupilli, & non in contrahendo, cum eâdem facilitate ad jurandum adduci poſſit, quâ adducitur ad contrahendum. Hinc teſte *Gudelino Juris noviſ. lib.* 3. *cap.* 14. generali omnium Regnorum conſuetudine obtinuit, ut impetratâ prius juramenti abſolutione, minor adverſus contractum etiam juratum reſtituatur; etſi *Authent. Sacramenta publ.* in Germaniâ, & Camerâ Imperiali receptam eſſe velit *Gail.* 2. *obſ.* 41. Demum apud Friſios Ordinum placito ſtatutum eſt, ne contractus minorum, eorumdemque renuntiationes juratæ plus habeant roboris, quam injurati: prohibenturque Tabelliones ſub officii privatione, & aliis pœnis contractus minorum juramento ſubjicere, aut ab iis juramenta exigere. *Vide Groenw. loco citato tit.* 38.

Contra quos contractus poſſint reſtitui minores.

Quæret aliquis primò, contrà quos contractus poſſint minores reſtitui. Reſp. Etſi generaliter contrà omnes, quibus minores ſunt læſi notabiliter, reſtitui poſſint; ſpecialiter tamen id inquiri poſſet de aliquibus, ac primò, utrum reſtitui poſſit contrà contractum cum Patre initum. Affirmat *Bugnion l.* 2. *tit.* 85. *de leg. abrog.* & alii, maximè, ſi ſeſe notabiliter læſum eſſe probaverit, cum & ipſo jure Civili hoc caſu detur filio actio in Patrem *L.* 5. *ſi ſuperſtite in fin. C. de dolo.* Idem de Gallorum moribus tradit *Rebuff.*

2. Quæritur, an reſtitutio dari poſſit adverſus tranſactionem. *D. Chriſtyn ad Bugnion lib.* 3. *tit.* 66. refert quoſdam docere; etiam adverſus tranſactiones dari reſtitutionem, idque conforme eſſe juri, & æquitati naturali, ne quis cum alterius damno locupletetur. Reſtitutio etenim hæc introducta eſt, ut omnis læſio poſſit reparari; minores autem in tranſactionibus lædi poſſe, uti & alios quoſvis, eſt in confeſſo. Contrariam tamen opinionem dicit eſſe juri conformiorem, & rebus judicatis celebriorem, ne tranſactio, quæ finiendis litibus eſt remedium, ſit earumdem ſeminarium. Alii tamen priorem ſententiam tenere volunt, dum læſio eſt enormiſſima: aliàs tenere ſecundam. Videri poterit D. Author.

3. Quæritur, an detur reſtitutio contrà dationem dotis. Reſp. Minor, quæ omnia ſua bona in dationem dotis contulit, noſtris, ac Gallorum moribus non reſtituitur in integrum. Cum enim generali Belgii conſuetudine ſit receptum, ut omnia conjugum bona, non modò tacitè in ſubſidium matrimonii collata cenſeantur, ſed etiam communia fieri: non poteſt videri circumventa, quæ jure communi utitur. Ità *Groenweg. Cod. lib.* 2. *tit.* 34.

4. Quærunt Authores, an detur reſtitutio contrà latam ſententiam. Reſp. Juxtà eumdem Authorem *tit.* 27. ibid. noſtris, & Gallorum moribus minor non reſtituitur adverſus rem in ſubalternis judiciis judicatam: ſed ſi ſententia diſpliceat, ſolummodo appellandi jus ipſi reſtituitur. Ab arreſtis verò ſupremæ Curiæ, cum non detur appellatio, conceditur reſtitutio, non à ſupremâ Curiâ, ſed à Principe obtinenda; quamvis arreſta ſupremæ Curiæ regulariter per ſolam erroris propoſitionem reſcindi poſſint: unde & reſtitutionem dictam cum

Digitized by Google

cauſæ cognitione mandatam fuiſſe ſupremo Mechlinienſi Concilio, refert *Wameſ. Cent.* 1. *Conſ.* 74. *num.* 10. addunt alii, ad hanc reſtitutionem, non niſi ægrè eſſe deveniendum: unde & in ſupremâ Hannoniæ Curiâ ejuſmodi reſtitutio non admittitur. Vide *Chriſtyn ad Bug. lib.* 2. *tit.* 139.

5. Quæret quiſpiam, an reſtitutio dari poſſit adverſus venditiones publicas. Reſpondet *D. Stockmans Deciſ.* 114. in venditionibus publicis, quæ fiunt authoritate, ac Decreto Judicis, tanta ſecuritas eſt ementibus, ut nulla admittatur in integrum reſtitutio ex capite minoris ætatis, aut favore Eccleſiæ, aut ob abſentiam Reipubl. causâ. Peractis enim ſolemnitatibus, ac præmiſſis edictis citatoriis, & lapſis conſuetis intervallis, quotquot tacuerunt, jure ſuo excluſi ſunt, ſive hypothecæ, ſive dominii, ſive ſervitutis: idque ſine ullâ ſpe reſtitutionis, quocumque demum ex capite; Ne labaſcat alioquin, aut vacillet, quæ ſumma, & inconcuſſa debet eſſe in Republ. authoritas rerum judicatarum. Ita Author ille Clariſſimus: qui *Deciſione* 113. *num.* 4. abſolutè negat, dari reſtitutionem in integrum minoribus, aut aliis, contrà ſententiam purgationem civilem ſolito ritu peractam, & ſententiâ plenè concluſam. Addit Anſelmo *Tribon. cap.* 56. non dari reſtitutionem in integrum adverſus emptores terrarum inundatarum, quando pro publicis oneribus impoſitis, vulgò *geſchoten* publicè, & ſub haſtâ venduntur. Ita Edict. S. Auguſt. 1602.

Quæres 6. à quo, & quomodo reſtitutio debeat impetrari. Reſp. Hodie à ſolo Principe impetratur, cujus vices hâc in re ſupremâ Brabantiæ Curia gerit, uti & ſuprema Hollandiæ, quæ litteras, vulgò *Brieven van dagghſele met committimus* dirigit ad Judicem in causâ principali competentem, ut impetrantes reſtituat, ſi cauſa ſubſit, & preces veritate nitantur. *Zyp. notit. jur. Belg.* Idem de Galliæ moribus tradunt Doctores Galli. Peti verò debet reſtitutio dicta, coram Judice Rei, contrà quem agitur, eò quòd actor debeat Rei forum ſequi. Is tamen, qui veniam ætatis conſecuti ſunt, reſtitutio non ſolet concedi; ne qui cum illis contrahunt, principali authoritate circumſcripti eſſe videantur. Ii verò, qui minores matrimonium ineunt, & eâ ratione à curatelâ eximuntur, gaudere poſſunt reſtitutionis beneficio, qui id ſæpè faciunt inconſultò, nec ſatis adhuc ſunt circumſpecti ad res ſuas ritè expendendas: qui verò veniam ætatis receperunt, ſupponuntur eſſe ſatis maturi ad hoc judicii, in quod & Princeps ſolet inquirere, antequam veniam ætatis ſoleat elargiri. Neque etiam reſtitutio dicta datur illis, qui prætendunt ſuæ profeſſionis nullitatem poſt quinquennium à profeſſione. Ità *Conc. Trid. ſeſ.* 25. *cap.* 19. *Reg.* item neque illi, qui fecit renuntiationem bonorum ante profeſſionem juxtà formam Tridentini *ſeſ.* 25. *cap.* 6. *Reg.* præſcriptam, cum poſt profeſſionem ſit civiliter, id eſt, fictione juris mortuus *L. Deo nobis. C. de Epiſc. & Clericis.*

Quomodo reſtitutio ſit impetranda.

Quia verò plerumque remorandæ ſolutionis, & executionis causâ poſtulari ſolet reſtitutionis beneficium; rectè jure Canonico eſt ſtatutum, ut poſtulatâ in integrum reſtitutione, ejuſque causâ pendente, contractus, aut ſententia, adverſus quam petitur reſtitutio, mandetur executioni, præſtitâ cautione de

reſti-

Digitized by Google

reſtitutio, mandetur executioni, præſtitâ cautione de reſtituendo. *Cap. 6. ſuſcitata* ✠ *de integ. reſtit.* idque quotidie in praxi obſervatur, teſte *Groenwegen Cod. l. 2. tit.* 50. non modò in his, ſed etiam in aliis Regionibus.

Quæres ultimò, an minor poſſit tutâ conſcientiâ uti beneficio reſtitutionis in integrum, ut ſi illi ſolutio ſit legitimè facta, poſſit eam iterum repetere. Reſp. Quod ſic; aliàs enim lex reſtitutionis eſſet injuſta, dum concederent actionem, quâ ſine peccato uti non poſſent. Cum verò dicta lex cedat in bonum commune; puta, ut infirmior ætas, & aliæ perſonæ liberentur à fraudibus, etiam dicenda eſt juſta. Et cum illa non fundetur in præſumptione fraudis, ſed periculi fraudis, quod ſemper ejuſmodi contractibus adeſt: ideo, etiamſi fraudes abſint, manet tamen in ſuo vigore, & tutâ conſcientiâ poſſunt perſonæ privilegiatæ dicto reſtitutionis beneficio gaudere.

CAPUT II.

De Promiſſione, & Donatione.

SECTIO I.

Quid promiſſio, & quomodo obliget.

Quid promiſſio.

PRomiſſio ſimplex *eſt deliberata, & ſpontanea datio fidei alteri facta de re licita, poſſibili, illique grata*: dicitur *ſimplex*, ſeu nuda promiſſio, quæ, etſi etiam acceptata, aliundè non roboretur, v.g. ex eo; quod aliundè res ſit debita, non apponatur juramentum, non adjiciatur onus pignoris, nec veſtiatur ſtipulatione, vel traditione rei. Dicitur *deliberata*, puta deliberatione *plenâ*, quæ ſufficiat ad peccatum mortale, & ad votum validè emittendum: undè ſemiplena non ſufficit. Ratio eſt, quod cum obligatio promiſſionis ſuſcipiatur ex voluntate promittentis, æquum eſt, quod illa non teneat, niſi plenè conſenſerit. Dicitur *ſpontanea*, quia ſi vi, metu, vel fraude extorta ſit, non tenet promiſſio. Quod verum eſt, à quocumque illa adhibeantur. Ratio hujus eſt, quod promiſſio ſit actus planè voluntarius, & gratuitus, ergo nullo modo extortus, unde alter debet reſtituere etiam ante ſententiam judicis, quod tali promiſſione accepit. Quod etiam extendunt ob eandem rationem ad metum levem, & reverentialem pro foro conſcientiæ: quia in foro fori non præſumitur ob levem metum, ſed liberaliter promiſiſſe. Idem extende ad preces importunas, quæ coactioni æquivalent: ſecus eſt de blanditiis, & munuſculis, quæ potius voluntatem augent, quam minuunt. An verò jure naturæ metus ille promiſſionem irritet, ex dictis de contractibus patet quod non: quia, quod metu fit, abſolutè eſt voluntarium: quod autem illud reddi debeat, fit ob injuriam metûs, non ex eo, quod contractus fuerit nullus: vide ibi dicta.

Quæ-

Quæres, quid ſi ceſſante metu promiſſionem adimpleat. Reſp. Eo caſu alter ad reſtitutionem non teneri, quia cenſetur eo caſu non ex metu, ſed liberaliter, & voluntariè impleviſſe; niſi fortè impleſſet ex ignorantiâ, quâ putabat ſe teneri: quo caſu cenſetur implere ex metu, & injuria extorta promiſſio, quæ adhuc cenſentur durare. Notandum tamen hîc eſt, valere promiſſionem ex metu factam, ſi metus ille non incutiatur ad illam promiſſionem, v.g. quando quis metu mortis, naufragii, promittit Deo, aut etiam tertio, ut illum liberet.

Dicitur ulterius *fidei datio*, ſeu obligatio, quâ ratione differt à *propoſito*, quod eſt nuda inclinatio voluntatis, ſine inductione obligantis, quamvis ſæpè propoſitum ſignificetur per promiſſionem v.g. dum quis ait, *promitto*, intendens ſolum ſignificare animi ſui propoſitum, quod ait *Sylvius*, in foro conſcientiæ eſſe benè obſervandum, quando pœnitentes ſæpè putantur promiſiſſe, qui tamen ſolum habuêre nuda propoſita. Item per hoc excluduntur promiſſiones urbanitatis, v.g. dum dicitur, *ſerviam tibi ſemper, tibi dabo omnia bona mea &c.* quæ non dicuntur ad inducendam obligationem, ſed ſolùm ex modo loquendi ſignificant animi propenſionem ad alterum. Hoc tamen notandum, quod ſi promittens tunc ſeſe voluiſſet obligare, omninò obligetur; ratio eſt, quod obligationes, quas quiſque ſibi imponit, magis pendeant ex animo, & voluntate promittentis, quam ex verbis, & ſignis externis, quæ eam voluntatem ſignificant; etſi ad verba in foro fori magis reſpicere ſoleant, quæ ſi de ſe ſint talia, omninò obligabit promiſſio. Notabile.

Si verò ſit dubium, ſive de verbis, ſive de voluntate ſeſe obligandi, magis inclinandum eſt, non eſſe promiſſionem, & potius verba reſtringenda eſſe, quam amplianda, dum in dubiis in materiâ de juſtitiâ plerumque melior ſit conditio poſſidentis libertatem. Dicitur ulterius *de re licitâ poſſibili, & gratâ.* De re licitâ agetur poſteà. *De re poſſibili*, quia ad impoſſibile nemo obligatur, eſſetque ſtulta promiſſio. Sed quid ſi res promiſſa eſſet ex parte poſſibilis; & ex parte impoſſibilis? Reſp. Valida erit, quoad partem poſſibilem, invalida quoad aliam. Undè donationis prodigæ promiſſio eâ parte tenet, quâ ſine prodigalitate poteſt impleri. Idem judicium eſt, ſi res, etſi antea poſſibilis eſſet, tamen ob mutatas circumſtantias fiat moraliter impoſſibilis, vel etiam ſtatus rerum ità mutetur, ut prudenter cenſeatur promittens, eum caſum ſuâ promiſſione non comprehendiſſe: quia, ut ait S. Thomas q. 100. a. 3. *Ad hoc, quod teneatur homo facere, quod promiſit; requiritur, ut omnia immutata permaneant: alioqui nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit, quod habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus; nec etiam eſt infidelis, non implendo, quod promiſit, quia eadem conditiones non extant.* Hinc ſequitur, quod ſi alteri promiſeris enſem, ſi illo ſit abuſurus, non debeas dare: ſi promiſeris te ducturum filiam, ſi poſtea fornicetur: ſi promiſeris quod emere, quod lex emi prohibet, non obligatur.

Quæres, an promiſſio ſolo actu interiori alteri homini facta obliget? Reſp. pro-

An obliget promiſſio interna.

promiſſio interna ſoli Deo facta, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, tenet: tamen non tenet facta homini; undè D. Tho. *promiſſio, quæ ab homine fit homini, non poteſt fieri, niſi per verba, & alia externa ſigna, Deo autem fieri poteſt per ſolam internam cogitationem.* Ratio eſt, quod homines non ſibi communicent, niſi per ſigna externa, adeoque cùm contractus ſit aliquid, cui communicatio humana, & ſocietas innititur; ſequitur, quod debeat fieri per ſigna externa; contractus enim non poteſt fieri ſine conſenſu utriuſque; unde etiam dicitur *ultrò, citròque obligatio*; alterius autem conſenſus adeſſe non poteſt, niſi alterius voluntas ſit aliquo externo ſigno manifeſtata. 2. Promiſſio illa non poteſt eſſe acceptata, quæ proindè non obligat, de quo poſtea. 3. Quia promittens non poteſt obligari ex juſtitiâ, niſi promiſſarius habeat ſtrictum jus ad rem promiſſam, & conſequenter non poteſt dici habere jus ad rem, quam necdum voluit acceptare, quod fieri non poteſt, cum alterius voluntas non ſit illi intimata.

Objectiones.

Objicies 1. promiſſio illa facta Deo obligat, ergo & homini. Reſp. N.C. quia etiam per interna communicamus cum Deo. 2. Deus novit abſcondita cordis, non homines. 3. Ideo etiam poteſt acceptari à Deo, non ab hominibus.

Objicitur 2. obligatio contractûs oritur ex ſolâ voluntate, ergo. Reſp. per voluntatem nullo externo ſigno expreſſam. N. ob dictas rationes.

Objicitur 3. qui heri internè promiſit, & cras externè, talis obligatur, ſi alter acceptet: atqui tunc non intervenit, niſi acceptatio ſolo jure poſitivo requiſita: ergo ante illam contractus valuit. Reſp. ideo obligat, quia ſigna externa adveniunt, quæ voluntatem præteritam non retractatam, ſed continuatam, jam manifeſtant; non autem propter acceptationem.

Objicitur 4. quod externa promiſſio non obliget, non fit vi ſigni externi, ſed maximè vi internæ voluntatis, quæ hîc adeſt. Reſp. idem, quod ad ſecundum.

Objicitur 5. interior promiſſio aliquid habet ultrà ſimplex propoſitum, quod eſt obligatio. Reſp. addit obligationem, ſed inchoatam tantum, & revocabilem ad nutum promittentis.

Objicitur 6. promiſſio interna jurata obligat: ergo & non jurata. Reſp. aliqui hoc fieri vi juramenti, non vi promiſſionis; alii dicunt, non teneri juramentum, quia illud ſequitur naturam contractûs, qui hîc eſt nullus.

Objicitur 7. promiſſio interna habet vim in conſcientiâ obligandi promittentem ad manifeſtandam promiſſionem, adeout, ſi acceptetur, debeat impleri, quam obligationem poteſt imponere ſibi per actum internum: ergo ut obligationi illi ſatisfiat, tenetur illud manifeſtare, & conſequenter ſeſe ad hoc obligat. Reſp. Promiſſio interna non obligat promittentem ad illam manifeſtationem, & ab initio fuit inepta ad alteri ſeſe obligandum, eò quòd interna ſigna non ſint apta ad inducendam obligationem inter homines. Imo, etſi internam ſuam promiſſionem alteri manifeſtaret, & ille etiam acceptaret, non mane-

maneret equidem promiſſor ille obligatus, niſi per illam manifeſtationem ſe de novo vellet obligare: cum enim illa promiſſio interna ab initio fuerit invalida, & inepta ad obligandum, ut jam illam vim obligandi accipiat, opus eſt, ut de novo ratificetur; non poteſt autem de novo ratificari, niſi ſciat antè fuiſſe invalidum, & modò velit de novo efficere validam; hoc enim ratificare importat, efficere ſcilicet validum, quod antè fuerat invalidum.

Quæres ſecundò, an promiſſio exterius facta obliget antè acceptationem promiſſarii. Reſp. breviter, quod nullo jure illa promiſſio obliget, ſed poſſit revocari: ratio eſt, quod obligatio contractûs non oriatur, niſi ex conſenſu utriuſque, ut antè diximus. 2. Quod omnis promiſſio habeat adjunctam hanc conditionem, *ſi ab alio accepietur*. 3. Quod in promiſſione omni concurrat obligatio reciproca, ſcilicet gratitudinis: unde dicitur, *beneficium accipere, eſt libertatem vendere*: ergo etiam requiritur alterius conſenſus, qui non habetur, niſi per acceptationem. Excipe tamen promiſſionem ad pias cauſas, & factam infanti: quod primum tamen non eſt adeo certum; quia hoc ſolum in jure ſtatuitur de promiſſionibus factis Civitati, nihil verò ibi dicitur de piis cauſis; undè gratis hoc dicitur; imo exceptio firmat regulam in contrarium. An promiſſio obliget ante acceptationem promiſſarii.

Objicitur 1. Obligatio oritur ex ſolâ voluntate, per privatam legem ſæpè obligantis, ergo non eſt neceſſaria acceptatio. Reſp. N. C. etſi enim obligatio originem ſumat à voluntate promittentis, tamen non confirmatur, niſi per acceptationem, qui non poteſt rationabiliter exigere executionem promiſſionis, ſi eam non acceptaſſet. Objectiones.

Objicitur 2. Lex etiam non acceptata obligat, ergo. Reſp. N. C. quia lex fertur à ſuperiore, qui poteſt obligare ſubditos, etiam invitos: promiſſio autem eſt inter homines æquales, quorum unus non poteſt in altero cauſare jus exigendi rem promiſſam, niſi acceptetur.

Objicitur 3. Promiſſio talis facta Civitati obligat, item infanti: ergo ſignum eſt, quod illi de jure naturæ inſit vis obligandi, quia illam Jura civilia dare non poſſunt. Reſp. Wiggersait, hîc non dari obligationem, quam non habet promiſſio non acceptata, ſed ſolùm negari revocandi facultatem. Alii melius dicunt, etiam his caſibus intervenire acceptationem tacitam communitatis, quæ fictione juris cenſetur hîc eſſe perſona. Sic etiam dicitur, quod acceptatio infantis ſuppleatur à Republicâ in favorem ætatis, & imbecillitatis.

Objicitur 4. Promiſſio talis jurata obligat, ergo. Reſp. alii N. antecedens: eò quòd juramentum ſequatur naturam promiſſionis, quæ hîc eſt nulla, alii autem Reſp. N. C. eò quòd obligatio hîc non proveniat ex promiſſione, ſed ex parte juramenti.

Objicitur 5. Ut creditor remittat debitum, non eſt neceſſaria acceptatio debitoris, ergo. Reſp. N. C. quia plus requiritur ad debitum ponendum, quam illud extinguendum. Deindè, alii negant antecedens, ex eo, quod eo ipſo, quo creditor remittit debitum, creët in debitore jus aliquod, quo fiat li-

 ber,

Digitized by Google

ber, quod in debitore acceptari non poteſt, niſi conſentiendo, tacitè ſaltem.

Variæ quæſtiones de promiſſione.

Quæri hîc poteſt, an quando quis aliquid promittit præſenti, & tacenti, cenſeatur eſſe acceptatio. Reſp. quod ſic, quia *in gratioſis*, qui tacet, conſentire videtur: ergo etiam in promiſſione, quæ eſt gratuita.

Quæres 2. an mortuo promiſſario, aut donatario ante acceptationem abſolutè obliget promiſſio, maximè, ſi juramento ſit firmata. Reſp. quod non, quia non eſt acceptata: neque dici poteſt, quod acceptetur ab hæredibus; quia ad illos directa non fuit, quia erat obligatio perſonalis, non realis, quæ non tranſit ad hæredes, ſed extinguitur cum perſonâ.

Quæres 3. an promiſſio non acceptata, nullam obligationem cauſet. Reſp. cauſat illam naturalem, quâ conſtringitur promittens, ut verum faciat, quod dixit ſe facturum; unde cauſat obligationem veracitatis; an autem dicatur etiam obligatio illa fidelitatis, eſt quæſtio de nomine; quia, qui hoc non facit, aliquando dicitur *non fidelis in verbis*, aliquando *mendax*, & *falſarius*.

Quæres 4. quinam poſſint pro alio ſtipulari, ſive alterius nomine promiſſionem acceptare. Ante omnia hîc notandum, quod, ut quis pro alio poſſit ſtipulari, debeant ad illum, vel tacitè ſaltem dirigi verba promiſſionis, v.g. expreſsè, ſi dicatur, *promitto tibi, quod dabo Petro* 10. Implicitè autem, quando dicitur generaliter, *promitto, quod dabo Petro* 10. Quia, etſi hîc ſolum exprimatur perſona, cui promittitur; tamen etiam moraliter cenſetur fieri promiſſio illi, cui hoc dicitur; ſi ſcilicet aliquo modo repræſentet perſonam promiſſarii. Nota 2. quod ille, qui pro alio acceptavit, non poſſit remittere promiſſionem, quia jam alteri eſt jus acquiſitum, adeoque remitteret cum præjudicio promiſſarii. Hoc tamen verum eſt, quod promiſſio ſuſpenſa hæreat, donec à tertio ſit acceptata; adeo, ut promiſſor poſſit adhuc eam revocare. Cujus ratio eſt, quod ille alter non acceptarit promiſſionem nomine proprio, ſed alieno, & ſub alterius beneplacito; adeo ut, ſi alter eam rejiciat, maneat irrita. Aliud eſt, ſi alter aliquid repromiſerit nomine tertii, quo caſu etiam poteſt remittere. Ratio eſt, quod poſſit ſe ſolvere ab obligatione contractâ, ſi promiſſor velit; quod vinculum, cum ſit ortum ex acceptatione illius, poteſt ex ejuſdem remiſſione diſſolvi: quia obligatio, per quas cauſas oritur, per eaſdem & tollitur. Notandum 3. dicta intelligenda eſſe de promiſſione ſimplici liberali; quia ſi ſit oneroſa, non ſufficit, ut acceptans pro abſente acceptet, ſed requiritur, ut ipſe abſens acceptet, & repromittat; adeo ut, antè ejus repromiſſionem poſſit eam revocare. Ratio ejus eſt 1. quia abſens poteſt non acceptare cum illo onere, ergo ille promittens ſemper manet liber, ut poſſit revocare. Deinde contractus reſpectivus requirit utriuſque obligationem, cum habeat hanc tacitam conditionem, *ſi alter repromittat*. Quâ non completâ, poteſt alter reſilire, eò quòd promiſſio non ſit plenè acceptata.

His notatis. Reſp. 1. poteſt pro abſente ſtipulari omnis ille, qui ab eo ſpecialem,

Digitized by Google

cialem, vel generalem adhoc habet poteſtatem. Quam generalem malè excipit Wiggers. 2. Qui eſt ſub alterius poteſtate, v. g. ſervus pro Domino, filius familias pro Patre, &c. Quia cenſetur ille cum alio eſſe una perſona. 3. Qui aliorum Curam gerunt, ut tutores, Curatores, Principes pro ſubdito, &c. 4. Illi, qui ex promiſſione abſenti facta commodum portant, vel aliquo onere liberantur, v. g. uxor pro marito, ſocius pro ſocio, &c. 5. Quilibet pro loco pio.

De Notario, ſive Tabellione autem quæritur, an ille poſſit etiam pro abſente ſtipulari vi officii ſui. Reſp. Cum nullum jus poſſit inveniri, quod illud ſtatuat, ſic illis hoc non eſt attribuendum vi officii, quod de ſe tantum eſt conficere inſtrumenta publica, non autem pro alio ſtipulari: moribus tamen noſtris videtur id invaluiſſe, quod Notarii pro aliis ſtipulentur, quod etiam ad Secretarios oppidorum extendit *Zypæus not. Belg. de contrahendis ſtipulationibus.*

SECTIO II.

An promiſſio ſimplex legitimè facta, & acceptata debeat ſub peccato mortali adimpleri.

RESP. Varii docent, promiſſionem de ſe tantum obligare ſub peccato veniali; tamen ratione damni, & per accidens poſſe obligare ſub peccato mortali, ſi v. g. promiſſarius grave damnum incurreret ob non impletam promiſſionem. Ratio illorum eſt, quod promiſſio ſolum obliget lege fidelitatis, non juſtitiæ, quæ ſub peccato mortali non obligat ſecluſo damno. Alii docent hoc pendere ex intentione ſeſe obligandi: ſi enim intendat quis ſe obligare ex honeſtate morali, obligatur ſub peccato veniali; ſi autem ex juſtitiâ, ſub peccato mortali.

Alii denique abſolutè docent, omnem promiſſionem ſeriò factam in re magni momenti obligare ſub peccato mortali ad ſui impletionem, ubi fuerit acceptata. Ratio eſt, quod jus naturæ dictet, quod talis non adimplendo delinquat, quod eſt ſignum, fuiſſe obligationem: obligatio autem contractuum, eſt obligatio juſtitiæ, quæ de ſe ſub peccato mortali obligat. Deinde promiſſio facta Deo ità obligat ſub peccato mortali; ergo etiam facta homini, eò quòd hominem decipiat, & fallat, quod eſt injurioſum, & contrà juſtitiam, & conſequenter contrà jus naturæ, & de ſe ſub peccato mortali prohibitum. Excipe hîc tamen, niſi materiæ parvitas excuſet. *Promiſſio de re gravi debet ſub mortali adimpleri.*

Quæres, quanta debeat eſſe quantitas, ut hîc ſit peccatum mortale. Reſp. Alii eam, quæ eſt mortalis in furto: alii tamen melius docent, debere eſſe majorem, quam alii ſtatuunt quadruplo majorem. Ratio hujus eſt, quod promiſſio ſit liberalis, & proindè modo imperfectiori debita, quam id, quod debetur ex contractu, vel vi damni dati, adeoque promiſſionem non implens, *Quæ ſit materia gravis.*

Digitized by Google

plens, non cenſetur communi apprehenſione tantum delinquere, nec alium tantopere eſſe rationabiliter invitum.

Reſp. 2. ſi quis aliquid promitteret alteri, non ità animo ſeſe obligandi, quam ex morali honeſtate, & civilitate propoſitum animi ſui declarandi, non obligatur ſub peccato mortali, niſi promiſſario ex non impletione grave aliquod damnum oriretur. Similes dixi eſſe promiſſiones urbanitatis, & alias illis ſimiles. Ratio eſt, quod hîc ad ſummum ſit obligatio veracitatis, ut verificetur illud, quod promiſit ſe facturum, quæ non obligat per ſe ſub peccato mortali. Aliud eſt, ſi inde oriretur grave damnum, cujus cum promittens eſſet vera cauſa, etiam teneretur illud adimplendo præcavere.

Quæres, undenam dignoſces, aliquem ſe voluiſſe obligare ex honeſtate, an ex juſtitiâ: Reſp. Cenſetur ex juſtitiâ, qui ita obſirmatè promittunt, ac ſi voverent. Item qui tam firmè promittunt, ut ſi rem ad manum haberent, ſtatim illam darent. 3. Si poſt ſtipulationem promittant. 4. Si promittant in illâ occaſione, in quâ ſolent homines donare. 5. Si ad cauſas pias promittant, in favorem pietatis: ſi ad dotem, vel commune bonum, ob eandem cauſam. Ex honeſtate autem cenſetur promittere, nec ex juſtitiâ, qui promittunt dare ad uſuras, in ſimoniâ, in venditione ultrà juſtum, in caſu vis, vel metûs; ſimuli quoque in ceſſatione ſtipendii: ſi verò maneat dubium, an ex juſtitiâ, an ex honeſtate, præſumendum eſt ex honeſtate, quia melior ſic eſt conditio poſſidentis libertatem.

S E C T I O III.

Quandonam promiſſio debitè facta, & acceptata deſinat obligare.

RESp. generaliter tunc, quando intentio promittentis ad aliquid non cenſetur ſeſe extendiſſe. Hinc 1. Si mutetur notabiliter rerum ſtatus, deſinit obligare promiſſio. Ratio eſt, quod in illâ promiſſione locum habeat epykia, multò magis, quam in legibus aliis, quia illa promiſſio eſt liberalis ſibi ipſi data, & impoſita. 2. Quando eam promiſſarius remittit, ſive condonat, quia eo ipſo cenſetur eſſe adimpleta: ſic Papa remittit vota, vel tamquam Vicarius Chriſti, vel tamquam ſuperior voluntatis fidelium, uti vir uxoris, de quo poſtea. 3. Si res promiſſa fiat impoſſibilis, illicita, damnoſa, & inutilis promiſſario. *Impoſſibilis*, ſi res periit; *illicita*, ſi lex obſit; *damnoſa*, ſi promiſi enſem, & promiſſarius illo ſit abuſurus. *Inutilis*, ſi promiſi Equum, qui jam eſt claudus. 4. Si ſit promiſſio mutua, & alter ex parte ſuâ fidem frangit: quia frangenti fidem, fides frangatur eidem. Deinde; non niſi eâ conditione cenſetur facta promiſſio, ut ſcilicet alter ſtet promiſſis. 5. Ob inſignem ingratitudinem, & inimicitias immortales. Si quid promiſiſſes, & depoſt in egeſtatem incideris; partim, quia ſit impoſſibilis, & rerum ſtatus variatur: partim etiam, quod illa conditio ſit ſubintellecta, *manente eodem ſtatu*. Hoc tamen hîc notandum, quod ſi ille ante egeſtatem commodè dare potuiſ-

Digitized by Google

tuiſſet, illum debere ſtare promiſſis, ſi poſtea ad meliorem fortunam venerit. Ratio eſt, quod tunc non ſolùm teneatur ratione promiſſionis, ſed etiam ratione moræ, quâ fuit cauſa damni alterius, quod proinde, dum poteſt, debet reſarcire. Aliud eſſet, ſi ex cauſa illam exequi diſtuliſſet, quia tunc non fuiſſet cauſa damni.

Quæres, an etiam deſinat obligatio promiſſionis ratione difficultatum, quas non præviderat promittens. Reſp. Quod non: ſic enim non teneret multorum promiſſio Religionis, Caſtitatis, Matrimonii, &c. quia, ſi eas prævidiſſent, non accepiſſent tales ſtatus: & certè, ſi hoc daretur, turbaretur humana ſocietas, nec quidquam eſſet ferè firmum in contrahendo. Unde ex parte difficultatum non deſinit obligatio, ſed ex mutatione ſtatûs rerum, de quo jam diximus.

Quæres, cui res promiſſa pereat, Reſpondet. Si res aliqua determinata ſit promiſſa, & ad certum tempus, ſi ſine tuâ culpâ antè illud tempus pereat, perit promiſſario. Ratio eſt, quod promiſſio ſit liberalis, & gratuita; unde promiſſor non debet ex liberalitate gravari aliam rem ſubſtituendò. Deinde, promiſſio fuit rei determinatæ, ad quam intentionem ſuam promittens conſtrinxit, non ad aliam, & actus agentis non operantur ultrà intentionem eorundem. Aliud tamen eſt, ſi culpâ pereat latâ, vel dolo, qui latæ in jure æquivalet. Si verò res promiſſa pereat, & aliquid ex eâ remanſerit, v.g. tigna de domo, navi, &c. debet reſtans illi dari: quia ſicut quoad totum promiſſum per acceptionem acquiſivit jus, ita & ad omne, quod de tali re promiſsâ reſtat; & uti periculum illius rei ad promiſſarium ſpectabat; ita & illud, quod adhuc reſtat ad eumdem ſpectat. Si verò res determinata promiſſa ſit danda ad certum tempus, ſi poſt tempus ſuâ culpâ pereat, eò quòd promiſſor fuerit in morâ, perit promiſſori: ſi autem promiſſarius ante oblatam noluerit acceptare, perit promiſſario. Cui pereat res promiſſa.

SECTIO IV.

De Donatione.

DOnatio idem eſt quod *doni datio*. Definitur, *liberalis rei alicujus datio.* Ab aliis, quod *ſit contractus lucrativus obligans ad gratis transferendum dominum in alium, idque ſtatim*. Dicitur *contractus lucrativus*, ex quâ parte differt ab oneroſo, qui ex utraque parte, ſive ultrò citròque parit obligationem; donatio autem ſolum in donante, qui ſe obligat liberaliter ad dandum, nullâ viciſſim impoſitâ obligatione donatario. Dicitur *obligans*, quia donatio contractus, non eſt ipſa rei traditio, ſed potius hæc eſt executio donationis contractus. Dicitur *ad transferendum*, *&c.* quia cum omnis contractus transferat dominium, vel uſum rei, hoc agit nobiliſſimè donatio: quia illa transfert plenum dominium rei. Sed quia etiam ad illud tendit promiſſio, ideo additur, *idque ſtatim*, in quo etiam differt à promiſſione, quæ de ſe reſpicit futuram Quid ſit donatio.

Digitized by Google

ram tranſlationem; donatio autem *de ſe*, ex incontinenti, non quidem *mathematicè*, ſed moraliter; id eſt, ſi donetur, vel termino affixo ex uſu, vel lege, vel propriâ voluntate. Porrò, donatio famosè dividitur in *donationem inter vivos*, & *donationem mortis causâ*. Hæc eſt, dum quis ita alteri donat rem ſuam, ut eam velint eſſe alterius, ſolùm poſt mortem. Illa eſt, dum etiam donante vivente, vult donans rem eſſe alterius, cui eam donat.

Quid donatio inter vivos, & mortis causâ.

Diſtinguunt hîc aliqui in donationem, quæ à traditione incipit, quam nolunt eſſe contractum; benè tamen illam, quæ à promiſſione incipit: idque ex eo, quod ſcilicet traditio illa ſit *extrinſeca* contractui, & ejus objectum, & executio. Deindè, quod in illâ donatione nulla interveniat *obligatio*, nequidem ex parte donantis, quia ante dationem non erat obligatus, uti patet: nec in ipsâ donatione, quia tunc potius contractus ſolvitur, & ejus obligatio extinguitur, uti in aliis contractibus hoc uſu venit, adeoque non eſt eſſentialiter contractus, qui eſſentialiter obligationem requirit. Sed perperam; non enim diximus externam traditionem eſſe contractum, aut donationem; ſed ſolum, quod quando aliquis liberaliter donat, habeat animum ſeſe obligandi ad actualiter transferendum dominium ſtatim, quæ voluntas cum acceptatione donatarii efficit contractum. Unde ad aliorum fundamenta. *Reſp.* Traditionem rei eſſe quidem extrinſecam, & objectum contractûs; ſed traditio illa non eſt contractus, neque eum efficit, ſed eſt executio illius voluntatis, per quam eſſentiale contractûs ponitur.

Ad aliud verò *Reſp.* In illo inſtanti ſaltem naturâ priori, quo alter habet animum transferendi dominium, oriri obligationem donantis; adeo ut, ſi non ſequatur traditio externa, pareret actionem donatarii, quod eſt ſignum obligationis.

Ex dictis ergo colligi poteſt, quinam contractus ſint vera donatio. 1. Quod donatio reciproca non ſit vera donatio, quia non fit gratis; ſi verò quis tibi det gratis Equum, nil de retributione cogitans, & alter det tibi Bovem etiam de remunerando non cogitans, erit vera donatio, quia gratis datur ſine reſpectu ad aliam donationem, quæ etiam materialiter poteſt dici reciproca. 2. Sequitur, quod *ſolutio indebiti* ſit donatio, quia ſolvere indebitum eſt idem ac gratis donare. 3. Idem dic de *acceptilatione*, *ſeu remiſſione* debiti gratis factâ; qui enim illud remittit, ita agit, ac ſi prius illud accepiſſet, & acceptum donaſſet; quamquam non ſint propriè contractus, quia nullam obligationem pariunt, ſed potius antepoſitam extinguunt, adeoque potius dicitur *diſtractus*. Idem dic de ceſſatione debiti, aut actionis, quia illæ ſunt virtualiter donatio. 4. Sequitur, quod renuntiatio legitima in Fratrem, Patrem, &c. etiam ſit vera donatio, vel quia renuntiando donat rem, vel jus ad illam, cedendo.

An donatio conditionalis, & antidoralis ſit vera donatio.

Quæri poteſt 1. an donatio conditionalis ſit vera donatio. *Reſp.* Quod ſic. Sicuti enim donationi poteſt apponi tempus, ſive, ut jura loquuntur, *recipiat diem*; ita & modum, & conditionem; nec ideò deſinit eſſe liberalis donatio, quia illa conditio non mutat ſubſtantiam actûs, ſed ſolum eſt modus actûs,

&

Digitized by Google

& donatio modificata : hæc autem facultas modificandi competit omni donationi.

Quæres 2. an donatio *antidoralis*, ſive remuneratoria ſit vera donatio. Reſp. Donatio illa dicitur, quando quidpiam datur ob merita, obſequia, beneficia, &c. undè primâ fronte videtur, quod non ſit gratuita, ſed potius meritorum compenſatio; quare propriè donatio dici non poſſit : unde nec etiam cenſetur donatio, quando dicitur, quod donatio ob ingratitudinem poſſit revocari; vel etiam, quando alicui donatio interdicitur : hoc tamen omnes admittunt, ſi hæc donatio longè excedat merita, quâ parte excedit, debere propriè dici donationem. Si verò laxius loqui velis, etiam erit donatio, tamquam quâ aliquid gratis datur, hoc eſt, non ex juſtitiâ debitum : gratitudo enim non excludit omninò liberalitatem. Imò alii volunt, etiam verè, & propriè debere dici donationem, quia illa ita gratis tantum debet fieri, quatenus non debet eſſe ex juſtitiâ debita; qualiter non eſt, quod eſt debitum ex gratitudine. Imò, quia gratitudo non eſt ſimplex obligatio, quia abſolutè liberum relinquit, qui ex illâ debet; hinc ad ſummum dicitur, quod gratitudo minuat libertatem, non verò eam tollat.

Ad donationem verò remuneratoriam requiritur, 1. Ne munia, aut obſequia ſint aliàs debita; aliàs non extinguerent remunerationem; quia, quod quis ſolvere debet, non eſt gratitudo, ſed juſtitia. 2. N. poſſe Prælatos Eccleſiæ de bonis ſuis, & Eccleſiæ facere donationes remuneratorias; quia ad illos ſpectat communis adminiſtratio bonorum, ad quam etiam ſpectat eſſe gratos : idem poteſt vir in familiâ, tutor, & omnes, qui habent liberam adminiſtrationem. Nota tamen, ne illæ remunerationes ſint exceſſivæ, & ſint verè debitæ ex gratitudine, ne ſub tali ſpecie ſint meræ prodigalitates. Deinde Nota, quod etſi donationes inter vivos interdictæ ſint inter virum, & mulierem, ne eſſent in donando effuſi : tamen non iis interdicuntur donationes remuneratoriæ : nec enim omnia omninò obſequia debet uxor præſtare viro, ob quæ proindè ille poteſt eſſe gratus per donationem remuneratoriam.

Quæres 3. an donatio ex causâ falsâ ſit valida. Reſp. Si ſit cauſa falſa, ob quam aliquis quidpiam donat, ſive inter vivos, ſive mortis causâ, v. g. ob amicitiam, paupertatem, quæ reverà non ſubeſt; ſi habeat animum non dandi, niſi illa cauſa ſubſiſtat, donatio illa eſt omninò nulla : quod etiam verum eſt in foro externo, ſi donans illam conditionem expreſſerit. Si verò non expreſſerit, aliqui hîc diſtinguunt inter donationes teſtamentarias, quas volunt eo caſu valere; & donationes liberales, quas volunt non valere in foro externo, quia præſumendum eſt, quod noluerit ſe donans in hoc caſu obligare non ſubſiſtente causâ. Melius tamen aliqui docent, utraſque etiam non valere dicto caſu; eò quòd omnes illæ donationes virtualiter ſint conditionales; atqui conditione non ſubſiſtente præſumendum eſt, non voluiſſe donare donatorem, ergo. 2. Quia, cum illa donatio ſit ex errore, etiam conſequenter donatio eſt involuntaria, quia error cauſat involuntarium, ubi tamen obligatio donationis

pendet

pendet à voluntate. 3. Quod contraria opinio ſerviat dolis, & fraudibus, quibus tamen totum jus reſiſtit; adeo, ut contra præſumptionem falſitatis non admittatur probatio: facilè enim quis ſeſe fingeret alterius amicum, pauperum, &c. cum talis non eſſet, quo alium falsò & dolosè ad donationem adduceret, quod aliàs ille non feciſſet. 4. Quod tales donationes non ſint in rei veritate eleëmoſynæ, quæ debent dari pauperi, ut tali. Vide Princ. de eleëmoſyna, & de reſtitutione in hoc caſu. Si quod jus hîc videatur in contrarium obſtare, dicendum eſt, quod jus illud, ſupponat cauſam, quare facta ſit donatio, ſubſiſtere, & illud præſumat.

SECTIO V.

Quinam donare poſſint.

Generaliter ii donare poſſunt, qui habent dominium, & adminiſtrationem rerum non impeditam. Dominium quidem, quia qui ſolam habent adminiſtrationem, donare non poſſunt, niſi de conſenſu Domini. Adminiſtrationem verò, quia illa ad donationem pertinet. Non poteſt tamen illa eſſe impedita uti eſt in prodigis. Quærirur ergo de variis perſonis, quænam poſſint donare, ac primò,

De donationibus Uxoris, Filiorum, Minorum.

Donatio uxorum. Quæ Uxor donare legitimè poſſit, utcumque patet ex dictis, de illis perſonis, quæ poſſint contrahere C. 1. ſect. 2. poteſt igitur uxor eleëmoſynas dare de iis bonis, quorum adminiſtratio ſpectat ad eamdem, v. g. de bonis paraphanis, de quibus tamen apud nos nulla eſt ratio; dum Conjugum conquæſtus hîc ſunt communes, & omnium bonorum adminiſtratio ſpectat ad maritum. Generaliter autem donare nequit de iis bonis, quæ ad mariti adminiſtrationem ſpectat, niſi de expreſsâ aut præſumptâ licentiâ ejuſdem. Excipe tamen, niſi adminiſtratio ad uxorem eſſet devoluta, v. g. ſi vir ſit abſens, amens, prodigus: ſi adſit caſus gravis, vel extremæ neceſſitatis alienæ, & vir ſit avarus, vel ingratus. Poteſt itidem facere donationes remuneratorias juxtà conditionem ſui ſtatûs, cum uxor non ſit famula, ſed adminiſtrationis ſocia. Idem eſt de eleëmoſynis juxtà exigentiam ſui ſtatûs, ad quas maritus non poteſt eſſe rationabiliter invitus. Poterit itidem donationes moderatas facere Parentibus, & Fratribus egentibus, ob bonum mariti procurandum, aut ejus malum avertendum, idque ob dictam eamdem rationem. Et quidem Malderus docet, poſſe uxorem liberè donare vigeſimam partem proventuum, eò quòd maritus quoad hoc non poſſit eſſe rationabiliter invitus. Notant tamen plurimi experientiâ edocti, cavendum eſſe Confeſſariis, ne hîc nimiam faciant uxoribus facultatem in donando, aut in bonis adminiſtrandis, cum ad hoc ſoleant de ſe eſſe ſatis proclives; ſed in hâc parte, uti & in aliis eaſdem viro ſubjiciant, niſi fortè ex parte viri quid obeſſet.

Viro

Digitized by Google

Viro interim tamquam bonorum Domino, & adminiſtratori amplior competit donandi facultas pro ſuo arbitratu, dummodo conjugii bonis non noceat. Ubi tamen rectè notat *D. Stockmans Deciſ.* 49. *num.* 6. rectius dici, maritum eſſe veluti inſtitorem, & ſocietatis præpoſitum ad faciendum quæſtum in commune, qui factus uxori proſit, & proprietatem redigit in commune. Quæ inſuper donare poſſit, aut alienare maritus, dictum eſt loco ſuprà citato, de iis, qui poſſint contrahere.

Filii familias donare poſſunt de illis rebus, quarum habent dominium, & adminiſtrationem juxtà dicta eodem loco. De aliis, quorum adminiſtratio ad parentes ſpectat, donare non poteſt, niſi de expreſsâ, aut præſumptâ licentiâ eorumdem: de quibus quoque videri poſſunt ea, quæ diximus C. 6. ſect. 3. de furtis filiorum. Et quamquam jure Civili, filius familias, etiam major, donare non poſſit ſine conſenſu Patris *L. filius fam. ff. de donat.* cum tamen hodie Pater nullum jus habeat in bonis filiorum, conſequens eſt, ut hodie filius, etiam invito Patre donare poſſit, tam inter vivos, quam mortis causâ, quod ex communi DD. ſententiâ ibid. probat *Groenweg.* cætera huc ſpectantia mox reſtant dicenda, agendo de perſonis, quibus poſſit donari. Donatio filiorum familias.

Quænam Clerici donare poſſint, pendet ex eo, quorum bonorum Clerici ſint Domini. Poſſunt igitur donare de illis bonis, quæ ſubſtant debitæ ſuſtentationi, uti & de patrimonialibus: de aliis donare non tantum poſſunt pauperibus Clerici, ſed & ſtricto jure tenentur, juxtà dicta de Dominio Clericorum tract. 1. ſect. 9. hoc tamen omnes notant, Clericos præ reliquis arctiùs ad donandas eleëmoſynas eſſe obligatos; dum vocantur *pauperum Patres*; dum bona eorumdem dicuntur *bona pauperum*, *patrimonium Chriſti*, *&c.* hinc rectè Laurentius Juſtinianus lib. de compunct. & compl. Chriſt. perfect. *Patres*, ait, *pauperum eſſe recuſant, quoniam indigentium ſubſtantiam attribuunt ſibi. O quanta eſt abuſio, Chriſti ditari divitiis, & Chriſto nil velle tradere!* Eoſdem quoque negat eſſe *matres* S. Bernardus *Serm.* 19. *in Cant.* ubi inter alia, ità ait: *Non ſunt profectò matres, qui cum ſint de Crucifixi patrimonio nimium impinguati, incraſſati, dilatati; non compatiuntur ſuprà contritione Joſeph.* Hinc etiam ſtatutum, ut non poſſent teſtari de iis bonis, niſi ad pias cauſas, ut eo medio efficacius urgerentur ad tribuenda ſua bona in vita. Ex quibus hoc quoque liquet, non ſolùm ex jure poſitivo, humano, aut divino Clericos obligatos eſſe ad dandas eleëmoſynas, ſed & ex natura ſuorum redituum; adeò ut nemo cauſari poſſit; aliud contrariâ conſuetudine eſſe introductum, dum jus naturæ manet inviolabile. Donatio Clericorum.

Quantas verò eleëmoſynas donare teneantur Clerici, taxandum eſt judicio prudentiæ, prout doceri ſolet in materia de eleëmoſyna. Et Bannez 1. 2. q. 23. art. 6. dub. ult. ita de Epiſcopis ſcribit: *Ego ſanè nullum Epiſcopum Hiſpaniæ abſolverem, niſi ſaltem quartam partem redituum in eleëmoſynas expenderet: & hoc intellige in communibus neceſſitatibus. Nam in gravioribus, quales ſolent eſſe tempore famis, aut plurimarum ægritudinum, ad amplius tenentur, juxtà*

Digitized by Google

proportionem neceſſitatis pauperum, quæ ſunt Oves propriæ, ità ut aliquando teneantur ex propria ſupellectili eleëmoſynas dare. Subdit idem Author ſecundò dicens: quod Epiſcopus teneatur inquirere pauperes in ſuo Epiſcopatu ad faciendam, vel procurandam fieri eleëmoſynam; & non ſufficiat, ſi occurentibus pauperibus ſit miſericors, hoc enim reliqui de populo tenentur facere. Et iterum ſubnectit idem in hunc modum ſcribens: *Coram Deo dico, non intelligo, quomodo Epiſcopi ſint Patres pauperum, & quomodo ſint in ſtatu ſalutis, niſi prædictam curam habeant, ut ſi poſſint ſubvenire, ſubveniant: ſin minus, ſaltem condoleant.*

Hinc rectè Sarmiento de reddit. in fine tract. ità ait. *Si eam diſciplinam, quam antiqui Patres exigunt in Epiſcopis, & Clericis, contemplemur: non poſſumus non fateri, ab eorum inſtitutis tam longo intervallo diſſidentes, in maximo conſtitutos eſſe periculo.* Neque hîc ullatenus cauſari poſſunt, ex charitate ſolum de ſuperfluis donandas eſſe eleëmoſynas, cujus contrarium latius confirmavi agendo de dominio Clericorum: cum ut ibidem cum Bellarmino notavimus, perindè eſt, an defectu charitatis, an defectu juſtitiæ ad inferna deſcendant hîc negligentes. Hinc etiam Soto, etſi contrarium cum aliis doceat *l.* 10. *de jure & juſt. q.* 4. *art.* 4. ità tamen ſcribit; quod etſi ejuſmodi negligentes ad reſtitutionem non teneantur, *debent tamen eorum Confeſſarii eis, quos pauperum negligentes noverint, tam in vitâ, quam in mortis articulo, per modum ſacramentalis ſatisfactionis, largiſſimas eleëmoſynas imponere, ut eodem propemodum res recidat, ac ſi tenerentur ad reſtitutionem. Quod autem de Epiſcopis dicitur, id de reliquis etiam Sacerdotibus ſuo gradu intelligendum eſt, ac de iis præſertim, quibus animarum cura incumbit.* Ita Soto. Et ſi hæc de negligentibus eleëmoſynam; quid de prodigis, luxuriantibus, defraudantibus, non ſolventibus?

Donatio Religioſorum. Religioſi quoque generaliter ob votum paupertatis, omnis donationis independentis à nutu ſuperioris ſunt incapaces. Subindè tamen donationes facere poſſunt, de licentiâ ſuperioris expreſsâ, aut ſaltem rationabiliter præſumptâ juxtà regulæ, & profeſſionis ſuæ conditionem. Sic foris exiſtentes facere poſſunt eleëmoſynas, ut alii ejuſdem ſecum profeſſionis faciunt, iiſque de præſumptâ ſuperioris licentiâ: invicem donant res ad eorum uſus conceſſas, niſi id ſpecialiter ſuperior prohibeat. Cætera diſcuti ſolent agendo de voto paupertatis. Aliud eſt de ipſâ Religioſâ communitate, dum ſpecialiter ipſa Religio, aut ſuperior ejuſdem ad dandas eleëmoſynas eſt obligatus, ſi fundatio eorumdem, aut inſtitutum id imponat, uti ſunt Hoſpitalia, & Abbatiæ pleræque, quarum Fundatores primò providere voluerunt neceſſitatibus Religioſorum, honori cultûs divini, ac demum pauperum hoſpitalitati. Horum obligatio tam arcta eſt, ut ſi pauperibus neglectis ſuperflua decenti ſtatui prodigè expendant, aut conſanguineis donent, graviſſimè peccent, & ad reſtitutionem ſint obligati. Vide, quæ alibi diximus agendo de eleëmoſynâ.

Quoad donationes Novitiorum, notanda eſt conſtitutio Concilii Trid. ſeſ. 25. c.

Digitized by Google

25. c. 16. dicentis: *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio anteà facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcumque cauſa pia valeat, niſi cum licentiâ Epiſcopi, vel ejus Vicarii fiat, infra 2. menſes proximos ante profeſſionem: ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecutâ profeſſione: aliter verò facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſâ renuntiatione, etiam juratâ, ſit irrita, & nullius effectus.* Ex hac Concilii Tridentini conſtitutione collige 1. ad validam donationem Novitii eſſe neceſſariam licentiam Epiſcopi, vel ejus Vicarii: ſub quibus etiam comprehende Abbates, ac alios juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes in Novitios. 2. Ut ejuſmodi donatio fiat bimeſtri ante profeſſionem; quod ideo ſtatuitur, ut cum majori deliberatione fieret renuntiatio. 3. Notandum hîc eſt, inde non ſequi, quod Novitius tempore novitiatûs condere non poſſit teſtamentum, dum illi placuerit; hoc enim ideo de renuntiatione ſtatuitur, ne Novitius ſe cernens bonis deſtitutum per renuntiationem, ſæpè profiteretur invitus: quod non habet locum in teſtamentis, quæ poſſunt ſemper ante profeſſionem revocari. 4. Sub renuntiationibus comprehendit S. Synodus etiam donationes inter vivos, quia illa ambulant pari paſſu, adeoque quod hîc dicitur de uno, dicitur etiam de alio. Donatio Novitii.

SECTIO VI.

Quibus donari poſſit, & quantum.

De jure communi dare non poteſt in primis filio familias Pater, quamdiu eſt ſub patriâ poteſtate; eò quòd illi duo fictione juris ſint una, eademque perſona. *Inſtit. de inutilibus ſtipul.* deinde, regulariter loquendo, quidquid acquirit filius, acquirit Patri, adeoque impoſſibilitate juris non poteſt Pater aliquid donare filio. Si verò filius ſit emancipatus, ceſſat dicta ratio, quo caſu valet dicta donatio. Nihil interim vetat, quo minus poſſit Pater aliquid dare filio necdum emancipato ratione ſtudii, laboris, &c. quæ, cum cenſeatur à Patre dari liberaliter, non debent illa data poſtea in partitionem numerari. Quod tamen intelligi volunt de ſtudiis minoribus, quæ reputantur inter alimenta: non itidem de majoribus, quæ cenſentur alimenta excedere, nec ad eadem de jure Pater tenetur. Si verò Pater aliquid donet pro officio filii, non cenſetur Pater illud filio donaſſe, ſed debet computari in legitimâ cum aliis filiis. Quod ſi donatio Patris filio facta juramento firmetur, valebit donatio; eò quòd donatio illa ſit ſolùm contrà mores civiles, non itidem contrà bonos mores honeſtatis: atqui juramentum, quod non eſt contrà bonos mores eſt obſervandum, ergo. Et hæc quidem de jure communi. Cum tamen moribus noſtris filius regulariter non acquirat Patri, quidquid acquirit: hinc conſuetudines Urbis noſtræ *tit.* 36. *num.* 12. expreſsè ſtatuunt, ut donationes Parentum inter vivos filiis necdum emancipatis factæ teneant; adeo ut ornamenta eorundem à Patre data, filios ſequantur, etſi Pater depoſt bonis cedat, uti ſtatuitur art. ſequenti. Idem de aliorum moribus tradit *Groenwegen inſtit. lib.* 3. *tit.* 20. §. 6. Donatio Patris facta filio.

Digitized by Google

Donationes Conjugum. Varia quoque ſtatuuntur de donationibus conjugum inter ſe. l. 1. ff. de donat. dicitur: *Moribus apud nos receptum eſt, ne inter virum, & uxorem donatio valeret. Hoc autem receptum eſt, ne mutuo amore ſe invicem ſpoliarent, donationibus non temperantes, ſed profuſâ erga ſe liberalitate utentes.* Id etiam affirmant conſuetudines Urbis noſtræ, etſi etiam donatio facta eſſet coram Scabinis. Excipiunt tamen *tit.* 41. *art.* 53. veſtes, & cæterum mundum muliebrem juxtà conditionem ſtatûs mulieri datum à viro ſtante matrimonio, quæ mulierem pleno jure ſubſequuntur. Saxonum quoque moribus donationes conjugum valere, quæ jure Civili ibidem non improbantur, ex aliis docet *Groenwegen ff. lib.*24. *tit.* 1. §. 8. dummodo uxor, quæ ſub tutela, & poteſtate mariti eſt, coram Magiſtratu alium tutorem ſibi eligit, cujus authoritate tales donationes perficiantur. Addit idem Author *Cod. L. V. tit.* 16. donationes inter virum, & uxorem morte confirmari, quod tamen ob bonorum communionem denegat fieri in Galliis, etſi idem de noſtris partibus affirmare non audeat.

An valeat donatio conjugum jurata. Quod ſi donatio conjugum inter ſe juramento firmetur, quæſtio eſt in diverſa agitata, an teneat donatio. Alii volunt, eam donationem non ſolum eſſe contrà mores civiles, ſed & mores honeſtatis; non eſt autem obligatorium contrà bonos mores præſtitum juramentum, *Cap. non eſt de Reg. jur. in 6.* deinde, hâc viâ, puta additione juramenti, facilè eludi poſſet prohibitio donationis conjugum inter ſe, dum eâdem facilitate, quâ induci quis poteſt ad donandum, induci etiam poſſit ad adjiciendum juramentum. Alii è contrà volunt, talem donationem valere, ex generali regula, quod toties ſervandum ſit juramentum, quoties non vergit in præjudicium tertii, aut diſpendium ſalutis æternæ. Unde & hi conſequenter docent, ſimilem donationem non eſſe contrà bonos mores, ſed ſolummodo contrà mores civiles, quatenus adverſatur Societati conjugali. Si verò donatio fiat in nuptiis, aut nuptiarum intuitu, cenſetur id, quod dono datur ſponſæ, donatum illi eſſe honoris causâ, aut benevolentiæ, ac gratiæ conciliandæ ergo, idque ſimpliciter, & abſolutè; adeo ut illiberale, & inhumanum apud nos habeatur, ſi quis contendat ſe utendum tantum dediſſe, non abſolutè donaſſe. Imò, etſi nuptiæ non ſubſequantur, tamen ea repeti non poſſe; docet expreſsè *D. Stockmans Deciſ.* 46. *num.* 10.

An minor poſſit donare ſuo tutori in Belgio. Quæret aliquis an, & quouſque donare poſſit minor tutori. Reſp. Notanda hîc eſt conſtitutio *Caroli V.* 4. *Oct.* 1540. *art.*8. Ad quam conformiter *Conſuetudines Antverp. tit.*46. *num.* 7. Statuunt, ne Minores Curatoribus ſuis, eorumve liberis, aut Concubinis; ultimâ voluntate relinquant, aut actu inter vivos donent quædam immobilia, aut quibus immobilia annuo reditu, aliove onere gravantur, aliter facta donatio ſit omninò irrita. Excipit tamen *Cod. Belg. V. Momboiren num.* 3. Tutorem Patrem, aut matrem, Avum, Aviam, Fratrem, & ſororem. Moderatæ quoque liberalitates tutoribus hîc permittuntur. Cum autem *Novell. Leon* 91. Omnis concubinatus impro-

improbetur, quidquid Concubinis inter vivos donatur, aut teſtamento relinquitur, ab eis tamquam perſonis turpibus, atque indignis aufertur juxta *L.* 13. *&* 14. *Cod. de his, quibus ut indig.* Vide *Zyp. not. Belg. tit. de Concubinis.*

Quantum verò donari poſſit, ſciendum eſt, jure communi donationem inter vivos omnium bonorum, tam præſentium, quam futurorum improbari; eò quòd per eam auferatur poteſtas teſtandi, quod leges condemnant tamquam contra bonos mores. Ex quo etiam conſequitur, donationem ejuſmodi etiam juratam non tenere, dum irritum eſt contra bonos mores præſtitum juramentum. Aliud aſſerunt de donatione bonorum omnium præſentium; imo donationem omnium bonorum de bonis præſentibus dumtaxat accipiendam eſſe, tradunt Doctores, quos recenſet *Chriſtyn ad Bug. lib.* 2. *c.* 96. Aliud eſt de tali donatione mortiscausâ, eò quòd tali caſu poteſtas teſtandi ei non ſit ablata, dum talis poſſet etiamnum inſtituere hæredem, qui detrahere poſſet *Falcidiam*, id eſt, quartam partem, de quâ Poſteà. Excipiunt itidem ſimilem donationem factam piæ cauſæ; dum lex Civilis non poſſit impedire officia pietatis, & conſilia evangelica. Alii denique volunt quoque talem donationem valere, ſi firmetur juramento, docentes eam donationem eſſe ſolummodo contra mores civiles, non itidem naturalem, ſeu honeſtatis. Quantum donari poſſit.

Ulterius donatio excedens ſummam 500. ſolidorum invalida eſt, niſi fiat cum inſinuatione. Solidus paſſim hìc dicitur nummus aureus æquivalens 17. Juliis, noſtris ferè ſcellingis, adeoque fermè ducato Hungarico, adeoque ſumma 500. ſolidorum, erit 500. Ducatorum. Sed hiſce, cum aliis multis ſeſe opponit Andreas Gail. *lib.* 2. *pract. obſerv.* 39. Dicens quidem ſolidum accipi communiter pro aureo, ſed quorum 72. unam auri libram faciunt: additque in praxi diligenter id eſſe attendendum propter aureorum differentiam, dum in ſingulis ferè Provinciis aurei mutantur. Deinde, ait, hinc poſſe contingere, ut donatio etiam ultrà 500. aureos valeat, ſi ſcilicet in loco contractûs, aut factæ donationis non ſint tales aurei, quorum 72. conficiunt libram. Denique concludit, quod hâc computatione attentâ, ut in judiciis attendi debet, ſi non obſtet conſuetudo in contrarium, Coloniæ 1200. & Aquiſgrani ultrà 2000. aureorum monetæ currentis donatio abſque inſinuatione facta ſubſiſteret. Idem ſuſtinet Groenwegen cum aliis quos adfert *Inſtit. lib.* 2. *tit.* 7. §. 2. *& Cod. lib.* 8. *tit.* 54. *lege* 25. Ubi ex profeſſo de eâ re diſcurrit. Et idem tradit D. Stockmans *Deciſ.* 110. dicens, in Galliis, Hiſpaniis, Friſia, & Flandriâ non tenere talem donationem ultra 500. aureos, æſtimando aureum ad duplicem Ducatum, ſeu binos Hungaricos aureos, quorum 72. ejuſdem generis libram auri conficiunt. Et ita apud Mechlinienſes judicatum aſſerit Chriſtineus *vol.* 4. *Deciſ.* 188. *num.* 22. Ratio hujus legis eſt, ne homines nimis temerè, aut etiam vi, vel fraude profuſis donationibus ſeſe exhaurirent. Porrò, inſinuatio hæc importat, ut donatio decla- Quid hic ſignificet aureus.

clare-

claretur ſuperiori, qui de exceſſu, aut de rationabilitate ejuſdem judicet: idem, quod de donatione, dicendum eſt de remiſſione debiti excedentis illam ſummam, dum remiſſio debiti eſt virtualis donatio. Excipiunt tamen, niſi talis donatio firmata ſit juramento: ſi ſit remuneratoria: ſi ſit ad pias cauſas: ſi data ſit ad reparationem damni per incendium facti: ſi ſit facta ad redimendos captivos. Ità ferè Canoniſtæ, æquè, ac Juriſtæ. Variant tamen hîc Regnorum conſuetudines. Conſuetudo Urbis noſtræ *tit.* 53. *num.* 4. Hujuſmodi donationes admittit inter divites, etiam ſine inſinuatione: verùm, cum incertum ſit, quis verè hîc habendus ſit dives; ideo *Groenwegen inſtit. lib.* 2. *tit.* 7. hanc conſuetudinem non probat, tamquam quæ multarum litium materiam poſſit ſubminiſtrare, & potius hîc certo, ac ſcripto jure docet eſſe utendum. Addit ille, in reliquâ Belgii parte quæ Regi Cath. paret, ſpectari ſummam 300. ſolidorum, quam ſi donatio excedat, requirit inſinuationem, aut ſaltem, ut fiat coram Tabellione, cum ſubſcriptione donantis. In Galliis indiſtinctè omnes donationes inſinuatione indigent, quæ niſi infrà 4. menſes fiat, erit donatio prorſus nulla: excipe, niſi donatio fieret de manu in manum, aut pecuniâ numeratâ. Videri poteſt *Bugn. de leg. abrog. lib.* 5. *c.* 53. *& l.* 4. *c. xi.*

Quidquid interim dictum ſit à præfatis Authoribus, notandum tamen eſt ex D. *Stockmans Deciſ.* 110. Quod, etſi inſinuatio adhuc vigeat in Hiſpaniâ, Galliâ, Friſiâ, & aliquibus Belgii locis; in Brabantiâ tamen non ſit in uſu, dum ipſe comperit, ſæpius in controverſiam deductas fuiſſe varias donationes eam ſummam excedentes, confectas ſine inſinuatione coram Notario, aut manu donatoris tantum ſignatas, numquam ex hoc capite vitii fuiſſe inſimulatas.

Quomodo donatio poſſit revocari.

Demum variè revocari poteſt donatio: ac primò donatio inter vivos revocatur ob ingratitudinem donatarii: ſi intentaverit donatori minas: ſi manus violentas donatori, vel ejus bonis intulerit, ſi inopiâ preſſum non adjuverit. Donatio mortis causâ revocari poteſt, propter ſuſceptionem prolium non præcogitatam; eò quòd donatio cenſeatur eſſe facta cum hâc conditione, *niſi mihi naſcantur proles.* Si verò donatio facta ſit aliis prolibus, revocatur tantummodo uſque ad legitimam, quæ prolibus debetur. Inſuper revocari poteſt donatio, ſi ſit inofficioſa, v.g. ſi Pater tantum donet, ut non retineat, quantum indigent filii, ex quâ parte dicitur dicta donatio eſſe contrà officium pietatis in filios. Denique donatio mortis causâ cenſetur implicitè revocata, ſi facta ſit ob periculum mortis, ſi periculum illud ceſſaverit. Item, ſi donatarius ante donationem moriatur: ſi donantem pœniteat; eò quòd donatio mortis causâ revocari poſſit, uti teſtamentum. Si verò donationem illam juret, aut promittat non revocare, tranſibit donatio illa in donationem inter vivos. Generaliter tamen ad revocandam donationem litteris Regiis in Galliâ opus eſſe tradit Autumn. *ad Cod. de revoc. donat.* Quod de moribus noſtris non admittit *Groenw. lib.* 8. *Cod. tit.* 56.

C A-

CAPUT III.

De ultimis voluntatibus.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit ultima voluntas.

MAteria hæc eſt Confeſſariis, maximè animarum curam gerentibus ſcitu neceſſaria; tum ut ſciant, quænam teſtamenta in foro conſcientiæ valeant: tum ut ſubditos in confeſſione teſtamentorum poſſint dirigere: tum denique, quod in defectu Notarii eadem aliquando ſcribere ſit neceſſe. Ultima autem voluntas illa eſt, quâ quis declarat, quid velit fieri poſt mortem. Species ejus præcipuæ ſunt, *teſtamentum*, *codicillus*, *legatum*, *fideicommiſſum*, *donatio mortis causâ*. Potiſſima eſt *teſtamentum*, quod ſit quaſi mentis teſtatio, quâ declarat teſtator, quid velit de ſuis bonis poſt ſuam mortem fieri. Additur paſſim, quod in teſtamenro adeſſe debeat directa hæredis inſtitutio, quâ ex parte illud diſtinguit Wiggers à codicillo, & legato, in quibus inſtituitur hæres, non directè, ſed indirectè, niſi in codicillo militari, qui aliud de jure habet privilegium. Verum enim verò, etſi hoc de jure communi benè procedat, moribus tamen noſtris teſtamentum nullam exigit hæredis inſtitutionem, uti obſervat *Stockmans Deciſ.* 2. dicens: *ſine hæſitatione tenendum eſt, etiam valere teſtamentum ſine aliquâ hæredis inſtitutione, adeo ut hodie non diſtinguatur inter teſtamentum, & codicillum, confuſo jure utriuſque ultimæ voluntatis, & dicitur communiter omnia teſtamenta eſſe codicillata: adeo ut, ſi quis condat teſtamentum nullo hærede inſtituto, valebit ut codicillus: ſi verò codicillus inſtituto hærede, valebit ut teſtamentum.*

Quid ſit ultima voluntas.

Codicillus propriè, ſive parvus codex ſeu libellus, eſt dipoſitio voluntatis circà teſtamentum, vel perficiendum, vel mutandum, vel minuendum, ampliandum, &c. *Legatum*, etſi ſæpè ſignificet rem legatam, propriè tamen eſt donatio alicujus rei ab hærede præſtanda, idque directè. *Fidei commiſſum* autem differt à legato, quod in illo detur indirectè aliquid à defuncto fideicommiſſario, puta mediante hærede, vel etiam ſæpè legatario.

Quid Codicillus.

Quid Legatum.

Quid Fideicommiſſum.

Porrò, dividitur teſtamentum in clauſum, & apertum: in ſolemne, & non ſolemne. *Clauſum* dicitur, quod fit in ſcriptis, & ſecretò à teſtatore, vocatis ad illud Notario, & teſtibus, illis, quid teſtamentum contineat, planè ignorantibus, quibus illud traditur approbandum. *Apertum* verò, quod & *nuncupativum* dicitur, eſt, quod fit præſentibus teſtibus non ſecretò, ſed palam, & illis apertè, quid contineat, declaratur. *Solemne* verò, vel *non ſolemne* dicitur, prout habet ſolemnitates de jure requiſitas, vel eaſdem non habet.

Diviſio Teſtamenti

Quæ-

Ad quos ſpectet cognitio teſtamentorum.

Quæritur ante omnia, ad quos ſpectet teſtamentorum cognitio. Reſp. *Anſelmo Trib. Cap. 26.* Refert cognitionem illam ad Eccleſiaſticos pertinuiſſe, à tempore Ciceronis; ſignanter tamen in Brabantia eam cognitionem habuiſſe Epiſcopum Cameracenſem, docet ibidem ex variis, iiſque vetuſtiſſimus monumentis; adeo ut Anno 1571. conſuetudines Urbis noſtræ hæc verba retulerint in titulum de teſtamentis: *Quæſtionem validitatis, aut invaliditatis teſtamentorum ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum.* Et cum Acatholici dictam cognitionem rurſum retuliſſent ad Judicem ſæcularem, non omninò ſtatim potuit retroduci prædicta cognitio ad forum competens Eccleſiæ, tametſi Urbs noſtra iteratò Regi Catholico foret ſubjecta: adeo ut Epiſcopus Cameracenſis Senatui Antverpienſi indixerit iteratâ vice ceſſationem à divinis, eò quòd teſtamentorum cognitionem ſibi uſurpaſſet. Unde & in novis Urbis noſtræ Conſuetudinibus attribuitur Epiſcopo cognitio cauſæ teſtamentariæ. Et idem obtinere dicit in toto ferè Belgio exceptâ Hannoniâ, in qua Epiſcopus Cameracenſis habet cognitionem teſtamentariam Clericorum, Laïcorum verò judex ſæcularis. Imo, quod Authores Galli cognitionem illam extendant, & referant ad Regalia. Videri poteſt prædictus Author loco citato.

SECTIO II.

De ſolemnitatibus ad teſtamentum requiſitis.

Quot teſtes requirantur.

JUre communi requirit teſtamentorum ſolemnitas, ut à 7. teſtibus ſubſignentur, iiſque maſculis, & puberibus, ad id rogatis, ſimul concurrentibus, ab ipſo teſtatore (ſi ſciat ſcribere) ſubſignato, hærede directè inſtituto, nullo liberorum excluſo, niſi legitimè exhæredato. Jure tamen noſtro, ac aliorum hæc omnia non ſubſiſtunt. Quod enim primò attinet ad formam teſtamentariam, generaliter Anno 1611. ſtatutum eſt ab Alberto & Iſabellâ, ut ubique in condendis teſtamentis obſervarentur locorum conſuetudines, aliàs ſtandum eſſet Edicto perpetuo, quo ſtatuitur primò, ut teſtamenta ſcribantur, & ſubſignentur à teſtatore, & duobus teſtibus ad id rogatis, quorum mentio fieri debeat in teſtamento à Notario, Paſtore, aut Vice-Paſtore, qui etiam nihil ſibi, ſuiſque uſque ad quartum gradum juxtà leges civiles computandum adſcribere valeant. Quod ſi locorum conſuetudines varient, debeant ſervari jura loci, ubi res eſt ſita, de quâ ſit teſtamentum. Deindè, dicti Principes declararunt Anno 1620. nulla eſſe ejuſmodi teſtamenta, in quibus deëſt ſubſignatio Notarii, Teſtatoris, aut teſtium; aut ſi Notarius non expreſſerit, teſtatorem ſcribere non poſſe, ſi ab eo non ſit ſubſignatum. Valet itidem hìc teſtamentum factum apud Acta, id eſt, coram duobus Scabinis, & Graphiario, aut Secretario, aut etiam Scholteto ad id à Magiſtratu authoriſato. Imò, hanc dictam Edicti formam à peſte infectis obſervandam eſſe, declararunt iidem Principes Anno 1631. addentes tamen eo caſu ſufficere poſſe teſtem unicum,

Quid jure Belgico.

Digitized by Google

cum, etiam feminam, quod & Conſuetudines Antverp. decernunt. *Itâ Zypæus Conſult. Canon. l.* 3. *Conſult.* 2. Teſtem quoque unum eo caſu in Hollandiâ ſufficere, cenſuerunt *Conſult. I. C. Batav. p.* 1. *conſil.* 67. 77. *& p.* 2. *conſ.* 36. 94.

Varia tamen circà dictas teſtamentorum formas ſunt annotanda: ac primò quidem, circa id, quod ante dictum eſt, ſervanda eſſe jura loci, ubi res eſt ſita; aliud omninò cenſet Stockmans dicens *Deciſ.* 9. *hodie ſine hæſitatione judicamus, ſufficere ſolemnitates, quæ obtinent in loco confectionis, ut ubique, & quoad omnia bona, vim habeat teſtamentum.* Eamdem quoque ſententiam communi DD. calculo receptam docet *Anſelmo in art.* 4. *Edicti perp. Alberti, & Iſabellæ* 1611. Unde & Curia Brabantiæ cenſuit 1645. teſtamentum factum Leodii à Brabanto, nec ab eo ſubſcriptum, effectum habere quoad bona Brabantica, etſi in Brabantiâ requiratur ſubſcriptio. Excipit tamen ille ſolemnitates, quæ omni teſtamento ſunt eſſentiales, quas ſemper, & ubique adeſſe oportet. Excipe quoque, valere ſcilicet teſtamenta ad pias cauſas, etſi teſtator non ſignaverit, aut etiam, etſi Notarius non expreſſerit in teſtamenro teſtatorem ſcribere non potuiſſe. Ita *Codex Belg. V. teſtamenten num.* 25.

Et quamquam jure civili mulieres poſſint eſſe teſtes in codicillis, uti habetur *Inſtit. de teſt. ord.* & hodie codicilli cum teſtamento confundi ſoleant, ut ante notavimus: non ideo mulieres in condendo teſtamento teſtes eſſe poſſe, eſt admittendum, niſi ſpecialis lex eas admittat, prout facit tempore peſtis. Imo, ne quidem in codicillis mulierem adhiberi poſſe in teſtem hodiernis moribus, ſentit *Guttierez lib.* 2. *pract. q.* 36. *An mulier poſſit eſſe teſtis.*

An verò Monachi teſtes eſſe poſſit in teſtamentis, ſubindè fuit controverſum: negabant alii, quod monachus comparetur ſervo, qui teſtis eſſe non poteſt §. *teſtis, inſtit. de teſt. ordin.* Deindè, Monachi reputantur pro mortuis. Contrarium tamen judicatum refert *Stockmans Deciſ. V.* tum, quod Monachi ſervis comparentur ſolum quoad aliqua in jure expreſſa, puta, quod quidquid acquirit, acquirat monaſterio, ut ſervus Domino: quod non poſſit redire ad ſæculum, ut ſervus non poteſt ad libertatem: tum, quod Monachi non reputentur omninò pro mortuis, prout claret ex eo, quod parentibus ſuccedant, & acquirant monaſterio. Tum denique, quod teſtimonium dicere, ſit actus naturalis poteſtatis, quæ in Monachis abolita non eſt. Imo addit dictus Author, hîc non requiri ſuperioris licentiam, quæ quoad actus judiciales ſolum exigitur ut neceſſaria, dum ſuperioris eſt providere, an teſtimonium, ſtatum Religioſum non dedeceat; non verò requiritur ad actus extrà judiciales, eorumque validitatem, aut invaliditatem, cui monachus adſtiterit. *An Monachi.*

An verò teſtis unus poſſit eſſe ipſe Legatarius, aut teſtamentarius, & legatum ſibi relictum jure exigere, non conveniunt Authores. Alii id negant, ex eo, quod nemo in propriâ ſuâ causâ, & commodo proprio poſſit eſſe te- *An legatarii, teſtamentarii, &c.*

 ſtis:

Digitized by Google

ſtis: quamquam enim legatarius (idem eſt de fideicommiſſario) non ſuccedat jure in hæreditatem, neque teſtamenti negotium ad legatarium ſpectet; tamen conſecutivè agitur de legatarii commodo, dum confirmando teſtamentum, firmat ſuo modo legatum ſibi conferendum. Veteri quidem jure, dum majorem numerum teſtium jura requirebant, legatarius teſtis eſſe fas erat: quod tamen modò, ſublato tanto teſtium numero, alii negant, vel ob rationem mox dictam: vel etiam, quod principaliter, & rectà, non ſolùm per conſequentiam hoc caſu legatarius in rem ſuam teſtimonium ferat. Quidquid interim hîc ſit, refert *D. Stockmans*, *Deciſ. 6.* Et legatarium poſſe adhiberi in teſtem, non tamen poſſe petere ſuum legatum, eò quòd detracto ſuo teſtimonio, non ſuperſit legitima probatio: nam, etſi alius teſtis cum Notario duas perſonas conſtituant, & hic numerus aliis in rebus ſufficiat: tamen circà ultimas voluntates, ubi fraudum uberior ſeges eſt, major cautela meritò deſideratur: atque ita in Galliis obſervari quoque refert ex Autumno, & ſæpius hîc decifum eſſe ait. Addit quoque idem Author Deciſ. ſeq. etiam Executorem teſtamenti poſſe adhiberi in teſtem, dummodo non ſit executor univerſalis, & loco hæredum, ſed ſolummodo miniſter ad præſtanda legata, & fidei commiſſa; hic enim nullum ex ſuo teſtimonio commodum refert, ſed potius onus, & minor omninò eſt ratio eum hîc repellendi, quam Legatarios: qualiter quoque judicatum refert, valere ſcilicet teſtamentum, in quo unus teſtium erat teſtamenti executor.

Inſuper jure Civili conceſſum aliquando fuit Ruſticorum teſtamentis adhibere ſolum quinque teſtes *L. ult. C. de teſtam.* Verum, cum hodie in ſingulis Pagis tribunalia, atque ſcribæ publici inveniantur: conſequens eſt, ut & hodie in teſtamentis ordinandis jure noſtro communi utamur, maximè, cum hodie teſtium ſubſcriptio non ſit neceſſaria, adeo ut etiam hodie per ſcribendi ignaros teſtamenta poſſint confirmari, ſupplente defectum Notario. Vide *Grot. introduct. l. 2. p. 17. num. 35.*

An teſtamentum deſtitutum ſolemnitatibus valeat in foro conſcientiæ.

Quæſtio jam eſt ſatis celebris, an teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum valeat in foro conſcientiæ. Reſp. De teſtamento tali ad pias cauſas omnes admittunt. Quæſtio ſupereſt de tali teſtamento ad cauſas prophanas. Et quamquam utraque ſententia, tam negans, quam affirmans ſit verè probabilis; nobis tamen probabilior eſt affirmans tale teſtamentum valere in foro conſcientiæ. Ratio ejus eſt, quod ſolemnitas illa à jure inducta ſit, ut teſtamentum poſſit probari in foro externo, & ultimæ teſtatoris voluntati poſſit certius ſatisfieri, & hominum fraudibus obviari. Hinc alii, quos citat *Covarruv.* docent, ſolemnitatem teſtamentariam ad probationem quidem teſtamenti pertinere, neutiquam verò ad ejus ſubſtantiam. Idem innuit *Adrianus quodl. 6. art. 1. concl. 2.* Ità ſcribens: *lex juſta, ſeu præceptum juſtum ſuperioris laïci, aut etiam Eccleſiaſtici ligat in foro conſcientiæ ſolùm ad metas rationis, ſeu cauſa finalis, quæ prætenditur: ſed cauſa finalis ſolemnitatum poſitivarum hæc eſt, ut doli, ac fraudes vitentur: ergo cum hæ ſublatæ fuerint, non valde ſollici-*

tos nos in foro conſcientiæ ſolemnia juris humani habere debent. His addi poſſent varia Jura, generatim ſtatuentia, nihil magis æquum eſſe, quam ultimas hominum voluntates adimpleri, quando de eis ſufficienter conſtat; prout conſtat ſæpiſſimè, etſi quædam ſolemnitates de jure requiſitæ hîc deſint. Denique, nec lex Civilis, nec Eccleſiaſtica præjudicari poteſt legi naturæ, quæ dictat ultimam hominum voluntatem ſufficienter expreſſam, etſi aliquibus ſolemnitatibus juris deſtituatur, eſſe ſervandam. Huic eidem ſententiæ accedit D. Antoninus 3. p. tit. 10. c. 3. §. 14. Ità ſcribens: *Nota, quod cum quis ſanus, vel infirmus, qui eſt ſana mentis, ultimò diſponit de bonis ſuis, de quibus poteſt diſponere, per ſimplicem ſcripturam, vel verba ſolùm, non violentatus, vel circumventus, ſed liberè ſine Notario, & teſtibus debitis, ſtandum eſt ejus tali diſpoſitioni in foro conſcientiæ: & hæredes, quibus hoc conſtat certitudinaliter, tenentur ad obſervandum illud, etiamſi prius per ſolemne teſtamentum aliter diſpoſuerat. Executores etiam tenentur ad hoc, ut certi ſint de ultimâ voluntate in quantum poſſint.*

Quidquid interim ſit de veritate hujus, aut contrariæ ſententiæ, pro praxi hoc notari poteſt cum aliis, ut in caſu, quo aliquis vi teſtamenti minus ſolemnis aliquid debet, aut poſſidet, primò de validitate teſtamenti ſedulò doctiores conſulat; deindè manente dubio cum alio amicabiliter componat, pro ratione dubii, vel ſolvendo, vel aliquid remittendo, ne de cætero periculo injuſtitiæ ſeſe exponat, & conſequenter malâ fide poſſideat alienum; maximè, cum ut antea notavimus, contraria nobis ſententia ſuâ gaudeat probabilitate.

SECTIO III.

Quinam poſſint teſtari.

GEneraliter hoc poſſunt illi, qui habent bonorum dominium, niſi lege naturæ, aut poſitivâ prohibeantur. *Nihil enim, quod magis hominibus debetur, quam ut ſuprema voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. L. 1. Cod. de Sacroſ. Eccl.* Hoc autem non ſolùm omnibus eſt licitum, ſed & ſubindè præceptum, ut ſi ex omiſſione teſtamenti gravia familiæ mala meritò timerentur.

Jure naturali prohibentur teſtari, qui carent uſu rationis, ut infantes, furioſi, &c. Jure poſitivo prohibentur 1. Surdus, & mutus à nativitate. Imo, ſi infortunio factus ſit talis, antequam ſciverit litteras. 2. Prodigus poſt interdictam bonorum adminiſtrationem. 3. Servus. 4. Uſurarius publicus, niſi antea uſuris ſatisfecerit, aut dederit ſufficientem deſuper cautionem. 5. Filius familias necdum emancipatus. 6. impubes ob judicii imbecillitatem. 7. Captivus, quamdiu eſt obſes. 8. Damnatus ad mortem, ſive civilem, ſive naturalem. 9. Religioſi. Et hæc quidem omnia de jure communi; cum de

Qui prohibeantur teſtari.

 mori-

moribus noſtris ſit hîc alter cenſendum, uti & de moribus aliorum. Quod enim primò in hâc materiâ attinet ad ſurdum., & mutum; cenſent multi, teſtamentum ejus tenere, caſu quo coram Notario ſufficienter ſciat aperire ſuam voluntatem, prout vidimus ejuſmodi de rebus omnibus, ſignis diſcurrere, & mentem ſuam aperire.

Quid moribus Belgii.

Teſtamenti prodigi.

Prodigus verò Cognatis ſuis, & egenis juxtà prudentiæ regulas teſtamento diſponens (nemo enim ita in ſuis prodigus, quin aliquando prudens) ex *Novellâ Leon.* 39. Ratum efficit teſtamentum; in quo caſu prodigi mores non attenduntur. Et quamquam ejuſmodi Novellas uſu receptas communiter Doctores negent; dicta tamen conſtitutio, cum ſequatur æquitatem naturalem, in Galliâ, & Friſiâ, uti & in Hollandiæ Curiâ recepta eſt, teſte *Groenw. inſtit. lib.* 2. *tit. xii.* §. 2. Hoc tamen caſu, aut Magiſtratûs, aut Curatorum conſenſum requirendum eſſe, dictant Conſuetudines Urbis noſtræ *Antv. tit.* 46. *num.* 8. De ſervis nulla apud nos habetur ratio, ut antea aliquoties inſinuatum, ſervitutem penitus à nobis jam dudum receſſiſſe. De uſurario publico, & ejus teſtamentis, eadem etiamnum annullant leges noſtræ teſte Anſelmo *Trib. Cap.* 70. *num.* 2.

Uſurarii.

Filii familias.

De filio familias aliter diſcurrunt leges particulares: moribus enim noſtris (ut alibi antea notavimus) filius familias diſponere poteſt de iis, quorum habet dominium, etſi Pater habeat uſum fructum; cum ſingularis illa Romani juris patria poteſtas ſit abolita, & hodie ſolùm conſiſtat in quodam obſequio filiali, & quâdam authoritate ex jure requiſitâ. Hinc filii familias, modò puberes ſint, rectè teſtantur de bonis maternis, cæteriſque adventitiis ſine conſenſu Patris. Vide *Stockmans Deciſ.* 8. Britonum tamen, Friſiorum, ac Tholoſæ mores conſenſum paternum exigunt, vel teſtamentum filiorum vetant, teſte *Groenw. loco ſuprà cit.*

Damnati ad mortem.

De damnatis ad mortem naturalem, ſive civilem, aliud ibidem tradit dictus Author; puta, quod teſtari poſſint, modò omnia illorum bona per ſententiam publicata non ſint. Authores Galli hîc diſtinguunt inter Bannitum ad tempus, & perpetuum. Hunc volunt eſſe inteſtabilem, illum verò teſtandi habere in Galliis poteſtatem.

Cœci.

Cœcos quoque teſtari poſſe juxtà conſuetas ſolemnitates, etſi ipſi ſubſcribere nequeant, declarat *Stockmans Deciſ.* 16. Admonent tamen alii, quod ſicuti in illorum teſtamentis jure antiquo requirebatur teſtis octavus, qui cœci ſubſignationem ſuppleret: ità modò adhiberi conſultò poſſe in eorumdem teſtamentis teſtem tertium, etſi id non ſit abſolutè neceſſarium, uti patet ex Deciſ. dictâ.

Religioſorum.

De teſtamento Religioſorum, patet, eos teſtari non poſſe, niſi de licentiâ Pontificis, quam non niſi ad Epiſcopatum promotis ſolet concedere. Ex quo tamen non ſequitur, tales à voto paupertatis eſſe exemptos, quaſi eorum, de quibus teſtamento diſponunt, habeant dominium; dum non cenſentur facere teſtamentum de proprio, ſed quia ejus diſpenſatio, & adminiſtratio

ſtratio authoritate Papæ ſe extendit eouſque, ut ejus talis adminiſtratio etiam valere poſſit poſt mortem.

Clericos alios quoſcumque, de ſuis patrimonialibus teſtari poſſe, eſt manifeſtum. Idem docent de illis, quæ aliunde, quam intuitu Eccleſiæ ſibi comparaverant, de quibus olim teſtari potuiſſe, conſtat ex eo *Canone Apoſt.* 39. & 46. ubi dicitur, ut Epiſcopi, quæ propria ipſorum ſunt, valeant in quoſcumque placuerit hæredes transferre, ut tamen ad alios res Eccleſiæ minimè tranſeat. Idem ſecutum eſt *Conc. Anthioc. ſub Julio* 1. *Can.* 24. idem docent alia Concilia, & Eccleſiæ ſtatuta. Poſtremis tamen hiſce temporibus invaleſcente contrariâ conſuetudine, diſciplina illa corruit: juxtà quam ſcribit *Covarruv. ad tit. de teſtam. num.* 23. quoſlibet Clericos validè teſtari ex uſu communiter recepto, de proventibus Eccleſiaſticis, etiam in gratiam cognatorum; ſoloſque Epiſcopos teſtari non poſſe, niſi de ſpeciali Summi Pontificis licentiâ. Hoc ultimum tamen itidem in diſſuetudinem abiit, dum (ut obſervat etiam *Leſſius*) hodie, tam Epiſcopi, quam alii Clerici indiſcriminatim teſtantur de ſuis proventibus ſine ullâ Pontificis diſpenſatione. Teſtatur id communis, tum Galliæ, tum Belgii conſuetudo, ut teſtatur *Zypæus Juris Pont. tit. de teſtamentis*; adeo ut Clericis ab inteſtato ſuccedant hæredes conſanguinei, etſi in Belgio Epiſcopi, aut Capitula inteſtatis ſuccedant quoad mobilia. Olim verò Clericis inteſtatis in Flandriâ ſuccedebant in ſemiſſem Flandriæ Comites, idque uſque ad Robertum Friſium, qui ob metum Urbani II. huic juri renuntiavit, ità ſcribentis ad Robertum hâc de re: *Scire debes, Creatorem tuum dixiſſe, ego ſum veritas, non autem uſus, vel conſuetudo*; quâ ſeſe Robertus in eâ re defendebat. In Urbe noſtrâ ſub Levino Torrentio, teſte *Zypæo ibid.* licentia teſtandi petebatur, & nemini denegabatur: ex quo factum deinde fuit, ut hæreditates pro libitu Clericorum deferri ſit introductum; non ſimpliciter, quod quidam volunt, ſed ſimilitudine potius vitiorum, ait, quam ullo jure. Clericorum.

Prædicta interim conſuetudo nihil obſtat, quo minus de proventibus Eccleſiaſticis teſtamento diſponentes ad cauſas profanas graviſſimè peccent, puta eoſdem relinquendo conſanguineis divitibus, aut eos ab inteſtato ſuccedere relinquendo. Si enim Eccleſiaſtici mortaliter peccent, eadem bona in profanos uſus expendendo; quid ni mortaliter peccent in ſimiles uſus eadem bona teſtamentis aſſignando? Adde, quod vel eorumdem bonorum Domini non ſint; vel ſi ſint, Domini ſint cum onere eadem pauperibus erogandi, uti de Clericorum dominio anteà fuſius eſt probatum. *Hâc in re*, ait *Leſſius op. poſth. V. teſtamentum. Caſu* 8, *num.* 21. *Doctores Lovanienſes dant aliis bonum exemplum: qui, etſi pleraque ſua bona labore, & induſtriâ ſibi comparaverint; tamen, quia ſimul aliquod beneficium Eccleſiaſticum habuerunt, ferè omnia relinquunt ad pias cauſas, pro ſalute animæ ſuæ, & bono Eccleſiæ: & parum relinquunt ſuis conſanguineis, etſi tenuibus.* Et hinc ſollicitè mandat Synodus Antverpienſis ſub Franciſco Sonnio Epiſcopo habita Anno 1576. tit. de teſtamentis Cap. 3. his verbis: *Monemus omnes Clericos, ne in teſtamentis ſuis faciendis nimium*

mium tribuant carni, aut ſanguini: ſed meminerint ea, quæ neceſſitatibus ſuis ſuperſunt ex fructibus ſuorum beneficiorum, eſſe verè pauperum, & Eccleſiæ, ac de jure ex omnibus beneficiis eos tantum poſſe capere ſtipendia vitæ ſuæ: cum non habeantur ut proprietarii, ſed tantum ut uſuarii: neque intuitu perſonæ cujuſque ſunt in fundationibus relicta bona beneficiorum: ſed intuitu Eccleſiæ, cujus ſervitio ſunt deputati: ita ut ab Eccleſiâ honeſtæ vitæ ſtipendia tantum promereantur, & capere poſſint.

Novitiorum. Circa teſtamenta Novitiorum conſtat ex *Auth. Nunc autem. C. de Epiſc. & Cler.* eos de bonis ſuis teſtari poſſe, nullâ ad id habitâ ſuperioris licentiâ, etſi aliud ſit de renuntiationibus, faciendis modo, & tempore à Concilio Trid. præſcripto, de quo antea. Sunt enim Novitii ſui juris quoad hoc, & bonorum ſuorum Domini, ac Adminiſtratores. Imo *Sanchez l. 7. mort. c. 3. & Suarez, ac Dicaſtillo dub.* 13. *num.* 234. docent id quoque verum eſſe de iis, qui in Societate Jeſu poſt emiſſa vota ſine licentiâ ſuperioris conderent teſtamenta, quod eadem forent valida, etſi conſtitutionibus, & voto paupertatis repugnarent, & ideo illicita.

Illegitimorum. Illegitimi non legitimati ſine indulto Principis hîc in Belgio teſtari nequeunt, niſi relinquant proles legitimas, ſed illis ſuccedit Princeps. *Zyp. juris Pont. tit. de ſucceſ. ab inteſtato.* Idem habent Conſuet. Urbis noſtræ *tit.* 55. *num.* 1. Mechliniæ tamen hoc iis expreſsè conceditur *tit.* 18. *art.* 2. & idem in Hollandiâ judicatum eſſe, refert *Leeuw. l. 3. for. c.* 3. de minorum teſtamentis reſpectu curatorum, ante dictum eſt de eorumdem donationibus.

Quæri hîc poteſt, an Princeps perſonam ad teſtandum illegitimam poſſit ad hoc legitimare. Reſp. Alii cum Anſelmo *Trib. cap.* 70. affirmant, eò quòd factio teſtamenti non ſit juris Canonici, ſed juris gentium; forma autem ſit de jure civili, & quod quis ſit inteſtabilis, non eſt de jure Canonico, ſed civili: unde etiam infert ibidem dictus Author, poſſe Principes non ſolum uſurarios publicos permittere, ſed etiam iiſdem concedere licentiam, & facultatem teſtandi, ſaltem eo caſu, quo non teneantur de cætero ad reſtitutionem, vel ſufficientem præſtent cautionem: videri poteſt dictus Author.

SECTIO IV.

Quinam poſſint inſtitui hæredes.

Reſpondeo, omnes omninò homines, niſi ſpeciali lege prohibeantur. Jure civili primò prohibetur Civitas hoſtilis, communitas Judæorum, hæretici, ad metalla damnati, occiſor teſtatoris, &c..quia tamen variant hîc jura, de particularibus hîc erit in particulari indagandum.

An illegitimi poſſint inſtitui hæredes. Primò quæritur de illegitimis, de quibus generalis regula hîc viget in Brabantiâ, uti & in Galliâ, eos non ſuccedere propinquis ſuis, ne quidem Patri, & Matri: nec viciſſim ſuccedere illis propinquos illorum, ſed illis ſuccedere Fiſcum: ita *Stockmans Deciſ.* 67. quod, ſi fortè ſint legitimati à Principe, mori-

moribus noſtris obtinuit, ut legitimati nullum aliud legitimatione conſequantur beneficium, quam ut poſſint inſtitui hæredes teſtamento parentum; minimè verò, ut præteriti querelam movere, aut ſupplementum legitimæ petere, vel gravari fideicommiſſo, legitimam deducere, aut denique, ut nullo condito teſtamento, quaſi ex tacitâ voluntate Patris naturalis, admitti poſſint ad ejus ſucceſſionem: & ita judicatum refert idem Author *Deciſ.* 68.

An concubinæ.

Quæritur 2. an Concubinis poſſit relinqui legatum. Reſp. Jure civili hoc licitum fuiſſe patet ex *L. 2. Cod. de naturalibus liberis*: prouti antea permittebatur eas intertinere. Sed cum hodie concubinatus improbetur, etiam quidquid eis, ſive inter vivos, ſive mortis causâ donatur, irritum eſt, atque ab eiſdem ut à perſonis turpibus, & indignis penitus aufertur. Expreſsè hoc habet *Edictum* 4. *Octob.* 1540. quoad Belgium noſtrum, de donationibus dictis, quæ fiunt à minorennibus. Enim verò illud idem extendunt paſſim ad majorennes, quod nec illi quidquam validè legare poſſint Concubinis; in tantum, ut proximus agnatus, quoto quoque ſit gradu, illud poſſit de nullitate impugnare. Videri poteſt de hâc re Anſelmo *Cap.* 62. *num.* 10. *& ſeq. Tribon.*

An peregrini.

Quæritur 3. de peregrinis: quod ii æquè, ac concives hæredes inſtitui poſſint, noſtris æquè, ac Gallorum moribus eſt manifeſtum Ita *Grot. introd. lib.* 1. *p.* 13. conforme hoc eſt legi charitatis datæ *Exodi* 22. *Levit.* 19. *Deut.* 10. quam quoque ut primariam obſervari mandat Lex Mahumetana, ut advenis, & peregrinis ſpecialiter faveatur.

An Religioſi.

Specialis tamen eſt hîc ratio de Religioſis, de quibus hoc in primis conſtat, quod ii Religioſi, quorum Religio habere poteſt bona in communi, poſſint quoque eſſe hæredes ab inteſtato, quales ſunt Ordines mendicantes, exceptis Minoribus de obſervantiâ, & Capucinis. Idem dic de Domo Profeſſa Societ. Jeſu, de quibus varia videre eſt apud Laymannum fol. 364.

An in Belgio ſuccedant Religioſi ab inteſtato.

Quæſtio ſupereſt de Religionibus, & Religioſis profeſſis ab inteſtato ſuccedentibus hîc in Belgio. Et quamquam jure communi, & vario particulari potuerint olim ſuccedere Religioſi profeſſi in bona parentum cum aliis liberis: conſtat tamen id illis hîc in Belgio, uti & in Galliis, ac alibi eſſe interdictum. De Belgio ità habet Conſtitutio Caroli V. Anno 1528. 21. Februarii: *Ordinamus, & ſtatuimus, ut nulli Religioſi profeſſi, neque ulla Monaſteria, vel Clauſtra pro iis ſe poterunt dicere hæredes in aliquâ domo mortuariâ, neque titulo ſucceſſionis habere, aut apprehendere ulla bona.* Unde Zypæus Not. Juris Belg. de Epiſc. & Clericis num. 10. ita ſcribit: *Profeſſus Religionem adeo pro mortuo eſt apud nos, ut omnis hæreditatis ſit incapax: legitima liberorum ei non debeatur, teſtamenti factionem etiam inter liberos non habeat; ſuccedant ei propinqui ab inteſtato tamquam mortuo, nihil Monaſterio cedat, niſi quod expreſſe donavit, &c.* Refert D. Stockmans Deciſ. 4. aliquoties Judicatum eſſe à Supremo Brabantiæ Conſilio dictam Caroli V. Conſtitutionem non habere locum quoad ſucceſſionem ex teſtamento.

Alia inſuper hîc viget lex, quam vocant *Amortiſationis*, quâ omninò prohibe-

Digitized by Google

hibetur bona immobilia Monaſteriis, Eccleſiis, Hoſpitalibus, Beginaſiis, & cætoræ manui mortuæ acquirere donatione, teſtamento, aut alio quovis modo, de quâ lege ſcribit Eximius *P. Chriſtianus Lupus in notis Conc.* 7. *Can.* 19. quod tacere ſit ſatius, ne quod & *S. Ivo Carnotenſis Epiſc.* timuit, aut Domini Regis offendamus Majeſtatem, aut Matris Eccleſiæ libertatem. Ut tamen pauca de eâdem lege præmittamus, ſciendum eſt, non generaliter dictâ lege prohiberi, ne bona immobilia acquirant manus mortuæ, ſed ne illa acquiſitio fiat ſine expreſsâ Principis, & Magiſtratus primariæ Civitatis licentiâ, ſub quo bona ſunt ſita, quam licentiam noſtrates vocant *amortiſationem*, de quâ differit *Peckius* toto opere *de amortiſatione*. Deinde, ſi teſtator abſolutè velit rem ſuam immobilem manui mortuæ relinquere, etſi res illa deberet divendi, ejuſque pretium dari manui mortuæ, omninò rata haberetur ſimilis teſtatoris diſpoſitio; non obſtante dictâ lege. Ita ſentiunt omnes practici eruditi, ait *Anſelmo trib. c.* 50. *num.* 17. idem tenet *Zypæus reſponſ. juris Can.* 1. *tit. de pœnit. lib. V.* ratio eſt, quod dominium illud momentaneum, quod apud manus mortuas manet, donec divendatur res teſtamento relicta, non habeatur in conſideratione, & cum acquiſitum non duret, non videntur acquirere. Videri poteſt antedictus Author referens *Peckium de amortiſ. Wameſium, &c.* imo tale pretium rei immobilis divenditæ dari juſſit Parlamentum Mechlinienſe 16. *Julii* 1541. & patet hoc ex fine legis, qui eſt, ne bona immobilia in manu mortuâ cum præjudicio Regalium amortiſentur, quod hîc non fit: quibus, & aliis attentis dicit dictus Author, oleum, & operam perdere, qui contrarium vellet ſuſtinere.

Inſuper juxta *Zypæum juris Pontif. l.* 2. *de foro competenti*, eadem lex non eſt lata odio Eccleſiaſticæ opulentiæ, ut vulgò creditur, & quia Eccleſiaſtici ſubterfugiunt onera; ſed in gratiam Nobilium, facientium omnia territoria ſui juris, adhibitis tantum Colonis, ſeu Emphyteutis. Alii volunt, & quidem fundatius, legem hanc eſſe latam ob commune bonum ex piâ Principis intentione ita ſtatuentis, non in odium Religionis, aut ad impediendam eleëmoſynam; ſed ad moderandas donationes in præjudicium Patriæ, dum Eccleſiaſtica bona nimium aucta, & ob oneribus libera, Patria nimium eſſet gravanda. Deindè, ne antiquæ fundationes per novas ſuperadditas, impedirentur; ſed aptius, & commodius cuſtodirentur, in Dei honorem, ac cultum; ita tamen, ut pii Principis animus ſit paratus libenter ſuum aſſenſum in hujuſmodi donatione prædiorum impartiri, ubi viſum fuerit hoc abſque ſuo, & Reipublicæ præjudicio pro augmento divini cultûs expedire. ita *Joannes Driedo Doctor Lovan. de libert. Chriſt. lib.* 1. *art.* 4. *mihi fol.* 194. qui ibidem latiſſimè de æquitate dictæ legis diſcurrit. An verò eadem lex adeo obſervanda foret, ſi Eccleſiaſticorum bona, æquè ac Laïcorum onera publica ſuſtinerent, judicent alii.

Quæres, an dicta lex in conſcientiâ obliget. Reſpondet *Zypæus juris Pontif. lib.* 3. *tit. de ſucceſ. ab inteſt. hoc jus à Carolo V. ſtatutum, promiſſum eſſe ſervari in Brabantiâ per Epiſcopos Cameracenſem, & Leodienſem in Concordatis: ut*

hic

Digitized by Google

hic in foro interiori etiam vires habere videatur : ubi autem tale concordatum, aut Cleri aſſenſus non eſt, Edictum Caroli non obligabit in conſcientiâ. Præmiſerat tamen *lib. 2. de foro compet.* Prælatos Belgii initio huic Edicto obſtitiſſe, tamquam quod foret contrà jura, privilegia, ac immunitates Cleri Brabantiæ, quæ tamen ſerta tecta ſervare ſemper jurant in ſuâ inauguratione Principes noſtri. Hinc factum, ut dicta ordinatio ſuſpenderetur, donec jura utriuſque partis coram Commiſſariis diſcuterentur : quod cum Prælati negligerent, ac ſtatus ſæcularis vigilantior eſſet, quaſi in Prælatorum negligentiam, abſolutè eamdem legem per modum Edicti perpetui ordinavit Carolus V. ita *Zypæus ibid.* an autem manus mortuæ ſnccedere poſſint in feudum, dicam de feudo. Cæterum, quæ hucuſque hâc de re ſunt dicta, aliorum potius, quos retuli, Authorum ſententias exhibui, quam noſtram adjunxi; maximè, ob rationem ex Ivone Carnotenſi initio quæſtionis adductam.

Quæret hîc aliquis, quomodo ſuccedatur ab inteſtato, v. g. ſi nullum ſit factum teſtamentum, ſi ſit illegitimum, ſi ruptum. Reſp. De jure communi, primò ſuccedunt liberi legitimi : iis deficientibus ſuccedunt nepotes ab inteſtato in ſtipites, non verò in capita, ut aiunt; id eſt, non pro numero capitum, aut perſonarum inter eos dividitur hæreditas; ſed qui, & quot ſunt unius ſtirpis, ſi unam habeant partem, qui alterius, alteram. Si deſcendentes deficiant, ſuccedunt Pater, & Mater; aut illis deficientibus Avus, & Avia; ita tamen, ut ſi defunctus relinquat bona paterna, & materna, Avus maternus ſuccedat maternis, paternus paternis. Si deficiant conſanguinei uſque ad 10. gradum, ſuccedit uxor; eâ deficiente Fiſcus. Reliqua vide apud *Gudelinum juris noviſſ. lib. 2. c. 13. 14. & ſeq.* *(Modus ſuccedendi ab inteſtato.)*

Variant hîc tamen variorum mores. Regula illa, *paterna paternis, materna maternis*, in pleriſque Belgii locis eſt recepta, juxtà quam bona patrimonialia, ab antiquo trunco deſcendentia, vulgò, *ſtock-goederen*, redeant ad latus, à quo proveniunt, id eſt, ut paterna deferantur paternis, materna maternis, ſi filii deficiant. Hanc eſſe communem Brabantiæ praxim, dicit *kinſchot reſp.* 29. & alii. Idem expreſsè ſtatuunt Conſuetudines Mechlinienſes *tit.* 16. *art.* 12. *Lovan. cap.* 14. *num.* 6. *Bruxellenſes art.* 292. *Gandenſes tit.* 26. *art.* 14. alibi tamen dicta regula non obſervatur, ſed hæreditas dividitur in duos ſemiſſes, quorum unus defertur paternis, alius maternis, nullâ habitâ ratione, unde bona illa devenerint, proximiore ſemper excludente remotiorem. Ita habent *Conſuetud. Antverp. tit.* 47. *art.* 14. idem in variis Flandriæ locis obtinet, teſte *Wameſio vol. 6. conſ.* 9. idem in Hollandiâ ſtatuunt *Ordinat. Polit.* idem in Hiſpaniâ uſu receptum eſſe, tradi *Covarruv. de ſucceſſ. ab inteſt. vide Chriſtyn ad Bugnion l. 2. c.* 87. *& Gudelinum loco citato*, qui variè hanc rem exponit. *(Quomodo in Belgio.)*

Debetur quoque liberis à parentibus jure novo communi *legitima*, etiam legatis, ac fideicommiſſis detrahenda, quæ eſt tertia pars, ſeu triens, ſi ſint quatuor, vel pauciores : ſi verò ſint plures, quam quatuor, ſemis, ſeu me- *(Liberis debetur legitima; quæ ſit.)*

dia pars illis debeatur; quâ portione, aut uſufructu liberi non poſſunt à parentibus defraudari, aliàs liberis competit querela inofficioſi teſtamenti, de quo plura habet *Gudelinus lib.* 2. *c.* 7. legitimam tamen gravari poſſe in commodum filiorum, tradit ex variis *Groenweg. Cod. lib.* 3. *tit.* 28. *L.* 25.

Quid falcidia. Ne verò hæreditas legatis nimium gravaretur, inventa eſt *falcidia*, id eſt, quarta bonorum pars, quæ debet manere ſalva hæredi inſtituto, ſi ultrà eam ſit gravatus legatis. Idem eſt de *Tribellianicâ*, id eſt, quartâ parte bonorum, manendâ hæredi ſalvâ, ſi ſit gravatus fideicommiſſis. Falcidiæ uſum in Brabantiâ, non ſolùm in ditione Antverpienſi, ut vult *Zypæus notit. juris Belg. tit. de teſtamentis*, receptum eſſe, tradit *D. Stockmans* deciſum aliquoties eſſe, *Deciſ.* 38. uti etiam idem aſſerit de Galliâ. Idem de Tribellianicâ tradit *Deciſ. ſeq.* 39. has verò amitti non confecto inventariò, tradit idem Author *Deciſ.* 42. eam tamen legatis piis detrahendam non eſſe, tradunt communiter Authores juxtà *Authent. ſimiliter C. ad leg. falcid.*

Tribellianica.

Exhæredatio liberorum. Quæres, an, & quouſque liberi poſſint exhæredari. Reſp. Juxtà *Gudelin. juris Noviſſ. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Certum eſt, liberos, qui in poteſtate habebantur, hæredes inſtitui debuiſſe, aut ſaltem exhæredari, ac cur exhæredari debuerint, ſi non inſtituerentur, ratio ex eo profluxit, quod illi una, eademque perſona cenſerentur cum illo, qui eam haberet in poteſtate; adeoque excluſis extraneis ſuccedere deberet, niſi expreſsè exhæredaretur. Nulla autem jure veteri exhæredandi ratio fuit habita, donec jure noviſſimo ſtatutum, ut nemo liberos exhæredare poſſet, niſi ob certas ingratitudinis cauſas, quas oporteret exprimere. Tales cenſentur eſſe de jure communi; ſi filius manus violentas parenti injecerit: ſi eum gravi injuriâ affecerit: ſi eos in criminalibus accuſaverit, excepto crimine læſæ Majeſtatis, aut hæreſis: ſi verſetur cum maleficis: ſi mortem Patris attentaverit, etiam effectu non ſecuto: ſi cum novercâ copulam habeat: ſi pro Patre nolit fidejubere, cum hoc ſufficienter poſſit: ſi impediat teſtamentum Patris: ſi bona parentum dilapidaverit: ſi filia minor 25. annis luxurioſè vivat. Ubi tamen circà hoc ultimum notandum eſt, quod hìc diſpoſuit jus Romanum *Auth. ſed ſi poſt. C. de inoffic. teſt.* quod parentes debeant filiabus ſuis quærere occaſionem nubendi; quod ſi neglexerint, eas exhæredare nequeant ex cauſâ fornicationis. Quod quidem jus apud Italos vigere potuit, qui filias ſuas ab omni conventu procorum recludunt; moribus verò noſtris filiabus occaſionem quærere, probroſum eſt; adeoque negligentiæ parentum minimè imputandum eſt, ſi filia non nupta luxurioſè vivat, quo caſu indiſtinctè juxtà jus commune exhæredari poſſe, tradunt Authores, cum *Sanchez lib.* 4. *de matrim. diſp.* 24.

An verò etiam exhæredari poſſint liberi, qui invitis parentibus matrimonium ineunt, diſputant DD. eos mortaliter peccare, Theologis eſt in confeſſo. Et *Salonius q.* 5. *de dominio art.* 5. aſſerit, leges illas, quæ concedunt parentibus poteſtatem exhæredandi filios, qui ſine juſtâ occaſione contrà ipſorum voluntatem contraxerunt, eſſe juſtiſſimas; eò quòd ſimile peccatum ſoleat perturba-

re

re Rempublicam, fovere rixas, & diſcordias, dehoneſtare familias, &c. Sic Eſau contrahendo matrimonium contra parentum voluntatem cum filiabus Chanaam amiſit primogenita, quæ erant potiſſima ejus temporis hæreditas. In Belgio extat *Edictum* 29. *Novemb.* 1623. quo *art.* 2. filii familias minorennes poſſunt exhæredari, qui ſine conſenſu parentum, aut tutorum matrimonia contraxerunt: nec recipi debeat querela ſub prætextu legitimæ, dotis, alimentationis, aut conſuetudinariæ devolutionis, quoad bona profecta à latere ſuperſtitis. *Art.* 3. tamen, non comprehenduntur dictâ conſtitutione filii familias majores 25. annis, dummodo parentis conſenſum petierint: neque etiam illi, quorum matres ad ſecundas nuptias convolaverint, quibus caſibus eorum conſenſum non tenentur expectare. Eadem conſtitutio exhæredan d filiam, quæ minor 20. annis matrimonio ſe jungit, retinet Hollandia teſte *Grotio introduct. lib.* 2. *p.* 18. idem obtinet in Galliis, ſi filia minor 20. filius minor 30 annis invitis parentibus matrimonia contraxerint. Vide *Covarruv. de matrimonio parte* 2. *cap.* 3. §. 7. & *Bugnion lib:* 2. *cap.* 8. & quamquam rarò effectum ſortiatur dicta Conſtitutio; tamen ratione inobedientiæ aliquando filio contra voluntatem matris nupto, peculium aliquod ademptum fuiſſe, refert *Stockmans Deciſ.* 70.

Quæres ultimò, an cuique libera ſit bonorum ſuorum diſpoſitio per teſtamentum. Reſpondet *Zypæus not. juris Belg. de teſtamentis*, in Brabantiâ eſſe liberrimam diſpoſitionem, & arbitrium cuique rerum ſuarum inter vivos, & per teſtamentum, ut etiam feuda, nec Domino, nec agnato conſentiente alienare poſſit; teſtamento etiam ex indulto Principis. In Bataviâ quoque, teſte *Grotio Iſagoge lib.* 2. *p.* 14. magna eſt teſtandi libertas, quamvis non apud vicinos omnes. In Flandriâ autem non eſt teſtandi libertas tam ampla, ut poſſit feuda, neque vivus non conſentiente agnato, niſi paupertatem juret, alienare; neque etiam teſtanti adeo obvia eſt Principis licentia: neque etiam ibidem de aliis immobilibus teſtandi licentia eſt tam abſoluta, quin ſolùm tertiam illorum bonorum partem legare poſſit, & duas tertias conquæſtorum. Libertas teſtandi.

S E C T I O V.

De modo, quo Teſtamentum debeat diſponi, aperiri, & revocari.

CUm ſpiritualis animæ director ſæpè conſuli ſoleat, quo modo teſtator teſtamentum diſponat: Plurimum refert, noſſe modum, quo juxta conſcientiæ regulas ultima voluntas ſit regulanda. De his pauca ſubnectam.

1. Ante omnia, ſi teſtator habeat liberos, pietas exigit, ut illis ad vivendum neceſſaria relinquat: ad hoc enim lex naturæ parentes obligat. Exemplum hîc dedit S. Auguſtinus dicens Sermone 49. de diverſis: *quicumque exhæredato filio Eccleſiam vult facere hæredem, quærat alium, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum; imo Deo propitio neminem inveniet.* Neque hîc ulla prætexenda eſt excuſatio, cum intuitu rei ſacræ filii prætereuntur, dum nulla poteſt eſſe pietas, quæ obliviſcitur naturæ. Pietas non obliviſcitur naturæ

 2. Si

2. Si teſtator habeat deſcendentes, æquum eſt, ut ob gratitudinem, quod teſtatori honorem deferant, aliquid relinquat.

3. Qui prolem habet numeroſam, expedit (ſi fieri poſſit) ſi Chriſtum deducat in partem, & cohæredem, ut & animæ teſtatoris proſit, & hæredes fiant cohæredes Chriſti. Dicitur, *ſi fieri poſſit*, eò quòd ſæpè tota portio filiis ſit ad ſtatum neceſſaria.

4. Si non ſolum filii, aut parentes, ſed etiam conſanguinei indigeant, piis etiam cauſis ii ſunt præferendi. Exemplum hîc rurſum dedit S. Auguſtinus teſte Poſſidonio in ejus vita *cap.* 24. dum facultates illi relictas, non ſolum parentibus reddidit, ſed & aliis carne conjunctis. Audi, quid eâ de re etiam ſcribat *P. Hieremias Drexelius e Soc. Jeſu lib. de eleëmoſynâ p. 2. cap. 2. §. 2. Objicies tertio, ego templis do : non reprehendimus : ſed templa viva potius, ac prius curanda ſunt, quam ea, quibus nihil eſt vita. Sunt qui Sacerdotia augeant, cœnobia condant, templa, aut ſacella erigant, parentes, aut cognatos ſummè pauperes diſtituant. O munificentiam magnam, ſed malè ordinatam!* Addit in fine *annuas æternas in templis exequias ſibi defuncto conſtituere, vix hoc ævo cenſuerim expedire, idque certas ob cauſas.* Vide, quæ dixi opuſculo de eleëmoſynâ eâ de re.

Templa viva præferenda mortuis.

Si verò cognati indigentes deſint, poterit fieri teſtamentum animæ propriæ, cui ex charitate debet ſubvenire, uti & pauperibus de ſuperfluis verius ex juſtitiâ : hinc dicitur Prov. 15. *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ.* Neque hîc attendendæ ſunt amicorum querelæ, quæ eo caſu ſunt irrationabiles : etſi ad eas evitandas, poſſit teſtator eis legata quædam legare, pauperibus inſtitutis hæredibus. Hos verò ornamentis Eccleſiæ præferendos eſſe, conſtans eſt SS. Patrum ſententia, dum Deus miſericordiam præfert ſacrificio.

Eleëmoſynæ faciendæ in vitâ.

5. Suadendum eſt teſtatori, ut ſi commodè poſſit, diſponat pauperibus donando potius in vivis, quam poſt mortem illis relinquendo : tum, quod eleëmoſyna in vivis data ſit majoris meriti, quam in morte; tum, quod etiam ſit magis ſatisfactoria, dum in morte ſolummodo datur, quod amplius retineri non poteſt, & ſic quaſi ex quâdam neceſſitate; tum denique, quod ſæpè hæredes non ſatisfaciant teſtatoris voluntati. Unde rectè Sapiens *Eccleſiaſtici* 14. *ante obitum fac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi.*

Maturè teſtandum.

6. Suadendum eſt juxta *Bellarminum lib. 2. de arte bene moriendi c. V.* Ut teſtamentum fiat initio morbi, niſi quis prudenter anteverterit : & non leviter errant, ait, qui de teſtamento condendo non cogitant, niſi cum ægritudine invaleſcente à cognatis, vel amicis coguntur; quo tempore, vel delirare incipiunt, vel certè res ſuas non eâ prudentiâ diſponunt, quâ diſpoſuiſſent dum bene valebant. Illud quoque maximi momenti eſſe ait, ſi teſtamentum fiat in gratiâ, quod requiritur, ut ſit meritorium : unde conſulendum eſt à Confeſſario, ut qui conſcius peccati mortalis teſtamentum condidit, poſt novam, ac legitimam Confeſſionem illud confirmet de novo, ac ratum habeat id totum, quod teſtamento diſpoſuit. Cæ-

Faciendum in gratiâ.

Digitized by Google

Cæterum, etſi Religioſi, aliique viri Eccleſiaſtici conſulere. & dirigere Hæredi
poſſint teſtatorem, dum conſuluntur: oportet tamen eos ab omni ſpecie cap- petæ, &c.
tandæ hæreditatis eſſe alienos, exemplo Salvatoris noſtri, qui Lucæ 12. dicenti illi: Magiſter dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, reſpondit: quis me conſtituit Judicem, aut diviſorem inter vos? dixitque illis: *Videte, & cavete ab omni avaritiâ.* Similes abjectos Hæredipetas acriter inſectatur S. Hieronimus ita ſcribens: *Audio præterea in ſenes, & anus abſque liberis, quorundam turpe ſervitium. Ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & plegmata pulmonis manu propriâ ſuſcipiunt: pavent ad introitum Medici, trementibuſque labiis, an commodius habeant, ſciſcitantur: & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulatâque lætitiâ, mens intrinſecus avara torquetur: timent enim, ne perdant miniſterium, & vivacem ſenem, Mathuſalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti pretium non ſperarent! quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur, minori labore margaritum Chriſti emi non poterat.*

Hæc omnia ad verbum Hieronimus, cujus verbis uti placuit, ne gravius aliquorum notetur praxis, & veritas reputetur calumnia. Audire etiam lubet Theophylum Raynaud. Soc. Jeſu *lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 8. *de interverſione teſtamentorum*, ità ſcribentem: *admitto lubens, indignum, & omni ratione ex Eccleſiâ eliminandum eſſe morbum hæredipetarum: admitto, inquam, ferendum non eſſe, ut ſacri homines veluti vultures inhient prædæ, & teſtamenta captent, Eccleſiæ, aut pio cætui profutura.* Et poſtquam ſubdiderat, fuiſſe Epiſcopos, ac Abbates, qui quoſdam tondebant, ut potiri poſſent eorumdem hæreditate, ita ſubdit: *A quo animo longè abeſſe Societatem Jeſu, quidquid mentiatur iniquitas ſibi, benè monſtrat Joannes à Cochier in vindic. Eccleſ. libert. p.* 2. *cap.* 12. *allegatâ conſtitutione Societatis, idſedulò cavente.* De quâ etiam meminit Joannes Polancus ejuſdem inſtituti c. 3. *de methodo juvandi ægrotos*, ita ſcribens: *quamvis dirigere teſtatorem, opus ſit magnæ pietatis: noſtri tamen propter conſtitutionem, quæ id prohibet, tum propter rationem, quæ ipſius conſtitutionis cauſa fuit, teſtamentis condendis intereſſe non debent: & minus utique ad eleëmoſynas, vel legata nobis relinquenda, aut iis, qui ad nos pertinent, morituros exhortari noſtris licebit.* Veriſſimè etiam de hâc eadem re, & Chriſtianè ità Joannes Molanus Doctor Lovan. *Compendii Theol. pract. mihi fol.* 181. ait: *oportet, non modò Eccleſiaſticos viros à captatione hæreditariæ ſucceſſionis, ſed etiam omnes Chriſtianos eſſe alienos. Concupiſcere enim rem proximi, etiamſi ibi juſtam ſucceſſionem quæras, non licet, ait S. Auguſt. neque ſacerdoti honeſtum eſt, compendia aliis, vel debita, vel parata avertere, cum ejus ſit prodeſſe omnibus, obeſſe nemini, ut ait S. Ambroſ. lib.* 3. *offic.* Et ex familiâ Eremit. S. Aug. P. Mantelius de officio Paſt. lib. 2. c. 16. ita de eâdem re ſcribit, de variis in viſitando infirmos obſervandis: *Apage quoque eos, qui piis ex compoſito obſequiis ægrorum domos vulturum more obſident, quo defunctorum hæreditates depaſcantur, & legitimos ſæpè ſucceſſores, ſpecie qua-*

quadam majoris boni excludant, & ablegant ad manticam. Ubicumque enim compendium, ex oraculo D. Hieronimi, velocior pes eſt, citus ſermo, auris attentior. Ubicumque fuerit corpus, ibi congregantur aquilæ, quæ in omnes alias aves depugnant, ut ab infirmis excludant, quò ſola opulentas, & ſplendidas defuncti exuvias prædæ faciant. Ita ille.

Interverſio teſtamentorum.

Verumtamen, ſicuti non decet Eccleſiaſticos, vel alios quoſvis eſſe hæredipetas: ita è contrà iniquum, & impium eſt teſtamenta, aut pia legata legitima intervertere. Hinc ii forenſes jure carpi poſſunt, qui à Bartolo vocantur *Canes, voratores Curiarum, & cauteriatæ conſcientiæ Juridici*, qui in odium Religionis omnia pia legata indiſcriminatim explodunt, ſæpius ad commodum proprium: adeo ut illud Gallorum ſit veriſſimum: *Jamais chien ne mordit l'Egliſe, qu'il n'enrageaſt.* Æquius jus Belgii exhæredationem religionis intuitu factam ſæpius caſſavit. Vide *Cod. Belg. V. teſtamenten num.* 1. Audi ſimili de re Salvianum *l.* 3. *ad Eccleſ.* Ità diſſerentem: *qui à parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis poſtponuntur; indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerant conſecratione: ac per hoc unâ tantum re parentibus viles ſunt, quia cœperint Deo eſſe pretioſi. Ex quo intelligi poteſt, quod nullus penè apud homines vilior ſit, quàm Deus.*

Apertio teſtamentorum.

Quæres ulterius, quomodò teſtamenta debeant aperiri. Reſp. Etſi antiquitus teſtamentum proferri, & publicè recitari ſoleret *L.* 1. *Cod. quemadm. teſt. aper. &c.* Idque accerſitis teſtibus ſigilla ſua recognoſcentibus, aut in eorum abſentiâ accerſitis aliis viris honeſtis, coram quibus iterum obſignentur: tamen, cum hodie teſtamenta redigantur à Notariis in protocollum, atque reſerventur, aliâ deinde publicatione non egent; adeoque ſatis eſt, eadem coram Notario, & 2. teſtibus aperiri; atque ita ſemel publicati teſtamenti fides, etſi materia, in quâ primum teſtamentum ſcriptum fuit, caſu intercidat, valebit nihilominus teſtamentum. Ita ex aliis *Groenweg. Cod. lib.* 6. *cap.* 23. *L.* 18. Specialiter tamen hîc in Belgio ſtatuitur ex *Edicto* 6. *Decemb.* 1586. Ut omnia teſtamenta infra 40. dies à morte teſtatoris communicentur hæredibus, ac aliis intereſſe habentibus, in quantum illos reſpectivè concernunt.

Revocatio teſtamentorum.

Quæres ultimò, an, & quouſque teſtamenta poſſint revocari. Reſp. cum teſte Apoſtolo ad *Heb.* 9. teſtamentum ſolùm in mortuis confirmetur: poterit uſque ad mortem illud à teſtatore revocari. Hinc dici ſolet, teſtatoris voluntatem, uſque ad mortem eſſe ambulatoriam. Quod ſi juraverit teſtamentum non revocare, omninò tenebit juramentum, quod ſemper ſervandum eſt, quamdiu ſervari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ. Neque hîc objici poteſt, quod juramentum ſequatur naturam ſui principalis, cui adjungitur, quod hîc eſt teſtamentum, quod de ſe eſt revocabile uſque ad mortem teſtatoris: hoc enim verum eſt, quod juramentum ſequatur naturam principalis actûs, quoad tacitas conditiones, niſi dictæ conditiones excludantur, quas jurans hîc excludit expreſsè intendendo non revocare teſtamentum, etſi ex naturâ ſuâ illud ſit revocabile.

Por-

Digitized by Google

Porrò, ad revocationem teſtamenti, quamdam ſolemnitatem requiſierunt mores antiqui : modò nudâ contrariâ voluntate ſatis declaratâ, etiam abſque novâ hæredis inſtitutione revocatur teſtamentum ; maximè, cum teſtator dicit ſe velle diſcedere inteſtatum. Et Conſuetud. Urbis noſtræ *Antverp. tit.* 46. *num. ultimo*, expreſsè volunt, dictam revocationem faciendam eſſe coram Notario, & teſtibus, eò quòd unumquodque ita ſolvatur, quomodo colligatum eſt. Aliis inſuper modis revocatum cenſetur teſtamentum, v. g. per ſciſſuram, aut cancellationem à teſtatore, aut ejus juſſu factam : Imo, ſi teſtamentum antea clauſum, poſt mortem teſtatoris inciſo filo ruptum reperiatur ab ipſo teſtatore, aut ejus mandato, cenſetur quoque eſſe revocatum. Aliud eſt; ſi fortuitò, aut ab alio, inſcio teſtatore id eſſet factum, quo caſu non cenſeretur eſſe revocatum. Vide *Stockmans Deciſ.* 13.

SECTIO VI.

De executione Teſtamenti.

NE ultima teſtatoris voluntas fruſtretur, aut plus æquo executio ejuſdem protrahatur, adeunda eſt hæreditas à defuncto relicta, tempore à Judice, aut aliâ ſuperiori poteſtate conſtituto. Minimum ſpatium, quod hîc concedi ſolet, ait *Gudelin. juris noviſ. l.* 2. *cap.* 10. *num.* 10. eſt centum dierum ; ſummum, novem menſium : media tempora in Judicis ſunt arbitratu conſtituta : neque quid obſtat, quin Princeps pro ſuâ plenitudine tempus illud longius poſſit protelare. Interea datur hæredibus jus deliberandi, an adire velint hæreditatem, an eamdem repudiare. Cum enim hominum facultates ſæpè fallant, & vires hæreditatis ſpem amicorum confundant : Huic periculo, ac ne interea hæreditas negligeretur cum præjudicio Creditorum, & aliorum intereſſe habentium, jus deliberandi datum eſt, juxta mox dicta. *Quando adeunda ſit hæreditas.*

Aliud remedium adhibuerunt hîc leges, ſcilicet confectionem, ſeu *beneficium* (ut vocant) *inventarii*, quo beneficio hoc conſequitur hæres, ne ultrà vires hæreditatis poſſit conveniri : quod detrahere poſſit Falcidiam, quod aliàs non poteſt : quod ante omnia deducere poſſit expenſas funeris, & inventarii : quod de ordine Creditorum non debeat eſſe ſollicitus, &c. De quâ re videri poſſunt DD. *de jure deliberandi.* Edictum Caroli V. quædam obſervanda propoſuit de hâc eâdem re, uti & Edictum perpetuum Anni 1611. primò, ut hoc beneficium, non ab ipſo jure, ut olim, ſed à Principe obtineri debeat, idque intra trimeſtre ab obitu teſtatoris, ut inventarium perficiatur intra 40. dies ab impetratis litteris : ut detur cautio ſuper mobilia inventa : ut infrà 50. deinde dies obtineatur actio citatoria, quâ omnes Creditores citentur, qui ſuas actiones, & prætenſiones proferant, & probent infrà 6. menſes, ſi in Patriâ : infrà annum, ſi foris degant : factâ proclamatione, mobilia vendantur, eorumque pretium mox inter Creditores diſtribuatur, datâ tamen cautione, idem reſtituendi, ſi ſit fortè neceſſe. Elapſo anno, debet hæres *Beneficium inventarii.*

Digitized by Google

hæres declarare, an velit ſub dicto inventarii beneficio continuare; quo affirmato, proceditur ad diſtractionem immobilium, niſi viderentur debitis eſſe ſufficientia, aut hæres eorumdem æſtimationem fieri deſideret. Dictæ ſolemnitates adeo neceſſariò ſunt obſervandæ ex præſcripto Edicti, ut ſi quid dictorum neglectum ſit, beneficium ſit planè nullum, omni ſpe ſublatâ de reſtitutione in integrum. Quod ſi teſtator abſolutè prohibuerit hæredi ſub inventarii beneficio hæreditatem adire, omninò ad illud obligabitur hæres, niſi ſit ex deſcendentibus. Ità expreſsè idem Edictum, de quo vide *Cod. Belg. V. beneficie van Inventaris.* Idem beneficium obtinet in Hollandiâ teſte *Grotio introd.* 2. *p.* 21. In Germaniâ quoque, Galliis, & alibi. Gandavi tamen non obtinet, ubi nemo hæreditatem poteſt repudiare; *Damhoud. prax. c.* 18. Neque etiam quoad diſtractionem immobilium obtinet in Hannoniâ, nec in patriâ Namurcenſi, quæ ibidem lege municipali fieri non poteſt, cui nihil derogat dictum Edictum. Hoc tamen hîc ultimò Authores notant, non poſſe hæredem eo beneficio uti, ſi ſit alius hæres, qui ſimpliciter, & ſine eo beneficio velit adire hæreditatem, niſi & ipſe ſine eo beneficio eam adire maluerit.

Cæterùm, tempore præfixo voluntas teſtatoris exactè erit exequenda: ita tamen, ut jure civili Cautum ſit, ne ante 9. dies ab obitu teſtatoris, hæredes ullo modo moleſtentur, quod etiam ſaltem ex honeſtate ubique recipiendum: & ita expreſsè ſtatuunt Conſuetudines Antverp. *tit.* 26. *art.* 7. & *art.* 8. meritò excipiunt, niſi aliàs eſſet in morâ periculum, quando mox ab obitu etiam bona arreſtare licet. In Hollandiâ idem obtinent *conſuetud. Delph. art.* 9. *tit. van dadinge.*

Quis ſit executor teſtamenti.

Quod verò ad executorem teſtamenti attinet: notandum eſt, ſi nullus à teſtatore ſit relictus teſtamenti executor, executionem devolvi ad hæredes, etiam quoad legata pia, niſi fortè relicta ſint ad redemptionem captivorum, & eleëmoſynas pauperum, quo caſu devolvitur ad Epiſcopum: quod etiam adeo verum eſt, ut quamvis teſtator expreſſiſſet, ne quis ſeſe illis legatis immiſceret, equidem ejus executio ad Epiſcopum perveniret. Ita *Authent. licet teſtator C. de Epiſc. & Clericis,* Circa executionem tamen teſtamentorum ad pias cauſas, ſtatuit Synodus Camerac. Anno 1586. ut Parochi executores moneant; & ſi poſt annum negligentes ſint, deferant ad Epiſcopum, qui eoſdem compellet. Et quidem Epiſcopos à piis fundationibus excludere, eſt contra Conc. Trid. *ſeſ.* 22. *cap.* 8. & 9. & contrà varia juris Canonici Decreta, quæ Epiſcopis ſubjiciunt pias fundationes: imo hîc in Belgio eſt contra Concordata Brab. *tit. de teſtamentis.* Et *Edictum* 31. *Auguſti* 1608. & quamquam Conſuetud. Urbis Antverp, *tit.* 4. *art.* 12. regimen Noſocomiorum, Hoſpitalium, & Zenodochiorum Magiſtratui attribuant, nullâ factâ mentione Epiſcopi: non ideo tamen cenſetur excluſus Epiſcopus; dum in litteris fundationis Zenodochii hujus Urbis expreſsè habetur, Religioſarum domuum curam ad Epiſcopum præ aliis, & ſuper alios pertinere. Ita *Anſelmo Tribon. cap.* 36.

qui

Digitized by Google

qui & addit, nullas in hâc noſtrâ Urbe eſſe pias congregationes, quin ſi earum Archiva perquirantur, probabunt in earum admiſſionibus, viſitationibus, ordinationibus, & approbationibus interveniſſe authoritatem Epiſcopi Cameracenſis, qui modò eſt Antverpenſis. Hinc etiam dici ſolet, Epiſcopos eſſe ſupremos teſtamentorum executores, eò quòd omnes executores, etiam Religioſos exemptos, compellere poſſint ad executionem teſtamentorum.

Executores autem alii ſunt univerſales, dum nullus inſtituitur hæres præter animam defuncti, & aliquis ſtatuitur, qui voluntatem defuncti exequatur: alii ſunt particulares, dum quis inſtituitur hæres, aut ab inteſtato ſuccedit, & conſtituitur aliquis, qui cætera quæ in teſtamento, aut codicillo habentur, mandet executioni. Poſſunt verò executores ſtatui, unus, vel plures; maſculi, vel feminæ, laïci, vel Religioſi, quibus etiam legatum aliquod pro labore ſolet relinqui: quod ſi illud relictum ſit, & executoris munus ſemel admiſerint, debent illud obire, niſi velint eo legato privari, quod alteri executori ſubſtituto poterit applicari. Idem eſt, ſi aliquid ſimile relictum ſit ratione tutelæ, ſi alter recuſet tutelam ſubire. Executor univerſalis, & particularis.

Quæres, an omnes Religioſi poſſint eſſe executores teſtamentorum. Reſp. non poſſunt eſſe Minores, nec Capucini. *Clement. Exivi de parad.* Neque Societas Jeſu ſine Generalis licentiâ: nec Religioſus alius ſine licentiâ Superioris; juxtà id, quod dicitur *C. 2. de teſtamentis in 6. Religioſus executor ab aliquo in ultimâ ſuâ voluntate deputatus, non poteſt (cum velle, vel nolle non habet) hujuſmodi officium ſuſcipere, vel exequi, niſi à Superiore petitâ ſuper hoc licentiâ, & obtentâ.* Idem habet *Clementina, de teſtamentis.* Dicta tamen alii cum Sanchez limitant ad Religioſos intra clauſtra degentes, qui propriè non habent velle, aut nolle: ſed an rectè, cum aliquorum ſtatuta aliud ſtatuant, judicent alii: noſtra ſaltem nihil Paſtoribus noſtris quoad hoc denegant; unde cujuſque Ordinis ſtatuta hîc ſunt conſulenda. Obtentâ verò licentiâ, tenentur Ordinario loci reddere rationem, prouti ſtatuit *Clementina unic. de teſtam.* Tametſi etiam ſint exempti. An verò executio ſine licentiâ acceptâ ſit valida, pendet ex eo, quid per illud *non poteſt* ibi ſuprà intelligatur; an ſcilicet invaliditas, an ſola prohibitio, quod poſterius videtur pluribus eſſe probabilius: addunt alii cum *Pelliſario tract. 6. c. x. num. 25.* Non poſſe Superiorem, licentiam datam pro libitu revocare, quando res non amplius eſt integra; cum executione inchoatâ, quaſi contrahatur cum hærede, & legatariis, quorum intereſt, adeo ut Superior licentiam revocando ſit illis injurius. Religioſi poſſunt eſſe executores teſtamentorum.

An verò ſi executor Religioſus habeat legata aliqua pauperibus eroganda, poſſit eadem ſibi, aut ſuo monaſterio applicare, quærunt aliqui; & probabiliter poſſe, ſunt qui affirmant: ratio eſt, quod poſſet ille ſibi applicare eleëmoſynam, ſi non eſſet diſtributor; ergo & illud poteſt, etſi talis jam ſit. Deinde, eo caſu ſatisfit intentioni teſtatoris, dando ea pauperi, id eſt, Religioſo executori. Denique, quod magis ſit de ratione juſtitiæ commutativæ

Digitized by Google

eſſe ad alterum, quam miſericordiæ; ubi tamen incertorum reſtitutio poteſt Juxtà omnes applicari debitori pauperi. Adde, quod eleëmoſynam illam non det propriè executor, ſed teſtator. Idem docent, quod ea dare poſſit ſuo monaſterio, æquè ac Beneficiatus id poſſet dare ſuæ Eccleſiæ. Quæ quidem fundata ſatis eſſe, dicendum eſt; maximè, ſi de contrariâ teſtatoris voluntate non conſtet., ſed ei cenſeatur ſatisfactum, ſi verè pauperibus erogentur legata; ſive ſit executor, ſive quis alius verè pauper.

An legata pia poſſint mutari. Quæres, an legata ſubindè mutari poſſint per Epiſcopum in alios uſus. Reſp. ſi legata illa applicari nequeant in eos uſus, in quos voluit teſtator, non ideo teſtamentum erit nullum, dum teſtator eadem cenſetur legaſſe in honorem Dei, ac animæ ſuæ ſalutem; adeo ut in eumdem finem eo caſu poſſint meliori pio uſui applicari per Epiſcopum. Aliud eſſe, ſi legatum illud magis relictum eſſet intuitu perſonæ cujuſdem pauperis, quam ad bonum animæ in communi. Cæterùm, ſi teſtatoris voluntas poſſit commodè adimpleri, ne quidem per Epiſcopum poterit ea invariari; quia, ut dicitur *L.* 4. *causâ* 13. *q.* 2. Ex D. Gregorio: *ultima voluntas defuncti, modis omnibus ſervari debet.* Et Conc. Trid. *ſeſ.* 22. *Cap.* 6. dicit, commutationes ultimarum voluntatum non niſi juſtâ, & neceſſariâ de causâ fieri poſſe à S. Sede. Talis autem cauſa ſubindè præſumi poteſt, ratione alicujus incidentis, ob quod præſumi rationabiliter poteſt, teſtatorem potius deſideraſſe in alium uſum legatum converti, quam antea expreſſiſſet: etſi de cætero in hâc re non ſit de facili præſumendum de contrario.

Quæres ulterius, quâ ratione incerta relicta ſint exequenda. Reſp. ſi incertitudo ſit ex parte Legatarii, v. g. ſi duo vocentur eodem nomine, neque aliunde colligi poſſit, quem deſignaverit teſtator, jure civili legatum eſt nullum; jure conſcientiæ æqualiter inter eos eſt dividendum, ſi illi in id conſentiant. Si verò legata ſint incerta ex parte loci pii, non ideo ſunt invalida, ſed danda loco magis indigenti, etſi hâc in re conſultiſſimum ſit adhibere conſilium Epiſcopi.

Quæres ultimò, intra quod tempus executor debeat exequi teſtamentum. Reſp. quam primùm hæreditatem adiit, & fecit inventarium, niſi juſto detineatur impedimento. Quod ſi negligat (cum hæc res ſit mixti fori) poterit uterque Judex laicum executorum compellere: ſi Eccleſiaſticus, poterit Epiſcopus. Si verò nullo prorſus impeditus impedimento intra annum id exequi neglexerint, iis monitis, nec parentibus, devolvitur executio ad Epiſcopum. Et quamquam certus executionis terminus alibi à ſæculari poteſtate ſtatui ſoleat: non tamen à culpâ gravi immunis erit executor, ſi legata uſque ad illum terminum differat ſolvere, dum aliàs poteſt: tum, quia ſolet talis terminus ſtatui, ne ultrà eum executio ſolummodo protrahatur: tum, quod aliàs ſaluti defuncti obeſſe poſſit, pia legata non ſolvendo, quàm primùm poteſt.

Caſus. Quæſitum aliquoties in Belgio, an legatum teſtamento relictum puellæ, ſi

ſi mundum reliquerit, aut certum ſtatum acceperit, factâ illâ Begginâ, legatum ſit ei ſolvendum. *Reſp.* ad prius reſpondet Franciſcus Zypæus lib. 3. conſult. Canon. Conſult. 1. Quod Begginæ non videantur relinquere mundum, aut mundo mori; eò quòd Begginarum nullus ſit Ordo, nulla regula à Sede Apoſtolicâ approbata, &c. Adeoque ſimiles eſſe Novitiis, qui ſolummodo ſunt in viâ, ut mundum per profeſſionem relinquant, unde & vocantur ab inchoando quaſi *Beginnen.* Ex quo reſolvendum apparet, quod tale legatum non obtineat dictam conditionem requiſitam, *ſi mundum reliquerit.* Ad aliud reſpondet idem Author in *Reſp. jur. Can. lib.* 3. *de regul. de religioſis domibus reſp.* 1. Begginas certum vitæ ſtatum adipiſci, cum eædem apud nos habeantur pro perſonis Eccleſiaſticis, quales etiam eas vocat Joannes 22. earum ædes ſint ſacræ, Epiſcopis ſubjectæ, earumque bona communia religioſarum donationum privilegia ſortiantur, de quo vide eumdem *Juris Pont. de Regul. num.* 13. Et Bernardum Loth Dominic. *tract.* 8. *q.* 1. *act.* 3. Idem approbantem. Hinc reſolvendum videtur, quod Beggina poſſit tutâ conſcientiâ tali legato potiri, & idem poſſit ab executoribus teſtamenti Begginæ concedi; maximè, cum favores ſint ampliandi; adeoque, etſi fortè Begginæ non haberent ſtatum ſtrictè, ac rigorosè dictum; tamen habent ſtatum Eccleſiaſticum, & pro tali communi acceptione ſolet dignoſci. Aliud eſt ſi teſtator Begginas voluiſſet excludere. Imo, juxtà jam dicta, videtur etiam Devotas, quas nos vocamus *Quaſulas,* certum ſtatum accepiſſe, quod & cenſet Zypæus in *reſp. ibid.* quoad favorabilia eſſe ſuſtinendum. Unde mirum, quod ſcribit Henricus Zipæus in libello de ſtatu Dovotarum, & Monialium *p.* 2. *c.* 10. §. 1. Seſe ſcire, in quodam judicio pronuntiatum eſſe in eo caſu contrà Begginam, ac illi ſimile legatum eſſe negatum, Judicibus ſuſtinentibus Begginas non arripere certum vitæ ſtatum. Sicuti autem in favorabilibus Begginæ dicuntur adipiſci certum vitæ ſtatum: ita è contrà in odioſis hoc de illis negandum, atque eapropter, ſubdit Zyp. ibid. cum teſtator vetuiſſet liberis bonorum immobilium alienationem, ſi ad ſtatum Eccleſiaſticum veniſſent: reſpondiſſe ſe, in hâc odioſâ clauſulâ Begginam, & Devotariam comprehenſam non eſſe; quippe ſecundum totam vitæ conditionem nec approbatum, nec principali, ac propriiſſimâ ſignificatione nominis ſtatum, minus Eccleſiaſticum, adeptam.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Emptione, & Venditione.

SECTIO I.

De Contractu emptionis.

OLim ante inventam pecuniam, non fuiſſe contractum emptionis, ac venditionis, ſed ſolùm permutationis, tradunt communiter Authores cum S. Thoma 2. 2 *q.* 77. *art.* 1. Idem alibi in partibus ſeptentrionalibus fieri dicitur, quod ibidem nec ſerant, nec metant; ſed venationi, ac piſcationi dediti ſiccos piſces, ac animalium pelles cum granis, ac aliis neceſſariis, cum vicinis incolis, ac mercatoribus permutant. Quia tamen modus ille permutandi humano convictui eſſet admodum importunus, dum ſæpè unus non haberet rem, quâ alter indigebat; aut ſi haberet tamen utriuſque rei pretium non poſſet facilè definiri; hinc poſtmodum inventa eſt pecunia dicta ex eo, quod primitùs in chartâ, vel corio pes pecudis, puta Capreæ, vel Ovis foret impreſſus teſte Plinio *lib.* 33. *cap.* 3. quæ foret pretium rerum omnium, ad res vendendas, & emendas.

Quid ſit emptio, & venditio. Contractus ergo emptionis eſt pactio, quâ pretium pro re promittitur. E contrà venditio eſt pactio, quâ promittitur res pro pretio. Ex quo jam inde patet, contractum illum eſſe ultrò citròque obligatorium, cum reciprocam obligationem pariat in emptore, ac venditore, ex quâ parte hîc rejiciuntur omnes contractus ex unâ tantum parte obligatorii, v. g. depoſiti, commodati, mutui, &c.

An verò per ſolum ementis, ac ementis conſenſum dominium hîc transferatur, an verò requirantur inſuper traditio rei, ac pretii, diſſentiunt Authores. Alii enim volunt, ſolo hîc utriuſque conſenſu dominia transferri, adeoque contractum illum per nuntium aut epiſtolam fieri poſſe inter abſentes, uti habet *L.* 1. *in fine D. de contrah. empt.* Traditionem verò ad ſui eſſentiam non requiri, aut ad ejus obligationem, ſed ſolùm ad ultimum ſui complementum illam eſſe requiſitam: adeo ut inter ementem, & vendentem conventione factâ, uterque ſtatim obligetur etiam re, aut pretio necdum tradito. Alii è contrà docent, non transferri dominium ante traditionem, etſi venditio ſit perfecta; eò quòd emptor ex naturâ hujus contractûs ante traditionem habeat ſolummodo jus ad rem non verò jus in re, quod ad dominium requiritur; quæ proindè obligatio, non eſt ipſius rei, ſed venditoris: quod etiam verum eſſe, etſi pretium ſit ſolutum, non ſecutâ tamen traditione rei, dominium ſcilicet non transferri, docet Molina *tract.* 2. *diſt-*

An dominium transferatur ante traditionem.

2. *diſp.* 2. Ut ut ſit, certum eſt ad perfectionem, ac complementum venditionis requiri traditionem, prout patebit ex ſequentibus.

Sæpè tamen ultrà conſenſum ad contractum emptionis, & venditionis requiri ſcripturam, eſt in confeſſo. Quod illa ad majus robur exigi poſſit à contrahentibus, quis dubitat? An autem ſcriptura illa exigatur ad majus robur, an verò etiam ad validitatem contractûs, pendet ex intentione contrahentium, qui ita conſenſum reſtringere potuerunt ad dictam ſcripturam. Si verò de eâ intentione nil conſtet, verius apparet, eam ſolummodo ad maius robur eſſe adhibitam, eò quòd contractus de ſe ſine ſcripturâ ex ſolo conſenſu partium maneat ſatis firmus, & perfectus. Varii tamen contractus ex diſpoſitione juris ſcripturam exigunt, ſicut rerum immobilium venditionem non teneri, ſine legitimâ coram Scabinis rei traditione, tradunt Conſuetud. Antverp. *tit.* 57. *num.* 2. Simile quid habent aliarum partium conſuetudines, de quibus videri poteſt *Groenwegen Inſtitut. lib.* 3. *tit.* 23. An requirat ſcripturam.

Quæri tamen hìc poteſt, an ita debeat cenſeri perfectus eſſe contractus ſolo conſenſu, ut periculum rei venditæ pertineat ad emptorem: uti etiam, an ad eumdem pertineant rei fructus. Reſp. affirmativè, idque etiam ante traditionem: neque hoc dici debet eſſe injuſtum, cum uti damnum, ita quoque ad emptorem pertineat & commodum. Neque etiam dici poteſt quod res, quæ perit, Domino pereat; res autem ante traditionem necdum ſit emptoris: quia dici hìc poteſt, emptori rem perire, non ideo præcisè, quod rei illius ſit dominus, ſed jure ita ſtatuente *L. cum autem, Inſtit. de empt. & vendit.* Aliud eſſet, ſi venditor in ſe ſuſcepiſſet rei periculum: aut ſi venditio facta eſſet ſub illâ conditione, ut res periret venditori: quo caſu periculum rei ad venditorem ſpectat ante traditionem rei. Si verò ſolummodo res illa fiat deterior, ejus periculum pertinet ad emptorem, uti etſi fiat melior, ejus commodum ad eumdem pertinet. *L. illud ff. de periculo, & commodo. Et L. neceſſario eod. tit.* Si verò ex morâ venditoris, in tradendâ, vel conſervandâ re intereat, tenebitur venditor, dum mora, & culpa eum condemnat. Hinc etiam venditor tempore debito rem tenetur tradere; id eſt juxtà venditionis contractum, aliàs agi poteſt ad id, quod emptori intereſt, aut etiam ad abſolutam rei traditionem poterit venditor compelli, niſi fortè rem tradere non poſſit: ita Conſuetud. Antverp. *tit.* 51. *art.* 9. Contrarium tamen ſæpè in Conſilio Mechlin. judicatum eſſe, refert Chriſtinæus *Vol.* :. *Deciſ.* 75. *num. v.* Si verò tradendæ rei facultatem non habeat venditor, ſolvendo intereſſe ſatisfaciet juxtà uſum ubivis receptum, & juxtà æquitatis regulam ſufficientem. Cujus periculo pereat res ante traditionem.

Quod ſi res pereat poſt traditionem, perit res emptori, qui tunc factus eſt Dominus rei, quæ Domino perit, niſi aliter ſtatuant jura. Dicta intellige ſoluto pretio, aut dum illud habetur pro ſoluto. Et quamquam juxtà ante dicta, jure ſtatutum ſit, periculum rei venditæ ante traditionem ſpectare ad emptorem: notanda eſt Conſtitutio Caroli V. ſtatuentis irritam eſſe eam immobi- Cui res pereat poſt traditionem.

mobilium alienationem, quarum traditio facta non eſt: ad quam nihilominus non infundatè ſcribit *Groenw.* dicto loco *Inſtitut.* hoc ſolùm in creditorum gratiam eſſe ſtatutum, ne illi clandeſtinâ aliquâ hypothecæ traditione ſuo jure fruſtrarentur: adeo ut re duobus venditâ, uni privatim, & alteri publicè traditâ, is præferri debeat, cui coram judice loci eſt tradita: quo, inquam, non obſtante, jus civile in univerſum illæſum manſiſſe cenſet, adeoque & hodie rei immobilis venditæ periculum etiam ante traditionem ad emptorem pertinere, atque ita in Hollandiæ Curiâ eſſe judicatum tradit ibid.

Cui res empta fructificet.

Quod verò ad fructus rei attinet, certum eſt, ſi de iiſdem ſit expreſsè facta legitima conventio, illi conventioni eſſe omninò ſtandum. Illa verò non factâ, ſi fructus ſint jam apparentes, cenſentur eſſe emptoris, eò quòd cenſeantur eſſe pars rei emptæ, cum quâ conſequenter cenſentur emi. Deinde, ſi res periret, aut fieret pejor; periret, aut pejoraretur emptori; ergo etiam juſtè illi dicitur res fructificare: ſi enim damnum ſentiat, quare fruſtrandus eſt emolumento? Hinc ſequitur, quod ſi Paulo vinea vendatur, & venditor ante vindemiam uvas detrahat, debeat quoque detrahi pretium uvarum detractarum. Idem hîc dicendum eſt de fræno, ſellâ, &c. ornamentis Equi ordinariis, quibus objicitur venalis, quæ cenſentur eſſe acceſſoria, & quaſi rei fructus, quæ proindè cum ipsâ re cenſentur vendi. Idem ſervandum in venditione navis cum ſuis inſtrumentis, cum quâ vendita cenſetur eſſe & ſcapha, ſine quâ commodè navi uti non poſſunt nautæ, prout à nautis didiciſſe ſe dicit Autumnus *ad ff. de Inſtru. legato.* Ubi & illud idem moribus noſtris, præſertim in magnis navibus, procedere cenſet *Groenwegen.*

Dictum eſt ſuperius ſi ſit facta *conventio legitima*, eò quòd verius non poſſit fieri conventio talis, ut venditor fruatur fructibus, donec ſolvatur pretium, quod verè eſt uſurarium; dum ex virtuali mutuo (quale eſt dilatio ſolutionis) vellet venditor reportare lucrum: de quo latius poſtea, agendo de uſuris.

Sed quid de fructibus tempore contractûs non exiſtentibus. Reſp. Docent aliqui, fructus ejuſmodi ante ſolutum pretium, aut pro ſoluto habitum, v. g. per fidejuſſionem, dationem pignoris, &c. pertinere ad venditorem; eò quòd juſtum ſit, ne emptor ante datum pretium accipiat fructus rei, dum ratione pretii ſolummodo habet jus ad eamdem. Alii, qui docent venditorem ante ſolutum pretium manere etiamnum rei Dominum, id probant ex eo, quod res quælibet Domino ſuo fructificet. Verùm, illa opinio non videtur aliis ſatis fundata, dum per venditionem, ſubſecutâ traditione jure naturali transferatur dominium rei, etiam pretio necdum ſoluto, adeoque emptori tamquam Domino fructificet. Hinc venditor per traditionem illicò ſe privat dominio rei, ac etiam fructibus; neque de cætero ullum jus habet, vel ad rem, vel ad fructus, ſed tantum ad perſonam. Hoc autem inde etiam patet, quod ſi pretium ſtatim ſolvatur, ſecundum omnes fructus erunt emptoris; ergo idem fit, dum pretium differtur: aliàs enim pro dilatione ſolutionis reportaret venditor lucrum, quod eſſet uſura. Imo hæc dicta iis adeo vera ſunt, ut etiam obtineant, etſi emptor

ſit

Digitized by Google

ſit in morâ ſolvendi; quia inde non amittit fructus rei ſuæ, ſed ſolùm venditori facit injuriam, dum non ſolvit, quando poteſt, & debet ſolvere, quæ injuria, per privationem fructuum non debet reparari, ſed aliâ viâ, eſt reparanda; de quo, agendo de lucro ceſſante, aut damno emergenti.

Objiciunt aliqui *L. Curabit. C. de act. empt.* ubi ſupponitur emptorem non acquiſiiſſe dominium totum fructuum, ſed tantum pro parte, quia non ſolverat totum pretium. Reſp. multi eam legem dicunt eſſe injuſtam, adeo ut Navarrus *lib.* 3. *Conſil. tit. de empt. & vend. ult.* dicat eam legem non eſſe tenendam in jure Canonico, vel non niſi poſt moram; etſi nec ratione moræ debeant reddi fructus, ut mox notavimus. Ubi tamen de fructibus futuris notanda eſt Conſtitutio data 19. *Auguſti* 1522. & ſæpius renovata hîc in Belgio, vetans fructus pendentes, ac futuros vendi, aut emi, niſi fiant per ſubhaſtationem pro debitis. Cujus Edicti ratio eſſe poteſt, quod eâ venditione oneraretur ſæpè annona, & fieret carior ab iis, qui grana itâ empta ſupprimerent, neque æquo pretio vellent vendere. Addi poſſet, voluiſſe obviare fœneratorum avaritiæ, qui modicis nummis, uberrimam granorum quantitatem vellent comparare. Idem expreſsè vetant Conſtitutiones Flandriæ *lib.* 2. *rubric.* 19.

SECTIO II.

De Negotiatione, quibuſque ſit licita.

TRiplex ſolet ſtatui negotiationis ſpecies, quæ fit per emptionem, & venditionem. Prima eſt, quâ emitur neceſſarium, & venditur ſuperfluum, de quâ intelligitur illud *Prov. ult. vidit, quia bona eſt negotiatio ejus. Quæ non eſt propriè dicta negotiatio*, ait D. Thomas 22. *q.* 77. *art.* 4. *nec pertinet ad negotiatores, ſed magis ad œconomicos, & politicos, qui habent providere, vel domui, vel civitati de neceſſariis ad victum.* Secunda eſt, qua aliquid emitur, ut per artem, vel induſtriam mutatum carius vendatur: v.g. quando argentum emitur, ut ex eo fiat vas, & vendatur; qui emit animalia, ut ſaginata ea carius vendat. Neque hæc juxtà D. Thomam ibidem, eſt prohibita. Tertia eſt negotiatio rigoroſa, mercatoribus, ſeu negotiatoribus propria, quâ rem eo animo comparamus, ut eam integram, nec mutatam carius vendamus. Quæſtio eſt de hac negotiatione, an ſit licita, & honeſta. Et Author op. imperfect. apud Chryſoſt. oſtendit ex facto Chriſti ejicientis ementes, & vendentes de templo, non decere Chriſtianum eſſe negotiatorem, aliàs de templo ejiciendum. Idem probari videtur ex periculis peccatorum negotiationem comitantibus: Eccli. 26. *Duæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt: difficilè eruitur negotiator à negligentiâ, & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum.* Idem c. 27. *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: ſic & inter medium emptionis, & venditionis anguſtiabitur peccatum.* Et Scriptura omnia Tyriorum peccata à mercatura prodiiſſe aſſerit, dicens Ezech. 28. *In multi-*

An negotiatio ſit licita.

Digitized by Google

multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & ejeci te. Et rurſum: *iniquitate negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam.* Et Zachariæ 14. *Non erit mercator ultra in domo Domini exercituum.* Hinc fit, quod negotiatio paſſim à SS. PP. accuſetur.

Quibus tamen non obſtantibus, omninò tenendum eſt, negotiationem de ſe eſſe licitam; & vitia, quæ negotiando interveniunt, negotiantium eſſe, non artis, aut negotii, ait S. Auguſtinus in Pſ. 70. poteſt enim lucrum ob propriam ſuſtentationem, & ſublevationem aliorum licitè intendi, & quidem majus, etiam non mutatâ re intrinſecè; dum majoris pretii cauſa poſſunt eſſe aliæ rationes extrinſecæ, puta raritas, vel copia mercium, de quibus in decurſu. Imò, negotiationem non ſolùm eſſe de ſe licitam, ſed etiam Reipublicæ neceſſariam, & utiliſſimam, norunt omnes, dum etiam Romani inſtituerunt Mercatorum Collegium. E contrà videmus Regna, & Provincias defectu mercaturæ deficere, & quæ ante erant dominæ gentium, ſedere urbes ſolas ſine populo; teſtis ſit Urbs noſtra. Totum ergo, quod carpunt ſcripturæ, ac SS. Patres, ſunt accidentia negotiationis ſæpè concurrentia, puta avaritia, fraudes, mendacia, perjuria, &c.

Clericis negotiatio eſt interdicta.

Ratione prædictorum periculorum, & aliorum negotiationem interdicunt Canones perſonis Eccleſiaſticis *cap. 6. Ne Clerici, vel Monachi:* ubi ait Pontifex: *Sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur.* Et S. Hieronymi Epiſt. ad Heliodorum: *Negotiatorem Clericum, quaſi quamdam peſtem fuge.* Neque id ſolùm prohibet jus poſitivum, ſed naturale, attento Eccleſiaſticorum ſtatu; dum, qui Deo militat, non implicat ſe negotiis ſæcularibus, nec lucro ſtudet; nec qui Deo ſervit, ſervire poteſt & mammonæ. Dicta lex ſub peccato mortali obligat, quod patet ex pœnâ, quam confirmavit Concil. Trid. *ſeſ. 22. Reform. cap.* 1. niſi parvitas materiæ fortè excuſet, aut neceſſitas. Comprehenduntur hîc ſub *Clerici* nomine omnes omninò, qui in majoribus Ordinibus ſunt conſtituti, iique ſoli; dum minoribus initiati, facilè poſſint redire ad ſæculum, & Laïcare. De omni tamen Religioſo profeſſo id paſſim aſſeritur, dum poſt profeſſionem ad ſæculum redire non poſſunt, & ratione ſui ſtatûs ſunt magis Deo, ac divino cultui ſtabiliter dedicati. Comprehenduntur inſuper omnes alii Religioſi, ut Epiſcopi, ejecti, Laïci, Moniales; non tamen Novitii, juxtà Lezanam *tom.* 1. *cap.* 24. eò quòd in odioſis Novitii non ſoleant comprehendi nomine Religioſorum. Quod quidem verum credo, quoad incurrendas pœnas à jure ſtatutas, & ex vi legis poſitivæ: tamen etiam illis negotiationem illicitam eſſe, & vetitam ex ratione ſtatûs, quis neget?

Quæres interim, quænam negotiatio ſit hîc Clericis interdicta. Reſp. Negotiatio propriè dicta, quâ ex eâdem prorſus re intenditur aliquod lucrum. Deinde, negotiatio continuata; nec enim qui ſemel, aut bis negotiatur, negotiari propriè dicitur, dum *negotiator* dicit negotiandi frequentiam. An verò etiam prohibeatur negotiatio per alios, controvertitur: alii negant, ſicuti

nec

nec Clerici, quando prohibentur venari clamoroſè, prohibentur ita venari per alios. Rationem addunt, quod illis negotiatio ſit interdicta ob diſtractionem animi ad ſæcularia, quæ hoc caſu ceſſat, dum fit per alium, & jura tantum loquantur de negotiatione perſonali. Affirmant tamen alii ex eo, quod negotiatio, etſi per alium fiat, ſoleat tamen negotiantem diſtrahere; attendendo, ſi alius rectè adminiſtret. Adde & regulam illam, quod quis per alium facit, ipſe facere hîc cenſetur. Alii denique negant talem negotiationem interdici lege poſitivâ, prohiberi tamen à lege Religionis, & ex vi ſtatûs Eccleſiaſtici; adeo ut ſaltem ſtatum Clericalem dedeceat: unde Gloſſa *in Clem.* 1. *de vitâ, & honeſt. Clericorum*, ait de Clerico negotiante. *Si ergo occultè, vel per alium exercetur, ceſſat pœna, etſi non culpa.*

Inter dicitur tamen negotiatio Clericorum pro aliis facta, uti expreſsè dicitur *C. Sacerdotibus, ne Cler. vel Monachi*, his verbis: *Sacerdotibus, & Clericis tuis denunties publicè, ne miniſtri Laïcorum fiant, nec in rebus eorum procuratores exiſtant. Quod ſi poſtmodum facere præſumpſerint, & occaſione ipſius adminiſtrationis propter pecuniariam cauſam deprehendantur in fraude, indignum eſt eis ab Eccleſiâ ſubvenire, per quos conſtat in Eccleſiâ ſcandalum generari.* Et quamquam aliqui hîc aliquatenus Clericos excuſent, dum non cenſetur eſſe tanta animi diſtractio, & ſollicitudo circà res alienas, quam ſit circà proprias: tamen ex alterâ parte culpa contrahitur, dum abjectè famulantur Laïcis, & ratione ſcandali ſtatum ſuum dedecorant Clerici pro aliis negotiantes, quidquid incontrà dixerint viri docti, à Pelliſario *tract.* 6. *cap.* 10. *num.* 10. conſulti. Et quamvis dictus Author cum aliis ſui inſtituti Authoribus *Layman, Molina, & Leſſio num.* 12. neget prohibitum hîc eſſe Clericis tradere Laïco pecunias in ſocietatem, ut ipſe ſolus lucretur: verius tamen eſt, illud omninò etiam interdici. Quid enim aliud eſt inire ſocietatis contractum, quam negotiari ſaltem per alios, quod dedecet perſonas Eccleſiaſticas?

Verius eſt, quod ſubdit, licitum tamen eſſe Regularibus ex emptione animalium lucrari, dum eadem empta in propriis prædiis ſaginata venduntur cum eorumdem fœtibus, non tamen ſaginandi in prædiis conductis, aut empta ad elocandum ea pro pretio. Ratio eſt, quod lucrum, quod priori caſu recipiunt Religioſi, non ſit fructus emptionis, ſed naturæ ſuorum prædiorum: in poſteriori caſu verò, cenſetur lucrum eſſe fructus emptionis, non naturæ, & conſequenter negotiatio. Itidem cenſetur illis prohibitum ex agris ab aliis conductis fructus acquiſitos vendere, etſi id poſſint de fructibus acquiſitis de agris propriis, uti & ſi vendant ea, quæ Monaſterii ſuſtentationi ſuperſunt, quamvis ea vendant carius, quam antea emerant; ſi quidem ad negotiationem requiritur, ut res empta ſit animo eam revendendi, quod non ſupponitur in caſu noſtro. Sic quoque poſſunt Regulares vendere vina ex propriis vineis collecta, tamquam fructus rei ſuæ. Imo etiam acetum ex tali vino factum: quod etiam extendunt alii ad acetum ex vino ad acetum faciendum empto, eò quòd hîc non ſit negotiatio propriè dicta, dum res non maneat eadem, ſed ſubſtantialiter ſit

immutata, antequam vendatur; cui accidit, quod ad confectionem aceti modicus labor, ac diſtractio requiratur, & parvum pro nihilo ſoleat reputari. Sic alibi videmus plurima Monaſteria ex vinis de vineis eorumdem collectis ſubſiſtere.

Sic quoque juxta multos non cenſetur hîc Regularibus interdictum aperire officinam aromaticam, ut inde extraneis medicinas diſtrahant, prout Romæ publicè faciunt Patres Societatis, videntibus, & conſentientibus Summis Pontificibus. Neque ibi eſt negotiatio propriè dicta, dum finis eorumdem eſt primò proſpicere neceſſitatibus domeſticorum, & id, quod ſupereſt, vendere etiam carius, quam fuerit emptum. Deinde, non venditur res eadem, ſed prorſus immutata, idque induſtriâ alicujus Religioſi. Ita ferè Doctores, ac Caſuiſtæ. Verum enim verò, cum conſtet, non primariò pro neceſſitatibus domeſticorum, ſed potius ad vendendum ſimilia confici; quod patet ex eo, quod medicamenta quædam, quæ conficiunt, puta Theriaca, faciant in tantâ quantitate, ut non ſolùm Collegio, ſed & Urbi, imo ferè Orbi ſufficerent: ſequitur eam praxim non adeo eſſe commendandam. Quod fortè attendens Urbanus VIII. Decretum edidit 29. Auguſt. 1637. contrà Religioſos, & Eccleſiaſticos quoſcumque quæſtuoſas artes exercentes pro ſæcularibus, ſive aromatariam, piſtoriam, lanificium, textrinam, aut aliam quamlibet, prætorquam pro ſuis Religioſorum, aut alumnorum uſibus. Quod Decretum à Pelliſario ibi ſuprà refertur, addens illud fuiſſe reſtrictum ad ipſam Urbem; imo in eâdem eſſe non obſervatum ex inſtantiâ virorum primariorum apud Urbanum enixè inſtantium, ut poſſent, ſicuti antea, Religioſorum medicamenta pretio comparare. Ut ut ſit, certè non omnia, quæ licent, ſimul & expediunt. Similia quoque ſunt, quæ ſubdit idem Author eſſe licita, puta ex grano ex agro proprio collecto conficere panem, eumque externis divendere: imprimere in Monaſteriis libros, eoſque illis quoque diſtrahere: quæ certè non ſine offenſione Laïcorum fieri poſſe, eſt in confeſſo. Admittendum tamen eſt, ob neceſſitatem non eſſe Eccleſiaſticis prohibitum negotiari, cui neceſſitati non poſſent aliter ſubvenire: Leges enim Eccleſiaſticæ non obligant in neceſſitate proportionatâ, uti patet in lege jejunii, audiendi miſſam, &c. hinc infert Cardinalis de Lugo *diſput.* 26. *ſect.* 3. *num.* 37. poſſe Religioſos, qui in Braſiliâ attendunt converſioni Infidelium, & qui multis ex Hiſpaniâ ad ſuam ſuſtentationem indigent, nec pecunias ibi habent, quas in Hiſpaniam mittant pro emendis illis rebus, mittere merces alias, quarum ibi eſt copia, ut ex earum pretio in Hiſpaniâ comparent ſibi neceſſaria.

Neque etiam ex eo, quod negotiatio Clericis ſit interdicta, ſequitur illis interdictas eſſe alias artes, quibus ſibi victum comparent, ſi tamen negotiationi non ſint conjunctæ: deinde, eas exercere poſſunt, ut otium fugiant. Sic Apoſtolus, ne quem gravaret, exercuit ſcenofactoriam: ſic Præmonſtratenſes, & Ciſtercienſes per ſe, ſuoſque conſtat coluiſſe agros, adeo ut iiſdem magnâ ex parte debeat Brabantia, & aliæ Europæ partes, quod erucatæ, ac incultæ,

cultæ, modò floreant, & fructificent. Advertendum tamen eſt, ne labor ille talis ſit, ut devotionis ſpiritum ſuffocet, quâ fortè ratione laborem dictum in Ciſtercienſibus damnavit Petrus Cluniacenſis *lib. 1. epiſt. 28. inter Epiſt. S. Bernardi:* & in Benedictinis Mauburnus in Roſeto, cæterorum Ordinum cenſor cæteroqui exceſſivus. Hæc autem de eis artibus intelligenda ſunt, quæ Eccleſiaſticos non dedecent, ut ſunt pingere, texere, &c. non verò cauponari, macellariari, præparare pelles, & alia ſatis abjecta. Poſtremò, hoc interdicto præcipuè conſtringuntur ii, quibus animarum cura incumbit, quorum lucra debent eſſe lucra animarum, non divitiarum; neque eis vacare decet, ſed vacare Deo, & proximorum ſaluti. Unde conformiter ad prædicta jura rectè ſtatuunt ſtatuta noſtra diſtinct. 4. cap. 32. his verbis: *Deteſtandæ negotiationis abuſum, omnes Ordinis noſtri Religioſi, ſive Canonici ſint, ſive Converſi, ſollicitè, & diligenter evitent. Et nulli, qualiacumque animalia ad ſocietatem, communionemque lucri, & damni, alicui partionario, vel ad tempus locare, aut vinum frumentumvè, ſiliginem, avenam, ſeu alia grana, & qualiacumque bona mobilia, ad exercendam negotiationem, faciendum inde quaſtum (ut ſcilicet poſtmodum ea carius vendant) emere, vel alienam ſupellectilem in ſuum periculum receperint, vel ſua alteri ſub dicto periculo tradiderint, &c.* hæc de Religioſis.

Quæritur ulterius de Nobilibus, an iis negotiari ſit licitum. Reſp. Antiquitus etiam Nobilibus vetitum fuiſſe negotiari, conſtat ex Ariſtotele *lib. 7. c. 9. politicor.* ubi mercaturam reputat inter ſordidas artes: ac Thebani eos à Magiſtratu arcebant, qui 10. annis foro non abſtinuerant; quod & dudum obſervarunt Romani. Moribus tamen noſtris, nobilitate gaudere non poſſunt illi, qui artes mechanicas excolunt, niſi eaſdem deſerant. Ita *Cod. Belg. V. Edelman* §. 6. multi tamen id intelligunt etiam de mercaturâ actuali, non tamen ſi eam per alios exerceant, neque ſi non minuatim vendant, ut ex aliis refert Anſelmo *Tribon. cap. 6.* quod tamen mercatores à Magiſtratu arceri non debeant, patet experientiâ, dum è contrà eoſdem eidem adhibere ſit conſultiſſimum, maximè cum Belgium noſtrum principaliter in mercaturâ ſit fundatum, ut dicitur *Cod. Belg. V. Koopmanſchappen* §. 32. negoaiationem verò apud Venetos, ac Genuenſes Nobilitati non officere, eſt in comperto. Imo neque apud nos officere, ſi non fiat minuatim, refert judicatum Chriſtinæus *Vol. 3. Deciſ.* 106. Nobiles an poſſint negotiari.

Jure etiam veteri, à mercaturâ arcebantur Judices *C. de contractibus Judicum.* Cæterùm, moribus totius ferè Europæ, in Italiâ, Germaniâ, Galliâ, Hiſpaniâ, ac Belgicâ quoad immobilium emptionem licitum id eſſe, tradit Paulus Buſius *ad L. 33. ff. de reb. cred.* ſi tamen ſuper Læſione oriatur quæſtio, non exiguam juris præſumptionem habent contra ſe, adeoque adverſarius ſub leviori probatione auditur: nullatenus tamen licet emere ab officio, quod quis adminiſtrat, adeoque non ea bona Judici, quæ ejus authoritate ſubhaſtantur, cum illud minus vicinum ſit fraudi, & concuſſioni. Ita Zypæus *notit. Juris Belg. tit. de juriſdictione* §. *ſed neque, &c.*

Digitized by Google

SECTIO III.
De variis Mercatorum ſpeciebus.

PRimi, ac principales in negotiando dicuntur eſſe mercatores, qui ſuo periculo, ac induſtriâ toti incumbunt negotiationi, quales alibi quoque per abuſum dicunt eſſe opifices, & artifices, qui non propriè negotiationi, ſed vel labori, vel opificio incumbunt, neque etiam gaudent mercatorum privilegiis. Habent autem ejuſmodi alios ſibi ſubalternos, inter quos primi ſunt Proxenetæ, vulgò *Makelaers*, qui ſint quaſi contrahentium conciliatores, qui uti modò adhibentur in contractibus, ità antiquitus adhiberi ſolebant in contrahendis ſponſalibus. Requiritur interim in eis ſumma ſinceritas: unde ita de iis ſtatuit jus noſtrum *Cod. Belg. V. Maekelaers*, quod in Latinum retuli: *Proxenetæ plurimum proſunt, vel obſunt in negotio mercaturæ. Sine illis mercatores negotiari nequeunt. Juramentum præſtare debent coram Officiali loci, de fidelitate mercatoribus exhibenda. Concludere quoque nequeunt ſine ſpeciali mandato, cujus nomen apponere debent, ac procurare, ut primâ Burſâ negotia egeſta ab eo approbentur. Debent inſuper ſalario conſueto eſſe contenti. Si verò adſtiterint contractibus, in quibus convenitur de majori pecuniæ pretio, quam legitimo, flagellis ſubjiciantur, ac 10. annis relegentur, niſi ipſi illud idem Judici manifeſtaverint, antequam quid deſuper ſit inchoatum.* Statuitur inſuper, ne Proxenetæ vinorum, unà ſint vinopolæ, aut aliquam cum iiſdem habeant conjunctionem.

Proxenetæ.

Factores.

Alii Mercatoribus principalibus miniſtrantes dicuntur Inſtitores, ſive *Factores*, qui negotio gerendo à Mercatoribus præponuntur, v. g. coëmendo frumento, ſaccaro, lanâ, &c. Debent hi abſolutè ſervare conditiones à Mercatore principali præſcriptas, ac reddere rationem ſuæ adminiſtrationis: expenſæ per eos factæ, ab eodem Mercatore ſolvi oportet: quare eaiam ipſe Factor Dominum illum principaliter obligat in illis, in quibus ab eo fuit conſtitutus; adeo ut ex eo contractu, quem inſtitorio nomine egit, conveniri nequeat. Vide Chriſtinæum *Vol. 3. Deciſ.* 33.

Negotiorum geſtores.

Alii inſuper ſunt *negotiorum geſtores*, qui ſine expreſſo mandato principalium Mercatorum, utiliter gerunt eorumdem negotia, quaſi ex generali eorumdem commiſſione, ſic ut aliunde ad id non ſint obligati, uti ſunt tutores, curatores, &c. Hi, ubi ſemel inceperint negotium aliquod pro alio gerere, non poſſunt illud deſerere; debetque is, cujus negotium geſſerunt, refundere expenſas neceſſariò factas, ratione ſui operis redditâ; nequaquam verò refundere debet ſuperfluas. Alii dicuntur eſſe *Mandatarii*, qui aliena negotia gratis, & abſque ullâ mercede, bonâ fide mandatoris periculo ſuſcipiunt. De quo contractu alibi agendum reſtat. Alii denique dicuntur *Banckarii*, qui Mercatorum nummos ſub ſuâ detinent cuſtodiâ, eoſdem eorumdem mandato erogant, & recipiunt. Graviter ii peccant, ſi iiſdem nummis, ſine

Mandatarii.

Banckarii.

ſine ſcitu Mercatorum ad ſuos uſus, & lucra utantur; quo fit, ut periculo alieno ſua lucra proſequantur.

SECTIO IV.

De materiâ venditionis, ſive, quæ res poſſit vendi.

Cum homo ſit Dominus ſuæ libertatis, poteſt homo liber eſſe talis materia. Servitus enim nil aliud eſt, quam obligatio alicui facta ad præſtandas alteri omnes ſuas operas per totam vitam. Sicuti ergo quis poteſt ſe vendere pro die uno, pro menſe, pro anno; ita & pro ſemper. Imò, apud Romanos antiquitùs tanta erat patria poteſtas, ut poſſent vendere ſuos filios. Hinc & alibi in more eſt emere, ac vendere mancipia, qui mores totâ ferè Europâ exierunt, exceptâ Hiſpaniâ, & Luſitaniâ. Homo liber poteſt vendi.

Partes quoque hominis vendi poſſe, certum eſt. Sic licitum eſt vendere capillos. Idem docent de parte ſanguinis ad dandum Epyleptico: de lacte mulieris ad dandum Phtyſicis. Etſi enim homo non ſit Dominus vitæ ſuæ, nec membrorum illorum, quæ ad perfectionem hominis ſunt requiſita: eſt tamen Dominus illorum membrorum, quæ quaſi accidentaliter ad ipſum pertinent, etſi etiam in illis ſupponatur eſſe vita. Illud tamen Notandum, non poſſe ſimilia cæde, mutilatione, aut medio aliàs illicito abjici, v. g. pollutione, &c. Eò quòd ibi alia ſit ratio, juxta alibi dicta.

Secundò, opera ex Juſtitiâ, & officio debita vendi non poſſunt, neque licitè, neque validè. Hinc neque Judex, neque teſtis quidquam accipere poſſunt pro dicendâ ſententiâ, vel teſtimonio. Idem eſt de opere ex voto debito, ex obedientiâ, ex præcepto. Aliud eſt de opere miſericordiæ, v. g. viſitare, inſervire ægrotis, docere ignorantes, quæ vendi poſſunt. Opera aliàs debita vendi non poſſunt.

Tertiò, quamvis olim res litigioſa ob jus tertii vendi non poterat, noſtris tamen, & Gallorum moribus ea vendi legitimè poteſt, legari, & alio quovis legitimo modo ad alium devolvi; ſalvo ſemper jure tertii: adeo ut poſtea ſententiâ contra alienantem latâ, contra tertium rei litigioſæ poſſeſſorem executioni mandari poſſit. Ita Gudelinus *Juris Noviſſ. lib. 3. cap. ult.* Et Conſuetudines Urbis Antverp. *tit.* 51. *art.* 10. ſtatuunt tranſlationes, & alienationes actionum litigioſarum de bonis mobilibus, ſive immobilibus, abſolutè validas eſſe, niſi fiant in fraudem tertii. An res litigioſa.

Quartò, res quæ venditur, non debet actu exiſtere; ſed ſatis eſt, quod exiſtat in ſpe probabili; adeo ut juxtà majorem, vel minorem illam probabilitatem, vendatur majoris, vel minoris pretii. Sic vendi poteſt jactus retis, fructus arborum, partus pecoris gravidi, &c. Ubi tamen hoc alii notant, ſimiles venditiones eſſe virtualiter conditionatas, ſub conditione, *ſi naſcantur*, adeo ut, ſi partus non naſcantur, contractus ſit nullus. Et ratio eſt, quod partus communiter naſci ſoleant, adeoque cenſetur emptor meritò ita reſtrinxiſſe ſuam intentionem. Nihil tamen obſtat, quo minus vendi poſſit An res nec dum exiſtens.

ſola

ſola ſpes quidquam accipiendi, v. g. in jactu retis, etſi nihil capiatur.

5. Aliud antè diximus de granis futuris, quorum venditio meritò inhibetur, ob rationem ante dictam, de quibus varia inſuper ſtatuunt diverſa jura. Et generaliter hîc quæri poteſt, an licita ſit emptio, qua Mercatores magnam granorum quantitatem coëmunt, ut ea poſtea carius divendant. Soto de jure, & Juſtitià lib. 6. q. 2. art. 2. ità eâ de re ſcribit. *Qui annonam emunt, ut tempore futuro revendant, licet quandoque utiles ſint, quaſi rerum neceſſariarum cuſtodes: multò tamen pluries ſunt peſtiferi; utpotè cauſa immodicè augendi pretia: & ideo, niſi ubi neceſſitas aliud expoſcat, meritiſſimò ejuſmodi mercatus vetatur.* Unde & ab aliis vocantur *Reipublicæ locuſtæ*; apud nos, *Korenbyters.* Hinc alii eoſdem contra juſtitiam peccare docent, & Rempublicam damnificare, & conſequentur carius ementibus ad arbitrium boni viri debere ſatisfacere, etſi contrarium dicat Leſſius *lib. 2. c. 21. dub. ult.* de quâ re de monopoliis. Verum, etſi ejuſmodi mercatura variis periculis peccatorum poſſit eſſe ſubjecta, vel contra commune bonum, vel contra charitatem proximi ita delinquendo: tamen, cum ſæpè Reipublicæ ſit utilis, eadem mercatura licitè exerceri poteſt, ſi ſerventur leges, illis à Principibus præſcriptæ, uti hîc in Belgio præſcribitur; 1. ne ulla grana extrà publica, ac privilegiata fora vendantur. 2. Ut emptor grana eodem, quo vendita ſunt, pretio obligetur reddere. 3. Ne ulla inter ſe faciant monopolia, de quibus poſtea. 4. Ne emant tempore inhibito, niſi ad communem neceſſitatem propriam. 5. Ne pro tempore futuro emantur paratâ pecuniâ, ſub optione emptoris grana pro tali pretio, vel pecuniâ recipienda, vulgò *ſetcoopen.* Hæc, & alia vide in *Cod. Belg. V. Coren.* Deindè, quod ad tempus vendendi attinet, ad utilitatem incolarum hîc ſtatutum eſt, ut annonæ, ac aliorum eduliorum Mercatores emere non poſſint, niſi poſt ſonum campanæ, horâ 10. ante meridiem æſtivo tempore, 11. hyberno pulſatâ, ut interim incolæ ſibi neceſſaria opportunius poſſent comparare. Inſuper, ut in foro publico à 10. uſque ad 1. horam emere poſſint incolæ, poſtea & aliis ad extravehendum admiſſis: ita tamen, ut empta uſque ad horam 2. in foro relinquere debeant, ut incolæ eodem pretio ſibi eadem queant comparare. Videri poteſt Zypæus *notit. juris Belg. de annonâ.*

Rei ſacræ 6. Vendi nequeunt res ſacræ, aut iis annexæ, quæ ſunt ſuprà omne pretium, de quibus agemus de ſimonia. Neque vendi poſſunt res turpes, quæ ſunt infrà omne pretium, de quibus antea. An verò vendi poſſint officia ſæcularia, dicam agendo de juſtitiâ diſtributivâ, Cap. 2. ſect. 2. Tract. 3.

S E-

SECTIO V.

De Pretio rerum vendibilium, ejuſque juſtitiâ.

PRetium aliud eſt legitimum, aliud naturale. *Legitimum* dicitur, non quaſi quod juſtum ſit; ſed quod à lege ſit taxatum; puta, quod à Magiſtratu, aut legitimo ſuperiore alicui rei aſſignatur. *Naturale* eſt, quod juxta rectam rationem juſtum judicatur, conſideratis rei vendendæ circumſtantiis neceſſariò conſiderandis, ut temporis, qualitatis, loci, &c. Et ſolet dici *Vulgare*, eò quòd currat communi æſtimatione; non vulgi, ſed peritiorum talis rei, cenſentium tale, vel tale pretium omnibus ritè perpenſis eſſe juſtum. Diſcrimen in dictis pretiis ſtatui ſolet, quod legitimum conſiſtat in indiviſibili, id eſt, quod illud tranſgredi non liceat, ſed ſervandum ſit, prout à lege eſt taxatum, quoad exceſſum ſaltem: naturale verò ſuam habeat latitudinem, dum ex diverſis circumſtantiis creſcere poſſit, ex diverſo uſu, tempore, copiâ, vel inopiâ rerum, de quibus poſtea in decurſu. Et hinc dividi ſolet hoc pretium in *pium*, *moderatum*, & *rigoroſum*, ut alii: vel ut communius, in *infimum*, *medium*, & *ſupremum*. *Infimum* eſt, infrà quod res juſtè emi non poteſt. *Medium*, ultrà quod juſtè adſcendi poteſt, & infrà quod deſcendi. *Supremum*, ultrà quod juſtè adſcendi non poteſt.

Quid pretium legitimum, quid naturale.

Infimum, medium, & ſupremum.

Porrò, latitudinem juſti pretii difficile eſt determinare. Ubi non contemnenda eſt Regula data à Leſſio *lib.* 2. *c.* 21. Scilicet, quod, quando res eſt vilior, minorem habeat latitudinrm: dum eſt rarior, & pretioſior, habeat majorem. v.g. res valet 10. flor. latitudinem habet, ut vendi poſſit 9. & 11. flor. ſi verò res valeat 100. flor. vendi poſſit 95. & 105. flor. & ſic in aliis. Circa dicta, varia hîc quæri poſſunt. Ac primò,

Quæritur, an ſi duo conveniant de pretio infimo, aut medio, poſſit venditor ſibi ſupplere uſque ad ſummum, ſive ſupremum, vel emptorem decipiendo in numeratione pecuniæ, vel aliquid de re ſubtrahendo. Reſp. ſunt, qui doceant, hîc non peccari contra Juſtitiam, ſed ſolummodo contra fidelitatem, & conſequenter nihil hic eſſe reſtituendum. Ratio eſt, quod intrà latitudinam ſupremi, ac infimi liceat juſtè vendere, & emere: ergo, ſi intrà eam latitudinem fiat compenſatio, nulli prorſus fiet injuria. Molina tamen hanc opinionem vocant *pernicioſam*, & meritò, dum apertè favet furtis, & injuſtitiis, quod vel ex eo patet, quod emptio, & venditio, uti & omnis contractus oneroſus, ex quo debitè eſt initus, obligat utrumque contrahentem ad illi ſtandum eo modo, quo eſt initus; aliter faciens peccat contra juſtitiam, dum peccat contra obligationem ex contractu ortam. Deindè, ſi exceſſus pretii legalis reſtitui debeat; quare non etiam exceſſus pretii vulgaris; dum ſicuti illud taxatum eſt à lege, ità hoc taxatum eſt à contrahentibus? idem dic pariformiter de locatione, conductione, & omni contractu oneroſo.

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur 2. an qui emptorem mendaciis urgent ad pretium ſupremum v.g. jurando, vel mentiendo ſibi rem tanti conſtare, tanti omnes eam emiſſe, &c. teneantur ad reſtitutionem. Idem quæri poteſt de emptore, qui venditorem ita urget ad vendendum pretio infimo, dicendo ſe tali pretio ab aliis rem eam accepiſſe, &c. Reſp. communiter tales non peccare, niſi peccato mendacii, vel perjurii; non itidem contra juſtitiam, dum hæc ſunt communia ementium, ac vendentium mendacia, & homines communiter norunt, hæc eſſe ſtratagemata Negotiatorum, quibus fidem non præſtant; & ſi eam præſtent, ſuæ temeritati debent imputare. Aliud eſt, ſi ita venditor pertrahatur infrà pretium infimum, aut emptor ultrà ſummum, in quo eſt aperta injuſtitia.

An liceat vendere ultra ſupremum, aut emere infra infimum, ſi non ſit infra dimidium juſto.

Quæritur 3. an licita ſit venditio ultrà rigoroſum, ſive ſupremum rei pretium, aut emptio infrà infimum, dummodo non eſt infrà dimidium juſto. Reſp. in foro conſcientiæ id eſſe abſolutè illicitum, quod vel ex ſolâ lege charitatis patet, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Deindè, lex naturalis Juſtitiæ vetat omnem omninò inæqualitatem, quæ hîc committitur, etſi etiam non ſit infra dimidium juſto. Inſuper, hîc fraus concurrit, quæ facit, ut pretii exceſſus involuntariè concedatur, & conſequenter venditor injuſtè eumdem recipiat. Denique, ſi hoc licitum eſſet, liceret quoque fraudare in menſurâ, quod tamen iniquum eſſe, dictat Lex Divina Deuteron. 25. *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, maius, & minus, neque erit in domo tua modius major, & modius minor.*

Objici hîc ſolent diverſa jura civilia, quibus ſtatuitur, quod contrahentibus liceat ſeſe naturaliter decipere, emptorem ob ſuam imprudentiam ſpoliando dominio, uti ſit in præſcriptione: ita videtur ſtatui *L. in causâ* 17. §. *Pomponius ff. de minoribus* Deinde, quod *L. re mandata C. mandati*, dicatur, quod quilibet ſit arbiter in ſuis rebus, adeoque poſſit vendere eo, quo voluerit pretio. Inſuper, quod *L.* 1. *ff. ad Tribell.* dicatur, rem tanti valere, quanti vendi poſſit. Denique, quod læſo negetur actio in venditione infrà dimidium juſto, quod etiam jure Canonico aiunt eſſe confirmatum *C. cum dilecti. Cap. cum causâ, de empt. & vendit.* prout ſtatuitur jure civili *L.* 2. §. *ſi voluntate. C. de reſcind. empt.* ad illa enim omnia reſponderi poteſt, nullas leges poſitivas, ſive Canonicas, ſive civiles præjudicare poſſe legi naturali antea adductæ in hoc caſu: deinde, ad legem primam dicendum eſt, vel id intelligendum eſſe, quod contrahentes invicem circumvenire poſſint intra latitudinem juſti pretii, vel aliàs juriſperitum graviſſimè erraſſe contra jus naturæ. Alii addunt, dici poſſe, hoc quidem permitti; non tamen, quod id fiat ſine culpâ, uti permitti alibi ſolent meretricia, de quibus ait alibi S. Chryſoſtomus relatus 33. *q.* 1. *Can. hâc ratione: quod permittimus, nolentes præcipimus; quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non poſſumus.* Quod autem id in præſcriptione fiat, quod objicitur, eſt alia prorſus ratio; eò quòd in eâ priventur dominio ob commune bonum, aut negligentiam veri Domi-

Domini: in venditione autem non poſſunt emptores noſſe omnium rerum pretia; & ideo, qui bonâ fide emunt; non eſt, cur ob iniquitatem venditoris mulctentur illo exceſſu. Adde, quod præſcriptor bonâ fide, venditor verò procedat malâ fide, unde ex ſuâ iniquitate non debet portare commodum.

Ad aliud dicendum eſt, quemlibet eſſe arbitrum ſuæ rei, ut poſſit rem ſuam donare, vendere, aut retinere, ſi velit: ſi verò vendere voluerit, eam vendere debeat intrà latitudinem juſti pretii. Idem dicendum eſt ad aliud, quod objicitur, tanti ſcilicet juxtà latitudinem illam valere rem, quanti vendi poteſt: aut etiam eſſe id intelligendum de eis rebus, quarum non eſt aliquod pretium determinatum, de quibus poſteà, in quæſtione quartâ.

Ad ultimum reſpondendum eſt, id quidem à legibus permitti, ne multiplicentur lites, aliàs nullus contractus ferè foret firmus, & totus Orbis jurgiis eſſet plenus; unde, ſicuti dicti contractus coram Deo, & in conſcientiâ ſunt injuſti, ita & inducunt obligationem reſtitutionis.

Addunt alii ad dictam doctrinam, etiam reſtitutioni obnoxium eſſe venditorem, etſi pretii quantitatem, tam lædens, quam læſus ignoraverit; eò quòd ignorantia pretii non tollat injuſtitiam contractûs, neque faciat, quò minus alius verè ſit læſus in ſuis bonis. Si tamen, tam emens, quam vendens id ignoraverint, & ſcientes ſe ignorare contraxerint, omninò valiturum eſſe contractum, etſi ab alterâ parte facta ſit inæqualitas, etiam in dimidio; eò quòd uterque ſub ſuo periculo, & fortunâ contraxerit, æqualiter ſeſe exponendo lucro, & damno; adeo ut uterque cenſeatur exceſſum condonare, & juri ſuo cedere, ſi quis poſtmodum appareat eſſe deceptus.

Quæres 4. an res raræ, & pretioſæ, quæ non hebent legitimum aliquod pretium, poſſint tanti vendi, quantum poſſit venditor accipere, quales ſunt raræ picturæ, Gemmæ, Aves, &c. Reſp. Alii volunt, quod ſic; quia, cum res illæ, nec lege aliquâ, nec communi æſtimatione habeant pretium taxatum, videtur illius taxatio relinqui voluntati contrahentium; unde de eis ſolet dici, quod res tanti valeat, quanti poteſt vendi. Alii addunt, emptorem rerum ſimilium cenſeri condonare exceſſum pretii, ſi quis ſit factus. Melius tamen id ab aliis negatur, qui dicunt, pretia hujuſmodi rerum eſſe illud, quod ab intelligentibus, & juxtà circumſtantias ejuſmodi res conſiderantibus ſtatui ſolet, adeoque vendi non poſſint tanti, quantum poſſit accipi; adeo ut id, quod excedere dicunt ejus rei peritiores, teneatur venditor reſtituere. Quod autem alii dicant, emptorem exceſſum pretii condonare, gratis aſſerunt; cum non cenſeatur gratis donare, ſed juſto pretio emere, quale eſt, quod à peritioribus æſtimatur. Neque etiam dici poteſt, prout aliqui, quod tantum emptor dare cenſeatur, & juſtè illud accipi ob affectum ad rem illam; dum affectus emptoris, ab ipſo emptore emi non poteſt. Dicitur verò res tanti valere, quanti poteſt vendi, intelligendo intrà latitudinem juſti pretii, ut ante notavimus.

An res raræ vendi poſſint tanti, quantum venditor poteſt acquirere.

Quæres 5. undenam pretium naturale augeri poſſit, aut minui. Reſp. Augeri ſolet ex rerum penuriâ, abundantiâ mercatorum, paucitate venditorum;

Unde pretium naturale poſſit augeri, vel minui.

ſicuti è contrariis ſolet diminui. Quod enim rarum eſt, ſolet eſſe & pretioſum. Hinc videmus in comitatibus Regum omnia eſſe cara, in fine nundinarum omnia eſſe vilia, &c. ſecundò abundantia pecuniæ adauget rerum pretia. Hinc poſitâ æquali mercium copia in Hiſpaniâ, & Belgio, ob abundantiam pecuniæ eadem res erit carior in Hiſpaniâ, quam in Belgio. Ita Authores Hiſpani. Tertiò, modus vendendi ſæpè auget pretium; puta, ſi minuatim, nec in magnâ fiat quantitate, idque ob majorem moleſtiam, corruptionis periculum, reliquarum rerum retentionem, &c. Quartò pretium rerum augere etiam poteſt communis aliquorum æſtimatio: ſic apud Japones res viliſſimæ, ut ſpecula, cultelli, &c. maximi æſtimantur, uti etiam apud alios habentur primi fructus in vere. Hiſce addunt alii officium mercandi ob quod docent pluris valere res venales; unde & dicunt, rem pluris valere in manu mercatoris, quam in manu militis, aut alterius, qui eam caſu poſſidet. Quod quidem verum eſſe poteſt, ratione laboris, ac difficultatum, quas in conquirendâ re ad aliorum commodum, debent adhibere mercatores: aliàs non videtur, quomodo ob ſolum mercandi officium plus, quam alius venditor pro eâdem re poſſent obtinere. Hinc etiam taxato pretio non poteſt mercator plus quam alii non mercatores pro eâdem re accipere ab emptore. Deindè, id quoque ex eo patet, quod non mercatores poſſint juſtè tantum pro eâdem re exigere, quantum mercatores. Quod autem dicitur, pluris valere rem in manu mercatoris, quàm in manu militis; ideo dicitur, quod fortuiti venditores, vel rem ultroneè vendendam offerant, vel vendendi neſciant opportunitatem, prout poſſunt facere mercatores: non verò ex eo, quod res apud Mercatores pluris valeat.

6. Addunt alii, quod pretium creſcat ex eo, quod res vendatur in gratiam emptoris. Verum infundatè. Nec enim commodum emptoris cadit ſub dominium venditoris, adeoque ab eo in venditione æſtimari non poteſt. Aliàs, quantonam pretio ſubinde vendi poſſent medicinæ utiles, aut neceſſariæ ad ſanitatem? Rectè tamen addit D. Thomas hîc: *ille autem, qui ex re alterius acceptâ multum juvatur, poteſt propriâ ſponte aliquid vendenti ſupererogare, quod pertinet ad ejus honeſtatem.*

7. Eâdem ratione addunt aliqui, pretium augeri ob affectum venditoris ad rem ſuam. Si enim rem ſuam velit ille vendere, debet eam vendere juſto pretio: ſi vendere nolit, poterit eam retinere. Hinc, niſi emptor ratione dicti affectûs velit aliquid ſupererogare, injuſtè vendet eam pretio exceſſivo.

8. Solet quoque in diminutione pretii attendi ad ultroneam rei ablationem, juxtà illud commune dictum, quod merces ultroneæ viléſcant. Verùm regula illa ſubindè juſtitiæ, ac charitati eſt adverſa; quo fit, ut pauperes neceſſitati propriæ conſulentes, res ſuas divendere cogantur, quærantque emptores, qui viliſſimo pretio eaſdem congregant, addentes afflictionem afflictis. Imò, quod ejuſmodi homines (uti plerumque ſunt avari, aut fœneratores) res illas viliſſimo pretio à miſeris emptas, vendant ſæpè ſæpius pretio rigoroſo: quos proindè contrà charitatem æquè, ac contrà juſtitiam peccare, eſt in confeſſo.

9. So-

9. Solet in aſſignandâ pretii diminutione attendi modus vendendi publicè, puta in auctionibus publicis, ſeu ſubhaſtationibus, de quibus quædam ſpecialiter dicenda occurrunt, ſpeciali ſectione, de quo ſtatim eſt agendum.

10. Valorem rei auget rei bonitas, defectus minuit, uti per ſe eſt manifeſtum, dum res melior majoris conſtat. An autem ex eo, majori pretio vendere poſſit mercator, quod in aliis ſit damnum aliquod paſſus; puta, quod alibi perierit navis mercatoris, etſi aliquibus id viſum ſit licere, certò tamen eſt iniquum. Nec enim pretia rerum taxanda ſunt juxtà pericula à mercatore perpeſſa, ſed juxta communem æſtimationem. Hoc quidem advenire poſſet, quod ob damna à mercatore perpeſſa, induceretur rerum inopia, ratione cujus majoris æſtimarentur, non ratione periculi à Mercatore perpeſſi: unde rectè ait D. Thom. opuſculo 67. *Non poteſt quis in venditionem pannorum, recompenſare expenſas, quas incautè, & imprudenter fecit.* Adde, quod Mercatores illi ſe periculo exponant, ut ſicuti merces vili aliquando pretio comparatas majoris vendant; ità etiam merces majori ſubindè pretio comparatas, vendere cogantur viliori.

Ultimò decreſcere rerum pretia ratione remiſſionis, ſive donationis, eſt in confeſſo. Cæterùm, donatio illa, aut remiſſio in emptionibus, ac venditionibus raró præſumitur, niſi detur valdè fundata ratio eam præſumendi. Facilius præſumi poteſt dicta condonatio inter Cognatos, Amicos, & Conſanguineos, quam inter extraneos, inter quos ejuſmodi condonatio præſumi non poteſt, niſi urgentiſſimâ de causâ, aut alio motivo tale quid præſumendi: ſemper enim de cætero præſumitur pro venditione, & debitum pretii pro re exigi, atque exſolvi.

SECTIO VI.

De ſubhaſtatione, ſive auctione publicâ.

Subhaſtatio, ſive auctio Publica, eſt emptio, ac venditio, quaſi in foro aliquo extraordinario, unde & extraordinariè de eâdem venditione eſt in hâc materiâ diſcurrendum. Idem ferè aliqui Authores volunt de emptionibus, ac venditionibus, quæ fiunt per Proxenetas, diſcurrentes per vicos (Hiſpanis *Corredores*) de quibus, uti & aliis docent plerique, id eſſe juſtum pretium, quod ultimò offertur, dummodo fraus, ac dolus abſit. Idem quoque extendunt ad elocationes redituum beneficiorum, Commendarum, Majoratuum, decimarum publicas, quæ per modum ſubhaſtationis ſolent elocari. Quid ſubhaſtatio, ſive auctio.

In his, & ſimilibus venditionibus, ut dictum eſt, cenſetur eſſe juſtum pretium illud, quod ſepoſitâ fraude, ultimò offertur, etſi ſit infrà, aut ſuprà dimidium juſto. Ratio illius eſt, quod exceſſus ille cenſeatur in hoc extraordinario foro ab emptoribus, & venditoribus condonari. Huic enim periculo cenſetur ſe venditor objicere, quod ſicuti concurrentibus emptoribus plurimis, poſſet res illa licitando pluris vendi: ita è contra iiſdem deficientibus, Quod ut juſtum pretium in auctione publicâ

poſſit res illa vendi minoris: adeoque oblato pretio ſepoſitâ fraude cenſeantur eſſe contenti. Adde, quod illud idem poteſtas publica cenſeatur in hoc foro habere, & æſtimare pro pretio legitimo.

Sed quid, ſi quis in hâc licitatione deceptus ſit ultra dimidium juſto? Reſp. teſte Chriſtinæo *Vol.* 3. *Diceſ.* 67. Multi docent, ejuſmodi venditiones ſub haſtâ factas, eſſe reſcindendas; quam quoque opinionem in Sabaudiâ æquè, ac Friſiâ uſu forenſi receptam eſſe, tradit ex aliis Groenweg. *Cod. lib.* 4. *tit.* 44. *L.* 16. *ſi quos.* Addit tamen, quod cum hodie accuratiſſimâ ſolemnitate ſubhaſtationes peragantur, atque Fiſcalis haſtæ fides facilè convelli non debeat; ideo noſtris, ac Gallorum moribus obtinet contrarium. Ita ſtatuunt quoque Conſuetudines Urbis noſtræ *tit.* 60. *num.* 23. Idem obtinet in Hollandiâ, teſte eodem. Dicta tamen ita intellige, ut ſi ſubhaſtationis ſolemnitas, aut ordo à lege præſcriptus obſervatus non fuerit, detur facultas læſo appellandi ad reſtitutionem.

Fraudes in ſubhaſtationibus.

Fraudes verò, quæ hîc occurrere poſſunt, ſunt variæ; quas qui committunt, tenentur reſtituere id, quod ſuprà juſtum pretium vendiderunt, aut infrà juſtum itâ ſubdolè emerunt. Communes hæ fraudes ſolent eſſe 1. Si venditor celet occultos rei defectus. 2. Si fictos emptores emittat, qui ſimulantes ſe emere velle, alios emptores licitantes adigunt ad majus pretium offerendum. 3. Si ipſi venditores eo artificio utantur. 4. Si eo tempore res ita vendant, dum ſciunt paucos emptores adeſſe; aut etiam tales, quibus viliſſimo pretio res emant, prout quandoque facere ſolent infideles tutores, ac teſtamentarii. 5. Si emptores inter ſe monopolia faciant, ne majus pretium, quam ab illis conventione factâ determinatum ſit, offeratur, utque eo pacto viliori pretio emant.

Notandum inſuper de hâc publicâ venditione, jure Civili licitum eſſe tutori, ac uxori ejus in eâ auctione res pupilli emere, uti colligi poteſt ex *C. de contrah. empt. & vendit.* Alii tamen hanc emptionem ut ſuſpectam, & fraudi proximam rejiciunt cum Autum: mores tamen plurimorum hanc legem obſervant, teſte Groenweg. in dictum locum *tit.* 38. *Cod. lib* 4. Salva tamen pupillo tutelæ, & doli mali actione, ſi in vendendis rebus fraudem commiſiſſe convincatur, de quâ re in anterioribus aliqua diximus. Et quamquam *Authent. Quibuſcumque C. de SS. Eccl.* Eccleſiæ Oeconomi in publicâ auctione, ac licitatione rerum eccleſiaſticarum excluſi videantur: moribus tamen noſtris, uti alius extraneus, illi quoque admittuntur: dum iniquum eſt, cuiquam damnoſum eſſe ſuum officium, ait idem ibid. De retractu rerum in publicâ auctione venditarum, dicam in fine hujus Capitis.

S E-

SECTIO VII.

De Pretio legitimo obſervando.

PRetium legitimum eſſe diximus, quod à lege, vel legitimo ſuperiore attentis rerum circumſtantiis ſolet taxari. Taxa illa, cum ſit quædam ſpecies legis, ſemper præſumenda eſt juſta, donec conſtet de oppoſito; cum in dubio de juſtitiâ legis, ſuperiori eſt obediendum.

Quod verò in Republica ſit poſteas pretia rerum taxandi, eſt manifeſtum: Poteſt reſpublica taxare rerum pretia. dum hoc medio occurrere debet fraudibus, injuſtitiis, ac oppreſſionibus egenorum; quod maximè obtinet in eis rebus, quæ ad communem uſum ſunt neceſſariæ. Hanc verò taxam excedere, injuſtum eſt, & inducit obligationem reſtituendi, etſi lex illa aliam quoque pœnam excedentibus apponat. Neque hîc dici poteſt, quod ut ejuſmodi lex ſit juſta, debeat conformari pretio naturali, quod ſit Regula, & norma pretii legalis, ubi tamen ſæpè eadem pretia ſolent eſſe diverſa: id enim fieri poteſt ex diverſo fine, quem habet communis Mecatorum æſtimatio, & quem habere oportet publica poteſtas; quæ in taxando pretio non reſpicit bonum privatorum, ſed commune: adeoque taxare ſubinde poteſt pretium minus, quam taxaverit opinio communis Mercatorum, ſi illud expedire judicet bono communi.

An autem expediat pretia rerum à Principe, aut Magiſtratu taxari, variant Authores; quod indagare magis ad Politicos ſpectat, quam ad Theologos, ait Card. de Lugo *diſp.* 26. *ſect.* 4. Et quidem de eâ re ait Soto *lib.* 6. *q. art.* 3. *collect.* 3. *multò tutius, ſi fieri poſſet, conſultum fore, tum coëmptorum, negotiatorumque conſcientiis, tum etiam bono communi, ſi omnia pretia lege paterent. Unde* L. 1. ff. de Offic. Præfect. urb. §. cura carnis, *inter alias Præfecti curas illa cenſetur, ut rerum pretia ſtatuantur juſta. Ob idque, quando in omnibus ſervari nequit, quam fieri poſſet maximè, deberent taxari. Enim verò negotiatores, eò præſertim, quod lucris ſitienter inhiant, non ſolùm præ ſuâ cœcitatè decipiuntur, verum etiam propter ſuam avaritiam conſultu, aſtuque decipiunt.* Ita Soto. Alii è contrà illud negant cum Navarro dicente in Manuali Cap. 23. num. 88. *Arbitror autem rariſſimè ponendam eſſe hanc taxam; tum, quia det occaſionem vendendi corrupta, & ferè inutilia eodem pretio, quo ſincera, & utiliſſima: tum, quia ſuperveniente maximâ neceſſitate tollitur omninò taxa, & illâ non currente parum eſt neceſſaria. Tum, quia nemo divitum vult mutuare, nec vendere creditò res taxatas, niſi pretio taxæ, etiam tempore abundantiæ: tum, quia præbet occaſionem innumerorum peccatorum mortalium, mille modis taxam fraudantibus, quorum unus eſt nolle vendere rem taxatam, puta triticum, niſi ematur etiam non taxata, puta vinum duplo, & quadruplo majori pretio, quam valet.* Ita Navarrus.

Ut ut ſit, certum eſt, quod ſi leges rectè obſervarentur, & ad id Magiſtratus invigilaret, ſatius eſſet, pretia rerum eſſe determinata, quam relicta eſſe

eſſe Mercatorum arbitrio, ut expreſsè docet S. Thom. 1. 2. *q.* 91. *art.* 1. Imo, apud nos ſemper moris fuit, rerum pretia taxari, illarum maximè, quæ ad victum eſſent neceſſariæ, prout de annonâ ſtatuit *Edictum.* 7. *Octob.* 1531. Et Zypæus *notit. juris Belg. tit. de annonâ* refert, de conſilio Ordinum generalium injunctum eſſe Magiſtratibus, ut cum res exigeret, ſtatuerent illius taxam à Curiâ approbandam. Idem & quoad cereviſiam factum eſſe, notat ibidem; etſi illud, uti & alia apud nos minimè uſurpentur.

Varia circà leges illas taxativas notant Authores, puta quod lex illa variari oporteat variatis circumſtantiis, ratione copiæ, vel inopiæ rerum, temporis, &c. In quo, ſi Magiſtratus ſit notabiliter negligens, incipiet lex illa eſſe iniqua, & conſequenter non obligabit in conſcientiâ. Deindè, cenſetur lex ea eſſe abrogata, dum taxa à majori communitatis parte non obſervatur, ſciente, nec puniente Magiſtratu, cum id commodè poſſet: ſi enim, non niſi cum timore gravioris mali id punire poſſet, ſolummodo id permittere cenſeretur, non verò legem illam tacitè abrogare.

Inſuper advertendum, ejuſmodi legibus, tam bene obligari Eccleſiaſticos, quam ſæculares in conſcientiâ; adeo ut taxam excedentes æquè, ac ſæculares teneantur ad reſtitutionem; cum Eccleſiaſtici in vendendo æquè, ac ſæculares obſervare debeant pretium juſtum rerum venalium, quale eſt illud, quod juſtâ lege eſt taxatum; quo fit, ut peccent contrà juſtitiam, injuſto pretio res ſuas divendendo. Ex quo & illud ſequitur, etiam ipſum Principem talibus legibus obligari in conſcientiâ, cum & ipſum æquè, ac alios concernant, quoad obſervantiam juſti pretii in venditione ſuarum rerum.

Sed quid, ſi pretium legitimum differat à naturali, quid eo caſu obſervandum. *Reſp.* Si legitimum pretium ſit altius naturali, non licet ordinariè legitimum exigere. Ratio eſt, quod legitimum ordinariè taxatum ſit in gratiam emptorum, ne excedatur ne emptores monopoliis graventur, ne decipiantur, &c. Aliud eſſet, ſi taxatum eſſet in gratiam Venditorum, ne res minoris emi non poſſit; quo caſu illud excedere nil vetat, ſi de cætero ſit juſtum naturale. Si verò legitimum ſit minus, non licet exigere vulgare; adeo ut, qui plus accipit, quam ſit legitimum, teneatur ad reſtitutionem, quod probat dicta ratio. Deinde, eo caſu præſumitur vulgare majus introductum eſſe aſtu Mercatorum; quo caſu etiam Magiſtratus eos compellere poteſt, ut res ſuas divendant pretio legitimo, ſi exigeret illud commune bonum.

SECTIO VIII.

An, & quando res poſſit vendi pluris, quam valeat, aut emi minoris.

ETſi ex dictis Sect. 6. abundè conſtet, per accidens id aliquando fieri poſſe, v. g. dum res venditur ſub haſtâ, &c. Tamen per ſe loquendo id non licet, cum in eo ſit inæqualitas: dictis enim caſibus cenſetur moraliter loquendo

do juſtum eſſe pretium illud, quo iis caſibus, ac circumſtantiis res poſſunt vendi. Quæſtio ſupereſt de aliis titulis, an eorum ratione res poſſit vendi majoris, aut minoris emi.

An res ob dilationem ſolutionis poſſit carius vendi.

Primò ergo ſolet quæri, an res propter dilationem ſolutionis, poſſit carius vendi, quam vendita fuiſſet paratâ pecuniâ. Reſp. in primis hoc certum eſt, poſſe venditorem vendere rem ſuam pretio ſupremo ob dilationem ſolutionis, quam paratâ vendidiſſet infimo; modò pretium non ſit taxatum. Præciſè tamen ob dilationem ſolutionis non licet carius vendere; *quia*, ut ait D. Thomas q. 78. art. 2. ad 7. *Hujuſmodi expectatio pretii ſolvendi habet rationem mutui: unde, quidquid ultrà juſtum pretium pro hujuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem uſuræ.* Deindè, merces ob expectationem pretii non ſunt majoris valoris: quidquid autem venditur ultrà juſtum pretium, eſt iniquum. Dilatio enim ſolutionis eſt implicitum quoddam mutuum, ut mox obſervavit Doctor Angel. perindè enim facit venditor differendo, ac ſi prius pecuniam ab emptore accepiſſet, & poſtmodum ipſi iterum pro tempore commodaſſet.

Poteſt id fieri ob damnum emergens, ac lucrum ceſſans.

Dictum fuit, *præciſè ratione dilationis*, eò quòd aliquando accedere poſſint alii tituli extrinſeci, ratione quorum in hoc caſu licitum eſſet aliquid plus accipere. Talis titulus primò eſſe dicitur, lucrum ceſſans, & damnum emergens, de quibus pluribus agam de mutuo. Sicuti enim in mutuo ratione dictorum titulorum licitum eſt aliquid accipere ultrà ſortem: ita & in venditione ratione eorumdem titulorum, licitum eſt accipere aliquid ultrà juſtum pretium. Prætereà, ſicuti in mutuo rectè monent DD. paſſim, ne dicti tituli mentiantur adeſſe, ſed ut verè ſubſint: ita & in venditione dictâ eſt admonendum: *multi enim ex Negotiatioribus*, ait Bannez 2. 2. q. 77. art. 4. dub. 5. *Dicunt, quod poterant pecuniâ præſenti amplius negotiari, & amplius lucrari. Hæc enim excuſatio nulla eſt, quando ipſe Negotiator habet tantam copiam mercium, quod partim debeat vendere ad creditum, partim paratâ pecuniâ: vel etiam tantam habet copiam pecuniæ, quod non erat impenſurus totam in negotiationes ſuas, ſed ſemper ſervat aliquid in depoſito.* Ita ille. Addunt alii, ſæpè quoque Mercatores hìc deficere, dum aliquid ratione lucri ceſſantis exigunt ultrà juſtum pretium, neque emptorem ejus admonent, uti admonere obligabantur, dum emptor ab alio ejuſmodi res potuiſſet acquirere pretio juſto. Quibus adde, quod rarò habeat hìc locum dictus titulus: quia ſi venderent ſemper numeratâ pecuniâ, non diſtraherent mercium copiam, & ſic quod aliàs lucraturi eſſent, lucrantur pecuniâ creditâ vendendo intrà juſtum pretium, quo pecuniâ numeratâ venderetur: & ſatis eſt, quod vendant pretio ſummo ad creditum, quod aliàs medio, aut infimo pretio eſſent vendituri.

Quærit hìc Proſper Fagn. *tom.* 3. *in Capt. in Civitate, de uſuris*, an ſit uſura in foro etiam externo, carius vendere ob dilatam ſolutionem, pro uti eſt in foro interno. Et *num.* 3. abſolutè id negat, dicens eam ſententiam eſ-

ſe

Digitized by Google

ſe Communem Canoniſtarum. Rationem aſſerit, quare magis uſurarium id ſit in foro animæ, quam in foro contentioſo; quod in eo foro præſumatur in eâ venditione mutuum interpretativum, de quâ intentione vendentis, cur non conſtet, non cenſentur in foro contentioſo mutuaſſe, ſed vendidiſſe: ubi ex mutuo ſolummodo ſurgit uſura, non ex venditione. In foro animæ autem, ſi habuerit vendens intentionem depravatam, etſi occultam, eſt uſurarius; dum Deum nullum latet ſecretum. Unde infert, quod ſi in foro contentioſo etiam conſtaret de illâ pravâ intentione, cenſeretur ibidem eſſe uſurarium. Denique concludit dictus Author, quod Theologi communiter contrarium abſolulè docentes de foro animæ ſint intelligendi, aliàs nil ponderis forent habituri.

Ad illud antedictum damnum emergens reduci ſolet timor, aut etiam certitudo faciendarum expenſarum, in acquirendo poſtea pretio, ratione cujus aliquid ultrà juſtum pretium accipi poſſet, quanti valet labor, aut expenſæ in pretio conquirendo adhibendæ juxtà prudens judicium æſtimarentur.

An id fieri poſſit ratione periculi amittendi ſortem.

Quæritur, an talis quoque titulus hìc ſit ratio periculi amittendi pecuniam in toto, vel in parte. Reſp. variant hìc DD. alii negant ex eo, quod *Capt. Naviganti, de uſuris*, expreſsè prohibeatur, ratione talis periculi aliquid accipere in mutuo: ergo & in venditione ad creditum 2. Quod illud periculum, etſi ſit æſtimabile, tamen non ſit hìc vendibile, eò quòd venditor voluntariè vendendo ſe in illud conjiciat, aliàs vendere deſiſtat, aut cautionem exigat. 3. Quod ratione periculi plus exigere, non ſit aliud, quam portam aperire uſuris, dum vix quidpiam creditò vendi poteſt, niſi capitale exponatur periculo. Alii è contrà affirmant, dummodo periculum verè ſubſit, nec innitatur falſæ præſumptioni, moneatque emptorem, ſe ob dictam rationem, pluris vendere. Ratio eſt, quod tale periculum ſit verè pretio æſtimabile; adeo ut, ſi venditor creditò vendens adigeret emptorem ad dandum fidejuſſorem, ratione talis periculi deberet emptor fidejuſſori aliquid dare: quare ergo ipſe venditor ratione periculi in ſe ſuſcepti non poteſt idem illud exigere? Deinde, accidit hìc damnum emergns, in eo fundatum, quod maneat in periculo, & metu ſua bona amittendi. Denique, quod 1000. floreni periculo fundato expoſiti morali judicio minoris valeant, quam valerent numerati.

Alii verò, & noſtro quidem judicio fundatius, hìc ità procedunt, ut omni mòdo legitimo poſſit venditor ſibi proſpicere de habendo pretio: Hinc exigere poteſt fidejuſſorem, pignus ſufficiens, &c. Deindè ſi jam inde in recuperando pretio moleſtias ſubierit, aut fecerit expenſas, idque ob culpabilem moram emptoris: poterit earumdem compenſationem ab emptore exigere, dum earum fuit emptor vera cauſa. Antequam tamen eas fecerit venditor, poterit ille ſtipulari de periculo tali, caſu quo quid adveniret, proſpiciendo ſibi de damno forſan futuro; quod ſi poſtea adveniat, poterit in vim

talis

Digitized by Google

talis contractûs, æſtimationem expenſarum exigere. In quo tamen Authores hi differunt ab aliis, qui dicunt, poſſe venditorem ratione periculi plus exigere in hoc caſu, etſi nullum poſtea periculum advenirit in acquirendo pretio. Enim verò, ſi nullum periculum adveniat, qua ratione non erit contentus juſto pretio? Si tale prævideat, poterat non vendidiſſe, niſi fortè ex charitate vendere debuiſſet, puta ſi emptor fuiſſet in neceſſitate. Idem latius patebit agendo de uſurâ in ſimili materiâ de periculo ſortis.

Quæritur inſuper, an talis quoque ſit titulus, quod credatur res tempore ſolutionis pluris valitura. Leſſius affirmat, eò quòd hîc non accipiatur aliquid plus ratione dilationis præcisè, ſed ratione lucri ceſſantis, & eouſque venditor potuiſſet expectare, & rem aſſervare, adeoque pretium illud futurum debeat hîc conſiderari. Alii negant, & dicunt, nihil hoc eſſe aliud, quam palliare uſuram. Ratio eſt, quod eo ipſo, quo res eſt vendita, & tradita, ſit in dominio emptoris: unde ſi intereà creſcat pretium, creſcit emptori; ſi pereat, emptori perit, dum periculum, & lucrum ad idem ſpectant: neque enim juſtum pretium conſideratur ex eo, quod res valebit; ſed ex eo, quid res actu valeat, dum venditur. *An ex eo quod credatur res pluris poſtea valitura.*

Rectius tamen alii hîc diſtinguunt, tunc ſcilicet licitum eſſe rem vilius emere anticipata ſolutione, aut carius creditâ, ſi venditor rem erat ſervaturus ad tempus, quo plus erat valitura, ſecus ſi id non feciſſet. Sic licitum eſt menſe Januario v. g. emere anticipatâ ſolutione triticum tradendum in Auguſto, non pro pretio currente in Januario, ſed quod in Auguſto creditur futurum. Sic quoque carius venditur vinum tradendum in Decembri ob dilationem ſolutionis uſque ad Maium, ſi venditor ad illud tempus vinum fuiſſet ſervaturus. Et apertè illud colligitur ex *Capt. Naviganti, de uſuris.* Ubi tamen notari debet, eſſe expenſas conſiderandas, quæ faciendæ fuiſſent in conſervatione rei uſque ad illud tempus. Item periculum diminutionis, deteriorationis rei, &c. Si verò venditor rem illam ad illud tempus non fuiſſet ſervaturus, aut non ſit veroſimile, pretium ad illud tempus eſſe augendum, plus exigere abſolutè non poteſt. Si tandem ſit dubium, an plus ſit valitura, non licet exigere ſummum pretium, quo tunc valere creditur: ſed, vel debet ſuſpendi taxatio pretii ab eventu; vel pro majori, vel minori veroſimilitudine debet taxari pretium juxta prudens arbitrium.

Ex dictis colligi poteſt, quid dicendum ſit de emptionibus actionum, obligationum, librantiarum militarium, quæ à Capitaneis ſolent dari Militibus peracto computu, quod tantum illis etiamnum debeant: de quibus quæri ſolet, an poſſint minoris emi ob anticipatam ſolutionem. In his enim conſiderari oportet, an debitum ſit liquidum, an incertum; conſiderandæ ſunt expenſæ, moleſtiæ faciendæ in procuranda ſolutione: quibus conſideratis attendendum eſt, quanti morali judicio ſimilia æſtimentur: ita tamen, ut ratione anticipationis vetitum ſit eadem emere minoris; eò quòd id quoque ſit implicitum mutuum, dum idem eſt, ac ſi emptor daret mutuum venditori, *Quid de librantiis militaribus, obligationibus, &c.*

Digitized by Google

qui ratione ejus aliquid daret, puta rem minori pretio. An verò dictis periculis ſepoſitis, liceat librantias dictas vilioris emere non ob anticipatam ſolutionem præcisè, ſed ex alio capite, diſſentiunt aliqui. Alii affirmant ex eo, quod illa debita, & jura illis contenta, dum veneunt, æſtimentur communiter minoris ſolito: atqui licitum eſt vendere communi æſtimatione, ſeu pretio naturali. 2. Quod ſolummodo ematur jus ad debitum; quod jus, quouſque debitum non ſolvitur, eſt inutile; quod proindè emptori minus valet, quam ſi ſtatim eſſet utile, ſicuti terra ſine fructibus minoris valet, quam cùm illis. 3. Quod alioqui injuſta erit emptio censûs perſonalis, in quâ nihil aliud emitur, quam jus ad aliquam ſummam. 4. Quod merces ultroneæ minoris valeant. Et hanc opinionem vocat Leſſius probabilem, ac à Card. Bellarmino Lovanii edoctam.

His tamen non obſtantibus alii rectius id negant, & dicunt illud eſſe uſurarium. 1. Quod ibidem ſit implicitum quoddam mutuum, ſepoſitis periculis, ac aliis accidentibus ob anticipatam ſolutionem minoris emere, ut mox ante eſt oſtenſum. 2. Quòd eo modo pandatur porta uſuris, dum uſurarius dicere juxtà hos facilè poſſet, ſe mutuare nolle, ſed velle emere jus ad obligationem ad 100. v. g. quæ alter petit; ac tum obligationem illam minoris vendere, manente alio obligato ad ea 100. 3. Quod ſi illud jus minoris valeat, ut dicitur, non poterit illud venditor majoris vendere, quod nemo admittet. Unde & conſequenter ad aliorum fundamenta dicendum eſt, quod dicta jura, & obligationes minoris ſoleant æſtimari, eò quòd communiter, dicta pericula, & accidentia alia habeant adjuncta, ratione quorum ſolent minoris æſtimari. Idem dicendum eſt, ad illud, quod jus illud ſepoſitis periculis pluris valeat. Quid autem dicendum de cenſu perſonali, colligitur ex dicendis in materiâ de cenſibus.

Quod verò ad Theſaurarios, aut Duces attinet, eſt alia quæſtio: de quibus tamen hoc conſtat, ſi eorum culpâ ſolutio differatur, uti ſæpè fit; eoſdem non poſſe minoris emere eaſdem librantias militares; cum ratione officii ſui teneantur ſolutionem procurare, & tollere difficultates. Sic & Officiales Regii aliquid ex pacto ſubindè accipiunt à partibus, non quidem, per modum muneris, ſed ex pacto de ſolvendâ pecuniâ, ut anticipatè ſolvant, quod itidem eſt palliata uſura, ſive id, quod accipiunt, ſit remiſſio partis debiti; ſive quid aliud: eò quòd illa anticipata ſolutio ſit implicitum mutuum, pro quo accipiunt lucrum. Idem dicendum eſt, ſi quid illis remittatur, ne ſolutionem tardent: eò quòd illi non debeant, nec poſſint ſolutionem tardare, dum poſſunt ſolvere, ad quod à ſuperiore ſtatuuntur, & ſuo ſtipendio potiuntur. Quod autem aliquid gratis præſtari illis poſſit, per ſe patet.

His adde, eſſe quoque inſignem fraudem, credita aliqua pretio ordinario divendere, ſi ſciant Creditores Debitorem non eſſe ſolvendo. Fraus enim, & deceptio eſt vendere aliquid tamquam liquidum, quod alicui periculo ſubjacet: eſtque perindè, ac vendere merces depravatas pro integris.

S E-

Digitized by Google

SECTIO IX.

De venditione cum pacto revendendi, & emptione cum pacto reëmendi, item de retractu.

PActum illud fieri poteſt, vel in favorem emptoris, vel venditoris, vel utriuſque. Poteſt enim vendi eo pacto, ut cum placuerit venditori, debeat illam rem emptor revendere: vel ita vendi poteſt, ut ad libitum emptoris debeat venditor rem venditam recipere: vel denique, ut debeat id fieri ad libitum utriuſque, oblato pretio.

Reſpondent ergo primò, licitam eſſe venditionem cum pacto revendendi, ſervatis tamen certis conditionibus. Quod per ſe non ſit illicita ejuſmodi venditio, patet ex Levitici 25. Ubi Dominus præcipit, ut omnes terræ populi Iſraël venderentur ſub conditione revenditionis. Patet illud idem in venditione cenſuum redimibilium. Ratio denique eſt, quod tale pactum ex nullo capite ſit vetitum, nec cuiquam faciat præjudicium: non venditori, ſi in ejus gratiam pactum fiat; aut emptori, ſi in gratiam illius: nec de cætero inducatur inæqualitas, uti patebit ex dicendis. Licita eſt venditio cum pacto retrovendendi.

Porrò, conditiones hîc requiſitæ ſunt, 1. Ut illud pactum non fiat in fraudem uſurarum, aliàs foret uſura palliata; puta, ſi fieret id magis animo mutuandi, quam vendendi, vel emendi. 2. Ut juſtum ſtatuatur pretium habitâ ratione gravaminis. Res enim cum tali pacto minoris valet, eò quòd onus illud pretium minuat, nec eſt in tam pleno dominio emptoris, aut venditoris, quam ſepoſito illo pacto, quod pretio æſtimabile eſſe, eſt manifeſtum. Quanti interim minoris valeat ratione talis oneris, prudenti judicio eſt determinandum, maximè attento termino revendendo, aut redimendo præfixo. 3. Ne addatur pactum, quod res poſtea pluris vendatur; eò quòd tunc poſſet minoris valere; neque ut vendatur minoris, cum poſſit valere pluris. Aliqua ad illud requiſita.

An verò id fieri poſſit cum pacto, ut eodem, quo venditur pretio, revendatur; diſſentiunt DD. Leſſius *L. 2. cap. 21. Dub. 14.* cum aliis affirmat; eò quòd illud nil aliud ſit, quam vendere cum pacto, ut tali tempore contractus diſſolvatur. Hoc tamen ex dictis diſſolvitur, dum quando res venditur in gratiam venditoris, cum pacto retrovendendi, minoris valet, quam ſine tali onere vendita ipſi emptori: Quando autem ab emptore revenditur venditori, tanti res valet, quanti valet ſecundum ſe, dum nullum tunc onus imponatur emptori. Ex quo conſequitur, quod non poſſit revendi eodem pretio, aut redimi. 4. Requiritur, ne periculum, aut commodum rei venditæ pertineat ad venditorem, niſi pro qualitate, & quantitate periculi minuatur & pretium: pertinet enim ad naturam contractûs venditionis, ut damnum, & commodum rei ſit penes emptorem: *L. illud ff. de periculo, & commodo rei venditæ.* 5. Requiritur, ut ſervetur identitas rei venditæ, ut ſi vendatur vacua, vacua revendatur: ſi cum fructibus, cum fructibus redimatur, &c.

Quæret aliquis, quid ſi quis emat rem cum pacto retrovendendi, & emptor ille rem illam tertio vendit, aut donat, poſſit eam rem venditor vi talis pacti repetere, an autem habeat tantummodo actionem perſonalem. Reſp. habere ſolummodo actionem in emptorem, ut ſtet ſuo pacto, & venditorem ſervet indemnem. Ratio eſt, quia ſi quis rem vendat uni; & rurſum vendat, ac tradat tertio, prior emptor non habet, niſi actionem perſonalem in venditorem, non verò realem: ergo & hic. Item, ſi locaſti domum alteri, & poſtea vendidiſti tertio, non poterit conductor agere contrà rem, ſed contrà venditorem. Aliud foret, ſi ſimul cum eo pacto adderetur pactum aliud, quod intereà, dum res non redimitur, non poſſit eam alienare, eò quòd ſecunda venditio, eo ipſo, quo facta eſt contrà eam conditionem, ſit planè nulla.

Quid retractus. Simul hîc quæri poteſt de jure retractûs, in quo continetur virtualis revenditio, vel ſaltem jus ad eam. Ubi ſciendum, antiquitus, dum bona immobilia alicujus familiæ divenderentur; amicos, & propinquos ſolitos eſſe obſiſtere ejuſmodi venditioni; quod tamen, ut iniquum leges condemnarunt dum cuilibet rei ſuæ relinquendæ eſt libera diſpoſitio. Illa tamen poſtea reſtricta fuit quoad alienationem feudorum: & poſtmodum quoad cætera bona jus retractûs eſt introductum, quod modò omnium ferè moribus obſervatur: dicitur apud nos *Calingieringe*, apud Gallos *Retrait*. Situs autem eſt in eo retractus, ut res venditas eodem pretio poſſint Conſanguinei venditoris infrà tempus à lege definitum recuperare; introductus verò eſt juſta ſanguinis, & familiæ conſervandæ ratione: neque de cætero venditori ulla fit injuria, dum illi perindè eſſe debeat, à quocumque pretium accipiat: imo, cui potius eſſe debeat, rem à ſuis conſanguineis poſſideri. Aliqua circa retractum illum ſtatuit jus noſtrum; primò cum intentari debere infrà annum à die adhæritantiæ in voluntariis, vel poſt decretum Judicis in judiciariis venditionibus: deindè, quod fieri debeat infrà tres proclamationes publicas, niſi fortè legitimè abeſſet è patriâ. Plura videri poſſunt hâc de re apud Zypæum *Notit. juris Belgici, de jure retactûs.* Item apud *Chriſtyn ad Buguion lib.* 1. *cap.* 157. Ubi ſimul demonſtrat in omnibus ferè Regnis jus illud obtinere: nobis hæc dicta de eo ſufficiant.

SECTIO X.

De obligatione venditoris ad exponendum defectum rei venalis.

Triplex eſt defectus rei. Defectus rei poteſt eſſe triplex, Primùm ſubſtantialis, dum una ſubſtantia venditur pro aliâ, v.g. vitrum pro gemmâ. Secundus eſt in quantitate, ut in menſurâ, pondere, ſtatera doloſis. Tertius in qualitate, v.g. dum vinum gallicum venditur pro Rhenano. Duplex inſuper poteſt eſſe vitium, unum intrinſecum, ſive animæ, ut vocant: alium extrinſecum, ſive corporis.

Generaliter ergo, quando res vendenda habet occultum vitium emptori dam-

Digitized by Google

damnoſum, tenetur illud venditor etiam non rogatus emptori aperire, aliàs tenetur, non ſolùm exceſſum pretii reſtituere, ſi fortè plus acceperit, quam res cum tali vitio valebat: ſed etiam tenetur reſtituere omnia damna, quæ ex tali venditione emptori obveniunt, quorum omnium venditor eſt vera cauſa. Ita de eâ re ſcribit D. Thomas 22. q. 77. art. 3. in Corp. *Venditor, qui rem vendendam proponit, ex hoc ipſo dat emptori damni; vel periculi occaſionem, quod rem vitioſam ei offert, ſi ex ejus vitio damnum, vel periculum incurrere poſſit. Damnum quidem, ſi propter hujuſmodi vitium, res quæ vendenda proponitur, minoris ſit pretii, ipſe verò propter hujuſmodi vitium nihil de pretio ſubtrahat. Periculum autem, ſi propter hujuſmodi vitium uſus rei reddatur impeditus, vel noxius: puta, ſi aliquis alicui vendat Equum claudicantem pro veloci, vel ruinoſam domum pro firmâ, vel cibum corruptum, ſive venenoſum pro bono. Unde, ſi hujuſmodi vitia ſint occulta, & ipſe non detegat, erit illicita, & doloſa venditio, & tenetur venditor ad damni recompenſationem.* Venditor debet aperire vitium rei occultum

Deinde, ſi res non obſtante vitio, foret tam bona, & commoda emptori, ac ſine vitio; non facit venditor injuſtitiam, illud non aperiendo. Ratio eſt, quod nulla eo caſu ſit fraus, & vitium illud cenſeatur ſe habere merè accidentaliter ad venditionem: ſic moraliter cenſetur eadem venditio, ſi parum aquæ miſceatur vino, quod venditur pro puro. Parum enim pro nihilo ſolet reputari. Si tamen vitium rei ſit notabile, quod ignorat emptor, & venditori innoteſcit, tenetur venditor non aperiens de valore vitii, de omni damno emergenti, & de lucro ceſſante inde obvenientibus. Ratio ante eſt inſinuata, quia venditor eo ipſo, quo rem exponit venalem, debet ex officio notabiles rei defectus emptori exponere; aliàs fraude circumvenit Fratrem ſuum, quod vetat Apoſtolus 1. Theſ. 4. ſicuti enim emptor tenetur dare pecuniam bonam; ita venditor dare debet bonam rem.

Quod ſi illo caſu emptor rem illam non fuiſſet empturus, ſi vitium rei reſciviſſet, datur emptori redhibitio in foro externo, ſive actio ad rehabendum pretium re reſtitutâ. Si verò eo non obſtante eam equidem fuiſſet empturus, ſed pretio minori, etſi ſit contractus utroque jure validus; tenetur tamen venditor reddere id, quod dedit amplius: quod ſi nolit, datur emptori actio æſtimatoriâ, ſeu ut alii, *quanti minoris.* Quod contractus hîc ſit validus, patet; quia ex ſuppoſito, error habet ſe merè per accidens ad contractum, nec illi dat cauſam, & de cætero emptor abſolutè in contractum conſentit, etiam ſi ſciret rei vitium, & ſolùm vellet emere minoris. Hæc quidem de jure communi, cum alibi varient aliorum conſuetudines, neceſſariò in hâc materiâ conſulendæ.

Præterea, ſi emptor tempore venditionis vitium ſciverit, vel quia venditor illi hoc aperuit, vel ipſe illud videt, valida erit ejuſmodi venditio, neque actio redhibitoria, aut æſtimatoria conceditur in foro externo, niſi ultrà dimidium juſto ſit deceptus. Idem uſuvenit, dum emptor à venditore moni-

tus,

tus, ſuo judicio fiſus contemnit id, quod à venditore dicitur, & qui rem ita emit, ſuæ temeritati imputare debet, ſi decipiatur. Idem denique eſt, ſi venditor dicat ſe rem vendere, ſicuti eſt, nec ſe velle obligare periculo, ſi fortè res habeat occultum aliquod vitium; quo caſu emptor rem illam emit ſuo periculo, neque datur deinceps ulla emptori actio. Debet tamen vitium illud eſſe verè occultum; quia, ſi quod ſciret venditor, & ſubdolè conditionem illam apponeret, equidem abſolutè teneretur; dum fraus ſua nemini debeat patrocinari. Si verò vitium rei ſit manifeſtum, & omnium oculis obvium, in foro externo nulla datur contra venditorem actio, niſi ſit deceptio infrà dimidium juſto. Hinc, ſi Equus ſit claudus, uno oculo cœcus, &c. Hoc ſibi imputare debet emptor; eò quòd tali caſu res ſeſe manifeſtet pro venditore.

Quæres, an venditor teneatur manifeſtare vitium rei, ex quâ nullum periculum imminet emptori, ſi tamen eam vendat juſto pretio, ſi de cætero noſcat, venditorem non velle rem eam, ſi ſciret eam tali vitio laborare. Reſp. ſi emptor venditorem de tali vitio non interroget, non tenetur venditor id manifeſtare. Docere id apparet D. Thomam q. 77. art. 3. Ubi ita ſcribit: *& ſi ipſe propter hujuſmodi vitium ſubtrahat, quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifeſtandum vitium rei, quia fortè propter hujuſmodi vitium emptor vellet plus ſubtrahi de pretio, quam eſſet ſubtrahendum: unde poteſt licitè venditor indemnitati ſuæ conſulere, vitium rei reticendo.* Deinde, error concomitans non diſſolvit contractum, nec reddit eum illicitum; nec enim omnis voluntas conditionalis contractum vitiat; aliàs, ſi teneret frivolum hoc, *ſi ſciviſſem*; nulli ferè contractus eſſent firmi. Aliud eſt, ſi venditor ab emptore interrogaretur de vitio, quod ſi celaret venditor, dolus daret cauſam contractui, adeoque teneretur veditor.

Notandum tamen circà prædicta, quædam morali modo loquendi, cenſeri eſſe æquè bona, & ejuſdem ſpeciei, uti dictum eſt de vino modicè lymphato; quod intelligendum eſt quoad communem uſum: ſi enim quis ad medicinam v.g. neceſſariò quæreret vinum puriſſimum, pro quo venderet lymphatum, teneretur venditor de damno ſecutò, dum dolus dederit cauſſam contractui.

Dicta omnia de venditore, æquali jure concernunt & emptorem, qui ſi rem pretioſam emat pro vili, v. g. gemmam pro vitro emat à Ruſtico, fraudulenter procedit, dum ſcit maximam ſeſe ponere inæqualitatem. Neque hîc objici poteſt, licitum eſſe Medico emere à Ruſtico faſciculum herbarum vili pretio, in quo tamen noſcit eſſe herbam pretioſam: adeoque & illud licitum eſſe alteri emere à Ruſtico gemmam: eò quòd faſciculus ille, qui in foro pro Equorum pabulo vendi ſolet, communi æſtimatione cenſeatur vilis, & tanti ſolummodo valere; cujus contrarium eſt de gemmâ. Id enim induſtriæ Medici eſt adſcribendum, quæ nemini eo caſu eſt nociva. Idem alibi dictum eſt de eo, qui ſcit alibi latere theſaurum, quem ille emit pretio communi.

Fieri

Digitized by Google

Fieri etiam poteſt, quod venditor bonâ fide rem vitiatam vendat ut integram, cujus vitium ignorat, de quo quæri poſſet, an talis peccaverit, & teneatur ad reſtitutionem. *Reſp.* qui bona fide procedit, non peccat, niſi materialiter tantum. Ubi tamen vitium rei reſcivit venditor, vel debet contractum reſcindere; vel exceſſum pretii emptori refundere, aliàs foret poſſeſſor malæ fidei. Non tamen tenetur compenſare damna, ſi quæ fortè ex tali venditione facta ſint emptori, aut alicui tertio, quorum non fuit venditor in cauſâ culpabili, uti habet ſuppoſitio; dum bonâ fide proceſſit in vendendo. Deinde etiam hoc notari hîc poteſt, quod ſi venditor dicat ſe vendere rem ſicuti eſt, neque ullatenus velle in ſe ſuſcipere periculum, ſi fortè habeat aliquod occultum vitium; tunc emptor cenſetur eam rem emere ſuo periculo, neque etiam datur emptori de cætero aliqua actio. Debet tamen vitium hîc eſſe verè occultum, quia ſi venditor illud ſciret, ſed ſimulatè diceret, aut fingeret ſibi ignotum, teneretur equidem eo non obſtante emptori, quem verè decepit. Quid, ſi vendat quis ignoranter rem vitioſam.

Quærunt hîc etiam; an qui ſcit brevi adfuturam rerum aliquarum copiam, & inde pretium rei minuendum, poſſit equidem res illas vendere pretio currenti. Idem quæri poſſet de eo, qui noſſet brevi condendam à Principe pragmaticam de minuendo rei alicujus pretio, an poſſit rem illam quoque vendere pretio currenti. Primum ab aliis negatur ex eo, quod illa, quæ moraliter certò futura prævidentur, cenſeantur eſſe moraliter præſentia; ergo cum non poſſent res, ſi adeſſent, vendi pretio currenti; non poſſunt quoque ita vendi, dum certò noſcuntur brevi adfuturæ. Deindè, quod communis æſtimatio, quâ pretium illarum rerum taxatur, fundetur in errore communi, quo ignoratur copiam rerum brevi adfuturam: atqui talis æſtimatio non poteſt eſſe juſta. Denique, quod, uti mox antedictum eſt, debeat venditor manifeſtare vitium rei, quod eam facit viliorem: atqui in hoc caſu res fit vilior. Ergo. An qui noſcit brevi adfuturam rei copiam, poſſit eam vendere pretio currenti.

His tamen non obſtantibus, alii rectius id affirmant eſſe licitum: tum, quod vendat rem illam pretio taxato, ut ſupponitur, ergo & juſto: tum, quod particularis ſcientia venditoris de adfuturâ copiâ, non minuat pretium à communitate taxatum, cum aliàs non poſſet emptor eam emere pretio currenti, ſi noſſet futuram rei inopiam, quod nullus admittet, & factum ſimile in Joſepho commendat ſcriptura Geneſ. 41. Ex quo etiam patet reſponſio ad ſententiam aliorum: quamvis enim aliqua moraliter certò futura prævideantur, non ideo habenda ſunt pro præſentibus, dum ſæpè non contingit ea advenire: nec etiam ſcientia illius, quidquam de pretio poteſt minuere, uti mox eſt dictum. Deindè, communis error non impedit juſtum pretium, uti patet in Japonibus viliores res pretio magno ſibi comparantibus; idque ex eo, quod eas res communi æſtimatione habeant ut pretioſas. Denique, venditor id non debet neceſſariò ex juſtitiâ emptori aperire, dum rem vendere juſtè poteſt pretio currenti, etſi venditor id ſciat. An verò ad hoc non teneatur ex chari-

Digitized by Google

charitate, eſt alia quæſtio. Enim verò, ſi tantum eâ de re ſimul venderet, ut majus foret emptoris incommodum, quam venditoris commodum: aut etiam, ſi blanditiis, aut dolo emptorem ad ſe allexiſſet ad emendum, peccaret priori modo contrà charitatem, poſteriori contrà juſtitiam, dum quilibet jus habet, ne fraude circumveniatur. Si verò nihil ex tali venditione damni obveniat emptori, & de cætero abſit fraus, & dolus, non videtur venditor peccare contrà charitatem; dum utitur jure ſuo, quod habet ad ritè vendendam rem ſuam pretio taxato.

An qui noſcit rei pretium à lege minuendum, poſſit eam vendere pretio currenti.

Circà ſecundam quæſtionis partem, triplex eſt ſententia: prima docet id eſſe injuſtum; eò quòd, ſi Princeps alicui revelaret talem legem, qui eâ notâ ità venderet, teneretur Princeps emptori, cui dedit cauſam damni ſuâ revelatione: ergo & hoc caſu tenetur vendens. Deinde, quod ille, qui tali ſcientiâ utitur, utatur ſcientiâ publicâ, quæ cunctis debet eſſe communis, adeoque emptori faciat injuriam, id ſubticendo: aliud eſt in caſu antedicto, ubi ſolummodo eſt ſcientia Mercatoris particularis. Ita Molina. Secunda verò ſententia hîc docet, eum benè, & juſtè procedere; eò quòd lex, quamdiu non eſt promulgata, tamdiu non obliget, neque habeat ullam vim circà pretium anteà taxatum, quo proindè alteri licitum eſt uti in vendendo. Hoc autem valere poteſt, ait Covarruv. in foro ſoli, non in foro poli: & ita tenet Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 5.* Inter has duas ſententias accedit alia ſententia tertia, quæ diſtinguit, & dicit, quod ſi lex illa ſit ſtatim, puta poſt 3. aut 4. dies, publicanda, ſit injuſtum ita vendere. Si verò futura ſit poſt aliquod tempus longius, non ſit injuſtum. Et quamquam dictæ opiniones ſuas rationes ſatis habeant apparentes; verius tamen procedere cenſendum eſt opinionem ſecundam: unde ad rationem prioris dici poteſt, aliam eſſe rationem Principis, aliam privati venditoris, qui non debet ex officio, & juſtitiâ cavere ſubditorum damna, uti debet Princeps. Deindè, ad aliud reponitur, quod etſi legis notitia de ſe debeat eſſe communis; quod tamen modò quiſpiam eam ignoret, eſt illius malæ fortunæ. An verò peccet ille contrà charitatem, idem conformiter hîc dicendum eſt, quod mox diximus de alio.

SECTIO XI.

De Monopoliis.

Quid Monopolium, & quot modis poſſit fieri.

M*Onopolium* vox græca, ſignificat unius venditionem, & nil eſt aliud; quam conſpiratio plurium de non vendendâ re aliquâ, niſi pro pretio illorum arbitrio taxato. Docent communiter fieri monopolia quatuor potiſſimum modis 1. conſpirando inter ſe, ne quis minoris vendat. 2. Faciendo, ut ipſi ſoli rem aliquam vendant. 3. Simul certas res emptas ſupprimendo, uſque dum earum pretium multum excreverit. 4. Impediendo, ne ſimiles merces aliundè apportentur. Aliæ inſuper ſunt monopoliorum ſpecies, de quibus poſtea.

Monopolium primo modo initum, ſi pretium juſtum excedat, apertiſſimè eſt contrà juſtitiam. Si verò juſtum pretium ſupremum non excedat; juxtà aliquos non peccatur eo contrà juſtitiam. Ratio eorum eſt, quod qui ſine vi, vel fraude volenti vendere pretio infimo, ſuadeat, ut vendat pretio ſupremo, non peccet contra juſtitiam, ergò nec hîc. Neque enim in venditione violatur juſtitia, quamdiu ſervatur juſtum pretium. Navarrus tamen in *ſummâ c.* 23. docet monopolium illud eſſe graviter contrà charitatem, quia graviter lædit proximum. Alii è contrà docent, monopolium illud eſſe contra juſtitiam, & obligare ad reſtitutionem. Ratio eorum eſt illa, quod fora venalium debeant omnibus eſſe libera; unde etiam hîc in Belgio frumenta vendi non poſſunt in horreis, ſed vendi debent in foro libero, ut ante etiam notavimus: hoc autem eſt vendere in foro libero, quod emi, & vendi poteſt infrà latitudinem juſti pretii; adeoque emptoribus fit injuria, eos compellendo ad emendum pretio ſummo. 2. Quod lex communis, & maximè lex Belgii noſtri, omni monopoliorum generi reſiſtat, de quo poſtea. 3. Quod per ſimile monopolium fiat, quod pretium rigoroſum ſit juſto altius, quod proindè eſt iniquum. Monopolium 1. generis.

Verùm enim verò, hæc non firmant omninò dictam opinionem. Qui enim ita conſpirando cogit emptorem ad emendum pretio ſupremo, etſi iniquè agat, & contra charitatem; non tamen agit injuſtè, ſive contra juſtitiam, dum venditur, & emitur pretio juſto, tametſi ſupremo. Deinde, Leges illæ non obligant directè in conſcientiâ, niſi poſt ſententiam latam, & ob varias fraudum præſumptiones potuerunt ita ſtatuiſſe. Denique, manent hîc quoque juſti pretii limites, quos habet res ex communi hominum æſtimatione, aut taxâ, non verò ex Mercatorum avaritiâ. Et ob hæc, & alia, docet Wiggers hîc, priorem opinionem eſſe probabilem, addens tamen conſultò, avaris non eſſe prædicandam.

Quod ad ſecundam monopolii ſpeciem attinet, concedunt omnes, poſſe à Magiſtratu concedi juſtâ de causâ alicui aliquod privilegium, ut res aliquas poſſet ſolus vendere. Si enim juſta cauſa hîc deſit, neque venditor eo privilegio (utpote injuſto) uti legitimè poſſet, dum vergeret in præjudicium aliorum venditorum, qui injuſtè à ſimili venditione arcerentur: & etiam emptorum, qui eam rem carius emere coguntur, quam ſi à variis venderetur. Cæterùm, præſumitur adeſſe cauſa ſufficiens, niſi conſtet de oppoſito. Requirunt tamen hîc paſſim Authores, ut Magiſtratus ſimul rerum pretia taxent, quod antea ex Dominico Soto diximus eſſe conſultiſſimum, & ſtatui à jure noſtro: quod maximè verum eſſe oportet, in venditione illarum rerum, quæ ad victum ſunt neceſſariæ, ut grano, pane, ſale, vino, cereviſiâ, &c. In aliis verò rebus magis ad luxum, quam ad neceſſitatem pertinentibus, relinqui poſſint earum pretia prudentum æſtimationi, prout fieri poſſet in tapetibus, holoſericis, chartis luſoriis, &c. In quibus quoque facilius, quam in aliis poteſt dari tale privilegium, cum ex eo privilegio minus patia- Monopolium 2. generis.

Digitized by Google

tur communitas. Sic honeſtari poſſunt varia privilegia data Typographis, Bibliopolis, ut illi ſoli certos libros excudere poſſint, ſoli diſtrahere, divendere, &c. Imo etiam ſimilia privilegia dari conſultiſſimum ſæpè eſſe poſſe, eſt in confeſſo; ne ſine tali privilegio res aliqua ab ullo poſſet divendi, aut procurari, ob nimiam pecuniæ copiam, & intereſſe, ád rem illam comparandam, & diſtrahendam aliquando neceſſaria, quæ dicto privilegio compenſantur.

Monopolium 3. generis. Quod ad tertiam monopolii ſpeciem ſpectat, dum plures ſimul res certas coëmunt, eaſque ſupprimunt, uſque dum earumdem pretium multùm excreverit, duplex eſt opinio. Una docet eos peccare contrà juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. Ratio illorum eſt illa, quod omnes cives jus habeant ad emendum omni tempore ſibi neceſſaria pro pretio juſto currenti, quod per tale monopolium impeditur. 2. Quod fraude id fiat, quod debeant ſinguli poſtea cariùs emere, cum tamen quilibet jus habeat, ne quis eos per fraudem circumveniat. Alia è contrà docet, eos non peccare contrà juſtitiam modò illa coëmant pretio eo tempore currenti, & tali etiam divendant; neque etiam alios impediant, ne eodem tempore poſſint emere, neque ita omnia ſimul coëmant, ut caritatem inducant; quo quidem caſu, etſi peccent contrà charitatem, non tamen peccent contrà juſtitiam. Ratio illorum eſt, quod eo caſu emant, ac vendant pretio currenti, neque Cives jus habeant, ad emendas res pro tempore, quo minoris valent, ſed quando voluerint: nec venditor aliunde eſt obligatus ad vendendum tempore minoris pretii: neque ulterius obſtat, quod ſimul emendo magnam copiam augeatur pretium, quia id fit per accidens, prout etiam fit, quando multiplicantur emptores. Quod autem leges id vetent, ideo non eſt, quod id ſit contrà juſtitiam; ſed contrà bonum commune, & bonum Reipubl. regimen, quod ſolùm foret contrà juſtitiam legalem, unde tamen non oritur reſtituendi obligatio.

Quidquid interim ſit, verius apparet, illud etiam eſſe contrà juſtitiam, dum quilibet de communitate jus habet, ne quis rerum pretia creſcere faciat malis artibus, uti hîc fit. Ita tenet Wiggers, addens tamen opinionem contrariam eſſe probabilem, ſed non deprædicandam, & meritò. Conſtat enim illud monopolium ſæpiſſimè eſſe contrà juſtitiam, dum pretium ultrà juſtum facit ſæpiſſimè excreſcere: dum eſt graviter contra charitatem, & ſæpè cum oppreſſione egenorum. Unde etiam jure poſitivo prohibitum eſt ejuſmodi monopolium *L. unicâ C. de monopoliis*, ſub pœnâ proſcriptionis omnium bonorum, & perpetui exilii. Graviſſimè quoque, ac variis ſemper Edictis non ſolùm monopolia, ſed etiam omnis monopoliorum ſpecies prohibita fuit in Belgio, ut refert Zypæus *notit. juris Belg. de monopoliis*, meritò addens, monopoliorum vitium ex infami avaritiâ natum, quod ſemper vetabitur, & ſemper retinebitur.

4. Monopolii genus. Ultimum monopolii genus juxtà omnes eſt contrà juſtitiam, & illud agentes tenentur ad reſtitutionem; eò quòd omnes jus habeant, ne per fraudem à juſto lucro prohibeantur. Unde etiam fit, quod ſi quis ſubornet licitatorem,

rem, qui inter veros emptores pretium majus offerat, quâ fraude ſepoſitâ non emiſſent tanto pretio veri emptores, ſubornans peccet contrà juſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem. E contrà illi quoque peccant contrà juſtitiam, non ſolùm contrà veritatem, qui falſis litteris, vel rumoribus ſpargunt res aliquas alibi eſſe totaliter devaſtatas, unde res ſuas ſimiles carius divendunt; talis enim machinatio aliis eſt damnoſa, cujus damni ſubdolis illis machinatoribus ſunt in causâ, ac proindè tale mendacium non ſolùm eſt officioſum; ſed etiam pernicioſum.

Varia inſuper ſunt monopoliorum genera, v. g. dum Opifices alibi conſpirant, ne alter opus ab alio inchoatum perficiat, quod tamquam communi bono pernicioſum vetatur citatâ *L. unica de monop.* Idem eſt, ſi conveniant, de elocatione ſuarum operarum certo pretio; qui conſpirant, ne pretio ſemel ab alio oblato, alius rem illam enſere poſſit; qui ſcientes artem Reipublicæ utilem, eam docere renuunt, niſi maximo pretio, aut cum obligatione, ne eam ullos doceat, niſi ſuum Filium, aut Nepotem. *Alia monopoliorum genera.*

Quæri hîc poteſt, an inducto per alios monopolio, poſſit alius monopolii non particeps res ſuas divendere pretio par monopolas introducto. Reſp. ſunt, qui velint illud eſſe injuſtum, eò quòd injuſtum ſit illud pretium, & ex injuſtitiâ ortum, ac introductum: adeo, ut eo vendentes, injuſtitiam committant, ſive ſint ipſi impoſtores, ſive alii. Ità Dicaſtillo hîc. Communior tamen ſententia tenet, non peccare ſimiles venditores, non ſolùm quando ignorant pretium illud per monopolium eſſe introductum: ſed etiam, etſi id probè norint. Ratio eſt, quod pretium illud ſit modò currens, æſtimatione communi, & vulgari: juſtum enim pretium eſt, quod communi æſtimatione æſtimatur: quod verò ex injuſtitiâ id introductum ſit, aliis eſt per accidens, qui vendendo utuntur ſuo jure.

SECTIO XII.

De variis ad legitimam emptionem pertinentibus.

QUæſtio 1. an cui aliquid vendendum committitur pro 10. & vendat illud 12. poſſit illa 2. ſibi retinere. Reſp. Si ille ſit Proxeneta, Factor, aut alius quiſpiam, qui vendendi habet mercedem, non poteſt ille exceſſum retinere. Non enim id poteſt ratione rei venditæ, quæ non eſt illius: nec ratione induſtriæ, vel laboris; quia pro illis habet ſuam mercedem, adeoque ad eadem obligatur. Imo, illud idem dicendum eſt de illo, qui gratis vendendum ſuſcepit, ob eamdem rationem, quia nullum habet retinendi titulum juſtum. Quod verò Dominus rei, pretium præſcripſerit, non indicat, quod ſuperfluum poſſit retinere venditor, aut Dominus id velit: ſed illud ſolùm præſcripſit, ut infrà illud pretium vendere non poſſit; non autem, quod pluris vendere non poſſit, ſi valeat. Aliud eſt, ſi Dominus dediſſet rem vendendam Proxenetæ pro 10. cum pacto, quod pro labore nihil acciperet, ſed *An qui habet aliquid vendendum pro 10. & accipiat 12. poſſit illa 2. retinere.*

 quod

Digitized by Google

quod ſuperexcedens poſſet ſibi retinere. Idem eſt, ſi ipſe Proxeneta ſtatim pro aſſignato pretio rem emiſſet, & poſtea pluris vendidiſſet.

Aliud quoque hîc eſſe poteſt, ſi accedat donatio. Sic famuli in aliquâ officinâ emere ſoliti minori pretio, poſſunt juxtà aliquos ſibi retinere ſuperfluum, quod in aliâ officinâ pro ſimili re deberent dare. Ratio illorum eſt, quod illud reliquum cenſeatur venditor famulis condonare, ut ſic eos in ſuâ officinâ detineat, & ſic plures emptores ad ſe trahat: imo, ſi ipſe Dominus perſonaliter emeret, vel ipſe famulus apud alios, deberet totum dare. Neque inſuper Dominus in ullo damnificatur, cum merces æquè bonas pro minori habeat, quam poſſit haberi aliunde. Alii dicunt id eſſe induſtriæ fructum famulorum. Verùm, cum hæc opinio fundetur in condonatione venditorum, quæ non debet facilè præſumi, juxta ante dicta: ſequitur, quod dicta opinio non ſit adeo firma: imò, & periculoſa, dum furtis famulorum aditum pandit: uti etiam fidelitati, quam famuli debent ſuis dominis, valde nociva; ob quæ dicta opinio meritò nobis videtur improbanda.

Cujus ſit res duobus vendita.

Quæſtio 2. cujuſnam ſit res duobus vendita. Reſp. ordinariè danda eſt priori, eò quòd alteri ſine ejus præjudicio dari non poſſit. Si verò alteri tradita fuerit, erit illi relinquenda, dum per ſolam rei venditionem ſine traditione non transferatur actu, & plenè dominium rei. Aliud eſt, ſi venditio ſit facta loco pio, Monaſterio, Zenodochio, &c. In quibus venditionibus ex privilegio juris transfertur verè dominium antè traditionem. Idem etiam eſt, ſi ille prior dediſſet hypothecam, ratione cujus habet jus in re, dum ea ſit vis hypothecæ. Conformiter ad dicta de venditione, dic de promiſſione, elocatione, commodato ejuſdem rei diverſis perſonis: quamquam enim conductor per traditionem non acquirat dominium rei, acquirit tamen retentionem rei per tempus conductionis, à quâ eo tempore expelli non poteſt: quo etiam jure poſſet ſeſe in judicio defendere. Imo, tametſi res foret uni vendita, & alteri promiſſa, ac etiam tradita, manet promiſſarii ob dictam rationem, etſi ille rem illam dare non potuerit ſine peccato ratione contractûs venditionis. Imo, hoc etiam verum eſſet, etſi juraſſet ſe rem emptori daturum; eò quòd illud ſolùm obliget ex Religione, non itidem ex juſtitiâ, adeoque erit quidem alter ille perjurus, non verò injuſtus. Si tandem duobus eadem res ſit vendita, promiſſa, elocata, & neutri tradita, tradenda eſt priori, qui uti prior eſt tempore, ità prior eſt jure. Si denique ille, cui poſtea res eſt data, ſciverit eamdem rem alteri prius fuiſſe venditam, poterit emptor ille prior intrà annum rem illam evincere, tamquam, quæ in ſui fraudem eſſet alienata, ſi rem eam oblato pretio nollet reddere poſterior emptor priori: notandum tamen, hîc ſubinde variare Regnorum conſuetudines. Unde etiam notat Groenwegen *Cod. lib.* 3. *tit.* 32. *L.* 15. *&* 19. Quod re immobili duobus venditâ, moribus noſtris is in dominio detinendo ſit potior, cui priori coram Judice rei ſitæ traditio facta eſt, dum apud nos immobilium dominia non judiciis, ſed legitimâ coram Judice rei ſuæ traditione, & publicis eâ de re confectis inſtrumentis probanda ſunt.

Quæ-

Quæſtio 3. Ex quibus inſuper capitibus venditio ſit illicita. Reſp. 1. Ratione finis, ſi principaliter fiat propter lucrum. 2. Si interpoſitis fraudibus, de quibus hucuſque egimus. 3. Si res ſit invendibilis. 4. Ratione temporis, ſi die feſto: quales venditiones ſæpè novimus interdictas, raro eliminatas. 5. Ratione loci, ut ſi in loco ſacro, in quibus obſervanda ſunt cujuſque loci ſtatuta, ad majus Eccleſiæ, & fidei noſtræ bonum, in cujus obſervantiâ Acatholici Catholicos ſolent confundere. Venditiones illicitæ.

Quæſtio ultima, quomodo venditio diſſolvatur. Reſp. 1. Per mutuum conſenſum, ſi res ſit integra, eò quòd res per eaſdem cauſas, per quas naſcitur, ſoleat diſſolvi. 2. Propter defectum eſſentialem rei venditæ, de quo ante. 3. Ob læſionem infrà dimidium juſto. 4. Ex parte fraudis, & doli. 5. Ex parte *Legis Commiſſoriæ*, id eſt, quando res venditur ſub conditione, ut ſi tempore ſtatuto pretium non ſolvatur, res ſit inempta. *Lex* verò, ſeu *pactum de adjectione in diem* illa eſt, quando res venditur tradenda infrà aliquod tempus, niſi interea alius majus pretium offerat: quod ſi fiat, res erit inempta. Lex commiſſoria in pignoribus ex lege locum non habet, eò quòd venditio ſoleat fieri pro juſto pretio, non autem oppignoratio, quæ ſæpè fieri ſolet minori. Item, quod pactum illud in oppignoratione ſapiat uſuram, cum eò tendat, ut Creditor accipiat aliquid ultrà ſortem. Pœna ulterius legi Commiſſoriæ adjecta erat, ut emptor arrhâ datâ in venditione (vulgò *goedts penninck*) fruſtraretur. Mores tamen noſtri pœnam de lege Commiſſoria ff. ſtatutam, ut inopi emptori gravem nimis non admittunt, teſte Grotio *introd.* 3. *p.* 14. Excepto, quod arrham, quæ modica eſſe ſolet, & eleëmoſynæ quantitates excedit, emptor amittat. Diſſolutio venditionis. Quid lex commiſſoria. Lex de adjectione in diem.

CAPUT V.

De Mutuo, & Uſurâ.

SECTIO I.

Quid ſit mutuum, & quotuplex.

Mutuum, quaſi ex *meo tuum*, difiniri ſolet: *eſt contractus, quo res numero, pondere, aut menſurâ conſtans, uſuque conſumptibilis, transfertur in alterius dominium, cum obligatione eam reddendi eâdem ſpecie, ac bonitate.* Dicitur, *contractus* loco generis, quo transfertur dominium rei mutuatæ; unde mutuum requirit rei traditionem. Dicitur *res numero, pondere, &c.* Pro materiâ mutui. Additur, *cum obligatione, &c.* Ad innuendam differentiam mutui ab aliis contractibus. Quid ſit mutuum.

Colligi hinc poteſt, ad rationem mutui pertinere primò, quod res mutua-ta Requiſita ad mutuum.

Digitized by Google

a ſit uſu conſumptibilis. Mutuum enim regulariter in eis rebus eſt ſitum, quarum uſus ordinarius, & principalis adjunctam habet rei deſtructionem, alienationem, vel aliam mutationem, uti ſunt oleum, vinum, lana, frumentum, &c. Talis quoque eſt pecunia, quæ etſi remaneat data mutuo, perit tamen exponenti, dum eam mutuando, transfert ejus dominium. Quamvis enim pecunia, ſubinde dari poſſit ad oſtentationem, non transferendo ejus dominium, per modum commodati, aut locati: tamen uſus ejus primarius eſt, ut ejus dominium transferatur, uti fit in emptione, mutuo, &c. Alii fines ſunt ſolummodo ſecundarii.

Secundò, ad rationem mutui requiritur, ut ea res uſu conſumptibilis conſtans numero, pondere, vel menſurâ quoad dominium transferatur. In numero conſiſtunt, quæ ordinariè in ſuo uſu ſolent numerari, ut pecunia: quædam in pondere, quæ ſolent ponderari, ut æs, argentum, aurum. Alia in menſurâ, quæ ſolent menſurari, ut triticum, & vinum. Quod autem earum rerum dominia debeant transferri in mutuo, declarat ipſa notio nominis mutui, dum res, quam mutuo, ex meâ fit tua. Idem innuit data definitio mutui.

Tertiò, ad mutuum requiritur, ut ſors poſſit ſemper revocari, & mutuatarius debeat idem in ſpecie, & bonitate reſtituere. Priori parte differt mutuum ab emptione redituum, in quâ ſors alienatur, non tamen poteſt repeti. Poſteriori parte differt ab aliis contractibus gratuitis, v. g. donatione, &c. ubi nullum onus comitatur. Debet quoque reddi eadem res, non in individuo; cum mutuatarius poſſit eam tamquam dominus alienare, & conſumere: ſed eamdem in ſpecie, puta pecuniam pro pecuniâ, vinum pro vino. Si enim pecuniam redderet pro vino, eſſet emptio; ſi vinum pro oleo, eſſet permutatio. Debet inſuper reddi res in eâdem ſpecie morali, id eſt, quod ſit ejuſdem quoque bonitatis, quâ ratione non ſatisfacit mutuatarius, ſi pro vino optimo det deterius; etſi enim abſolutè ea vina ſint ejuſdem ſpeciei, non tamen ejuſdem ſpeciei moralis, dum non ſunt ejuſdem bonitatis.

Sequitur ex dictis, quod mutuatarius reddere debeat ſortem, dum mutuatori placet, niſi fortè adjunctus foret terminus, quo caſu, termino elapſo tenetur ſortem reddere, aliàs futurus eſt moroſus debitor; adeo ut teneatur eo caſu reſtituere omnia damna ex tali dilatione mutuatori obvenientia, quorum ſuâ dilatione fuit iniqua cauſa mutuatarius.

Facile jam erit ex dictis diſtinguere mutuum à commodato, cum quo etſi conveniat in eo, quod uterque contractus debeat eſſe gratuitus; ſi tamen illi contractus fiant pro lucro, tranſeunt ad aliud genus, & mutuum fiet uſura, de quibus mox latius: ſi in commodato accipiatur pretium pro re commodatâ, erit locatio: ſi res pro uſu rei detur, erit contractus innominatus, *do, ut des*: Si denique res pro re, erit permutatio. Differt tamen à commodato, quod in commodato non transferatur rei dominium in Commodatarium, prout transfertur in mutuo. Solet tamen aliquando mutuum confundi cum

com-

commodato, & aliis contractibus, ut dum dicitur Deuteron. 23. *Fratri tuo ſine uſurâ commodabis.* Et Lucæ 6. *Amice accommoda mihi* 3. *panes.* Ubi commodatum accipitur pro mutuo.

Mutuum dividi ſolet in verum, & palliatum. Verum eſt, quando res gratis verè mutuatur. Palliatum eſt, quod juxtà expreſſam quidem formam eſt alius contractus; ſed juxta formam internam, vel intentionem contrahentium reverà eſt mutuum; prouti fit, dum quis vendit carius preciſè propter dilatam ſolutionem, vilius emit ob anticipatam; ubi quidem externè apparet emptio, & venditio; reverà tamen eſt mutuum, unde alii vocant illud mutuum implicitum, virtuale, interpretativum. Diviſio mutui.

Quæres, quinam poſſint mutuo dare, & accipere. Reſp. dare poſſunt, qui habent dominium rei, & adminiſtrationem non impeditam. Debet enim qui mutuat, transferre rei mutuatæ dominium, eamque alienare. Poteſt autem quis etiam dare mutuo de ſuo, nomine alterius, ita ut ille, cujus nomine datur, comparet actionem, L. *certi conditio* §. *ſi nummos ff. ſi certum petatur.* Hinc mutuo dare nequeunt Religioſi, pupilli ſine tutorum auctoritate, &c. Qui poſſint mutuo dare, & accipere.

Gravior eſt difficultas de accipientibus, ac primò de filiis familias, ratione Senatûs Conſulti Macedoniani, ita dicti à quodam fœneratore Macedone, qui filiis familias pecunias numerabat cum magno fœnore poſt mortem Patris reddendas, unde filii occaſionem accipiebant Parentes occidendi, ut citius poſſent potiri hæreditate, & ex eâ debitum ſolvere. Inventum igitur hoc fuit in odium fœneratorum; quo fit, ut filii familias tali S. C. nequeant renuntiare. Intelligitur quoque, non poſſe vi hujus S. C. conveniri filium familias de accepto mutuo, quamdiu eſt in patria poteſtate, exceptis quibuſdam caſibus. 1. Si habeat bona caſtrenſia. 2. Si ſit miles. 3. Si bona fide putaretur eſſe ſui juris. 4. Si pro alio, qui ſui juris eſt, fidejuſſerit. 5. Si de conſenſu ſaltem Patris mutuo acceperit; qualiter fit, dum mutuum datur filio in neceſſitate, in morbo, ſtudiorum causâ; & generaliter in eo caſu, quo cenſetur Pater conſentire, aut rationabiliter non poteſt diſſentire. 6. Si pecunia illa ſit verſa in utilitatem Patris, quo caſu potius accepit Pater, quam filius. 7. Si filius à Patre negotiationi ſit præpoſitus, quandò unà cenſetur Pater dediſſe facultatem mutuandi, niſi fortè id expreſsè prohibuiſſet. Obtinet verò illud S. C. tantùm in mutuo pecuniario, cum ſit odioſum, & ratio prohibitionis in aliis mutuis non ita contineatur. Si tamen aliæ merces mutuatæ filio vendantur in fraudem legis, ut eas diſtrahendo poſſet filius familias ſibi comparare pecuniam; locus erit Macedoniano ad repellendam fraudulenti Creditoris petitionem, qualiter aliquoties judicatum referunt DD. An filii fam. poſſint accipere mutuum.

Quæres quid hîc juris ſit de uſu dicti Macedoniani, & an filius poſſit in conſcientiâ illo uti. Reſp. cum patria poteſtas apud nos fermè exoleverit, & ſita ſit ſolummodo in quodam obſequio filiali, de quibus actum eſt ſuprà: ſequitur, quod apud nos rarior ſit illius uſus. Quod tamen ſæpè obtineat, eſt

in

in confeſſo, juxta Tuldenum *ad tit. 7. l. 4. inſtit. cap. ult.* Maximè, dum Creditor ſciens pecuniam mutuavit filio familias ad luxum, aut eâ lege, ut poſt mortem Patris redderetur cum fœnore. Aliis caſibus humanitati morum noſtrorum, ait, dictum S. C. non convenire.

An verò filii familias, & Pater ejus nomine tutâ conſcientiâ illo S. C. uti poſſint, non adeo convenit inter DD. Covarruv. *ad Reg. Peccatum p. 5. §. 9. num. 4.* Dicaſtillo *lib. 2. tract. 10. diſp. 2.* Illud abſolutè negant, ex eo, quod jura liberare aliquem nequeant ab oblgatione naturali, quam filius mutuando contraxit: & quamquam jura hîc actionem denegent, tamen contractui non reſiſtunt, ſed ſolummodo non aſſiſtunt. Alii interim abſolutè affirmant cum Leſſio, cum illud S. C. ſit indictum in odium fæneratorum, & ut omnis machinandi occaſio tolleretur, adeo ut jura non ſolùm voluerint auferre obligationem civilem, ſed & naturalem; aliàs non fuiſſet ſatis proviſum periculo parentum, & uſurariorum nequitiæ. Quod maximè tenet apud illos, ubi omnes filiorum fam. contractus à lege irritantur, & declarantur eſſe nulli, prout faciunt Conſuetudines Urbis noſtræ, & de jure aliorum Regnorum teſtantur alii, de quo ante egimus agendo de contractibus filiorum. Et quamquam contractus mutui de ſe induceret obligatiouem naturalem, potuit tamen jus juſtiſſimè ſtatuiſſe urgentiſſimâ de causâ, eam obligationem hîc impediri, prout etiam in pœnam poteſt dominia rerum transferre. Et hoc maximè verùm eſt, dum creditores talem legem non ignorant. Certè, fures ſunt, & juventutis, ac familiarum corruprores, fautores libidinum, & pietatis omnis deſtructores, qui ob luxum (ut promiſcuè ſolet fieri) filiis familias mutuant, non ſine ingenti aliquando fœnore. Hinc & eodem caſu, dum ad talem finem quis mutuavit filio fam. admittit etiam Adrianus *quod lib. 6.* poſſe filium, ac partem tutò in conſcientiâ uti ſimili Macedoniano; etſi id neget, dum aliis caſibus illi mutuatur. Cæterùm, huic Macedoniano ſollicitè inſtitit Urbs noſtra paucis hinc annis, omnis filiorum minorennium mutuationes, & alios contractus invalidando: quo jure aliquoties uſi ſunt tutores, & parentes.

Quæret aliquis, ad quid opus hoc S. C. Macedoniano, dum ſemper poterit filius familias uti beneficio reſtitutionis in integrum. Reſp. In primis, non poſſe ſemper, & ita paſſim uti beneficio reſtitutionis, niſi cognitâ causâ, & probatâ deceptione, de quo antea. Unde magis infirmæ ætati conſultum eſt, illius jura per hoc S. C. ſervare intacta, quam poſt cauſam vulneratam quærere beneficium reſtitutionis. Solicitè interim hîc notandum quoque cum Zypæo *Notit. juris Belg. de Macedoniano*, quod quamvis hoc S. C. propriè tantum habeat locum in mutuo, non incongruè tamen etiam dicimus id locum habere in pecuniâ acceptâ ad reditum, ubi eadem incommoda jure merito poſſunt timeri, quæ timentur in mutuo, etſi aliter in ſecuritatem conſcientiæ concipiatur; quo uſuræ vitium vitetur.

Si verò Adminiſtrator, aut Curator perſonæ privilegiatæ v. g. Eccleſiæ, Civitatis, Pupilli, &c. pro eâ acceperit mutuo pecuniam, probandum eſt Credi

Creditori, pecuniam illam in utilitatem illius perſonæ eſſe converſam: quod rectè à jure eſt ſtatutum in favorem ſimilium pelonarum, ne adminiſtratores nimium proni eſſent ad mutuandum in detrimentum talium perſonarum. Hinc nec Civitas, nec pupilli mutuanti tenentur, niſi conſtet, mutuum in eorum utilitatem eſſe converſum: ita tamen, ut ipſe Curator, aut adminiſtrator ſolvere teneatur. *L. Civitas ff. ſi certum petatur. L.* 3. *Cod. quando facto tutoris.* Tali quoque Privilegio gaudere Regem Catholicum, dum ejus bona per adminiſtratores reguntur, cum Rebello *de oblig. juſt.* 2. *p. lib.* 8. *q.* 1. *ſect.* 3. Advertunt Authores Hiſpani.

Advertendum tamen, quod ſi dicti adminiſtratores de authoritate Senatûs, vel Capituli illud mutuum recepiſſent, tenebitur abſolutè Eccleſia, aut Civitas; nec probandum eſt, illud mutuum in eorum utilitatem eſſe expenſum. Aliud volunt de Eccleſiâ quoad bona immobilia, ad quæ alienanda, cum Prælatus non habeat poteſtatem liberam, nec ſine evidenti neceſſitate eadem alienare poſſit: id ita factum fuiſſe, eſſet omnino probandum. Aliud eſſet de bonis mobilibus, de quibus (ſi pretioſa non ſint) poteſt Prælatus liberius diſponere. Colligunt illud ex *Capt. quod quibuſdam, de fide juſſ.* Ubi dicitur: *ſi religioſus ſine conſenſu Prælati, & majoris partis Capituli mutuò acceperit pecuniam, non teneri Monaſterium, niſi conſtet, in ejus utilitatem eſſe converſam.* Ex quo à contrario docent DD. quod ſi cum illorum conſenſu hoc factum ſit, non ſit demonſtrandum, in eorum utilitatem eſſe converſam, Quod ſi dicatur de Religioſo, à fortiori idem dicendum eſt de Prælato, cui plena fructuum adminiſtratio competit, qui mutuo accepit.

SECTIO II.

De Uſurâ, quid ſit, & quotuplex.

Uſurarum cognitio Theologis eſt maximè propria, ac neceſſaria. Patet id ex eo, quod Decretales, ſtatuta Pontificia, ac Sacroſ. Eccleſiæ Concilia, dum de uſurâ agunt, omnia ſua fundamenta trahant ex Theologiâ, & uſura utroque teſtamento tam ſeverè prohibeatur. Eſt tamen uſuræ crimen mixti fori, prouti eſt furtum, & rapina, ad quæ reducitur uſura, de quo ſect. ſeq. Poteſt ergo reſpectivè de ſuo ſubdito in hâc causâ cognoſcere Judex, ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis. Porrò, ut rectè ait Binsfeldius *in tit. de uſuris: tanta eſt nunc avarorum, & uſurariorum inſatiabilis cupiditas, ut tales excogitet praxes ad decipiendum proximum, quas nec Philoſophia audivit, nec Theologia cognovit, nec Canonum diſpoſitio reſolvit.* Uſura eſt mixti fori.

Uſura, ſive *fœnus* communiter definiri ſolet, quod ſit *lucrum immediatè ex mutuo proveniens.* Alii: *Eſt actio, quâ aliquid pretio æſtimabile ſupra ſortem ratione mutui accipitur, tamquam ex pacto, & juſtitiâ debitum.* An rectè illud ultimum addatur, dicam concluſione 4. Alii aliter uſuram ſolent definire. Interim ex hâc uſuræ definitione colligitur 1. ex mutuo intendi ali- Quid ſit uſura.

quod lucrum, id eſt, rem aliquam pretio æſtimabilem, & aliàs indebitam, ſive id ſit munus à linguâ, ſive ab obſequio, ſive alia quævis munera aliàs indebita. Nec enim illud lucrum debet eſſe ſola pecunia; nam, ut ait S. Amb. lib. de Tobia C. 14. *Et eſca uſura eſt, & veſtis uſura eſt, & quodcumque ſorti accedit, uſura eſt: quod velis, ei nomen imponas, uſura eſt.* Et S. Hieronymus in Cap. 18. Ezechiëlis V. 8. *Si ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*, ita ſcribit *: putant quidam uſuram eſſe tantam in pecuniâ, quod prævidens ſcriptura divina, omni rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non recipias, quam dediſti.*

Quid ſors. Secundò, ex definitione patet illud lucrum debere eſſe ſuper ſortem, id eſt, ut mox S. Hieronymus, ut plus accipias quam dediſti. *Sors* eſt ſumma capitalis, quæ mutuo eſt data; ultrà quam in redditione, redditur aliquid amplius.

Tertiò, illud pretio æſtimabile dari debet ratione mutui; id eſt, illud lucrum provenire debet vi mutuationis: ſi enim illud lucrum aliunde proveniat, quam ex mutuo, v. g. ratione damni emergentis, de quo poſtea; non erit uſura aliquod lucrum reportare in mutuo; eò quòd illud lucrum non proveniat immediatè ex mutuo, ſed immediatè provenit ex damno emergenti. Præterea, ſi illud lucrum aliunde ſit debitum, non proveniet immediatè ex mutuo, ſed ex obligatione ad illud; ſic paciſci licet in mutuo, ut tibi debitum ſolvat, ne tibi noceat, &c. Quod verò ab aliis dicitur, quod debeat illud lucrum ex mutuo accipi tamquam ex pacto, ſive tamquam ex juſtitiâ debitum, adeo ut, ſi aliquid ratione mutui accipias tamquam ex gratitudine debitum v. g. non erit uſura, dum beneficium mutui, ex ſua ratione exigit gratitudinis viciſſitudinem, eſt infundatum dum omne lucrum ex mutuo immediatè proveniens prohibetur: unde meritò damnata eſt hæc propoſitio inter 65. num. 42. *Uſura non eſt, dum ultrà ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum, ſed ſolum tamquam ex juſtitiâ debitum.*

Ex dictis patet, mutuum debere eſſe gratuitum in tantum, ut ratione mutui nihil debiti ſperare liceat, niſi ſortem mutuatam, dicente Salvatore Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde ſperate.*

An liceat in mutuo ſecundariò intendere lucrum. Quæres, an ſi quis minus principaliter, ſive ut alii, ſecundariò intendat lucrum ex mutuo, ſit uſurarius. Reſp. ſunt, qui negant, modò talis intentio non deducatur in pactum. Sunt enim multa quæ etſi primariâ intentione intendi nequeant, poſſunt tamen intendi ſecundariâ, prouti eſt ſuſtentatio, ſtipendia, diſtributiones ex beneficio Eccleſiaſtico, uti & alia commoda ſtatui Eccleſiaſtico adjuncta. Verum infundatè; nec enim plus poteſt ſecundariò intendi furtum, fornicatio, & alia his ſimilia, quam primariò, dum abſolutè vetitum eſt intendere id, quod ex naturâ ſuâ eſt malum, quale eſt & uſura. Quotieſcumque ergo ex mutuo intenditur lucrum tamquam ex juſtitiâ debitum, eſt uſura, ſive id primariò intendat, ſive ſecundariò. Sacerdotes verò,

verò, & miniſtri altaris ſua ſtipendia licitè intendunt, ſi non principaliter ex ſuo miniſterio ea intendant, dum qui altario ſervit, de altario poteſt vivere; & quia lucrum illud, ſive ſtipendium ex illo miniſterio percipere, non eſt malum, adeoque nec illud intendere. Aliud eſt de lucro ex mutuo, ejuſque intentione, quæ de ſe mala ſunt, prout mox dixi.

Uſura dividitur in internam, & externam; ſive realem & mentalem. *Realis* eſt, dum habet externum actum adjunctum, cum pacto tacito, vel expreſſo. *Expreſſum* eſt, quando quis Petro dat 100. flor. mutuo, cum pacto, ut elapſo anno ea reddat, & inſuper 5. pro mutuo addat. *Tacitum* eſt, quando pactum expreſsè non exprimitur, ſed talibus utitur verbis, ut mutuo accipiens ſatis intelligat, quod aliquid ultra ſortem debeat reddere, quia v.g. mutuator ſolitus eſt fœnerari, aut ſi dicat, *do tibi mutuum, ut ſoleo aliis, &c.* Mentalis eſt duplex, *mentalis purè, & non purè. Purè mentalis*, nihil eſt aliud, quam voluntas dandi ad uſuram, nullo opere ſubſequente, prout ſunt alia peccata merè interna. *Non purè mentalis*, dum lucrum appetitur, & accipitur ex mutuo, tamen ſine pacto tacito, vel expreſſo ex ſolâ intentione mutuantis. Etſi enim datio lucri ſit hîc aliquid externum, non tamen cenſetur illa hìc adeſſe, ſed lucrum quaſi cenſetur proficiſci ex intentione ſolâ. Diviſio. uſuræ.

Alia eſt uſura *lucratoria*, ſive *quæſtuoſa*, ſeu *fœneratoria*: alia *compenſatoria*, alia *punitoria.* Prima eſt uſura famosè dicta, de quâ hucuſque egimus, & agemus de cætero. *Compenſatoria* eſt, quando aliquid accipitur ratione intereſſe, puta ob lucrum ceſſans, aut damnum emergens. *Punitoria* eſt, quando aliquid datur ultrà ſortem, dum mutuatarius eſt in morâ ſolvendi tempore præfixo, in cujus punitionem aliquid datur.

SECTIO III.

An uſura ſit illicita, & quo jure ſit prohibita.

Alphonſus à Caſtro V. *uſura*, refert Græcos quondam judicaſſe, non eſſe peccatum dare ad uſuram. Carolus Molinæus *tractatu de commerciis*, voluit licitas eſſe uſuras moderatas. Cum enim nolit uſuram eſſe intrinſecè malam, ſed ſolùm malam, quia prohibitam: docet eam aliquando eſſe licitam, juxta L. *eos*, *Cod. de uſuris*, quæ Molinæi doctrina, juxta Navarrum, vix poteſt ab hæreſi, aut ejus ſuſpicione excuſari. Falſitas ejus ex eo apparet, quod, ut mox oſtendam, uſura ſit per ſe, & intrinſecè mala: unde, ſicuti furtum etiam minimum eſt illicitum, ita & omnis uſura, quantumcumque exigua. Hinc S. Hironymus in Cap. 18. Ezechiëlis: *Alii pro pecuniâ mutuatâ ſolent munuſcula accipere diverſi Generis, & non intelligunt, uſuram appellari ſuperabundantiam, quidquid illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus accipiant.* Uſura eſt intrinſecè mala.

Graviſſimum ſemper fuit hoc facinus, etiam apud gentiles, & maximè odio-

odioſum, ait Catheciſm. Rom. §. 8. de præcepto, *non furtum facies.* Primò ergo uſura eſt per ſe illicita, & prohibita lege naturæ. S. Thomas q. 3. de malo art. 4. *Uſura*, ait, *non ideo eſt peccatum, quia prohibitum; ſed potius ideo eſt prohibitum, quia eſt ſecundum ſe peccatum; eſt enin contra juſtitiam naturalem.* S. Ambroſius *Cap.* 14. *de Tobia*, ex Exodi 22. docet, quod uſuras facere, ſit ſuffocare, & ſtrangulare fratrem rogans: *Quid eſt fœnerari? hominem occidere.* Et Auguſtinus *Epiſtolâ ad Macedonium: quid dicam, an crudelior eſt, qui ſubtrahit diviti aliquid, vel eripit, quam qui trucidat pauperem fœnore?* Et idem S. Doctor *qq. ſub. Exod.* 22. *q.* 71. Uſuram refert ad furtum, quo vetatur omnis iniqua rei alienæ contrectatio. *Qui enim prohibuit furtum, non rapinam permiſit, ſed à parte totum intelligere voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur.* Furtum verò, ac homicidium de ſe, & ex naturâ ſuâ malum eſſe, eſt in confeſſo. Idem alii Eccleſiæ Doctores confirmant.

A ratione. Idem probari poteſt ex ratione. 1. Quod uſus pecuniæ primarius, ſit conſumtio, uti eſt & aliarum rerum unico uſu conſumptibilium: non poteſt ergo uſus à proprietate rei ſeparari, aut à re ipsâ: ergo accipere pretium pro re, vel uſu talis rei, & inſuper aliquod lucrum, eſt planè iniquum; dum id, quod non eſt, venditur pretio. Vel enim accipitur lucrum pro ſorte, aut illius uſu: ſi pro ſorte, ergo bis capit ejus æſtimationem, vel capit pro ſorte ultra juſtum: ſi pro uſu rei, non poteſt ille ſeparari à res ipsâ, adeoque ſors bis venditur, quod eſt iniquum, & contra rationem. Innuit illud Baldus in Conſil. 449. dicens: *uſurarius peccat contra naturam rerum, quia impoſſibile eſt ſecundum naturam, ut ſemel unum, bis ſit unum, quod tamen uſurarius nititur facere cumulando, & aggregando pluſquam naturales termini patiantur. Nam natura non poteſt facere, ut quod ſemel eſt unum, bis ſit unum: & ideo omnis uſura contra naturam eſt.* Huic rationi accedit & alia ejuſdem, quod omnis pecunia de ſe ſit ſterilis, quæ non parit; unde pro illius uſu aliquid accipere, eſt iniquum; dum contra naturam eſt aliquid accipere de re ſecundum ſe ſterili. 3. Quod omnis contractus, qui eſt contra juſtitiam commutativam, ſit contra jus naturæ, ergo & uſura, quæ eſt contra eamdem. 4. Quod uſura directè ſit contra primam legis naturalis regulam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne faceris*, cum uſurarius non vellet aliquid iniquè ſibi ſubtrahi. 5. Quod Pontifices uſuram prohibentes, non ſtatuant aliquod novum jus, ſed jus naturæ declarent; adeo ut hinc inferat Bannez de uſurâ, ita ſcribens: *ergo negare eſſe prohibitas uſuras jure naturæ, eſt adverſum dictis Conciliorum, & SS. Patrum.* Et rurſum: *ob hæc argumenta poſſemus oppoſitam ſententiam inurere notâ erroris in fide, aut certè hæreſis. Sed temperamus cenſuram, & dicimus, quod ſaltem contraria ſententia ſit periculoſa, valde temeraria, & errori proxima.* Et ratione hujus temperantiæ datâ, ita demum ſubdit: *Sed profectò mihi magis placeret dicere, quod oppoſita ſententia noſtræ concluſionis ſit erronea in fide propterea quod ex principiis fidei, & aliis propoſi-*

poſitionibus, quæ nobis videntur nota lumine naturali per evidentem conſequentiam colligatur noſtra concluſio. Quidquid ſit de hâc, & aliis hujuſmodi cenſuris, non adeo liquet id eſſe de fide, cum nullibi ſit expreſsè definitum, uſuram eſſe per ſe malam; etſi de fide ſit, eam lege divinâ eſſe prohibitam. Quod enim alii hoc deducere velint, ex eo quod prohibeatur lege morali, & naturali; non eſt definitum, nullum præceptum morale lege divinâ poſitivâ contineri, quod jam inde lege naturali non continetur. Unde, ut & alii bene notant, ad ſummum eſſet periculum fidei hoc negare, uti fit in concluſione ſyllogiſmi ex unâ de fide, & aliâ naturaliter notâ, quam tamen non eſſe de fide, alibi annotavimus. Adde, non ſtatim tamquam hæreticum condemnandum eſſe, de quo nulla habetur expreſſa Eccleſiæ definitio, niſi aliunde conſtet illud ex S. Scripturâ, aut traditione. Addit tamen hîc Dominicus Soto *de jure & Juſt. lib. 6. q. 1. art 1.* Quod contraria opinio, quod ſcilicet uſura non ſit contra jus naturæ, non modò ſit falſa, ſed etiam ſubdat periculo concluſionem illam, quâ ſtatuitur eam eſſe peccatum; adeo ut ſublatâ hîc juris naturalis prohibitione, tenuiſſimum remaneat hujus concluſionis ſtabilimentum. Videri poteſt dictus Author id longius confirmans.

Contra dictam opinionem opponunt. 1. Quod mutuans non teneatur mutuare: ergo pro ſuo conſenſu poteſt aliquid accipere ultrà ſortem. Reſp. negando conſeq. conſenſus enim ille eſt actus benevolentiæ, qui non poteſt pecuniâ æſtimari, juxtà S. Thomam *q. 78. art. 2.* ubi ait, quod benevolentia ſub æſtimationem pecuniæ non cadat; cujus ratio eſt illa, quod amicitia ſit pecuniâ pretioſior, nec vendi poſſit, cum ſit ſita in voluntate, quæ cogi non poteſt, ſed beneficio ad hoc debet emolliri. Hinc neque adduci poteſt in contractum civilem, quia per leges civiles non pôteſt ad illam cogi. Argumenta contraria.

Objicies 2. debitor, qui cogitur ante terminum ſolvere, poteſt ob id aliquid detrahere, & exigere, eò quòd privet ſe jure, quod habet ad debitum adhuc retinendum: ergo & mutuans, qui ſe etiam illo uſu privat, quem ſibi retinere poteſt, poteſt aliquid exigere. Reſp. neg. conſeq. quia dum ille cogitur, poteſt ille aliquid exigere ratione oneris, quod illi per vim imponitur, non autem ratione impliciti mutui ob ſolutionem anticipatam. Hoc autem in eo non fit, qui ſponte dat mutuo.

Objicies 3. nihil quidem exigi poteſt ratione mutui, ſed tamen non eſt illicitum aliquid exigere ratione ſtipulationis mutuo advenientis, ſine quâ nihil deberetur. Reſp. nec in uno caſu id licet, nec in alio. Nec enim licitum eſt contractui mutui addere iniquam ſtipulationem, dandi aliquid ultrà ſortem vi mutui, quod iniquum eſſe, & contrà naturam, jam antea eſt probatum.

Objicies 4. uſus fructus pecuniæ legari poteſt fictione juris, ergo uſus ejus poteſt vendi; & ita ratione venditionis aliquid exigi ultra ſortem; etſi non ratione mutui. Reſp. ideo Legatarius dicitur capere fructum è pecuniâ, quia conceditur illâ negotiari, dominio pecuniæ reſervato hæredi. In venditione autem, locatione, & mutuo, dominium ejus transfertur in mutuatarium,

ex quâ proinde ultrà proprietatis pretium, aliquid acciperet mutuator ex re de ſe ſterili.

Objicies 5. qui alteri mutuat, proſpicit alterius bono; ergo ob illud beneficium licet paucum aliquid accipere ſuprà ſortem. Reſp. Neg. conſeq. quia illud beneficium abundè compenſatur per reſtitutionem ſortis. Quod enim mutuatario aliquod bonum ex mutuo adveniat, ad mutuum eſt planè impertinens, neque mutuanti, ſed mutuatario, ejus induſtriæ, ac labori eſt adſcribendum.

Objicies 6. varia S. Scripturæ loca, quibus aliquando videtur uſura fuiſſe permiſſa. Deuteron. 23. concedit Deus fœnerari Judæis alieno. Imo Cap. 28. promittitur legem ſervantibus, quod multis dabunt ad uſuram. Matthæi 25. dicit Chriſtus ſe exacturum fuiſſe pecuniam cum uſuris. Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, eſt ſolùm Conſilii, non præcepti naturæ. Reſp. ad prius, ibi uſuram non fuiſſe licitam quoad alienigenas, ſed ſolummodò permiſſam, ne in foro externo ob illas poſſent puniri, etſi in foro conſcientiæ peccaſſent mortaliter. Alii tamen cum S. Ambroſio *lib. de Tobia cap.* 15. per *alienigenas* intelligunt gentes hoſtiles, quas ſicuti juſſu Dei poterant occidere, ita & eaſdem per uſuras bonis poterant ſpoliare, prout dicitur quod Hebræi Egyptios furto ſpoliarint. Hinc ibidem ait S. Doctor: *ibi uſuram exige, cui meritò nocere deſideras, cui jure inferuntur arma.... ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere.... ergo ubi jus belli, ibi etiam jus uſuræ.* Neque hîc objici poteſt, datam ſic fuiſſe Judæis anſam arbitrandi id ſibi licitum eſſe cum extraneis vi dictæ legis: dum ex aliâ parte obſtabat lex naturalis illis in Decalogo data, *non furtum facies*, uti & alia Prophetarum dicta uſuram ſtrictè condemnantia.

Ad locum Deuteron. 28. dicendum, nihil eum facere ad propoſitum; dum ibidem ſolummodo ſignificatur, ſervantes legem tantam habituros eſſe divitiarum copiam, ut multis poterint dare ad uſuram, id eſt mutuare, & ipſi à nullo debeant mutuo accipere. Ad locum Matthæi dicendum eſt, hoc à Chriſto non dici, ſed ab homine illo, qui dederat ſervis ſuis 10. mnas, poſtea ſciſcitatus, quantum quiſque eſſet lucratus, vocans ibidem uſuram pecuniarum fructum, ſive is licitus ſit, ſive illicitus. Ad locum Lucæ 6. dicendum, dato etiam eſſe illud conſilii, eſſe tamen præcepti naturæ ex mutuo non velle lucrum. Unde etiam Concilia, & alii, dictum Evangelii locum adducunt ad uſuras prohibendas.

Objicies 7. etiam leges Civiles uſuras permittunt, quæ tamen non ſunt dicendæ eſſe contrà naturæ legem. Reſp. juxtà quoſdam, leges illæ uſuras tantummodo permiſerunt, non approbarunt, uti idem locum habet in meretriciis. Alii verò docent, leges civiles etiam id approbaſſe, dando etiam actionem uſuras exigendi in judicio: has tamen leges jure Canonico eſſe correctas, ut alias multas, dum ſub excommunicatione Judicibus inhibetur, ne cogant eaſdem ſolvere. Quomodo tamen inde non ſequatur, Principes ſæculares uſuras

ras permittentes jure Canonico eſſe condemnatos, doctè docet Dominicus Soto *de jure, & juſtitiâ lib.* 6. *q.*1. *art.*1. Circà finem.

Objicitur 8. ille, qui alteri concedit pecuniam ad oſtentationem, retento ſibi dominio, poteſt aliquid exigere ultrà ſortem retento ſibi dominio: quare ergo non etiam id fieri poterit in mutuo? Reſp. ideo, quod qui ita dat pecuniam, non det reverà illam, ſed ſolummodo uſum ejus ſecundarium elocat, idque ſuo periculo: & conſequenter pro eo poteſt aliquid accipere, tamquam pro uſu rei ad ſe pertinentis. Quando autem mutuatur pecunia, quidquid illius eſt, transfertur in alium, & commutatur cum aliâ reddendâ æqualis valoris, adeo ut periculum ejus ſit etiam mutuatario. Ex quo ſequitur, quod pro uſu rei non ſuæ non poſſit mutuator aliquid ultrà ſortem accipere.

Objicies 9. juxtà aliquos poteſt uſus rei unico uſu conſumptibilis à dominio dividi; ergò juxtà illos ſaltem dari poteſt uſus pecuniæ non tranſlato ejuſdem dominio, & conſequenter poterit computari uſus ejus, ultrà ipſam pecuniam. Reſp. uſus pecuniæ ſecundarius, de quo antea, dividi quidem, & æſtimari poteſt à dominio pecuniæ ſeparatim, v.g. quando fit ad oſtentationem; non tamen uſus illius primarius, qui à dominio nequit ſeparari. Si verò objectio id velit de uſu dependenti à nutu ſuperioris, v.g. Pontificis, nihil omninò urget objectio; cum mutuans non det uſum dependentem, ſed abſolutum.

Objicies ultimò, ſi nil ultrà ſortem dari poſſit mutuanti, non reddetur mutuatori æquale; dum ultrà hoc, quod dedit mutuo, ſeſe etiam obligavit ad non repetendam ſortem intrà aliquod tempus, quæ obligatio, cum ſit civilis, eſt etiam pretio æſtimabilis. Reſp. cum illa expectandi obligatio ſit mutuo intrinſeca, & reſultet ex natura mutui, non debet etiam ſeorſim à mutuo conſiderari. Deindè, dictæ obligationi etiam ſua correſpondet obligatio; puta, quod tali tempore ſors debeat reddi, obligatio ex gratitudine remutuandi, etiam ad aliquod tempus expectandi, &c.

SECTIO IV.

Uſura prohibetur etiam jure poſitivo.

QUod ad jus poſitivum divinum attinet, primò uſura prohibetur in L. V. variis locis: *Exodi* 22. *v.* 25. *Levitici* 25. *v.* 35. *Pſalmo* 14. *v.* 6. *Ezech.* 18. & 28. *Deuteronomii* 23. *v.* 19. clarè dicitur, *non fœneraberis fratri tuo.* Ubi juxtà Eſtium 4. *Diſtinct.* 36. §. 26. Hæbraicè legitur; *non morſu mordebis fratrem tuum. Ratio hujus appellationis eſt*, ait, *quia, qui ad uſuram dat, dum pluſquam dedit, accipit, velut morſum carni alterius infigit, & partem inde tollit.* Cum verò Judæi etiamnum ſubjaceant legi veteri, ut ipſi fatentur; ſequitur & illis vetitam eſſe uſuram jure poſitivo divino, non ſolum quoad fratres, ſed etiam quoad alienigenas, prouti declaratum eſt ſectione præcedenti.

Uſura prohibetur lege divinâ.

Quod

Quod ad legem N. T. attinet, omninò tenendum eſt contra Carolum Molinæum, eamdem quoque ibidem eſſe proſcriptam: dicit enim Leo X. *in Conc. Lateran. ſeſſ.* 10. Chriſtum aperto nos ore, & præcepto obſtrinxiſſe, ne quid ex mutuo ultra ſortem ſperare debeamus. Et Concil. Carthag. cap. 5. uſuras Clericis inhibens addit, *nemo adverſus Prophetas, nemo adverſus Evangelia ſine periculo facit.* Et S. Hieron. in C. 18. Ezechiëlis, docet uſuram magis in L. N. quam L. V. eſſe condemnatam. Idem docent alii SS. PP. & S. Scripturæ commentatores. Probari id rectè poteſt ex eo loco Lucæ 6. *mutuum date, nihil inde ſperantes.* Quod, etſi Molinæus doceat, omnes antiquos Interpretes eum locum intellexiſſe de Conſilio dumtaxat, non de lege uſuram prohibente, prout etiam illum locum intelligit Dominicus Soto loco ſuperius citato: uſuram tamen eo loco interdici, declarant ſufficienter Concilia, in proſcriptione uſuræ eadem verba adhibentia. S. Thomas tamen 22. *quæſt* 48. *art.* 1. *ad* 4. ita eâ de re diſſerit: *dicendum quod dare mutuum, non ſemper teneatur homo, & ideo quantum ad hoc, ponitur inter conſilia: ſed quod homo lucrum ex mutuo non quærat, cadit ſub ratione præcepti.* Addi poteſt ex Janſenio in Concordiâ Evang. ad dictum locum, ibi propriè importari, quod debeamus benefacere mutuando, non reſpiciendo, an mutuatarii digni ſint, aut nobis benefaciant, hoc enim & Ethnici faciunt: ſed nihil inde ſperantes retributionis gratuitæ, ſed expectantes mercedem à Domino. Si verò quis quærat, quomodo juxta hunc ſenſum rectè eo loco uſi ſint SS. Patres, & Concilia in prohibitione uſuræ; reſpondet illos rectiſſimè eſſe uſos eo loco: ſi enim ex mutuo non debeamus ſperare aliquam obligationem gratuitam: multò minus ex juſtitiâ lucrum aliquod ex mutuo debitum: adeo, ut etſi in eo loco non agatur directè de uſurâ; agitur tamen indirectè de eâdem, & conſecutivè. Ità Janſenius.

De Lege Canonicâ & Civili.

De jure Canonico, res eſt Clariſſima, ex variis illius juris Capitulis, & aliis Decretis de uſurâ ſpeciatim editis, tam de jure communi, quam ſpeciali. Jus civile verò, in primis non poteſt uſuras reddere licitas, dum per ſe ſunt illicitæ: poteſt tamen eaſdem ſimplici conniventiâ permittere ad impediendum majus malum, uti fit in meretriciis, juxta illud D. Thomæ 22. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad* 3. *dicendum, quod leges humanæ aliquando dimittunt aliqua peccata impunita propter conditionem hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, ſi omnia peccata diſtrictè prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo uſuras lex humana conceſſit, non quaſi æſtimans, eas eſſe ſecundum juſtitiam, ſed ne impedirentur utilitates multorum. Unde, in ipſo jure civili dicitur, quod res, quæ uſu conſumuntur, neque ratione naturali, neque civili recipiant uſum-fructum, & quod Senatus non fecit earum rerum uſum-fructum (nec enim poterat) ſed quaſi uſum-fructum conſtituit, concedens ſcilicet uſuras. Et Philoſophus naturali ratione ductus dicit in* 1. *Politic. cap.* 7. *quod uſuraria acquiſitio pecuniarum eſt maximè contrà naturam.* Quando ergo jura civilia dicunt uſuras quaſdam *legitimas*, non dicunt eas & licitas; ſed *legitimæ* dicuntur, eò quòd limitatæ ad certam taxam à lege permittantur, etſi de cætero ab illo

Digitized by Google

illo jure vocentur *improbum fœnus.* Et ità Juſtinianus, tametſi Catholicus, qui & 4. Concilia generalia approbavit, etiam Nicænum, quod uſuras prohibet tamquam S. Scripturæ contrarias, permiſit tamen moderatas uſuras ad impediendum majus malum.

Jus Belgii variè uſuras prohibet. Uſurariorum bona confiſcat; tempore officii divini Eccleſiam intrare illis inhibet,& alia de pœnis uſurariorum referenda. Eamdem quoque meritò damnant omnium Regnorum Edicta, tamquam Reipublicæ peſtem, ac pauperum oppreſſionem. *Quid enim durius*, rogat S. Ambroſ. *lib. 9. epiſt. 70. ad Vigil. quam, ut des pecuniam tuam non habenti, & ipſe duplum exigas? Qui ſimplum non habuit unde ſolveret, quomodo duplum ſolvet?* Unde S. Antoninus *p. tit.* 1. *cap. 6.* §. 3. docet uſuram conſumere pauperum oſſa. Eorum immanitatem notat S. Bonaventura ſerm. 1. de SS. Apoſtolis, dicens: *Leo acceptâ predâ quieſcit ad tempus: ſed numquam quieſcit uſurarius.* Verè etiam S. Bernardin. ſen. ſerm. 44. fer. 3. poſt dominic. paſſ. *uſura eſt eradicatio charitatis, extinctio fraternæ dilectionis, fons proprii amoris, amicitiæ veræ corruptela, mater illegalitatis, origo deceptionum, legalis proditio, domeſticum furtum, doloſa pietas, pauperum homicida, impia in propinquos, pernicioſa in proximos, deſtructio patriarum, inquietus cancer, morbus contagioſus, animarum perditio.* Quibus omnibus attentis rectè dicit *Clement. ex gravi de uſuris: ſanè, ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras, non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum.*

Quid jure Belgii.

Uſuræ deſcriptio.

SECTIO V.

An ſaltem uſuræ licitè permittantur, aut poſſit in eis diſpenſari.

QUæritur illud ratione Judæorum, & Lombardorum, quos uſuras exercere etiam in partibus Catholicis, eſt in Confeſſo, ubi tamen quoque tolerantur. Et in primis, Judæi alicubi ſunt maximè inviſi, prout in Hiſpania, ubi aliquoties expulſi, & combuſti. Idem eſt de Galliâ. E Belgio eoſdem proſcripſit Henricus II. ſub Wenceſlao ob ſacrilegium in S. Hoſtiam Bruxellis commiſſum, perpetuo exilio ſunt expulſi, dum antea ſub ſalvo conductu fuiſſent admiſſi. Ex dicta quoque pœnâ exilii, notat Zypæus *Juris Pontif. lib. v. de Judæis*, quod, etſi causâ belli ceſſante inter nos, & confœderatæ Belgicæ populos, poſſint ii huc liberè venire, & negotiari; id tamen Judæis Amſtelrodami habitantibus minimè permiſſum ob dictum ſacrilegium. Cum Judæis ſimul è Brabantia expulit Henricus III. Anno 1260. *Cauwerſinos*, ita dictos à voce Germanicâ *Gewertſchen*, id eſt, fœneratores publicos, de quibus vide Anſelmo *Trib. Cap.* 40.

An Judæi rectè tolerentur inter Chriſtianos.

Conſtat interim ex variis *Capt. de Judæis*, illis permiſſum fuiſſe degere inter Chriſtianos, ſine ſcandalo tamen, ac ſine injuria Creatoris, prohibendo Judæis nimiam cum Chriſtianis familiaritatem, eos vocare ad convivia, acce-

Digitized by Google

cedere, vocare ad medicinas, niſi fortè in neceſſitate. Rationem hujus permiſſionis dat S. Thomas 22. *q.* 10. *art.* 11. Quia ex eorum ritibus, qui fuerunt umbra veritatis, datur teſtimonium fidei noſtræ, & ipſi inimici ſunt Judices veritatis. Aliud eſt de aliis ſectis, quæ non niſi ob bonum Reipublicæ poſſunt tolerari, prout etiamnum fit in Germania, & utinam alibi factum eſſet! ſic Eccleſia Infideles tolerabat, dum vagiebat in cunis. Sollicitè tamen ſemper cautum fuit, ne Judæi publica officia obirent; dum illi, qui aliis ſubjiciuntur, poſſint facilè perverti: deinde, ne Judæi inde ſumerent occaſionem ſæviendi in Chriſtianos. Alia circà Judæos, dum tolerantur, Edicta ſunt ſtatuta: quod habitatione, ac veſtitu debeant diſcriminari, prouti fit in Italia: quod compelli debeant ad concionem ex L. V. ipſis deprædicandam: *Conſtitut. Gregorii XIII.* &c.

An, & quomodo poſſint permitti uſuræ moderatæ.

Tota quæſtio eſt, an ubi tolerantur Judæi, liceat Principi Chriſtiano permittere iiſdem exercere uſuras moderatas. Reſp. notanda eſt in primis triplex permiſſio. Prima eſt ſimplex tolerantia, merè ſita in non puniendo, non tamen tollens culpam, & eſt mera diſſimulatio, prout Deus permittit mala. Secunda permiſſio, ultrà dictam diſſimulationem, addit etiam aliquid poſitivi roboris, v. g. dum Pontifex, aut Reipublicæ permittentes Judæos, ſimul prohibent, ne quis illos in ſuis ritibus moleſtet. Tertia permiſſio includit conſenſum, & auxilium, dum illis permittitur authoritativè exercere uſuras, in hoc idem etiam conſentiendo: eo modo juxtà aliquos permittit lex civilis exercere uſuras moderatas, dando actionem ad uſuras circà illas non ſolventes.

Et quòd ad primam permiſſionem attinet, manifeſtum eſt, eo modo uſuras poſſe permitti, uti & de permiſſione ſecundâ. Tertio modo uſuris conſentire malum eſt, dum non ſolùm malè agentes, ſed & malè agentibus conſentientes digni ſunt morte. Rom. 1. neque hoc etiam fieri poteſt prætextu ullius boni, dum non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, nec intentio juſtificat illud, quod eſt de ſe malum. Hinc nemo poteſt permittere Judæis exercere uſuras, aliquid de eiſdem participando.

Similiter, nec peccat Princeps ſtatuendo, ne quis uſuras exerceat, niſi ad certam ſummam. Ratio eſt, quod tunc in uſuras non conſentiat, ſed poſitivè majores reprobet, & minores ſolummodo permittat; adeo ut ſimiles ordinationes ſint partim permiſſivæ, partim prohibitivæ. An vero Princeps, aut Reſpubl. poſſit permittere illis exercere uſuras, cum pacto ob commune bonum inito, ut authoritate judicis illas non ſolventes poſſint compelli ad ſolutionem, eſt alia quæſtio. Et quod Pontifex id poſſit cum conſenſu populi ob ejus utilitatem, res eſt Juriſtis indubitata, & ipſa Italiæ praxis ſufficienter illud demonſtrat, referente Navarro. Poteſt enim Pontifex permittere minus malum ad impediendum majus, etiam adjecto tali pacto, ob utilitatem populi introducto. Neque etiam obſtant jura prohibentia ſub excommunicatione aliquem compellere ad ſolutionem uſuræ; quia ejuſmodi jura ſunt ſolum-

ſolummodo humana, & conſequenter tolli poſſunt à Pontifice. *Cap. Propoſuit, de prœbend.*

Ex quo & illud conſequitur, quod illud idem de licentiâ Papæ poſſit Princeps. Nullum enim hoc caſu fit peccatum: non ex parte Chriſtianorum, qui ex neceſſitate uſuras petunt, quod illis licitum eſſe, dicam ſect. 13. Nec etiam ex parte Judæorum; nihil enim nobis de his, qui foris ſunt, & fruſtrà Judæos quis cohibet à peccato, qui ob perfidiam jam ſunt damnati. De cætero jura hîc obſtantia cenſetur hîc Papa auferre. Quidquid tamen hîc ſit, ſatius eſſet ſubditorum neceſſitatibus ſubvenire, & ſuccurrere per erectionem montis pietatis, quam eo modo uſuras permittere.

SECTIO VI.

Ob quem finem liceat ſine uſurâ mutuare.

QUæritur 1. an mutuare liceat propter aliquam amicitiam ex mutuo conſequendam. Reſp. recolligenda hîc eſſe ea, quæ ſect. 2. dicta ſunt agendo de uſuræ definitione, concluſ. 4. Ubi dictum eſt, non eſſe neceſſe, quod lucrum ſperetur tamquam ex juſtitiâ debitum, prout ſatis oſtendit propoſitio condemnata, ibidem pro confirmatione allegata. Pro cujus rei intelligentiâ pleniori, notandum eſt, uti & majori cautelâ in lectione Theologorum plurimorum, varios primò diſtinxiſſe inter benevolentiam internam, & externam, ſive actus amicitiæ externos: hos noluerunt ſine uſurâ expectari poſſe ex mutuo, dum ſunt munus ab obſequio, & conſequenter, pretio æſtimabiles, quæ etiam in jure civili exigi poſſunt, ſi tamen deducantur in pactum mutuo adjectum. Negant tamen illud de benevolentiâ, aut amicitiâ internâ, eò quòd illa, nec ſit pretio æſtimabilis, nec quiſquam ad eam cogi poſſit, nec actione civili exigi. *An liceat mutuare ob alterius amicitiam aſſequendam.*

Alii verò Authores hîc docent, etiam mutuari cum eo pacto licitum eſſe, quod lucrum reddet mutuatarius ex gratitudine: quia, etſi mutuatori liberum ſit mutuare, vel non mutuare; non tamen per eum ſtat, ut cum mutuat, inducat, vel non inducat obligationem reſtituendi aliquid ultra ſortem ex gratitudine, quæ de ſe ſequitur beneficium mutuandi. Ex eo ulterius inferunt, licitum eſſe mutuatori adjicere illud pactum, ſi expreſsè addat, ſe nolle aliam obligationem inducere, quam obligationem gratitudinis, non itidem juſtitiæ, aut civilem: addunt tamen, ſimile pactum in foro externo cenſeri eſſe uſurarium, neque illud alicui ante pactum eſſe conſulendum ob uſuræ periculum. Et rationem addunt, quod illud pactum non inducat obligationem juſtitiæ, ſed ſit ſolummodo conditio ſine quâ non, aut etiam expreſſio obligationis naturalis gratitudinis, quæ jam inde adeſt; licet autem paciſci de eo, quod jam inde mutuo intrinſecè ineſt, dummodo nil novi addatur. Ita plures Theologi, qui tamen conſultò addunt, taliter mutuantibus non eſſe facilè condonandum, ne pallient uſuram, & mentiatur iniquitas ſibi.

Duo hic ſunt, quæ dicunt prædicti Authores ; unum eſt, quod res ad uſuram data debeat eſſe pretio æſtimabilis, prouti ſectione 2. cum aliis retulimus, pleniorem ejus explicationem huc reſervando. Aliud eſt, quod lucrum uſurarium debeat eſſe ex juſtitiâ debitum, quod ibidem quoque diſcutere inchoavimus. Ad primum ergo recolligendum cum S. Auguſtino *Conc.* 3. *in Pſalm.* 36. Quod, ſi quis fœneraverit homini, id eſt, mutuam tuam pecuniam dederit, à quo aliquid pluſquam dediſti, expectet accipere, non pecuniam ſolùm, ſed aliquid pluſquam dedit, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive quidlibet aliud, ſi pluſquam dederit, expectet accipere, fœnerator ſit, & in hoc improbandus. Idem ante confirmavimus ex S. Ambroſio, & S. Hieronymo. Ex quo videtur colligi, non eſſe abſolutè neceſſarium ad lucrum uſurarium, ut illud ſit abſolutè pretio æſtimabile. Si enim quis ex mutuo recipiat ultra ſortem præbendam v. g. quæ non eſt pretio æſtimabilis, erit ſimonia pariter, & uſura. Neque hic dici poteſt, ratione fructuum præbendam eſſe pretio æſtimabilem, dum equidem præbanda illa eſt ſuprà omne pretium. Imò, videtur, quod ſi ſit uſura aliquid pretio æſtimabile exigere ultra ſortem, multò magis ſit uſura ultra ſortem exigere aliquid, quod eſt ſuprà omne pretium. Si enim non ſit titulus accipiendi illud pretio æſtimabile, multò minus erit titulus accipiendi illud, quod eſt ſuprà omne pretium. Alii tamen ſcrupuloſius volunt, ſimilem contractum eſſe ſuperuſurarium, non ſimpliciter uſurarium.

An lucrum uſurarium debeat eſſe pretio æſtimabile.

Quod ergo paſſim Authores cum D. Thoma velint, debere lucrum illud eſſe pretio æſtimabile, ideo dici ſolet, quod uſurarii ſoleant potiſſimum inhiare lucro pecuniario, nec ſoleant de eis rebus ſublimioribus eſſe multum ſolliciti. Debent tamen omnes ità intelligi, ut dum volunt, non poſſe ultrâ ſortem accipi, quod ſit pretio æſtimabile; multò magis id velint de eâ re, quæ omne pretium ſuperat : atque ita intelligenda ſunt, quæ in explicanda definitione uſuræ attulimus de eâdem re. De ſimili dicam agendo de pretio ſimoniaco.

Ad alterum, etſi ibidem utcumquæ ſit ſatisfactum, rectè tamen hic dici poteſt cum Sylvio *quæſt.* 78. *art.* 2. *concluſ.* 2. Quærente, an mutuans poſſit aliquid exigere à mutuatario ex gratitudine : ſcilicet, non poſſe aliquid exigere in primis, veluti quod ſit ſimpliciter debitum, ex eo, quod mutuaverit : neque etiam poſſe agere, ut qui mutuum accipit, per promiſſionem ſe obliget ad referendum ei ex gratitudine aliquod donum propter acceptum mutui beneficium. Quia ſic exigere non eſt in rei veritate petere ut debitum gratitudinis, ſed titulo juſtitiæ, quidquid dicat mutuator ad palliandam ſuam uſuram. Quod enim reddendum eſt ex gratitudine, non debetur ex obligatione civili, civilem autem obligationem ſupponit, vel includit ejuſmodi exactio. Unde B. Thomas *quæſt.* 13. *de malo art.* 4. *ad V.* docet, quod obligare ex certo pacto ad beneficium recompenſandum, non competat amicitiæ honeſti.

An liceat aliquid exigere à mutuatario ex gratitudine.

Et

Digitized by Google

Et quamquam ibidem addat Dictus Author, quod mutuator petere poſſit tale beneficium tamquam ex gratitudine debitum; melius tamen ſubdit, periculoſas eſſe omnes petitiones â mutuatario; tum, quia in foro externo habentur uſurariæ; tum, quod difficile ſit exactionem gratuiti ſejungere ab exactione debiti. Et Wiggers *Tract. V. C.6. Dub.6.* in fine rectè obſervat, in praxi non eſſe facilè admittenda hæc amicitiæ pacta, eò quòd habeant mali ſpeciem, & facilè ſub illis poſſit uſura palliari; & quod actiones illæ apprehendantur ex naturâ ſuâ inducere plus obligationis, quam amicitiæ, & gratitudinis leges per ſe adferunt, etiamſi verbis fiat proteſtatio de præſtandis omnibus tantum ex amicitiâ. Quidquid interim ſit, certum eſt modò, eſſe meritò vel ob dictas rationes condemnatam illam: *Uſura non eſt, dum ultrà ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum, ſed ſolùm tamquam ex juſtitiâ debitum.*

Quæritur 2. an liceat mutuare cum pacto remutuandi. Reſp. affirmant iterum plurimi Authores eodem niſi fundamento, quod remutuatio ſit ex gratitudine mutuatori debita, adeoque eadem ex illâ virtute poſſit à mutuatario exigi. Sed infundatè, cum nobis ſit ea regula generalis, quod omne pactum alicujus obſequii à mutuatario præſtandi vi mutui, ſit uſurarium; ſive, quod uſura ſit, quotieſcumque imponitur mutuatario onus aliquod, ſive obligatio, quæ de ſe vi mutui non ineſt. Cum enim obligatio remutuandi ſit gratuita, non licet eam ex pacto facere debitam, & onus illius ratione mutui mutuatario imponere. Imo, obligatio remutuandi eſt onus gravius, quam ſit obligatio mutuandi ſponte ſuſcepta; adeoque eam ex pacto exigere ratione mutui, eſt uſurarium. An liceat mutuare cum pacto remutuandi.

Objiciunt aliqui, pro eo, quod liberè velim dare mutuo, poſſum viciſſim ab alio exigere liberam obligationem remutuandi. Quare enim non poteſt fieri hîc tale pactum, *mutuabo tibi vinum, ſi tu mihi mutues oleum, & ad illud te obliges?* Reſp. liberæ meæ voluntati mutuandi, correſpondet libera voluntas remutuandi ex gratitudine, non verò deducta in pactum: ſatisfacit enim omni beneficio mutui gratitudo, non obligatio. Pactum verò tale, etſi ab aliquibus excuſetur ut licitum, eò quòd ſit obligatio remutuandi de futuro, reſpectu temporis præſentis: rectius tamen alii docent, illud eſſe uſurarium. Non enim minus tollit libertatem, neque minor eſt obligatio remutuandi ſub futuro, quam ſub præſenti; adeoque eam vi mutui exigere, erit uſurarium. Deindè, illa obligatio mutuandi, conſideratur ratione commoditatis, quam adfert; adeoque non poteſt magis conſiderari, quam ipſum vinum quod ex tali obligatione mutuat: & conſequenter ratione ejus tantum poteſt exigere ſortem; non verò exigere poteſt novam obligationem remutuandi. Unde patet, non ſolum obligationi correſpondere obligationem æqualem, & ità non induci inæqualitatem, prout cum aliis prætendit Sylvius fol. 552.

Varia ex dictis poſſunt deduci: 1. eſſe uſuram, ſi quis mutuet cum pacto, quod ſibi, aut filio dabit mutuatarius officium aliquod, aut beneficium, Variæ uſurarum ſpecies.

quod

Digitized by Google

quod aliàs tenetur conferre gratis; dum ultrà ſortem imponitur mutuatario novum onus, quod per ſe non ineſt mutuo, dum privatur mutuatarius liberrate conferendi illud officium, prout voluerit. Uſurarium inſuper eſt, mutuare feminæ, ut te, aut alium alloquatur, ut coram te pſallat: ut poſſis eâ frui: mutuare alteri, ut ille alter debitum mutuantis à debitore extorqueant, ut pro mutuatore aliquo vadat, aliquid faciat &c. Uſurarium inſuper eſt, mutuare Medico, cum pacto, quod alium curabit, etiam cum mercede. Item mutuare cum pacto, ut alter tibi condonet injuriam, quidquid in contrarium dicat Soto cum Navarro. Cum enim læſus in judicio poſſit juſtè agere ad ſatisfactionem temporalem, qui mutuo adjungit obligationem cedendi dictæ actioni, mutuatario addit novum onus ratione mutui, quatenus eum privat facultate agendi ad ſatisfactionem, quod eſt pretio æſtimabile. Aliud eſſet, ſi alter injuſtè eum lite vexaret, aut non poſſet juſtè ſatisfactionem exigere dum eo caſu paciſcendo, ut deſiſtatà lite, nil lucri ex mutuo habetur ſed ſolummodo redimit injuſtam vexam, quod cuique licet. Uſura etiam eſt, mutuare cum pacto, ut mutuatarius veniat ad tuam officinam, operas ſuas tibi locet, &c. Item uſura eſt, ſi mutuator apponat talem terminum, quod mutuum non repetet, donec deſinat frequentare officinam, ſive, quod non repetat, quamdiu frequentabit. Ratio prioris eſt, quod etſi mutuatarius ad illud obligetur ex gratitudine; nova tamen obligatio juſtitiæ mutuo adjecta, facit illud uſurarium. Hinc etiam molendina, & braxiniæ, aliaque bannalia, eò pluris ſolent æſtimari, quò plures habeant eò divertentes. Ratio poſterioris eſt, quod ibi verè, ſed implicitè imponatur onus mutuatario ad frequentandam officinam conceſſâ dilatione ſolutionis. Neque hîc dici poteſt cum Wiggers, & aliis, quod mutuator poſſit præfigere terminum reſtituendi ſibi mutuum, & mutuatarius poſſit deſinere obligari frequentare officinam, puta dum ſolvet: adeo ut, ſi hîc ceſſet ab amicitiâ frequentandi, etiam mutans ceſſabit ab amicitiâ non exigendi. Verum enim verò non apparet, quomodo hoc fieri poſſit ſine virtuali onere, ac obligatione, dum mutuatarius aliquando ex eo cogitur frequentare, dum non convenit ſæpè ei ſolvere, & ex parte mutuantis per modum obligationis illa conditio apponatur, & non ſit ita quædam conditio, quam bene onus, & obligatio mutuo adjecta.

Poteſt interim mutuator petere, ut dignetur mutuatarius eſſe gratus, frequentando officinam, apothecam, &c. cum eadem ex gratitudine debeantur. Poteſt itidem confidere, & ſperare, quod mutuatarius ſuæ obligationi gratitudinis faciet ſatis, adeoque ex gratitudine exigere poteſt, ſed non ex mutuo, etſi id in caſu mutui difficile ſit ſecernere, & animus magis ad mutuum, ejuſque obligationem attendere ſoleat, quam ad gratitudinem, & ejus obligationem.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VII.

De titulis, ob quos liceat in mutuò aliquid exigere ultrà ſortem.

TOt titulos adinvenit avarorum, ac illis abblandientium opinionum ſubtilitas, & novitatum prurigo, ut illis admiſſis, jam omnis ferè uſura exulaverit. Primum titulum aſſignant, quod in mutuo ſit periculum amittendæ ſortis: faciendi expenſas, ſubeundum eſſe laborem in ea recuperanda: quod id fieri liceat ratione carentiæ pecuniæ; ratione obligationis non repetendæ ſortis ad certum tempus: quod id fieri poſſit ratione oneris mutuandi: item ratione numerandi pecunia præſens ſit magis æſtimanda, quam abſens; quod mutuatarius ex mutuo commodum habeat: itidem ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis: quorum aliqui ſemper, aut ferè ſemper in omni mutuo concurrunt, adeoque in omni ferè mutuo liceret aliquid exigere ultrà ſortem, enervato illo Evangelii loco Lucæ 6. *mutuum date, nihil inde ſperantes.* Singula interim examinemus.

1. Quæritur, an ratione periculi amittendæ ſortis liceat aliquid ultrà ſortem exigere in mutuando: itidem, an id liceat ratione expenſarum, vel difficultatum, quæ pro recuperandâ ſorte ſubeunda timentur. *Reſp.* Antequam detur reſolutio, Notari poteſt 1. aliquem id timere poſſe temerè, vel prudenter. *Temerè*, ſi ſolummodo mutuans ex propriâ timiditate, ſine aliquo fundamento id timeat: *prudenter*, quia mutuatarius non ſolet ſolvere, eſt decoctor, ſuſpectæ fidei, &c. 2. Quod mutuator, ſi id timeat, poſſit ſeſe omni modo legitimo ſervare indemnem, requirendo pignus, fidejuſſionem, &c. 3. Illud aliqui affirmant eſſe licitum reſpectu ditioris, non autem reſpectu pauperis mutuatarii, prout colligunt ex loco Exodi 22. ubi dicitur: *Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei ipſum: ipſum enim eſt ſolum, quo induitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat.* Ex quo loco volunt, etiam cum periculo amittendæ ſortis eſſe mutuandum. Et Eccleſiaſtici 29. poſtquam diſſuaſiſſet mutuare ob pericula, & difficultates, ita ſubdit: *Verum tamen propter humilem* (id eſt pauperem) *animo fortiter eſto, & pro eleëmoſynâ non trahas illum.* Et verſu 13. *perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum: non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.* Adde, quod divites ſua ſuperflua dare debeant egenis, & conſequenter mutuando pauperibus debeant eadem exponere periculo.

An ratione periculi amittendæ ſortis liceat aliquid ultra ſortem exigere; Item ratione expenſarum, &c.

Ut tamen id licitum ſit, addunt 1. debere ſubeſſe verum periculum amittendæ ſortis. 2. Non cogendum eſſe mutuatarium de periculo paciſci, ſed illi liberum relinquendum eſſe, vel dare fidejuſſorem, vel aliquod pignus pro ſecuritate. Quod enim cogat eum de periculo paciſci, eſt onus pretio æſtimabile, dum ſæpè ad ſecuritatem poſſet dare pignus, quo facilè poſſet carere, vel etiam ponere amicum fidejuſſorem. 3. Requirunt, ne detur plus, quam prudenti judicio valeat æſtimatio periculi, moleſtiæ, &c.

Alii

Alii è contrà generaliter docent, præciſè ratione periculi dicti nil ultrà ſortem poſſe exigi in mutuo, quam ſententiam Navarrus vocat communem Theologorum, ac Canoniſtarum: quam quoque ſententiam amplectendam cenſent plurimi, vel ob ſolum uſuræ favorem, dum facilè quilibet periculum ſortis obtendet, ad palliandam uſuram. Deinde, inde ſequeretur, quod ratione dicti tituli mutuando gravius onerandi ſint pauperiores, qui ſolent majus periculum reddendi ſortem adferre, quam ditiores, à quibus minus periculi hîc formidatur: ubi tamen lex divina mutuum promiſcuè commendat & injungit in ſublevamen egenorum, non eorumdem gravamen. Pro eadem ſententia facit Capitulum *Naviganti; de uſuris*, ubi generaliter definitur, numquam eſſe licitum quidquam accipere ob periculum ſortis. Gratis autem innumeræ fiunt dicti Capituli contorſiones, ac limitationes: quod ibidem legi debeat, *non eſt cenſendus uſurarius*, ut vult Zypæus; ubi tamen contrarium habent omnia exemplaria. Quod Capitulum innitatur præſumptioni uſurariæ fraudis, quando fingitur periculum, quod verè non ſubeſt; aut majus, quam ſubſit, ut vult Adrianus: alii dicunt, loqui Capitulum de illo, qui euntem ad nundinas compellit paciſci de periculo, quod eſt injuſtum, &c. etſi nullam ſimilem exceptionem textus, aut contextus Capituli innuat. Unde S. Thomas *Opuſc.* 42. *alias* 73. *de uſuris cap.* 6. *ratio periculi*, ait, *etiam circà ſortem, non tollit rationem uſuræ in mutuo, ut probatur in Capitulo* NAVIGANTI.

Alii verò dicunt cum diſtinctione, uti Proſper Fagnanus in dictum Capt. *Naviganti:* ſi mutuans hîc recipiat ratione mutui ultrà ſortem, ſeu ea intentione, ut lucretur ex mutuo, quamvis periculum in ſe ſuſcipiat, abſque dubio uſura eſt, quæ ſola voluntate committitur. Si verò non intendat lucrum ex mutuo, ſed tantummodo recipere tamquam mercedem, ſive pretium periculi, non erit uſurarius, ita aliquid exigens ultrà ſortem. In dubio autem, an illud lucrum recipiat ratione mutui, an ratione periculi, cenſendus eſt illud recipere ratione mutui, & eſſe uſuram. Ita Fagnanus. Et verè ſpeculativè loquendo non videtur, quare mutuans non tam bene, quam fidejuſſor ratione periculi in ſe ſuſcepti aliquid poſſit ultrà ſortem accipere, ſi tale periculum verè ſubſit, nec mutuo ſit intrinſecum. Interim ob periculum uſuræ, & quod paſſim intentio ſit recipiendi lucri ex mutuo, fingendo ſæpè pericula, aut eadem exaggerando; hinc pro praxi alia ſententia meritò eſt conſulenda.

An id liceat ratione carentiæ pecuniæ. 2. Quæritur, an ratione carentiæ pecuniæ, aut obligationis eam non repetendi ad certum tempus, poſſit aliquid exigi ultrà ſortem. Reſp. Quod non. Ratio eſt, quod illa ſint omni mutuo intrinſeca; qui enim dat mutuo, alienat à ſe rem, & conſequenter neceſſe eſt, ut eâdem careat. Deinde, hoc caſu nil venditur, niſi tempus, quod eſt uſurarium: adeo ut nullo alio titulo extrinſecùs hîc accedente, uſura ſit, aliquid ultrà ſortem exigere.

Varia hîc alii objiciunt: 1. Quod pecunia ſit inſtrumentum Mercatoris; atqui pro carentiâ inſtrumenti poteſt Artifex aliquid exigere, ergo. Reſp. Inſtrumentum Artificis eo caſu elocatur, non mutuatur, adeoque pro uſu ejuſdem

Digitized by Google

dem poteſt aliquid accipi. Pecunia verò mutuata tranſit in dominium mutuatarii, neque poteſt pecuniæ uſus primarius transferri, niſi ſimul transferatur ejus dominium. Deindè, ſepoſito omni Artificis intereſſe, non videtur, quomodo inſtrumentum illud, ejuſque uſus poſſit ſecundum ſe vendi, aut elocari. Nec enim vendi poteſt commoditas emptoris, ut ante alibi dictum eſt.

Dicunt 2. quod obligatio non petendi ſortem ad aliquod tempus, ſit pretio æſtimabilis, dum ſe privat mutuator libertate, & jure ad hic, & nunc ſortem repetendam. *Reſp.* non omne gravamen mutuo annexum vendi poſſe, dum & ipſum mutuare ſit gravamen. Deindè, privatio dicta non habet aliquod pretium diverſum ab ipsâ benevolentiâ mutuandi, quæ pretiari non poteſt. Sic etiam, qui ſe obligat ad conferendum alicui aliquod beneficium, privat ſe jure, & libertate conferendi illud pro ſuo libitu, neque aliquid pro eo poteſt accipi.

Dicunt 3. quod pecunia præſens ſit majoris æſtimationis, quam ſit abſens: unde ſtylo Burſæ etiam ſtatuitur, ut ob carentiam ad 3. menſes, vel 6. tot, vel tot poſſint accipere Mercatores. *Reſp.* pecunia abſens per ſe tanti valet, quanti præſens: ideo autem aliquando pluris æſtimatur præſens, quia ſæpè concurrit aliquod intereſſe, quod hic ſeponimus. Quod autem hoc ſtilo Burſæ ſtatuatur, non eſt merè ob carentiam pecuniæ, ſed ob annexum intereſſe, quod ex carentiâ pecuniæ ſentiunt communiter Mercatores: id verò ſtatuitur, ne quilibet pro ſuo libitu ratione carentiæ, aut intereſſe exigeret: ſed taxa ſtatuitur ad veroſimile lucrum indies negotiando obtinendum, idque pro majori, vel minori copiâ pecuniæ, pro multitudine Mercatorum, Cambiorum, & aliarum lucrandi occaſionum. Unde hâc de causâ hodie pretium illud Antverpiæ eſt ſatis exiguum, aiebat P. Herinx ante 20. annos: & hodie etiamnum minus, deficiente indies hic mercaturâ. Et ne aliquando Mercatores lucrandi occaſionem nimium extenderent, ſtatuit Carolus V. ne Mercatores pluſquam 12. in 100. acciperent ſub pœnâ nullitatis, & uſuræ, idque non niſi ad annum, excluſis non Mercatoribus. *Not. juris Belg. tit. de uſuris.* Codex Belg. V. *Woecker.* Hinc etiam jure merito ab Innocentio XI. hæc eſt condemnata: ***Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſurâ excuſari.***

Quas uſuras poſſint Mercatores in Belgio exigere.

Cum tamen ſæpiſſimè advenire poſſit carentiæ pecuniæ aliquod intereſſe, non ſolùm damni emergentis, ſed etiam lucri ceſſantis, admittendum erit, tum ultrà ſortem licitè quidquam recipi poſſe ſine uſurâ, quod aliquos contrariæ opinionis Authores velle, eſt veroſimile. Ex quibus omnibus apparet, quam fundatè dixerit Caramuel, ſibi tam certum eſſe, mutuanti licitum eſſe aliquid ſuprà ſortem exigere propter obligationem non repetendi ſortem uſque ad certum tempus, ut ſi Deum dares, aut Angelum, aut quemcumque infallibilem Judicem, etiam capitalem ſententiam, ſine ullâ formidine pro defenſione hujus veritatis appellaret. Temerarium ingenium! quo

appellaret, damnatâ jam hâc ab Alexandro VII. propoſitione: *Licitum eſt mutuanti aliquid ultrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus?*

An id liceat ob præſumptam donationem.

Quæritur 3. an ob præſumptam donationem liceat aliquid in mutuo accipere ultrà ſortem. Reſp. licere: ex eo enim quod benefaciat, deterioris conditionis eſſe non debet in accipiendâ gratitudine, nec lex mutui obſtat legi charitatis, ac liberalitatis reciprocæ. Addunt paſſim, quod debeat moraliter certò conſtare, illud ſuprà ſortem ſibi liberaliter condonari. Ad hoc prudenter præſumendum, oportet ſedulò inveſtigare rerum circumſtantias, dantis conditionem, rei datæ quantitatem, &c. Et in primis non præſumenda eſt ejuſmodi donatio, ſi mutuans, etſi non petierit aliquid ſuprà ſortem, tamen ſufficienter inſinuaverit, ſe ex ſuo mutuo intendere aliquod lucrum. Secundò non præſumitur ejuſmodi donatio, quando mutuatarius mutuum petit ex neceſſitate: rationem dat D. Th. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad.* 7. *quod ille, qui dat uſuram, non ſimpliciter voluntariè det, ſed cum quâdam neceſſitate, in quantum indiget accipere pecuniam mutuo, quam ille, qui habet, non vult ſine uſurâ mutuare.* Neque inſuper præſumi poteſt talis donatio, ſi mutuatarius ſit homo avarus, & ingratus: ſi mutuans ſoleat fœnerari; & generaliter, quando talia ſunt indicia, ut prudenter potius vi mutui, quam vi donationis aliquid dari ultrà ſortem poſſit præſumi.

E contra donationem præſumere quis poſſet, dum mutuatarius ſuâ ſponte aliquid offert reddendo ſortem: dum mutuator nec directè, nec indirectè aliquid petiit, nec de cætero ſolet fœnerari. Addit S. Antoninus 2. *p. tit.* 1. *cap.* 7. §. 7. Multò fortius id præſumendum eſſe, dum donantis ſcripturâ conſtaret, quod libenter, ac ſponte ſolvit, non coactus; cum tunc non ſit locus conjecturis. *Et ità jam vidi* (inquit S. Doctor) *conſultum per multos Doctores famoſiſſimos.* ADDIT: *ſed ego id verum credo, niſi per redditionem uſurarum probaretur tale quid, per quod de fraude conſtaret.* Id eſt, niſi conſtaret mutuatarium illud in fraudem uſurarum ſcripſiſſe.

An id liceat ratione moræ.

Quæritur 4. an ratione moræ liceat aliquid exigere ultra ſortem. Reſp. prænotandum hîc eſt, pœnam eſſe triplicem moræ impoſitam, à quâ morâ ſolet debitor dici *moroſus*; *legalem* ſcilicet, quæ eſt ſtatuta à lege: *Judicialem*, quæ à Judice: & *conventionalem*, quæ ſtatuitur conventione contrahentium. Ultima hæc pœna tribus quoque modis ſolet imponi: primò, quaſi in compenſationem damni emergentis, aut lucri ceſſantis mutuanti ex morâ debitoris. 2. Ob metum, & periculum infidelitatis ſolvendo. 3. Ut promptius ſolvatur, & pœnâ illâ mutuatarius adigatur ad ſuo tempore ſortem reddendam. Illis poſitis. Reſp. quod in primis poſſit imponi pœna conventionalis, ut Debitor promptè ſolvat. Cum enim liceat obligare Debitorem, ut eo termino elapſo ſolvat: etiam licebit ad illum finem adjicere pœnam, dum illud ad hoc judicabitur eſſe neceſſarium. Deindè, conſenſu partium juſtè ſtatui poteſt aliqua pœna, ut eam incurrat, qui rem alterius invito Domino

reti-

retinet, nec eam ſuo tempore reddit. Neque pœna illa eſt gravis mutuanti, dum eſt poſita in ejus favorem: neque etiam gravis eſt mutuatario, dum volenti, & conſentienti non fit injuria. Denique id licitum eſſe conſtat ex inſtrumentis Tabellionum omnium Regnorum. Secundò, ſi pœna illa apponatur ob metum, & periculum infidelitatis, ſic ut eâ de causâ à principio exigatur aliquid ultrà ſortem, iniquum erit, & uſurarium in praxi, juxta ante dicta hâc ſect. quæſtione 1. Poterit ergo mutuans ille exigere fidejuſſionem aut pignus, non verò pecuniam, conformiter ad ibidem dicta.

Ut tamen pœnæ conventionalis intuitu aliquid ultrà ſortem exigi poſſit, requirunt primò ne pœna adjungatur in fraudem uſurarum, eaſque palliandas; quod fieri cenſetur, ſi non curet, an termino præfixo ſolvat, necne: imo ſubindè malit, quod eo tempore non ſolvat: ſi fiat ad brevius tempus: ſi ſciebat certò debitorem fore in morâ. Secundò requiritur, ut mutuatarius ſit verè culpabilis in morâ. Ratio eſt, quod ubi non eſt culpa, ibi nec locum habeat & pœna. Quapropter excuſat hîc impotentia, niſi fortè in fraudem ſeſe feciſſet impotentem. Tertiò, hîc etiam requiritur, ut pœna ſit proportionata culpæ, aliàs non cenſetur mutuatarius liberè in eam conſeuſiſſe, ſed per injuriam eam eſſe extortam, quo caſu etiam non poſſet juſtè exigi. Talis pœna eſſet illa, ut ſors duplicaretur, &c. Huc etiam ſpectat, quod ſi mutuatarius in termino ſolvat partem, & non valeat tunc totum reddere, non poſſit exigi tota pœna, ſed tantum pro quotâ, ſi nempe obligatio ſit dividua. Quartò requiritur, ut abſit omne ſcandalum, abſtineatur ab omni uſuræ ſpecie, ne detur occaſio infamiæ, &c. Quintò ut mora ſit aliquo modo notabilis, non tantum unius diei v.g.

His requiſitis poſitis, ſi mutuans à mutuatario in morâ culpabili exiſtente pœnam exigat, debet eam dare mutuatarius, etiam ante ſententiam Judicis, eò quòd jure naturæ ſervanda ſint pacta licita, non ſolùm vi judiciariæ ſententiæ, ſed vi pacti. Deinde, ille, qui eſt in morâ culpabili, detinet alienum invito Domino, adeoque juſtè imponi poteſt pœna in punitionem talis culpæ. Denique, dum mutuator pœnam non exigit, non debet ea ſolvi, dum cenſetur eam implicitè remittere; ergo quando eamdem exigit, debet eam in conſcientiâ ſolvere. Et quamquam communiter dici ſoleat, quod pœna ante ſententiam non debeatur: intelligendum id eſt de pœnâ legali, non de pœna conventionali: cujus diverſitatis ratio eſt hæc, quod legalis pœna feratur in univerſum, adeoque indigeat diſcuſſione pro diverſitate circumſtantiarum occurrentium, ut debitè, & conformiter pœna infligatur. Conventionalis verò imponitur à contrahente, & ſatis eſt, adeſſe moram culpabilem, ut pœna incurratur. Adde, quod ſi ſententia Judicis hîc eſſet neceſſaria, fruſtranea eſſet conventionalis, dum alter ſine conventionali poſſet in judicio agere, quando alter eſſet in culpabili morâ.

Digitized by Google

SECTIO VIII.

An liceat aliquid ultra ſortem exigere in mutuo ratione damni emergentis, aut Lucri ceſſantis.

HI ſunt duo tituli famoſiſſimi; ratione quorum aliquid ultra ſortem recipi poſſe, paſſim edocetur. Generaliter illa intelliguntur per *intereſſe*. *Damnum emergens* dicitur, dum quis patitur damnum in rebus, quas habet, vel jam inde illi debentur, v.g. ſi defectu pecuniæ mutuatæ cogatur vendere res ſuas viliori pretio, debeat ſinere cadere domum ſuam ruinoſam; ipſe cogatur accipere ad uſuram, &c. *Lucrum ceſſans dicitur*, dum vi mutui impeditur mutuans à lucro juſtè conſequendo, v.g. quod potuiſſet pecuniâ mutuatâ negotiari, & lucrari. His poſitis dicendum eſt,

Quid damnum emergens.

Quid lucrum ceſſans.

1. Juxtà pleroſque DD. licitum eſt ratione damni emergentis aliquid exigere ultra ſortem. Hinc ſi mutuatarius ſit in morâ, ex qua creatur damnum mutuanti, poterit mutuans ejus compenſationem exigere ultra ſortem mutuatam, & alter eamdem tenetur dare. Ratio eſt, quod eo caſu alter ſit vera cauſa damni, quod proindè debet reſarciri. Si tamen mutuatarius non potuerit abſolutè prævidiſſe ſecuturum ex mutuo mutuanti aliquod damnum ex morâ, non videtur, quomodo eo caſu in conſcientiâ ad illud obligetur: quâ ratione varii docent, mutuatarium eſſe præviè monendum de damnis veroſimiliter ex mutuo mutuanti obventuris. Secundò, licitum quoque eſt à principio paciſci de damno ultra ſortem compenſando, dum omnia jura clamant, quod quilibet ſe poſſit ſervare indemnem, nec ulla ſit æquitas, quod quis ex beneficio reportet damnum, pro præmio diſpendium. Neque hoc eſt vendere uſum pecuniæ, ait D. Thomas, ſed damnum evitare. Denique, ſi fidejuſſor poſſit aliquid accipere ratione damni emergentis, uti habetur *Capt. Pervenit, de fidejuſſ.* quare non itidem id poterit mutuans ob eumdem titulum?

Quid requiratur, ut ratione damni emergentis aliquid poſſit exigi ultra ſortem.

Ut interim id liceat, requirunt, 1. Ut damnum illud verè, non fictè ſentiatur ex mutuo, aut moraliter certò prævideatur ex mutuo obventurum, ne aliàs iniquitas mentiatur ſibi. Uti etiam, ſi quidem verè damnum oriatur, at non ex mutuo, ſed aliunde: aliàs enim mutuator acciperet lucrum, ſeu compenſationem damni, cujus cauſa non fuit mutuum, quod apertè eſt injuſtum. 2. Ut mutuans præmonere debeat mutuatarium, de eveniendo damno ex mutuo, partim ad cavendum mutuatarii ſcandalum: partim ad præcavendum ejus damnum, & gravamen, qui ſæpè poſſet ab alio accipere mutuo ſine intereſſe. 3. Ne mutuator cogat alium ad paciſcendum de certo aliquo periculo; ſed ſatis ſit, quod mutuanti caveat de omni periculo obventuro: dum enim mutuatarius eſt paratus omne damnum reſarcire, jam mutuator ſervatur indemnis: ſi verò cogatur de certo periculo paciſci, jam mutuatario imponitur onus pretio æſtimabile; ſi autem ille velit certo nummo paciſci,

Digitized by Google

ciſci, & quaſi periculum redimere, nec velit eventum expectare, licet tunc de eo paciſci; adeo ut, etſi nullum fortè damnum eveniſſet, tamen liceret illud poſtea exigere, & retinere ratione periculi, cui fuit ſubjectus, qui ſicuti fuit lucratus, ita potuit perdidiſſe.

Verumtamen, ſi non fuerit pactum de damno, vel ejus periculo, non debet aliquid pro eo damno ſolvi à mutuatario, ſi non fuerit in morâ; tametſi æquum ſit, ut aliquid compenſet, dum damni illius fuit equidem occaſio, etſi non cauſa. Ex juſtitiâ tamen ad hoc non tenetur, dum non tenetur ad hoc ratione iniquæ acceptationis, quia ab alio liberè mutuante mutuum accepit: nec ex injuſtâ detentione, quia non fuit in morâ: nec ratione rei acceptæ, quia nil habet, quod ſit mutuantis: nec ratione contractûs, dum de reparando eo damno, nullum pactum fuit initum: imo, ſi ſciviſſet de damno, fortè ab alio potuiſſet mutuum gratis accepiſſe. Aliud eſſet, ſi vi, vel timore adigeretur quis ad mutuandum: quo caſu adigens eſt injuſta cauſa damni, quod tenetur compenſare.

Neque hîc objici poteſt, quod nemo teneatur mutuare cum ſuo damno: quia poterit mutuans illud damnum deducere in pactum, aut etiam non mutuare: quod ſi mutuans de eo non paciſcatur, cenſetur ille damnum, aut damni periculum in ſe ſuſcipere. Sic etiam venditor non debet vendere cum damno; ſi tamen velit vendere, nec de damno paciſci, non poteſt ratione damni aliquid accipere.

Dices tamen, fidejubenti, dum ille ſolvit, debent compenſari damna, etſi eadem non deducantur in pactum, ergo & mutuanti. Reſp. N.C. quia actio mutuandi eſt omninò libera, adeo ut mutuans cenſeatur ſeſe damnis emergentibus exponere. Fidejuſſio tamen, etſi in ſe ſit libera, ex parte tamen ſolutionis eſt coäcta, quatenus à Judice infligitur, ob moram illius, pro quo fidejubetur, qui eſt cauſa damnorum fidejuſſori ſolventi obvenientium. Unde quoque dictum eſt, quod ſi mutuatarius hîc eſſet in morâ, deberet quoque damna reparare.

Major eſt quæſtio de lucro ceſſante, an ratione ejus liceat aliquid accipere ſupra ſortem. Varia eſt hîc ſententia. Moderni paſſim admittunt titulum lucri ceſſantis, ut damni emergentis. Antiquiores Theologi titulum lucri ceſſantis excludunt, maximè dum Mercator tantummodo rogatus mutuat. Inter illos recenſeri poteſt Dominicus Soto *de jure, & juſtit. lib. 6. q. 1. art. 3. concluſ.* 4. dicens, hanc moderniorum opinionem non eſſe adeo certam, ut Patroni ejus aſſertionis arbitrantur, ſed eſſe minus probabilem, & plurimis uſurarum periculis expoſitam. Probat hoc ex eo, quod id nullum jus ſcriptum permittat; quod Antiquiores, uti S. Thomas, id negent, conſulto dignoſcens inter damnum emergens, & lucrum ceſſans in hâc materiâ. Eidem ſententiæ accedere videtur Scotus 4. *diſt.* 15. *q.* 2. Durandus *in* 3. *diſt.* 37. *q.* 2. & inter Juriſconſultos Innocentius ſuper *Capt. Naviganti, de uſuris*: imo, quod inter antiquos, graveſque, ſeu Juris, ſeu Theologiæ Doctores neminem invenias, qui explicitis

An liceat aliquid exigere ultra ſortem ratione lucri ceſſantis.

Digitized by Google

citis verbis id adſtruat, niſi ratione moræ, aut alterius culpæ debitoris. Et ratio ipſius eſt, quod lucrum ceſſare, ut nomen ſonat, ſit hominem à lucro cohibere: nemo autem cohibetur, niſi ſua impediatur voluntas: involuntarium verò ſola vis, metuſve, aut ignorantia facit: ergo, ubi nullum iſtorum intercedit, non propriè cenſetur ceſſare lucrum. Ita ferè Soto: addens in hunc modum: *Certè eſt res creditu difficilis: quia ſi Mercator, qui negotiationi expoſitam habet pecuniam, offerat illam mutuo, non poteſt recipere lucrum ceſſans: & tamen per hoc ſolum, quod alter leviſſimo verbo mutuum idem ab eodem petat, poſſit idem lucrum in pactum ducere: cum nihilominus ſpontaneus facit rogatus, quam ſi alterum præveniret.* Huic opinioni ſeſe aggregavit Clariſſimus D. Stockmans *Deciſ.* 76. dicens contrariæ ſententiæ Authoritates, neque rationes ſufficere, ut ea tuto in praxi, ſive in foro externo, multò minus in foro conſcientiæ poſſit deduci; maximè, ſi ab initio adjiciatur mutuo pactum de præſtando certo intereſſe lucri ceſſantis. Addit eo pacto pandi portam uſuris, uſuræ legem verbis eſſe ſcriptam, non rebus: quod alia opinio ſit novitia, & periculoſa. Adjiciunt alii Chriſtianorum Principum Edicta eâdem de re edita.

His tamen non obſtantibus, verior videtur, uti & eſt communior opinio, etiam titulo lucri ceſſantis licitum eſſe recipere aliquid ſuprà ſortem, quam quoque teſte Soto ibi ſuprà, ſuſtinent Conrardus, Sylveſter, Cajetanus, & Adrianus, Sed ante confirmationem dictæ ſententiæ aliqua ſunt prænotanda. Primò quod alicui dici poſſit ceſſare lucrum duobus modis, privativè, & negativè. *Negativè*, quando Dominus ſuâ pecuniâ non vult negotiari, ſed ſervare in ciſtâ. *Privativè*, cum pecuniam negotiationi deſtinatam mutuat, & de hoc modo propriè agitatur quæſtio. Secundò, notandum etiam eſt, damnum emergens, ac lucrum ceſſans plurimum differre. Damnum emergens conſiſtit in paſſione detrimenti: lucrum ceſſans autem conſiſtit in actione, vel negotiatione actionis, eò quòd non lucremur, niſi aliquid agendo. Tertiò, obſervandum quoque eſt, eſſe in pecuniâ duplicem potentiam ad lucrum. Una eſt remota, & naturalis, quæ conſequitur naturam pecuniæ, quia de ſe apta eſt ad negotiandum, & lucrandum. Alia eſt propinqua, & artificialis, quam non habet pecunia de ſe, ſed de induſtriâ negotiantis, dum negotiationi exponitur, aut illi jam eſt parata. Quartò, aliquem Mercatorem poſſe mutuare ſuâ ſponte pecuniam, poſſe & rogatum, imo & aliquando ob bonum commune poſſe à Principe ad hoc compelli. Hiſce poſitis.

Dicendum 1. ſi pecunia ſit tantum in potentiâ remotâ ad lucrandum, non licet eo titulo aliquid accipere ultra ſortem. Ratio eſt, quod pecunia ſic conſiderata ſit de ſe ſterilis, nec lucrativa. Deinde, potentia illa, eſt omni pecuniæ naturalis, & intrinſeca; ergo non poteſt æſtimari diſtincto pretio ab illo valore, quem de ſe habet, adeoque in omni prorſus mutuo ob illam cauſam poſſet aliquid exigi ultra ſortem.

Dicnedum 2. quando quis propriâ ſponte pecuniam ſuam à negotiatione abſtrahit,

Digitized by Google

ſtrahit, & dat mutuum, non poteſt etiam eo titulo aliquid accipere ultrà ſortem. Ratio eſt, quod pecunia eo caſu maneat ſolummodo in potentiâ remotâ lucrandi: proximam enim potentiam lucrandi habet ex voluntate ſui Domini, quam hoc caſu non habet, dum necdum Dominus eam negotiationi expoſuit: ratione autem potentiæ remotæ ad lucrandum, nil poſſe accipi, modò probavimus. Deindè, hoc caſu, ſi quod lucrum ceſſaret, non ceſſaret illud ratione mutui, ſed ratione propriæ voluntatis Domini: adeo ut eo caſu mutuatarius nullo modo ſit cauſa, ne quidem moralis, ceſſationis lucri, ſed ſola mutuantis voluntas.

Dicendum 3. quando mutuans vi, vel metu compulſus extrahit pecuniam ſuam à negotiatione, poteſt aliquid ratione lucri ceſſantis exigere: imo mutuatarius debet illud in conſcientiâ refundere. Ratio eſt, quod mutuatarius eo caſu ſit vera cauſa lucri ceſſantis, adeoque debeat illud compenſare, eò quòd alium à conſequendo lucro verè impediat. Inſuper, mutuans eo caſu haberet aliquid minus, quam habere debeat; ergo qui eſt cauſa illius inæqualitatis, debet eam reducere ad æqualitatem, cauſa autem illa eſt mutuatarius. Præterea, qui ab Artifice abſtrahit inſtrumenta artis, quibus potuiſſet lucrari, non ſolùm debet reſtituere inſtrumenta, ſed etiam ſpem lucri ceſſantis: hoc autem caſu, pecunia eſt quaſi inſtrumentum lucri reſpectu Mercatoris, ergo. Denique, qui irriguum amovet dolo ab alterius horto, debet refundere ſpem fructuum juxtà arbitrium boni viri: ergo & hîc.

Dicendum 4. qui rogatus ſolummodo, pecuniam ſuam à negotiatione extrahens mutuat roganti, ut illi gratificetur, poterit etiam in pactum deducere illud lucrum ceſſans ultrà ſortem. Ratio eſt 1., quod pecunia illa ſit in proximâ potentiâ ad lucrandum, ergo poteſt pluris æſtimari; adeoque niſi hoc poſſit eo caſu mutuans, habeat aliquid minus. 2. Aliquid poteſt plus vendi ex eo, quod tempore futuro (in quod voluiſſet rem ſervare) pluris æſtimetur, adeoque & hoc caſu. 3. Quod pactum poſſit fieri de jactu retis, etſi ſubindè nihil capiatur. 4. Quod ceſſatio à lucro hoc caſu ſit pretio æſtimabilis, adeoque mutuans poteſt ſe ſervare indemnem. 5. Ex eo quod mutuet quis ex amicitiâ, non debet ideo ſentire damnum: ſed qui coäctus mutuat, juxta alios poteſt aliquid accipere ob lucrum ceſſans; ergo etiam id poteſt ex amicitiâ mutuans ob eumdem titulum. 6. Qui rogatus ab alio mutuat inſtrumenta ſuæ artis, poteſt paciſci de lucro, quod per illorum carentiam perdet: qui vendit rem fructiferam, dum eſt in viâ ad fructus, poteſt exigere non tantum pretium rei, ſed & pretium fructuum, juxta id, quod ſunt in ſpe. 7. Quod par debeat eſſe ratio damni, & lucri ceſſantis in hoc caſu: amiſſio enim boni veroſimiliter ſperati computatur inter damna, adeoque etiam hîc eſt admittendum, tam bene, quam titulus damni emergentis.

Requiſita, ut aliquid exigi poſſit ratione lucri ceſſantis.

Varia tamen ad hoc ſunt requiſita, ut quid ultra ſortem recipi poſſit ratione lucri ceſſantis. 1. Ut lucrum non ſictè, ſed verè ceſſet ratione mutui. Ratio ejus eſt, quod illud mutuanti debeatur, ut ſe ſervet indemnem, non ut inde ditetur:

Digitized by Google

tetur: ſed ſi non verè ceſſaret lucrum, ceſſaret quoque hæc cauſa, quare deberet aliquid ultra ſortem accipere. Deinde, damnum emergens juxtà omnes debet eſſe verum; ergo multò magis lucrum ceſſans, dum majori jure poteſt exigi damnum emergens, quam lucrum ceſſans.

Fictio autem illa poteſt contingere 2. modis. Primò, ſi reverà non intendat dictâ pecuniâ negotiari, ſed ſolummodo fingat ſe illud velle, dum mutuum petitur, ut eo colore ex mutuo poſſit lucrari. Secundò, ſi quidem hoc intendiſſet, ſed tamen tale negotium illud fuiſſet, ex quo ne quidem probabiliter potuiſſet ſperare aliquod lucrum.

2. Requiritur, ut lucrum verè ceſſet ratione mutui, non ex aliâ cauſâ: tunc autem cenſetur ceſſare lucrum ratione mutui, dum ob datum mutuum impeditur à lucrando. Hinc, ſi Mercator habeat aliam pecuniam, quâ poſſit negotiari, non cenſebitur lucrum ceſſare ex mutuo, ſed ex ſua merè voluntate, quâ non vult aliam pecuniam ad lucrandum abhibere. Deinde, ut mox dictum eſt, licet ſolummodo aliquid exigere, ut ſe ſervet indemnem; quod hoc caſu etiam ceſſaret, & acciperet lucrum vi mutui. Poſſet quidem fieri, quod haberet aliam pecuniam, ſed familiæ neceſſitatibus deſtinatam, quo equidem caſu verè ceſſaret lucrum vi mutui; eò quòd alia illa pecunia, non cenſeatur eſſe otioſa.

3. Requiritur, ut mutuans verè intendat eâ pecuniâ, quam dat mutuo, negotiari, & lucrari: lucrum enim ceſſans, non dicitur id ſolum, quod eſt in potentiâ remotâ ad lucrandum, quale adeſt omni pecuniæ; ſed ex potentiâ proximâ ad lucrandum, quam non habet, niſi ex voluntate mutuantis, quâ pecunia ponitur in viâ ad lucrandum. Hinc ulterius aliqui expreſsè volunt, ut ille, qui hîc aliquid lucrari poſſit, ſolitus ſit negotiari: verum infundatè. Ad hoc enim, ut pecunia ſit in potentiâ proximâ ad lucrandum, indifferens planè eſt, an ſolitus ſit negotiari, nec ne; ſed ſatis eſt, quod pecuniâ illâ verè intenderit negotiari, aut lucrari. Hoc interim fatendum eſt, quod ad probandum lucrum ceſſans, multum juvet conſuetudo mercandi.

4. Requiritur, ut ſit moraliter certum; ſe aliquid eâ pecuniâ licitè potuiſſe lucrari, aliàs non poſſet verè dici ceſſare lucrum, neque ceſſatio illa poſſet dici eſſe pretio æſtimabilis. Sic neque damnum emergens poteſt deduci in pactum, niſi ſit veroſimiliter obventurum: ergo neque lucrum ceſſans. Additum eſt *licitè* lucrari, quia ſi ſolùm lucrari potuiſſet illicitè, v. g. uſurariè, non poteſt ratione lucri ceſſantis aliquid exigere: quia, ſicuti nec licet accipere illud lucrum, ſic nec dicto titulo licet iſtud accipere.

5. Requiritur, ut ſtatim à principio moneatur mutuatarius de lucro ceſſante: aliàs enim jure quæri poſſet, dum admonitus potuiſſet mutuare ab alio gratis, & ſine aliquo onere. Deinde, etſi ille, qui liberè contrahit, teneatur ad omnia illa, quæ ſunt intrinſeca contractui; non tamen ad illa, quæ illi ſunt extrinſeca, niſi de eiſdem moneatur, dum in intrinſeca cenſetur ſolummodo contrahendo conſenſiſſe.

6. Requiritur, ne exigatur totum lucrum ceſſans, ſed aliqua pars ad arbitrium

Digitized by Google

trium prudentis: ratio eſt, quòd minoris valeat res, quæ eſt in ſpe, quam quæ eſt in re. Et hoc eſt, quod voluit D. Thomas, dicens non poſſe aliquid exigi ultrà ſortem ob lucrum ceſſans, id eſt, pro toto lucro, aut in integrum: debent enim expenſæ in negotiatione faciendæ deduci. Pro quo notant alii, quod dupliciter poſſit lucrum ceſſans deduci in pactum: ſemel generaliter, & indeterminatè, ut ſcilicet pro omni eventu debeat mutuatarius ſervare indemnem mutuantem: ut ſi alii futuro tempore multum ſint lucrati, multum quoque debeat ſolvi: ſi parum, debeat parum. Si nihil, nihil debeat mutuatarius. Aliter paciſci poteſt pro pretio determinato, quidquid poſtea evenerit; adeo ut, etſi magnum poſtea deprehendatur eſſe lucrum, aut etiam nullum, equidem illud, de quo conventum fuit, debeat abſolutè ſolvi. Et hæc duo pacta, ſervatis ſervandis dicenda ſunt juſta.

Sed hîc oritur quæſtio, an hîc etiam attendi debeat labor, adeo ut, quia non debet eum mutuator ſubire, debeat minus accipere. Alii affirmant, quia ceſſatio à labore eſt pretio æſtimabilis, ergo laboris pretium hîc debet deduci. Alii è contrà negant, eò quòd labor ſæpè æquetur lucro ſperato; adeo ut, ſi labor deberet deduci, nihil reſtaret lucri ceſſantis: imo ſæpè mallet alius laborem ſubire, quam eo non ſubeundo, non lucrari. Alii cum Wiggers Reſpondent, quòd ſi Mercator occaſione ceſſationis à negotiando, ſeſe applicet aliis exercitiis lucroſis, quibus ſimul negotiando non poſſet ſeſe applicare, tum laborem eſſe deducendum, quatenus eſt impedimentum lucri: aliàs enim reciperet lucrum ex mutuo; eò quòd haberet lucrum ratione omiſſionis negotiationis, & ex labore, quem negotiando debuiſſet impendere. Imo, quod deducendus ſit labor, ſi ille ſit talis, ut vellet eum Mercator redimere pecuniâ, etſi non impendat tempus aliis exercitiis. Si autem non vellet redimere, ſed æquè eum ſubire, ac otium pati, aut quod non poſſit ſeſe aliis negotiis applicare, non erit labor deducendus, & lucrum ceſſans debet fieri minus.

7. Requirunt, ne ſtatim à mutuo accipiatur lucrum ceſſans: v.g. ſi mutuanti 100. ſtatim ob lucrum ceſſans reddam 20. qui verè non mutuat 100. ſed ſolummodo 80. adeoque poſteà exigendo 100. faciet injuſtitiam.

Supereſt, ut ſatisfiat argumentis in contrarium objici ſolitis: Alii cum Soto objiciunt D. Thomam 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad.* 1. dicentem: compenſationem damni, quod conſideratur in hoc; quod pecuniâ non lucratur, non poſſe mutuantem deducere in pactum, quia non debet vendere, quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter in habendo. Reſp. alii volunt, S. Thomam loqui de lucro incerto, non verò de lucro probabiliter obtinendo, eò quòd agat de lucro, quod vendi non poteſt; ubi tamen id, quod eſt in ſpe, vendi poteſt, dum id jam inde habet, non autem aliud. Alii dicunt, S. Thomam hoc velle, quod regulariter ob lucrum ceſſans id non liceat, ſicuti id licet ob damnum emergens; eò quòd ad illud licitè faciendum, tot requirantur conditiones, quæ omnes difficulter ſimul nequeant obtineri. Alii reſpondent, D. Thomam loqui de lucro tantum remotè obtinendo, & in

Argumenta contraria, eorumque ſolutiones.

Digitized by Google

in potentiâ dumtaxat, quia non eſt de rebus ad lucrandum applicatis, etſi poſſent applicari: non verò loqui de lucro proximè ſperato, quaſi pecunia jam eſſet ad lucrandum deſtinata. Quæ expoſitio eſt ſatis apta: etſi, uti nos antea notavimus requiſito 6. veroſimile ſit, S. Thomam agere de eo, qui totum lucrum prætendit, ubi tamen res in ſpe, minoris valeant, quam res in re.

Objiciunt 2. cum Soto ſuprà, tunc tantum ceſſat lucrum, cum quis ab eo prohibetur: ſed quando rogatus qui mutuat, à lucro non prohibetur, dum ab eo voluntariè abſtinet, & conſequenter gratis mutuat. Reſp. etiam dum qui rogatus mutuat, verè prohibetur à lucrando, etſi id fiat precibus amicorum: neque ideo præcisè poteſt mutuando aliquid accipere ultrà ſortem, quia coäctè mutuat; ſed ideò, quia à lucrando per mutuum prohibetur; cum iniquum ſemper ſit, quòd quis alteri proſit cum ſuo damno. Ceſſationis ergo lucri etiam eſt cauſa mutuatarius rogans, uti eſt impellens ad mutuandum.

Inſtabis: ille, qui vult mutuare, debet ſervare naturam mutui, quæ eſt mutuare gratis. Reſp. inde ſolùm ſequitur, quòd nihil poſſit exigere ratione mutui, & ratione ejus, quod mutuo eſt intrinſecum; non verò, quòd id non poſſit ratione alicujus extrinſeci; puta ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis.

Objicies 3. pecunia non eſt ex eo lucrativa, quòd ſit fortè negotiationi deſtinata, ſed quando accedit labor, & induſtria Mercatoris, quæ quando mutuat, non concurrunt: ergo tunc ratione ejus nil poteſt exigere. Reſp. pecuniam, etiam eo ipſo eſſe lucrativam, quo ex intentione Mercatorum deſtinata eſt negotiationi, etſi adeſſe debeat labor ad lucrandum. Sic ager non ſeminatus ob ſpem fructuum, & lucrum ceſſans, poteſt pluris vendi, etſi labor vendentis debuiſſet concurrere. Sufficit ergò hîc, quod in ejus gratiam eum vendat, & privat ſe ſpe fructuum ſecuturorum. Notandum tamen, quod ideò aliquando etiam minoris debeat vendi, quam cum fructibus venderetur, juxtà ante dicta.

Objicies 4. ergo etiam Mercatores poſſunt quærere mutuatarios, & ob lucrum ceſſans aliquid accipere, quia pecunia eo ipſo, quo eſt Mercatoris, eſt lucrativa. Reſp. Neg. Conſeq. quia dum eos ſponte quærunt, eſt ſignum manifeſtum, eos mutuare ad propriam utilitatem, quo caſu mutuatarius non erit cauſa lucri ceſſantis: aliud eſſe poſſet, ſi quærerent pauperes, quibus mutuarent, quo caſu cenſerentur mutuare ob eorum utilitatem.

Objiciunt ultimò cum Dominico Soto ibid; quod in toto jure, tam Civili, quam Canonico, ubi habentur tituli, ratione quorum aliquid accipi poſſit ultrà ſortem, ſolùm habeatur de damno emergenti, nihil autem de lucro ceſſante; ex quo apparet, ratione ejus aliquid exigere ultrà ſortem, eſſe uſuram. Reſp. in primis id argumentum eſſe ab authoritate negatâ, quod parùm concludit. Deinde, contrarium habet *Capt. Naviganti, de Uſuris:* Imò, quando-

quandocumque jure agunt de damno emergenti, agunt quoque in hâc cauſâ de lucro ceſſante, ob eamdem rationem; puta, ut ſe mutuator poſſit ſervare indemnem. Adde, quod qui prohibetur à bono veroſimiliter obventuro, patiatur reverà aliquod damnum, ut alibi in ante dictis obſervavimus.

Providè verò, ſubindè Edicta inhibent ejuſmodi mutuationes tamquam uſuris patrocinantes, & ob earumdem præſumtionem, dum difficulter omnes prædictæ conditiones ſolent ſimul adeſſe, quæ tamen neceſſariæ ſunt, ut ratione lucri ceſſantis poſſit aliquid ultra ſortem obtineri: quæ tamen, ſi adſint, conſtat ex dictis, titulum illum hîc eſſe juſtum, & honeſtum. Omnes tamen conſultò admonent Confeſſarios æquè, ac pœnitentes, ut in hujus tituli uſu, ſolerter indagent conſcientias mutuatorum, dum teſte S. Gregorio 1. *p. Paſt. Cap. 9. ſæpè ſibi de ſe mens ipſa mentitur*; an verè, & efficaciter pecuniam lucrando licitè deſtinaverint, antequam dent mutuò. Sæpè enim fieri ſolet, ut avaritiâ excœcati hunc titulum prætendant ii, qui pecuniam otioſam detinent, donec mutuandi habeant opportunitatem; quos velle lucrum ex mutuo, quis poterit negare? Videndum ergo, an propoſuerint mutuantes eâ pecuniâ negotiari, emere agros fructiferos, reditus perpetuos; an verò fucatè hunc titulum obtendant, ad excuſandas excuſationes in peccatis.

SECTIO IX.

An pecuniæ pupillorum, & aliorum ſimilium poſſint dari mutuò ſub certo intereſſe ſine uſurâ.

CAballinus; ſeu potius, Carolus Molinæus, uſuras pupillares, id eſt, ubi pecuniæ pupillorum dantur alicui ad intereſſe, mordicùs propugnavit; eò quòd leges Civiles, uſuras quaſdam permitterent, de quibus legibus ante actum eſt, & conſtat, eas leges per SS. Canones jam dudum eſſe abrogatas. Codex Belgicus V. *Momboiren* refert Edicta, quibus ſtatuitur, ut Tutores, & Curatores pecuniam pupillarem paratam deponant lucro, ad utilitatem pupillorum, idque ſub pœnâ appoſitâ. Idem ſtatuit *L. Tutores 2. Cap. de adminiſt. Tutorum*, & alibi. Idem ſæpè faciunt Ancillæ, ſervi, ac viduæ, quod pecuniam, quam habent quieſcentem, mutuo dent ſub certo intereſſe; idem faciunt & Nobiles. Uſus ille plurimum invaluit, de quo videndum eſt, quo titulo id facere licitè poſſint: ad cujus intelligentiam prænotandum eſt tamquam certum, & ex dictis abundè conſtat, non poſſe ejuſmodi perſonas aliquid ultra ſortem recipere ex mutuo, niſi adſit alius titulus legitimus, de quibus antea jam egimus. Deinde ſupponendum eſt, alium eſſe modum, & naturam mutui, aliam eſſe rationem cenſûs, in quo intercedit vera venditio, prout pluribus dicetur de Cenſibus agendo.

His poſitis, quæro generaliter, an ſimilis praxis ſit probanda, quâ Pupillorum, Viduarum, ac Ancillarum pecuniæ traduntur Mercatori, vel al-

Digitized by Google

teri pro uſurâ quincunce, id eſt, pro 5. in 100. vulgò, *geven op obligatie.* Indubitatè reſpondet praxis quotidiana affirmativè. Leſſius *L.* 2. *Cap.* 22. *diſp. x.* Docet hanc praxim licitam eſſe ex eo, quod hîc adſit cenſus utrimque redimibilis; de quo, etſi contrahentes expreſſè non cogitent, tamen videntur implicitè in eum conſentire; dum is, qui pecuniam tradit, intendit hoc lucrum percipere omni modo, quo juſtè id fieri poteſt; & alter intendit pro eo titulo, quo ille accipit, dare: ita ille. Valentia verò *Diſp. V. quæſt.* 25. *punct.* 2. excuſat eos ratione triplicis contractûs virtualis ibi præſentis; puta, contractûs ſocietatis, aſſecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti majoris pro certò minore. Verùm ultra hoc, quod id ſolummodo locum haberet, dum pecunia ab illis traditur Mercatori: æquè dubium eſt de honeſtate dicti contractûs, uti poſtea videbimus.

Hiſce tamen non obſtantibus, dico plerumque eſſe uſurariam dictam praxim, & meritò condemnandam, quod ultimum expreſsè addit Leſſius quoque ibi ſuprà. Ratio eſt clara, quia nullo titulo juſto accipiunt illud lucrum ultra ſortem. Videamus ſingula. Non ratione periculi, aut expenſarum in receptione ſortis faciendarum (de quo tamen titulo non adeo certò conſtat) dum ſine ullo periculo pecuniam tradunt, acceptâ ſæpè ſufficienti aſſecuratione pignoris, aut hypothecæ; quæ obligatio, bona mutuatarii obligat mutuanti: nec ratione donationis gratuitæ; quis enim dicet, accipientem eas pecunias, liberaliter donare intereſſe? nec etiam ratione damni emergentis; quod enim inde damnum ſentiunt ejuſmodi, quod pecuniam otioſam alteri tradant, penes quem quoque ſolet eſſe ſecurior, quam penes tradentem fuiſſet pucunia? Nec denique ratione lucri ceſſantis plerùmque honeſtari poteſt dicta praxis, dum ſupponitur pecunia eſſe otioſa, neque efficaciter lucrando deſtinata. Aliud eſſet, ſi quæ vidua v.g. aut tutor pecuniam illam jam efficaciter deſtinaſſet emptioni cenſûs, aut ſocietati cum Mercatore, aut emptioni fructiferæ: quo caſu verè ceſſaret lucrum ex mutuo, ſi de cætero aliæ pecuniæ non ſuppeterent: unde etiam dixi, *plerumque* ſimilem praxim eſſe uſurariam. Attamen, cum rariſſimè ejuſmodi perſonæ id intendant, imo de eo cogitare non ſoleant; ſequitur, quod ratione lucri ceſſantis, rariſſimè poſſint hîc excuſari. Neque dici ullatenus poteſt, ſemper illis ceſſare lucrum, ex eo, quod potuiſſent eâ pecuniâ lucratas fuiſſe: quia ratione illius potentiæ remotæ ad lucrandum non poteſt dici ceſſare alicui lucrum, uti antea eſt probatum.

Neque hîc excuſantur titulo alio extrinſeco, v.g. legum id concedentium: quia ultra hoc, quod nulla lex uſuram poſſit cohoneſtare; dum eſt intrinſecè mala, nec ipſæ leges civiles concedunt pecunias pupillares fœnori poſſe concedi, imo potius illud ipſum inhibent, & condemnant: idem faciunt leges Canonicæ. Quod enim ad Civiles attinet, ſolùm ſanciunt pecunias pupillorum lucro deſtinandas; ſed juſtè, non per uſuram. Unde Novel. 72. §. *quoniam*, ita ait: *quoniam autem videmus Curatores, quicumque*

Dei

Dei memoriam habent, ad curam difficulter accedere propter fœneratorum neceſſitatem; ſancimus nullam neceſſitatem ex legibus eſſe fœneratoribus minorum pecunias fœnerari, ſed cautè reponere, & reſervare. Succeſſit Baſilius Macedo vetans pecunias minorum tradi fœnori: & Leo idem prohibens, ait uſuras divinâ lege eſſe vetitas. Idem poſtea fecêre alii Principes Chriſtiani: de Luſitaniâ id refert Molina *tract. 2. diſp.* 224. *numero* 18. In Galliâ ita refert Bochel Biblioth. legis Gallicæ V. *uſure* eſſe conſtitutum: *cette prohibition d'uſure, portée par la loy de France eſt generale, & ne reçoit limitation, pour la faveur de pupilles, ou autres perſonnes.* Idem validè confirmant conſultatio Parlamento Pariſienſi oblata 23. Martii 1679. quæ ità formabatur. Quid hic ſtatuat lex Belgii, Galliæ, &c.

On demande premierement, ſi le Parlement de Paris approuve, que les Tuteurs preſtent l'argent des leurs Pupilles à des particuliers pour un temps limité, à condition qu'ils leur en payeront l'intereſt.

Secondement, ſi le Parlement de Paris, lors qu'il ordonne que les Tuteurs tiendront compte aux mineurs du profit de leur Argent, il authoriſe les contracts de preſt, que le Tuteurs ont fait, ou bien ont pu faire dudit argent à des particuliers.

Troiſiémement, ſi le Parlement de Paris n'exempteroit pas les Tuteurs, de payer aux mineurs l'intereſt de leur argent, quand ils peuvent juſtifier des diligences qu'ils ont faites, pour employer ledit argent.

Le Conſeil ſoubſigé, qui a veu le memoire cy-deſſus écrit, eſt d'advis ſur le premier article, que le Parlement de Paris n'authoriſe point les preſts, qui ſe font par les Tuteurs des deniers de leurs Pupilles à intereſt, quand c'eſt par obligation, ou promeſſe, d'autant que la maxime du Palement eſt, que la ſtipulation d'intereſt eſt uſuraire, lors que c'eſt un pur preſt: & cela n'eſt permis, que quand il y a alienation du ſort principal par un contract de conſtitution, ou contract équipollent.

Sur le ſecond cas, l'on condamne bien les Tuteurs à payer l'intereſt des deniers oiſifs, qu'ils ont en leurs mains: mais l'on n'authoriſe pas pour cela, que les Tuteurs puiſſent preſter par promeſſe ou obligation, avec ſtipulation d'intereſt.

Sur le troiſiémne, ſi le Tuteur raportoit des deligences, & des preuves, comme il n'a pû trouver à colloquer les deniers, il pourroit, en connoiſſance de cauſe, eſtre déchargé des intereſts..... deliberé à Paris ce 23. *Mars* 1679. ABRAHAM. BILLARD. ISSALY. PINSSON. RAVIERE. NOTET. CHUPPE. DE L'HOMMEAU. Dictam Conſultationem referunt conferentiæ de Luçon tom. 2. conferenc. 35. q. 3.

In Belgio ex Edicto 1. Junii 1587. habetur, ut tutores, ſeu curatores, qui pecunias pupillorum patrimonii augendi cauſâ, ſeu quovis alio prætextu, ſub certo lucro ſingulis annis ultrà ſortem recipiendo, mutuo dant, retentâ facultate repetendæ ſortis, ubi ad majorem ætatem pupilli, vel pupillæ pervenerint, aut matrimonium contraxerint, ſint veri uſurarii, ac proindè

indè contra Notarios ejuſmodi inſtrumenta conficientes, tamquam contra uſurarios procedendum eſſe, & nihilominus ejuſmodi contractus eſſe nullos, & invalidos. Idem de jure Hannoniæ ſignanter tradit Gudelinus infra referendus.

Quid Concilia? Idem faciunt Edicta Eccleſiaſtica: Concilium Mediolanenſe 1. *Cap. de uſuris* ita ſtatuit: *ex mutuo, vel depoſitis, etiam apud Judæum factis, nihil præter ſortem à quovis homine percipi ex convento, vel principaliter ſperare poteſt, tametſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum: omnes enim audire debent illud Chriſti: mutuum date, nihil inde ſperantes.*

Huic Concilio conſonat Concil. Burdigalenſe 1583. habitum, & approbatum, dicens, *ne cui ex mutuo præter ſortem ex convento, vel eo, quod datum eſt, aliquid amplius accipere, aut principaliter ſperare, ſive ejuſdem generis, ſive alterius quomodocumque etiamſi operæ ſint, liceat: etſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut Viduarm, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus id jure nominatim permittitur. Mutuum enim ex præcepto divino debet eſſe gratuitum.*

Et Concilium Mechlin. habitum 1570. *tit. de uſuris*, ita ſtatuit: *Quoniam uſura jure divino, & Canonico omnibus Chriſtianis ſub pœnâ peccati mortalis interdicitur, neque facienda ſint mala, ut eveniant bona: Synodus ſtatuit, & ordinat, ne quis tutor, aut curator ſub prætextu augendi patrimonii pauperum, pupillorum, aut ſub eorum curatelâ exiſtentium, pecunias illorum ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſortem recipiendo, mutuò dent, retentâ facultate repetendæ ſortis, quando ad majorem ætatem prevenerint, aut matrimonium contraxerint, aut aliàs ad eorum voluntatem, & arbitrium, declarando omnes hujuſmodi contractus uſurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes, tamquam contra uſurarios ad pœnas juris procedendum.*

Et Gudelinus Juris Noviſſ. *lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 12. ita de eâ re ſcribit: *cùm conſuetudine Hannoniæ pecunia pupillaris ſub quincuncibus uſuris (quæ leves ſunt) credi ſoleret: damnatum eſt hoc nuper decreto Synodûs Cameracenſis, cui eadem Provincia ſubeſt. Quin etiam Sanctione Principis noſtri ibi interdictum, ac cæteris locis omnibus obſervandum.* Idem ſubſecutum eſt, ac ordinavit Synodus Iprenſis 1577. Audomarenſis 1582. & aliæ deinceps.

Neque hîc patrocinari poteſt titulus pietatis, aut neceſſitatis, multò minus conſuetudinis, dum uſura eſt per ſe mala, contra quam nulla conſuetudo, aut ratio alia poteſt præſcribere.

Objectiones contrariæ. Objiciunt alii, plurimas eſſe perſonas, quæ niſi ita mutuent, vix poterunt ſubſiſtere, uti ſolent eſſe Viduæ, Ancillæ jam decrepitæ, &c. Ergo ſaltem eis hoc licet. Reſp. ait S. Auguſtinus in Pſalmum 128. *Audent etiam fœneratores dicere, non habeo aliud, unde vivam: hoc mihi & latro diceret deprehenſus in fauce: hoc & effractor diceret deprehenſus circà parietem alienum: hoc mihi & lano diceret emens puellas ad proſtitutionem: hoc & maleficus incantans*

Digitized by Google

tans mala, & vendens malitiam ſuam. Quidquid tale prohibere conaremur, reſponderent omnes, quia non haberent, unde viverent, quia inde ſe paſcerent: quaſi non hoc ipſum in illis maximè pudendum eſt, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam tranſigant, & inde ſe volunt paſcere, unde offendant eum, à quo omnes paſcuntur. Undè rectiſſimè S. Thomas Opuſc. 73. cap. 8. *Uſura non excuſatur, etiam quantumcumque ordinetur ad vitæ neceſſitatem.* Habent enim ſimiles perſonæ alia media ſeſe intertinendi ſuâ pecuniâ, de quibus ita Gudelinus ſuprà: *Igitur, ubi vel neceſſitas pupilli* (Viduæ, Ancillæ, Nobilis, &c.) *vel abundantia pecuniæ ſuadet eam collocari, optimum eſt hodie agros inde comparari, hâc curâ adhibitâ, ut tales comparentur, ex quibus ſint expediti proventus, minimumque onus tributorum, & quorum venditor ſit locuples, ut queat evictionis nomine conveniri. Aut poterunt inde annui reditus emi, quos ab uſurâ differre, atque adeo lege Chriſtianâ licitos eſſe, dicam ſuo loco.* Idem ſtatuit lex Belgii loco ibi ante, ut pecuniæ pupillares dentur ad cenſum Statibus Brabantiæ, aut membris Flandriæ. Aliud inſuper habent illæ perſonæ hîc remedium, ſcilicet dando pecuniam illam mercatori ad ſocietatem, quod licitum eſſe, dicetur ſuo loco.

Objiciunt alii, ſe facere opus charitatis, dum ſub modico intereſſe dant proximo pecuniam, quâ ille, vel debitoribus ſatisfacit, vel officium, aut aliam rem fructiferam emit, ad quod debuiſſet ille res ſuas aliter vendidiſſe viliſſimo pretio. Reſp. Cum uſura ſit intrinſecè mala, nullo boni finis intuitu poterit honeſtari. Deindè, juxta doctrinam Apoſtolicam, non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Nec ex eo, quòd proximus inde ſublevetur, aut adjuvetur, licet furari: neque etiam plus vendi poteſt res ob commoditatem ementis, dum illa commoditas non ſit vendentis, quam proindè non poteſt vendere. Undè *Can. Super eo, de uſuris: Cum uſurarum crimen utriuſque teſtamenti pagina deteſtatur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus: quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vitâ mentiri; multò magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimendâ vitâ captivi, uſurarum crimine involvatur.*

Ex dictis infero, dictam praxim eſſe verè uſurariam in illis, quibus verè nullum lucrum ceſſat ratione mutui. An verò excuſari poſſint ratione triplicis Contractûs prædicti, ſuo loco diſcutietur. Notandum tamen id ultimò, omnes unâ voce docere, conſultiſſimum eſſe, dictam Conſuetudinem tollere, uti etiam docent Leſſius, & Jacobus Marchantius *reſolut. Paſtoral. cap. 7. num.* 13. & Navarrus *cap.* 17. *num.* 257. optaret, ut Epiſcopi, vel ſaltem Pontifex hîc aperiret ſuam ſententiam, quam jam inde plurimi Epiſcopi aperuerunt pro contrario, uti ex dictis conſtat. Concludit Marchantius ibid: ſe non approbare, quòd aliqui nimis vehementer in publico invehantur in eam praxim ſine ſufficienti diſcretione: dum experientiâ conſtat, indè non ſequi fructum, ſed potius tumultum, & conſcientiarum involucrum. Sed quamvis omnis in Concionatore indiſcretio meritò damnetur: tamen ob conſcientiæ tumultus neceſſaria veritas non eſt reticenda, & melius eſt naſci ſcandalum, quam relinqui veritatem.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis infero ulterius, uſurariam eſſe conſuetudinem, quam admittunt Conſuetud. Urbis noſtræ Antverp. *tit. van Koopmanſchappen*, *Art. ultimo:* ubi ſtatuitur, ut quoties quis alteri pecuniam mutuat, poſſit convenire de intereſſe per modum cenſûs ad nummum 16. quæ conventiones ſint validæ, etſi quoque mutuatarius, aut mutuator, ſeu creditor non eſſet mercator: quæ etiam obligationes pro cenſibus reputentur. Quod id falſum ſit, conſtabit manifeſtè ex dicendis de cenſibus: neque enim ſecularis authoritatis id cenſum facit, quod revera eſt mutuum. Idem ante nos obſervavit D. Anſelmo *Tribon. cap.* 42. *num.* 13. dicens, eam conſuetudinem eſſe contra jus divinum, & contra ſententiam omnium Theologorum etiam primitivæ Eccleſiæ, & Bullam Sixti V. in Synodo Antverpienſi renovatam, quam Bullam poſtea referam, agendo de ſocietate.

SECTIO X.

An fructus percepti ex pignore, debeant computari in diminutionem ſortis.

Cum ex naturæ lege poſſit mutuans ſe ſervare indemnem; poteſt ad ſuam aſſecurationem à mutuatario exigere aliquid pignus, ſeu hypothecam fructiferam, de quibus, interea quo ſors necdum redditur, quæri ſolet, an fructus illi computari debeant in ſortis diminutionem.

Dicendum ad hoc, quod ſi quis mutuans ex accepto pignore fructifero percipiat fructus, neque eos in diminutionem ſortis deducat, ſit uſurarius, teneaturque fructus illos reſtituere. Ratio eſt, quod ſit uſura, aliquid accipere ultrà ſortem vi mutui, quod hîc fit, percipiendo fructus. Deindè, mutuans ratione mutui, nullum jus acquirit in fructus, qui ſequuntur rem ipſam. Neque etiam pignus illud datur in utilitatem creditoris, ſed ejus ſecuritatem; adeoque utilitatem ejus, puta fructus, non poteſt creditor accipere, niſi eos deducendo in ſortem. Dicta tamen intellige de tali pignore, cujus uſus non ſit talis, qui gratis inter amicos ſoleat concedi, v. g. libri, aut rei ſimilis. *Avaritia tamen hujus mundi aliter ſentit*, ait Binsfeld. in *Cap.* 1. *de uſuris q.* 1. *quia vix eſt, qui cogitet de reſtitutione fructuum, quando pignus fructiferum pro mutuo tenet, & integra ſumma ſortis ſine ullo ſcrupulo conſcientiæ ſæpe repetitur.*

Neque ſolùm deduci debent fructus ex dicto pignore percepti, ſed etiam non percepti, quos ſcilicet percepiſſet, ſi non fuiſſet in dolo; vel negligentiâ, aut latâ culpâ. Si tamen mutuans feciſſet expenſas neceſſarias pro conſervatione, vel reparatione pignoris in colligendis fructibus, &c. poſſet eas deducere, neque computare in ſortem. Nemo enim debet cum ſuo damno alteri ſubvenire, niſi in neceſſitate.

Quid hic dicendum ſit de pignore feudali fructifero.

An verò idem dicendum ſit de pignore feudali fructifero, eſt alia quæſtio. Ratio eſt dubitandi, quod quando res feudalis fructifera datur in pignus Domino directo, poſſit hîc percipere ejus fructus, eò quòd eos accipiat non ratione mutui v. g. ſed ratione contractûs feudalis, qui à principio initur cum hâc con-

conditione : *Trado tibi hanc terram v. g. eâ conditione, ut mihi preſtes hoc ſervitium, & accipias fructus terræ illius : ita tamen, ut ſi hoc ſervitium omittas, aut terram illam mihi des in pignus, tam terra, quam ejus fructus ſiant mei.* Hâc ratione dicunt communiter Canoniſtæ, eo caſu conſolidari dominium utile cum directo, uſusfructus cum proprietate, capitque Dominus directus fructus non tamquam alterius, ſed tamquam proprios. Ideo quoque hoc caſu feudatarius ceſſat à ſervitio vi contractûs feudalis præſtando. Deindè, reddita ſorte à feudatario, debet quoque reddi pignus feudale, qnia per datum pignus non amiſit feudatarius abſolutè dominium utile, ſed tantummodo pro eo tempore, quo debitum non ſolvit, aut ſortem. Hoc etiam ſenſu intelligendi ſunt alii, qui videntur hîc eſſe contrarii, ſcilicet eos agere de pignore, quod abſolutè eſt mutuatarii, uti agit S. Thomas : aut etiam de pignore feudali, pro eo tempore, quo ſors non ſolvitur. Si autem Dominus hoc caſu non remitteret ſervitutem, deberet fructus computare in ſortem; eò quòd ad ſervitium teneatur ratione perceptionis fructuum; ceſſante autem causâ, ſcilicet perceptione illâ, ceſſat effectus, puta ſervitium.

Sed quid dicendum de Caſu, quo Mercator dives dat Principi indigenti pecuniam mutuò, dato pignore villæ, aut Caſtri cum ſuis juribus, ſic ut mutuans ejus fructum etiam percipiat, an illos fructus debeat computare in ſortem? Reſp. Binsfeldius in *Cap. 1. de uſuris*, docet *q. 2. concl. 2.* Quod ſi in poteſtate Principis debitoris ſit redditio ſortis, non verò in poteſtate Creditoris, non oporteat eos computare, ſi de cætero accipiat juſtam penſionem juxtà praxim Patriæ. Ratio eſt, quia ſi id eſſet illicitum, foret, quia eſſet uſura; qualis non eſt, eò quòd non intercedat vera mutuatio, dum non poteſt ſors revocari, quod ſpectat ad rationem veri mutui. Quare alii docent, hîc intercedere emptionem, & venditionem fructuum, ac redituum, cum pacto retrovendendi, cum creditori placuerit. Si verò dicti fructus excedant juſtam taxam juxtà praxim Patriæ, debet exceſſus ille computari in ſortem, aut certè reddi : præſumitur enim, quod vi mutui ille exceſſus recipiatur, & fraus fiat legibus Patriæ. Securius interim, addit, addendum eſſe pactum, ut fructus computentur in ſortem, cum eo caſu nulla pars gravetur, & ſit virtualiter emptio reditûs, & æquum ſervetur pretium, nec de cætero quidquam recipiatur ratione mutui. Securiſſimum, ait, foret, ſi fieret contractus ille cum pacto retrovendendi ad libitum debitoris, eò quòd contractus ille abſolutè ſit licitus. Ità ille.

Verumtamen verius dicitur, etiam hîc lucrum aliquod provenire ex mutuo. Neque enim ideo ceſſat eſſe mutuum, quòd non poſſit revocari pro arbitrio creditoris, cum mutuum contrahi poſſit ad certum tempus, v. g. ad annum; neque ideo quis dicet mutuum extingui, quia ante talem terminum ſors non poteſt repeti, aut ideo contractum mutui in alium contractum commigraſſe. Deinde, nec etiam dici poteſt talem conventionem habere rationem emptionis, vel venditionis redituum, ut ille prætendit : cum in

Digitized by Google

emptione illâ ſemper hæc tria concurrant, conſenſus contrahentium, pretium determinatum, & res emenda, puta jus ad penſionem; quæ tria perficiunt emptionem, & venditionem, uti latius agendo de Cenſibus: ſed hîc fructus pignoris veniunt per modum acceſſionis, idque in vicem uſurarum, propter pecuniam mutuo datam, prout fit in contractu omni *Antichreſeos*, de quo ſect. 14. infrà, ubi oſtendetur eum eſſe illicitum: adeoque fructus perceptos, & qui percipi potuerunt ex pignore, debere computari in ſortem, prout in ſimili caſu judicavit Academia Ingolſtad. Juridica, prout ex Caniſio ibidem referam.

Quæri hîc ſolet, an etiam Gener debeat computare in ſortem fructus pignoris pro dote promiſſi à Socero. Reſp. ratio dubitandi eſt ex *Capt. Salubriter*, ubi dicitur: *Sanè, Generum ad fructus poſſeſſionem, quæ ſibi à Socero ſunt pro numeratâ dote pignori obligata computandos in ſortem, non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda.* Quæſtio eſt, quod qui accipit Uxorem certâ dote à Socero ſtatutâ, qui quia eam dotem actu non habet, dat Genero pignus, donec dos detur, & quæritur an Gener ille debeat fructus talis pignoris poſtea computare in diminutionem ſortis, donec dos ſolvatur. Reſp. Pontifex, quod non debeat, eò quòd fructus pignoris non ſint ſufficientes ad ferenda onera matrimonii; quod etſi omnibus ſit ſatis notum, varia tamen eſt hujus rei ratio. Alii enim hîc docent, Generum ad hoc non conſtringi, ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis. 2. Quod Gener ille poſſit eos fructus accipere ratione onerum matrimonii. 3. Ex eo, quod Socer cenſeatur Genero gratuitò donare illos fructus, adeo ut ſit donatio præſumpta. 4. Ideo, quod cum Vir debeat dote ſemper ſalvâ alere Uxorem; jure merito poſſit percipere dictos fructus: ſi enim dotem habuiſſet, potuiſſet eâ uti, emendo rem fructiferam, cujus fructibus potuiſſet Uxorem alere, manente dote Uxoris ſemper ſalvâ. Alii docent, hîc eſſe aliquid ſpeciale à jure conceſſum in favorem dotis, ratione intereſſe præſumpti, cujus Creditor quilibet cenſetur eſſe in causâ.

Quare non debeat gener computare in ſortem fructus pignoris pro dote dati.

Quidquid interim hîc ſit, certum eſt, hoc oriri ex natura contractûs dotalis, quæ talis eſt, quod vir accipiat Uxorem cum dote promiſsâ ad onera matrimonii ſufferenda, quæ viro debetur eo ipſo, quo eam accipit in Uxorem; adeo ut, ſi ſtatim accipiat dotem, etiam ejus fructus recipiat ob dictum finem. Si verò illa non detur, fructus pignoris ob eamdem cauſam accipiat: in quam acceptionem cenſetur tam Socer, quam Gener conſentire in contractu dotali; adeo ut pignus, quod ſurrogatur doti, habeat hîc rationem dotis; puta, quod fructus pertineant ad Generum, ad onera matrimonii ſubeunda. Et hâc ratione non debet eos Socer computare in ſortem, ſive ipſi accidat aliquod intereſſe, ſive non: quia hoc oritur ex contractu dotali; prout etiam ante dictum eſt de contractu feudali quoad fructus pignoris feudalis. Et juxta mox datam rationem exponi quoque oportet *Capt. Salubriter.*

Aliqua

Digitized by Google

Aliqua tamen hîc ſunt requiſita: 1. Ut Gener verè ſubeat onera matrimonii: quia, ſi Socer v. g. Generum cum ſua Uxore alat, ceſſabit hæc cauſa. Itidem eſt, ſi uxorem domo expellat. 2. Debet dos ſimpliciter eſſe promiſſa non ſub conditione, quod ſolummodo poſtea ſolvetur: illa enim conditio hoc efficit, ut non poſſit fructus pignoris accipere; maximè, ſi pignus detur ad ſecuritatem, ac Gener in dilationem conſentiat, intereà in ſe ſuſcipiens onera matrimonii. Alii tamen, eo etiam non obſtante, volunt equidem Generum poſſe recipere fructus eò quòd non ſit veroſimile, quod quis cedat ſuo juri cum ſuo proprio damno. Deindè etſi pro tempore doti renunciet, non ideo tamen renuntiat fructibus dotis, adeoque nec fructibus pignoris cenſetur cedere. 3. Hîc etiam ſolent requirere, ne ſolutio dotis differatur ob culpam Generi: ut puta, quod Socer dotem voluiſſet dare, nec Gener voluiſſet accipere: tunc enim Gener non poteſt conqueri, & Socer id præſtitit de ſe, ac ſi dotem jam actu tribuiſſet.

SECTIO XI.

An ſemper liceat mutuatori paciſci, ut ſibi reddatur mutuum in eodem pondere, numero, & menſurâ, quibus ipſe mutuavit.

PRimò, ſi dubium ſit, an res illa poſtea ſit habitura idem pretium, an verò aliud, omninò id fieri poteſt, eò quòd hîc ſit par mutuantis, ac mutuatarii conditio; & ſicut mutuator hîc poteſt lucrari, ſic & poteſt perdere. Secundò, etſi quoque prævideatur, quod poſtea termino elapſo res ſit pluris valitura, poteſt eamdem rem mutuatam termino elapſo repetere. Ratio peti poteſt ex ipſâ ratione mutui; ubi rei dominium quidem transfertur, ſed eadem ipſa res in ſpecie eſt reddenda: atqui poteſt mutuans obligare mutuatarium ad ea, quæ ſunt eſſentialia contractui. Deinde, quod eo caſu mutuator lucretur, non fit ratione mutui, neque terminus ille ob lucrum eſt ſtatutus, ſed potius ſtatutus eſt in utilitatem mutuatarii, quod mutuator non poſſit antea ſortem exigere. Tertiò, ſi mutuator rem eſſet vendíturus in ſuum commodum, quando mutuat, poteſt exigere à mutuatario, ut eam ſibi reſtituat in eodem valore, ac pretio, quod valebat tempore mutui: ratio eſt, quod niſi hoc liceat, reportaret mutuator damnum ex mutuo, & mutuatarius tunc ſe habet eodem planè modo, ac ſi rem illam vendat mutuanti eodem pretio. Quartò, ſi mutuans velit rem ſibi reddi eamdem certo tempore, quo prævidetur plus valitura, etſi ante illum temporis terminum non poſſit mutuatarius eam reddere: ſi tamen uſque ad illud tempus conſtituiſſet Mercator eam rem ſervare, nulla hoc caſu committitur injuſtitia: aliàs enim ſentiret ille damnum ex mutuo. Aliud eſſet, ſi rem illam uſque ad eum terminum non fuiſſet mutuans ſervaturus, quo caſu convinceretur intendere lucrum ex mutuo, in quo eſt uſura.

Contrà dicta objicies, ſi dum quis mutuat frumentum conſtans 4. quod

Digitized by Google

tempore ſolutionis conſtet 8. idem eſſet ac mutuans. 4. recepturus 8. quod eſt uſura. Reſp. negando aſſumptum: in mutuo enim ſolummodo ſervantur eſſentialia mutui, in quo non reſpicitur ad pretium rei, ſed quod eadem res reſtituatur, ejuſdem bonitatis intrinſecæ, in eodem pondere, menſurâ, &c.

Inſtabit aliquis, ſi mutues 100. aureos valentes modo ſingulis 12. regalia, non ſatisfaciet mutuatarius reddendo idem aurum, dum eorum pretium decrevit uſque ad 10. Reſp. aliam eſſe rationem pecuniæ, aliam rerum aliarum, quarum pretium, etſi augeatur, vel minuatur, manent tamen eadem in ſuâ naturâ; adeo ut mutuatarius ſatisfaciet, quod reddat eamdem rem, etſi pluris, vel minoris valeat. Pecunia tamen ut talis, cum ſit pretium rerum, etiam mutatur, dum mutatur ejuſdem valor, quo fit, ut ſi 100. aurei modo valeant 100. ſcuta, & poſteà 110. jam non erunt amplius 100. ſcuta, ſed 110. unde ſolùm reddi debent 100. ſcuta. Idem quoque eſſet, ſi certa menſura vini, vel olei, per legem poſtea augeretur, quo caſu tantum deberet illud reddi, quod antea tali, vel tali menſurâ fuiſſet mutuo datum.

Ultimò, qui mutuat triticum vetus, ut poſtea recipiat novum, quod erit in ſe melius, facit uſuram, dum intendit lucrum ex mutuo. Aliud eſſet, ſi vetus illud eſſet æquè bonum, ac novum, tantive valeat ob inopiam: ita etiam, quia vetus bonum reddit majorem farinam, licebit plus exigere de reddendo novo: hoc enim non exigitur ratione mutui, ſed ratione damni emergentis, dum illud novum acreſcens, fiat minus.

SECTIO XII.

An uſurarius fiat dominus uſurarum. Item de reſtitutione per uſurarium faciendâ.

AN uſurarius fieret uſurarum dominus, diu diſceptatum legitur apud veteres DD. communior tamen, uti & verior opinio tenet, quod uſurarum dominium uſurario non acquiratur. Ratio illius eſt multiplex. 1. Quod non poſſit uſurarius uſuris uti ad omnem uſum citrà alterius injuriam, quia eas debet reſtituere. 2. Quod ſi tranſlatio dominii hîc facta eſſet, eſſet facta per donationem mutuatarii; ſed talis non intervenit, dum non liberaliter, ſed involuntariè uſuras ſolvit; donatio autem debet omninò eſſe liberalis, & voluntaria. 3. Quod datur pro beneficio eccleſiaſtico debet reddi, quia illud eſt ſuper omne pretium: atqui mutuum etiam non eſt pretio æſtimabile, ergo. 4. Per contractum nullum, prout eſt uſura, nullum quoque transfertur dominium. 5. Uſurarius eſt verè fur, & latro, ac ab iis ſolummodo differt, quod à Republicâ non ſuſpendatur; ergo prouti fur tenetur ad reſtitutionem. 6. Juxtà D. Thomam, & ante dicta, tenetur uſurarius reddere fructus rei uſurariæ mutuatario; ergo ſignum eſt, quod non ſit dominus rei uſurariæ, dum res ſemper fructificat ſuo domino.

Uſurarius non fit dominus uſurarum

Obji-

Digitized by Google

Objiciunt aliqui, quod mutuatarius libere det uſuras; ſcienti autem, & conſentienti non fit injuria. *Reſp.* liber conſenſus hîc non ſufficit ad tranſlationem dominii; ſed requiritur inſuper juſtus titulus, qui non eſt donatio (qui videretur adeſſe) cum illa debeat eſſe liberalis, qualis non eſt in hoc caſu. Nec enim vellet mutuatarius aliquid dare ultrà ſortem, niſi neceſſitate compulſus: & totum, quod dat, ſolummodo dat ad redimendam vexam, quia alter non vult aliter mutuare. Sicque cenſetur dare velle minimum, quod poteſt; putà ſolam rei exhibitionem ſine dominio, ac quaſi ſolùm in depoſito.

Inſtabis, involuntarium ex neceſſitate, & indigentiâ non vitiat contractum, v. g. qui neceſſitate preſſus rem vendit minoris, qui metu mortis v. g. patibuli ducit Uxorem, &c. *Reſp.* illud quidem verum eſſe, quando de cætero nulla in eo contractu intervenit injuria, uti fit in uſurâ; quo caſu non cenſetur injuriam patiens conſentire: ex injuria verò nullum jus naſci poſſe, eſt manifeſtum. Hinc ſolummodo mutuatarius cenſetur tantum velle dare, quantum debet dare, puta ſortem, & lucrum uſurarium non quoad dominium.

Ex dictis manifeſtè ſequitur, quod quidquid extortum eſt ratione mutui, debeat mutuatario reſtitui: lucrum enim uſurarium eſt contra juſtitiam commutativam, dum à proximo extorquetur, quod ſuum eſt: atqui violatio juſtitiæ Commutativæ inducit obligationem reſtituendi. Quod verò etiam fructus rei uſurariæ reddi debeant, ſufficienter patet ex dictis ſect. 10. dum dicimus, eoſdem deducendos in computationem ſortis. Aliud eſt de fructibus rei uſu conſumptibilis, quæ res, etſi reddi debeat, non tamen fructus ejus juſtè ex tali re acquiſitâ. v.g. pecunia uſuraria reddi oportet, non tamen lucrum illud, quod eâ pecuniâ negotiando eſt comparatum ab uſurario. Pecunia enim, etſi naturâ ſit ſterilis, fructificat tamen ex induſtriâ utentis: quod verò quis acquirit ſuâ induſtriâ, eſt ſuum. Dictum eſt *juſtè*, quia ſi injuſtè ſit lucratus, v.g. per aliam uſuram, certum eſt illud debere reſtitui, uti quodcumque uſurarium.

Neque hîc dici poteſt, quod uſurarius non habeat plus juris in id, quod pecuniâ lucratur, quam in pecuniam ipſam, cujus non eſt dominus, dum ratione propriæ induſtriæ habeat jus in lucrum, quod non provenit ex pecuniâ, ſed ex uſurarii labore, & negotiatione. Nec etiam obeſt, quod ſi uſuris emantur poſſeſſiones, ſeu prædia, debeant illa vendi, ut de eorum pretio reſtituantur uſuræ; ex quo videtur ſequi, eâdem ratione reddendum eſſe lucrum pecuniæ: quia, quod debeant vendi dictæ poſſeſſiones, ideo eſt, quod illis, qui dederunt uſuras, uſuræ ſint reſtituendæ, ac poſſeſſiones illæ forſan pluris valeant; quare etiam de tali lucro reddendæ eſſent uſuræ, ſi non haberent aliam rem uſurarii.

Quæri hîc ſolet, an uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem. *Reſp.* non agitur hîc de uſurâ merè mentali, puta de animo faciendi uſuram, ſed de uſurâ non purè mentali, v.g. de illâ, quâ intenditur lucrum ex mutuo, nullo tamen externo pacto adjecto de lucrando aliquid ultra ſortem. Poteſt autem *An uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem.*

uſura

Digitized by Google

uſura mentalis fieri ex parte mutuantis tantum, dum ille habet animum uſuræ malum, mutuatarius non habet, qui dat lucrum ex merâ benevolentiâ. Deinde, eſſe poteſt talis uſura ex parte mutuatarii tantum, qui lucrum dat, ob mutuum, quod mutuans accipit ut antidorale, ſive ex gratitudine debitum. Denique, poteſt eſſe uſura ex parte utriuſque. Si adſit uſura mentalis ex parte utriuſque, tenetur mutuator ad reſtitutionem. Definit namque Pontifex Capt. *Conſuluit*, teneri ad reſtitutionem uſurarium mentalem: atqui talis eſt propriè uſurarius mentalis, quando talis uſura provenit ex parte utriuſque. Deinde, omnis uſura obligat ad reſtitutionem, juxta ante dicta: atqui uſura mentalis eſt vera uſura. Denique, omne lucrum per injuſtum contractum extortum, eſt reſtituendum, ergo.

Si verò ſit uſura mentalis ex parte mutuatarii tantum, non obligat ad reſtitutionem, quamdiu in mutuante manet bona fides, lucrum illud gratis eſſe datum: contrario verò jam cognito, erit illud omninò reſtituendum, in quo factus eſt ditior. Ratio illius eſt illa, quod qui bona fide rem aliquam poſſidet, non teneatur durante illâ fide bonâ eam reddere: ille autem rem illam, puta lucrum, putat ſe poſſidere bonâ fide titulo donationis gratuitæ, ergo.

Si verò ſit uſura mentalis ex parte mutuantis tantummodo, tamdiu peccat, & tenetur ad reſtitutionem, quamdiu ſe putat habere lucrum ex mutuo. Dum verò noſcit illud datum eſſe animo benevolo, poteſt illud retinere. Ratio prioris eſt, quod ille habeat conſcientiam, ſe habere aliquid ex mutuo ultra ſortem, adeoque uſurarium; & conſequenter peccat illud retinendo, teneturque ad reſtitutionem; aliàs ageret contra conſcientiam, quod numquam licet. Ratio autem poſterioris eſt, quod ideo preciſè non debeat reſtitui alienum, quod alienum ſit, ſed quia damnum intulit: atqui eo caſu nullum damnum eſt illatum, neque in eo, quod quis liberè vult, propriè patitur injuriam; & illud propriè reſtitui debet, quod retinetur invito domino. Deindè, prior debet ſolummodo reſtituere ob conſcientiam erroneam, quæ conſcientia depoſita non amplius ligat, quæ deponitur eo ipſo, quo noſcitur gratis illud eſſe datum.

Objiciunt hîc aliqui generaliter, quod ſimonia mentalis non obliget ad reſtitutionem, ergo nec uſura mentalis ad eam obligabit. Reſp. negatur paſſim conſequentia: ſed quæ ſit ratio diſparitatis, non una omnibus eſt ſententia. Aliqui dicunt, quod ſimonia mentalis, de quâ in Capitulo *Mandavit*, ſit ſolùm juris humani: uſura autem mentalis, ſit juris naturalis, & divini; adeoque excuſari poſſit in ſimoniâ, non itidem in uſurâ. Alii id docent ſpecialiter ſtatutum eſſe in odium uſuræ. Alii volunt id provenire ex eo, quod ſimoniacè accepta debeant reddi Eccleſiæ, & conſequenter poſſit Eccleſia in eo diſpenſare: in uſura verò res uſuraria reddi debeat perſonæ, à quâ eſt per uſuram extorta. Alii, quod qui ſimoniacè dat, det voluntariè: qui dat ad uſuram autem, det involuntariè. Si quis autem quærat ejus diſcriminis rationem, quærat ab ipſis Legiſlatoribus, ait Binsfeldius in Capt. *Conſuluit*; dum juxtà

juxtà eumdem clara illius ratio non poteſt dari. Et quamvis ex dictis de ſimoniâ mentali, non nulli conſequenter cenſuerint, uſurarium mentalem non teneri ad reſtitutionem; contrarium tamen, ait Proſper. Fagn. in Capt. *Conſuluit*, ſecundum Innocentium eſt tutius, imo veriſſimum, & aliud falſiſſimum. An verò ſimoniacus mentalis teneatur etiam ad reſtitutionem; æquè ac uſurarius mentalis, dicetur ſuo loco, agendo de ſimoniâ.

Quæres 2. an hæres uſurarii teneatur ad reſtitutionem. Reſp. tenetur omninò, eſtque aperti juris: quiſquis enim retinet aliqua, quæ malâ fide ſunt acquiſita, & reſtitutioni obnoxia, debet eadem reſtituere; deinde res, uti & actio paſſiva, & activa, tranſeunt ad hæredes cum ſuo onere. Neque id ſolummodo verum eſt, quando uſurarius pœnitens diſcedit, quaſi tali caſu cenſeatur implicitè pœnitendo id promittere, & hæres ex tacita promiſſione mutuâ cenſeatur ad hoc ſeſe obligaſſe: ſed etiam id verum eſt, etſi impœnitens diſceſſerit. Sicuti enim hæres furis, ac latronis impœnitentis tenetur æquè ad reſtitutionem, ac hæres furis pœnitentis: ita & hæres uſurarii, ſive pœnitentis, ſive impœnitentis, tenetur ad reſtitutionem. S. Antoninus declarat illud allato exemplo 2. *Parte tit.* 1. *cap.* 6. §. 3. *Legitur*, inquit, *de quodam uſurario, quod cum infirmatus eſſet, & quidem graviter, ac filios duos haberet, viſitatus à Confeſſore confeſſus eſt, & non negavit peccatum ſuum. Cui, cum declaraſſet Confeſſor, quod oporteret eum omnia malè ablata reſtituere, aliàs ſalvari, & abſolvi non poſſet, & filii eum ad hoc hortarentur: ut poſſet, & ſacramenta ſuſcipere, & animam ſalvam facere: ſciebant enim uſurarios ejus contractus. Reſpondit ille miſer, ego non poſſum, quia ſi ſuperviverem non haberem ad manducandum: ſed oporteret me mendicare. Si morerer, & vos oporteret ire ad hoſpitale. Nihil enim vobis remaneret, quia omnia de uſuris ſunt. Cui illi: non curetis de nobis, provideatis ſaluti veſtræ. Tacete, ait ille, volo ire potius, & ad miſericordiam Dei ſtare, quam mercedem hominum: quia inhumani, & immiſericordes ſunt: Deus autem clementiſſimus. Sicque in ſuâ obſtinatione migravit. Quod attendens unus ex filiis, hortatus eſt germanum ad reſtituendum, ne ſequerentur patrem in damnatione: cui ille. Si pater meus uſuras fecit, ego illas non feci: volo portione meâ gaudere, dum vivo: de futuro neſcio, quid erit: permanſit ergo in vitio patris detinendo partem ſuam. Alius verò reſtituit certa certis perſonis, & incerta pauperibus erogavit. Cum autem in bonis duceret dies ſuos ex ſubſtantia funebri prior in puncto ad inferna deſcendit moriens: alter verò, qui ſtatum religioſum aſſumpſerat, factâ reſtitutione de parte ſuâ, quâdam die cum oraret, vidit in viſione terram apertam, & in profundum ignem maximum immenſam flammam extendentem. Et in profundo inferni, inter cæteros vidit patrem ſuum & fratrem ſuum ſuper eum, quem pater frequenter maledicebat, dicens maledictus, &c. Quia propter te, ut divitem te dimitterem, huc deveni. Et filius reſpondebat: imo tu maledicaris, quia propter te huc veni. Si enim non dimiſiſſes mihi male acquiſita, ego me caviſſem ab aliis vitiis. Et ſic ſtabant in illa altercatione. Quod ille cernens, dominum* lau-

An hæredes uſurarii teneantur ad reſtitutionem.

laudavit de ſua illumnatione, quia reſtituerat. Unde clarè patet, quomodo bona uſurarie acquiſita cum ſuo onere & incommodo tranſeant ad hæredes alioſque poſſidentes. Hinc patet, quod alia eſt ratio peccatorum, quæ contra charitatem committuntur, ut ſunt ira, invidia, ſuperbia, &c. Alia eorum, quibus juſtitia læditur, ut ſunt rapina, furtum, uſura, omniſque illicita uſurpatio rei alienæ. Priora non excedunt auctores ſuos, ſed unuſquiſque morietur in iniquitate ſua: in poſterioribus verò filius portabit iniquitatem patris, quando ſuccedit in bonis paternis, quæ reſtitutioni obnoxia ſunt, & non reſtituit. Relictâ hiſtoriæ veritate penes Authores, ſatis interim hîc innuitur, quam periculoſum crimen ſit uſura, & quam difficilis uſurarum reſtitutio.

Quæres, quid ſi unus hæredum reddatur impotens ſolvendo, aut alius, qui manet potens, teneatur in ſolidum. Reſpondent aliqui affirmativè, eò quòd omnia bona uſurarii ſint hypothecata mutuatariis, & conſequenter etiam, dum eadem bona perveniunt ad hæredes. Deinde, filii uſurarii defuncti, tenentur reſtituere, ut ipſe uſurarius, qui ſi viveret, & media bonorum pars eſſet diſtracta, de alio medio reſtante deberet totum reſtituere: ergo, etſi media bonorum illorum pars pereat apud unum hæredem, remanente aliâ hæreditate apud alium hæredem, debet de illâ totum reſtituere. Alii tamen verius videntur docere, hæredes uſurarii teneri ad reſtitutionem pro ratâ hæreditatis. In diviſione enim hæreditatis omnia debita ſunt dividenda, tam activa, quam paſſiva, adeo ut, ſi eſſet unus hæres, ad eumdem ſpectarent omnia debita: ſi plures hæredes, inter eos eſſent dividenda, uti inter eos dividenda eſſent bona: atque ita non tenebitur quilibet hæres in ſolidum, ſed ſolummodo pro parte hæreditatis ſibi competentis.

Quod autem omnia bona uſurarii dicantur eſſe hypothecata mutuatariis, gratis aſſeritur, & nullo jure invenitur eſſe ſtatutum. Deinde, obligatio uſurarii tranſit quidem ad hæredes, ſed non ideo tranſit illa ad ſingulos in ſolidum, ſed tantum pro ratâ. Imo, etſi hæres non feciſſet inventarium, tamen ob delictum uſurarii non tenetur hæres ultra vires hæreditatis ad reſtituendum in foro conſcientiæ. Ratio illius eſt, quod non teneatur hæres ad hoc in aliis delictis. Deindè, hæres tantum tenetur ad hoc ratione hæreditatis, quam cum rectè expendit, ad nihil aliud obligatur: niſi forſan hæres uſuris fuiſſet cooperatus, quo caſu teneretur.

Dictum eſt *in foro conſcientiæ*, quia eo caſu de jure communi etiam obligabitur ultrà vires hæreditatis, dum jura præſumunt hæreditatem fuiſſe ampliorem, quando hæres beneficio inventarii non eſt uſus; adeo ut etiam in conſcientiâ obligetur poſt latam ſententiam. Vide, quæ dicta ſunt de beneficio inventarii ſuprà Cap. 3. Sect. 6. Si verò hæredes non ſatisfaciant, quando hæreditas eſt ſufficiens, obligatio reſtituendi non devolvitur ad legatarios; eò quòd onera defuncti, ſequantur hæreditatem, non legata; niſi quando hæreditas eſt inſufficiens.

S E-

Digitized by Google

SECTIO XIII.

De aliis ad reſtitutionem uſurarum obligatis.

GEneraliter quicumque verè, & efficaciter concurrit ad uſuram, tenetur ad illarum reſtitutionem, tamquam vera cauſa coöperans: hinc ad illam tenetur Conſulens uſuras, eas mandans, de eis participans, & non obſtans. Qui enim dat cauſam damni, damnum dediſſe videtur, Cap. *ſi tua culpâ, de injuriis.* Quouſque tamen coöperatio ad damnum inducat obligationem reſtitutionis, demonſtravimus C. 8. Tract. 1. Ex his deduco:

1. Teneri ad reſtitutionem uſurarum Proxenetas, Miniſtros uſurariorum, negotiorum geſtores, factores: tutores, qui pupillorum pecuniis uſuras faciunt, etſi id faciunt nomine alieno.

2. Procuratores, ac Advocatos uſurariis patrocinantes in causâ uſurarum; Judices illis uſuras adjudicantes, &c.

3. Notarios, ſive Tabelliones facientes inſtrumenta uſurarum, uſuras intricatis terminis palliantes, ſi id faciant in gratiam uſurariorum; ſi enim id faciant in gratiam mutuatarii, non obligatur; eò quòd ſcienti, & volenti non fiat injuria, etſi de cætero graviſſimè peccent ejuſmodi Notarii contra debitum ſui officii.

4. Famulos, qui præſunt menſæ fœnebri; qui contractibus uſurariis celebrandis inſerviunt, aut ſerviunt uſuræ exigendæ, recipiendæ, pignora ad uſuram accipiendo, ferendo, cuſtodiendo in gratiam uſurarii: etſi enim mutuatarii non cenſeant ſimiles facere illis magnam injuriam; eò quòd id facere cenſeantur juſſu domini uſurarii: coöperantur tamen efficaciter injuſtæ actioni uſurariæ, & conſequenter tenentur ad reſtitutionem. Qui tamen in gratiam mutuatarii pecuniam mutuò petunt, eamdem numerant, pignora, ne corrumpantur cuſtodiunt, non tenentur, ob datam mox rationem. Amanuenſes, qui ſcribunt libros rationum, etſi hîc ab aliquibus excuſentur, verius tamen moraliter loquendo uſuris coöperantur, dum ad hoc ſerviunt, ut uſurarum exactio melius mandetur executioni, & memoriæ.

5. Principes, ac Magiſtratus, qui non obſtant uſuris, quales ſunt, qui ſuâ authoritate, & poteſtate illas non tantùm permittunt, juxtà dicta Sect. 6. Cap. 5. ſed etiam eaſdem approbare moraliter cenſentur.

6. Sicuti famulus non poteſt exigere uſuras ſui domini, ita nec poteſt eaſdem exigere Creditor uſurarii, qui ſuo Creditori aſſignat 100. flor. accipienda à mutuatrio, ſi creditor ſciat, illa 100. eſſe debita ex uſurâ. Si verò de illo dubitet Creditor ille, debet veritatem indagare: quod ſi dubium perſeveret, poterit illam aſſignationem acceptare, eò quòd hic juſtè procedat, ut bonus negotiator: quod ſi poſtea deprehendat fuiſſe uſuras, debet 100. illa reddere, uti alibi dictum eſt de emptione rei furtivæ. Denique, ſi ipſe uſurarius accepiſſet illa 100. non poſſet Creditor eadem recipere ab uſurario debitore,

cò quòd non fuerint in dominio uſurarii, qui proindè non potuit transferre eorumdem dominium in Creditorem.

Excuſantia à reſtitutione. Quæres, quid hîc excuſet à reſtitutione faciendâ. Reſp. ex dictis C. 8. Sect. 6. Tract. 1. conſtat, varia excuſare à reſtitutione faciendâ, quæ huic materiæ ſunt accommodanda. Solummodò notandus eſt gravis aliquorum error, qui putant ſolâ commixtione pecuniæ uſurariæ cum non uſurariâ, fieri uſurariam pecuniam ipſius uſurarii, ſi uſuraria à non uſurariâ nequeat diſcerni. Quod enim commixtione acquiri poſſit dominium (ut ante diximus) intelligi debet de rebus bonâ fide acceptis, qualia non ſunt bona per uſuram extorta. Neque enim ullus eſt titulus hoc aſſerendi; maximè, quod ſic plurimi uſurarii eo titulo eſſent liberandi. Porrò, quibus uſuræ, quo ordine, quali obligatione ſint reſtituendæ, ſufficienter intelligi poteſt ex dictis de reſtitutione Cap.

An emptor rei uſurariæ teneatur ad reſtitutionem. Quæres, an emptor rei uſurariæ teneatur ad reſtitutionem rei emptæ. Reſp. Varii Authores cum Adriano inferunt ex eo, quod uſurarius non habeat dominium rerum uſurariarum, rectè ſequi, quod contractus omnes uſurarii de talibus rebus, ſive gratuiti ſint, ſive oneroſi, ſint omninò nulli: undè invalida erit rei uſurariæ donatio, emptio, venditio, &c. Alii cum Soto docent, & diſtinguunt, quod res uſu conſumptibiles uſurariè acceptæ non poſſint alienari; res verò uſu non conſumptibiles poſſint, ſi habeat alias res, undè poſſit uſurarius reſtituere. Si verò non habeat alia bona, undè reſtituat, aut non niſi uſurariè accepta, aut aliis debita; tunc, ait Soto *de Jure, & Juſt. lib. 6. quæſt. 1. artic. 1.* Vniverſale fermè Doctorum reſponſum eſt, omnes ejus contractus eſſe irritos; quia omnia illa bona ſunt debitis obligata, vel obligatione reali, vel perſonali. Hanc tamen, tam univerſalem ſententiam probare ipſe non poteſt, niſi cum certo moderamine. Si enim ſit contractus gratuitus v. g. donationis, planum, ait, eſt, contractum non valere: ſi ſit oneroſus, dicit eſſe diſtinguendum; nam ſi per eum uſurarius nihil recipiat, quod debitoribus ſolvat, fatetur itidem eſſe caſſum; ut ſi ex illis filiam dotet, non habens alia, undè dotaret: ſi verò vendat, dummodo id non fiat in fraudem, arbitratur contractum ſecundùm jus naturæ firmum eſſe, emptoremque in conſcientiâ nullatenus teneri ad reſtitutionem: nam venditor, etſi rem vendidit, pretium tamen recepit; quare nihil minus habet in bonis, & ex illo pretio poteſt ſolvere uſurarum debita, ſicut poterat ex re ipſa. Et quamquam Jus civile talem contractum irritet, ac reſcindat, id fiet ob præſumptionem fraudis, quâ ſepoſitâ, non eſt cur conſcientiam remordeat. Ex dictis infert dictus Author, periculoſum eſſe, cum uſurariis, atque aliis, qui creduntur non alia bona poſſidere, quàm illicitè acquiſita, inire aliquos contractus.

An liceat pecuniam ſuam deponere apud uſurarium. Quæres, an ille etiam uſurario coöperetur, qui pecunias ſuas apud uſurarium deponit. Reſp. cum D.Thoma, poteſt tribus modis pecunia deponi apud uſurarium: 1. Si bonâ intentione quis illas deponat, quibus uſurarius malè utitur ad uſuram, non habens alias pecunias, quibus fœneretur, niſi apud ſe depo-

deponſitas. 2. Si pravâ intentione eas deponat; puta, ut eas uſurarius det ad uſuram. 3. Si uſurarius habet alias pecunias, ſed eas ſolummodo deponit in ejus cuſtodiam. Hiſce poſitis reſpondendum eſt. 1. Quod qui uno ex duobus modis prioribus pecuniam ſuam deponit apud uſurarium, reverà peccet, dum voluntariè dat cauſam peccati, quod in primis eſt contra charitatem: Aliud eſſet, ſi neceſſitate coactus, aut aliquâ cauſâ rationabili id ageret; quo caſu non peccaret, cùm nemo cum ſuo damno gravi teneatur evitare ſcandalum paſſivum alterius. Imò, dicendum videtur, etiam illum peccare contra juſtitiam, ſitque verè particeps uſurarum; prout ille, qui deponit gladium apud furioſum, peccat contra juſtitiam, & eſt particeps homicidii: prouti etiam, qui præbet arma illi, qui vult injuſtè bellare, peccat contra juſtitiam. Quamvis enim illi non intendant expreſsè damnum alterius, & uſuræ fiant culpâ, ac malitiâ uſurarii: intendunt tamen illud interpretativè, dando voluntariè materiam proximam uſuræ.

Qui verò tertio modo pecuniam deponit apud uſurarium, & cauſam habeat, quare potius deponat pecuniam apud uſurarium, quàm apud alium, & inſuper veroſimiliter credat, quod pecunias illas non dabit uſurarius ad uſuram, videtur ille eo caſu non peccare; eò quòd tali caſu non cenſeatur moraliter loquendo dare cauſam peccati, vel ejus peccato conſentire, ſed alterius ope uti ad finem bonum. Quia tamen maximè periculoſum eſt, & moraliter certum, quod uſurarii lucro ſemper anxiè inhiantes, illis pecuniis abutentur ad uſuram; ideo abſolutè omnibus conſulendum juxta varios, pecunias ſuas uſurariis non dare, ne quidem ad cuſtodiam; niſi fortè cauſam haberent urgentem eas ita deponendi, ratione cujus non cenſerentur moraliter loquendo alterius peccato conſentire, aut peccati periculo: vel etiam, niſi moraliter certò ſibi conſtaret, aut ita crederent, uſurarios eâ pecuniâ non abuſuros.

Quæres, an etiam liceat aliquando accipere mutuum ſub uſuris. Reſp. in primis numquam licet aliquem inducere, ut det ad uſuras; dum non ſolùm ii, qui malè agunt, ſed etiam qui malè agentibus conſentiunt, digni ſunt morte; ergo multò magis illi, qui inducunt ad malum. Secundò, ille qui ſimpliciter petit mutuum ab eo, qui illud nolit dare, niſi ad uſuram, & neceſſitate preſſus ita mutuum accipit, non peccat. Ratio eſt, quod ille non petat ad uſuram; ſed petit id, quod licitum eſt, & alter poteſt licitè facere: unde potius malum permittit, ac injuriam potius patitur, quàm injuriam faciat; pati autem illam non eſt malum, ſed eam facere. Ita Heſſelius *Cap.* 210. *in Decalogum.* Tertiò, etiamſi quis ſit in neceſſitate gravi conſtitutus, poterit expreſsè petere mutuum ad uſuram, ab alio non volente aliter mutuare, nec poſſit aliundè mutuum accipere. Ratio eſt, quia etſi videatur quoad externam apparentiam petens activè concurrere ad uſuras: verè tamen, ac moraliter loquendo non concurrit, niſi paſſivè: ergo ſicuti hoc licet priori modo jam dicto, etiam licebit hoc modo: quod enim hoc modo expreſſius id petatur, & alio modo ſolùm implicitè, parum conducit ad moralitatem actûs. Quartò, non licet pe-

An liceat accipere ad uſuram

 tere,

tere, aut accipere ad uſuras, etiam ab eo, qui paratus eſt uſuras facere, ad oſtentationes, ludum, luxum, &c. Ratio eſt, quod abſolutè ſit vetitum non vitare alterius peccatum, ubi nulla eſt neceſſitas. Deindè, talis cenſetur moraliter loquendo alterum inducere ad peccatum; adeo ut verius ſit, talem etiam peccare mortaliter; non ſolùm, dum id petit ad finem mortaliter malum: ſed etiam dum petendo ad alium finem, conſentit peccato mortali uſurarii.

Objiciunt tamen contrà tertiam concluſionem, quod dare ad uſuram, ſit intrinſecè malum, ergo nullo caſu licet expreſsè petere ad uſuram, non magis, quàm ex neceſſitate alium inducere ad mentiendum, aut fornicandum. Reſp. dupliciter quidpiam eſt intrinſecè malum, ſemel ſecundùm ſe, & ſecumdùm ſuas circumſtantias, uti eſt mentiri, fornicari, &c. Quod numquam, aut ullo titulo poteſt fieri, aut exigere. Aliud eſt ſolummodo malum intrinſecè ſecundùm circumſtantias, & ſecundùm actum eſt ſæpè bonum, v. g. per mutuum dare ad uſuram: mutuum enim eſt verè bonum, ſed ex eo velle lucrari, eſt malum, & quidem intrinſecè; quo caſu, dum quis neceſſitace pulſus petit mutuum, petit ſolummodo ſubſtantiam actûs qui eſt bonus; non itidem actûs circumſtantiam, puta cum lucro. Et quamvis exterius id videatur quoque petere, abſolutè tamen illud non petit, & ſolùm permittit, ac injuriam patitur. Conſentit ergo talis verè & efficaciter mutuo, ſed non uſuræ.

Inſtabis, non licet petere à malefico etiam parato, ut maleficium maleficio ſolvat; ergo neque hîc poteſt petere mutuum ſub uſurâ ab uſurario, etiam ad id parato. Reſp. qui mutuum petit modo mox dicto, petit illud, quod licitè poteſt fieri: qui verò id petit à malefico, petit id, quod non poteſt licitè fieri. Deindè, petens mutuum, petit aliquid, quod per ſe ſpectat ad ſocietatem humanam, quod de ſe eſt licitum: qui verò id petit à malefico, petit aliquid, quod ſpectat ad ſecietatem diabolicam, quod nullâ neceſſitate eſt licitum. His jam dictis adde, quod ſi quis in extremâ neceſſitate eſſet conſtitutus, poſſet inducere uſurarium ad dandum ad uſuram, ſi non poſſet aliter neceſſitatem evadere. Ratio eſt, quod hoc non ſit alium inducere ad peccatum, ſed ſolùm conſulere minus malum, ad evadendum majus malum: puta ad evadendum, & præcavendum alterius homicidium, conſulere uſuras. Hinc ex S. Auguſtino dicitur, *Can. ſi quod verius. Si facturus es, quod non licet, puta, vel uxorem occidere, vel dimittere, faciat adulterium, & non homicidium.* Neque etiam hoc eſt facere malum, ut eveniat bonum; dum ita conſulere, eſt abſolutè bonum.

Ex quibus apertè ſequitur, quàm temerariè, ac infundatè dicat Caramuël *lib. 9. de contract. Cap.* 10. Quod liceat etiam ſine ullâ neceſſitate petere mutuum, etiam ſignatè ad uſuram, intendendo proprium commodum, non verò uſuræ malitiam, nec poſitivè uſurarium excitando ad uſuras; quia, ait, cum uſurarii ſemper ſunt parati ad dandum ſub uſurâ, jam non ex paſſione, ſed ex malitiâ delinquunt. Falſitas illius abundè patet ex concluſione 4. ſuprà allegatâ, & probatâ.

Quæ-

Quæres ultimò, an ſolvens uſuras peccet ſolvendo. Reſp. quod non, quia hoc eſt pati injuriam ad recuperandum pignus: ſic ad evadendam mortem, licitum eſt exponere ſua bona latroni, qui ſpoliando delinquet. Neque hîc cenſetur moraliter dari cauſam peccati, dum ob illam cauſam, uſuras ſolvit, quas cenſetur quidem permittere in hoc caſu, neutiquam ad eaſdem efficaciter concurrere, aut illis conſentiendo approbare.

SECTIO XIV.

De aliis ſpeciebus uſurarum.

QUæritur 1. de contractu apud Hiſpanos *Mohatra*, ſeu *Barata* dicto, apud Italos *Stocolo*, an ſit uſurarius. Ad intelligentiam illius contractûs notandum eſt, contingere ſæpè quempiam indigere pecuniis, quas nequit aliunde mutuare: accedit ille ad Mercatorem, qui alteri indigenti vendit creditò ſuas merces, idque pretio ſummo, quas ita venditas iteratò vendit emptor pretio infimo, idque ſive mercatori illi, ſive tertio: ſæpè hoc practicant Aurifabri, vendentes vaſa aurea, vel argentea cum æſtimatione laboris, ac induſtriæ, vulgò *met fatſoen*; quæ poſtea reëmunt pretio infimo, nec habita æſtimatione dictâ, ſed ſolius ponderis, ac argenti in ſe conſiderati: quæritur, an dictus contractus ſit uſurarius. Contractus Mohatra quid ſit.

Et in primis, quod dictus contractus meritò ſit proſcribendus, varia demonſtrant: tum, quod plerumque vendatur res plus juſto: tum, quod indè pauperes opprimantur, & Nobiles ſæpè exhauriantur: tum denique, quod non ſit niſi uſura palliata. Hinc notant varii, in omni Provinciâ rectè inſtitutâ ejuſmodi contractum condemnari, prouti de Luſitaniâ refert Molina *tom.* 2. *Diſp.* 310. alii de aliis. Hinc meritò eumdem contractum proſcripſit Innocentius XI. condemnando hanc propoſitionem: *Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu revenditionis præviè inito, cum intentione lucri.* Ratio eſt, quod venditio illa ſit implicitum quoddam mutuum, unde dum eadem res venditur pretio minori, percipitur lucrum ex mutuo. Fatendum quidem eſt, quod ſi Mercator ille, ac indigens pecunia verè intendat vendere, & revendere eamdem rem, ſed pretio juſto; tametſi ſummo, vel infimo, nil contineat injuſti dictus contractus, uti notat Toletus *lib. v. cap.* 31. *num.* 30. & alii. Quia tamen egeſtate preſſus ægrè cenſendus eſt emere, & alter verè vendere, ideo abſolutè, ac regulariter dictus contractus eſt proſcribendus, dum verbis quidem venditur, ſed reipsâ mutuatur.

Quæritur 2. de Contractu *Antichreſeos*, an ſit uſurarius. Dicitur ille, dum ratione uſûs pecuniæ mutuò acceptæ, conceditur mutuanti uſus pignoris dati mutuanti, adeoque breviter dici poteſt mutuus uſus pignoris pro mutuo, ſive pro pecunia credita, idque ex pacto, & conventione ſtabilitur. Varii docent, contractum illum jure civili eſſe licitum, quâ ratione D. Stockmans *Deciſione* Antichreſis quid ſit.

90. me-

90. meritò docet, non admittendam eſſe Molinæi, & Andreæ Gail doctrinam, Antichreſim admitentes ad certum tempus, puta triennium, aut quinquennium, uti & opinio omnium Antichreſim non damnantium, quæ à viris probis non ad gravandum immodicè debitorem, ſed ad exercendam pecuniæ ſuæ negotiationem, moderatè conſtituitur: neque enim aut temporis brevitas, aut perſonarum probitas, vel bona fides licitum poteſt reddere, quod per ſe, & natura ſuâ illicitum eſt. Ita ille. Et Henricus Caniſius *ad V. Decret. tit.* 19. *de uſuris*, *num.* 28. ait Doctorum rationes in defendendo contractu Antichreſeos eſſe abſurdas; quibus nihil impedientibus pro certâ regulâ conſtituit, quod pactum Antichreſeos illicitum ſit; eò quòd uſurarium, & conſequenter abſque peccato exerceri non poſſit, ſed fructus perceptos cum iis, qui percipi potuerunt ex pignore, & damno in pignore dato in extenuationem ſortis imputari oportere: & ſi quid fortè his ſubductis ſupererit, reſtituendum eſſe debitori, ſalvis tamen, & ipſi creditori expenſis in rem factis, & ſi quid aliud ipſi aberit ratione intereſſe. Addit ita quoque reſpondiſſe Collegium Juridicum ſuæ academiæ Ingolſtad. in causâ cujuſdam Baronatûs 100. annos oppignorati cum pacto Antichreſeos.

Hinc reſpondendum eſt, Antichreſim eſſe uſurarium. Ratio eſt aperta ex toties dictis, quod nihil pro uſu pecuniæ licitum ſit accipere. Aliud eſt, ſi creditor fructus pignoris deducat in ſortem, prout latius deduximus Sect. 10. ex quibus quoque dicta reſponſio poteſt confirmari. Unde etiam Juſtinianus *Novellâ* 33. *&* 34. noluit cum Ruſticis, & Colonis Antichreſim contrahi, ne ſuis fundis, & poſſeſſionibus ob paucos nummos exturbentur, quæ prohibendi ratio in omni Antichreſeos contractu meritò eſt attendenda.

Quomodo uſura poſſit eſſe in commodato.

Quæritur 3. an in commodato (de quo poſtea) poſſit eſſe uſura. Reſp. Commodatum ſæpè transſire in naturam mutui, prouti fit, in commodatione rei uſui conſumptibilis, quam commodatarius poſſit in ſuos uſus convertere, ſi pro eo uſu aliquid ultrà ſortem accipiat, quo caſu erit uſura. Si verò pro uſu rei, uſu non conſumptibilis aliquid accipiat, erit locatio.

An verò aliquid pro uſu ſecundario pecuniæ aliquid accipi poſſit, v. g. pro oſtentatione, pompâ, &c. eſt quæſtio, Ad quam reſponderi poteſt, quod ſi quis pecuniam etiam ad talem finem verè mutuet, non poſſit aliquid pro eo accipere. Ratio eſt, quod per mutuum verè transferatur dominium, adeoque injuſtè agit aliquid accipiens pro uſu rei non ſuæ. Si tamen quis ad talem finem pecunias commodet, poterit pro uſu illarum aliquid accipi: ratio eſt, quod illo caſu pecunia habeat rationem mercis, adeoque verè commodari poteſt, ac ejus uſus ſecundarius à dominio diſtingui. Idem eſt de locatione pecuniæ.

An uſura poſſit eſſe in depoſito.

Quæres 4. an uſura fieri poſſit in depoſito. Reſp. Depoſitum diſtingui poteſt in purum, & non purum: *purum* eſt, quando merè res deponitur in alterius cuſtodiam, non adjungendo alium contractum. *Non purum* eſt, quando adjungitur depoſito alius contractus v. g. mutui, prouti fit, quando ſimul depoſito adjicitur pactum, ut depoſitarius uti poſſit re uſu conſumptibili depoſitâ,

ſitâ, quo caſu adeſt contractus mutui. Hinc fit, ut qui deponens pecuniam, certum annuum, aut menſtruum reditum ſtipulatur pro uſu, & ratione ſortis, donec reddatur pecunia, ſit uſurarius. Res enim in hâc materiâ ſpectandas eſſe, non verba, monent paſſim Doctores. Idem eſt de eo, qui quidem nihil de uſurâ præſtanda ſtipulatur, eo tamen animo eam deponit, ut pro ejus uſu aliquid lucretur ultra ſortem à depoſitario, & ſit verè uſurarius mentalis. Poterit itidem uſura fieri in contractu ſocietatis, quod quia ſpeciali indiget diſcuſſione, agam de eo poſtea de Contractibus ſocietatis.

SECTIO XV.

An Montes Pietatis ſint liciti, & de Lombardis.

Mons pietatis, ut ſonat ipſum nomen, ortum habet à pietate, ſive miſericordiâ aliquorum, qui egenorum oppreſſionum per uſurarios miſerti, magnam copiam frumenti, vini, olei, aut pecuniæ ſtatuerunt, unde egenorum neceſſitatibus poſſet ſubveniri, & ab uſurarum voragine poſſent liberari. Primitùs inventi ſunt in Italiâ, idque ſub certis conditionibus; puta, ut de tali monte, ſive rerum mutuandarum cumulo diſtribueretur ſolis pauperibus talis, vel talis loci, excluſis extraneis, & divitibus. Deindè, ut non niſi in determinatâ quantitate poſſet elargiri, & ad tempus determinatum: inſuper, ut ad ſecuritatem montis, mutuatarii darent pignus: prætereà, ut ad miniſtrorum montis ſuſtentationem, modicum quid tribuerent mutuatarii per menſem, vel aliud tempus determinatum: denique, ut ſi ſors debito tempore non redderetur, pignora venderentur publicè, & detractis ſorte, ac miniſtrorum ſtipendiis, reliquum fideliter redderetur mutuatariis. Quid ſit Mons Pietatis.

Verùm enim verò, cùm ad erectionem ſimilium montium non ſufficeret miſericordia, ac pietas legatorum, & eleëmoſynarum, levata fuit ingens inſuper pecuniæ ſumma ad erectionem montium, idque ad annuum cenſum, ex quâ egenis mutuo dari poſſet, cum onere aliquid ſolvendi, tum pro ſolutione cenſuum, tum pro ſtipendiis miniſtrorum, tum pro indemnitate Montis, dato inſuper pignore, ut ſupra. Montes hos vocant mixtos, eò quòd partim ex eleëmoſynis, partim ex reditibus conflentur. Similes montes, ad formam montium Italorum, qui eleëmoſynis proximè conſtant, inſtituti ſunt in Belgio noſtro anno 1617. proſcriptis uſurariis publicis, ſive Lombardis, de quibus poſtea. Variè poſtmodum agitatum eſt inter Juriſperitos æquè ac Theologos, an ejuſmodi montes eſſent admittendi, & abſque labe uſuræ, uti patet ex Joanne Wiggers, ac Leonardo Leſſio eâ de re fuſius agitantibus: ac tandem reſolutum eſt, ejuſmodi montes licitos eſſe, & ab omni uſuræ labe eſſe alienos, ſi ad limam Decreti Leonis X. eſſent inſtituti, quod ſic ſonat:

Leo

Digitized by Google

Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam, S. approbante Concilio.

INter multiplices noſtræ ſolicitudinis curas, illam in primis ſuſcipere pro noſtro Paſtorali officio debemus, ut quæ ſalubria & laudabilia, ac Catholicæ fidei conſona, & bonis moribus conformia, noſtro tempore non ſolùm enucleëntur, verùm etiam ad poſteros propagentur: & quæ materiam ſcandali præbere poſſint, penitùs ſuccidantur & radicitùs extirpentur, nec pullulare umquam ſinantur, ea in agro Dominico & vinea Domini Sabaoth dumtaxat conſeri permittendo, quibus fidelium mentes paſci ſpiritualiter poſſint, eradicatis zizaniis & oleaſtri ſterilitate ſuccisâ. Sanè cùm olim inter non nullos dilectos Filios, S. Theologiæ Magiſtros, ac juris utriuſque Doctores, controverſiam quamdam, non ſine populorum ſcandalo & murmuratione exortam, & nuper his diebus innovatam eſſe compererimus, circa pauperum relevationem, in mutuis eis publica authoritate faciendis, qui Montes pietatis *vulgò appellantur, quique in multis Italiæ civitatibus ad ſubveniendum per hujuſmodi mutuum pauperum inopiæ, ne uſurarum voragine deglutiantur, à civitatum Magiſtratibus & aliis Chriſti fidelibus ſunt inſtituti, atque à Sanctis viris, divini verbi præconibus & laudati & perſuaſi, ac à nonnullis etiam ſummis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris probati & confirmati; ſintne præfati montes à Chriſtiano dogmate diſſonantes, vel non, utraque parte diverſimodè ſentiente atque prædicante: nonnullis etiam Doctoribus & Magiſtris dicentibus, eos Montes non eſſe licitos, in quibus aliquid ultra ſortem pro libra, decurſo certo tempore, per Miniſtros hujus Montis ab ipſis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab uſurarum crimine injuſtitiavè, ſeu aliqua certè ſpecie mali, mundos non evadere: cùm Dominus noſter, Evangeliſtâ Lucâ atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam ultra ſortem ſpectare debeamus. Ea enim propria eſt uſurarum interpretatio, quando videlicet ex uſu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nullovè periculo lucrum fœtuſque conquiri ſtudetur. Addebant etiam iidem Magiſtri & Doctores in his Montibus neque commutativæ neque diſtributivæ juſtitiæ fieri ſatis, cùm tamen juſtitiæ terminos contractus hujuſmodi excedere non debeant, ſi debeant approbari: idque præterea probare nitebantur, quia impensè pro hujuſmodi Montium conſervatione, à pluribus (ut aiunt) debitæ, à ſolis pauperibus, quibus mutuum datur extorqueantur: pluraque interdum ultra neceſſaria & moderatas in expenſas, non abſque ſpecie mali ac incentivo delinquendi, quibuſdam aliis perſonis (ut inferre videntur) exhibeantur. Aliis verò pluribus Magiſtris & Doctoribus contra aſſerentibus, & multis Italiæ Gymnaſiis verbo & ſcripto conclamantibus, pro tanto bono, tamque Reipubl. perneceſſario, modo ratione mutui nihil petatur neque ſperetur, pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impenſarum videlicet Miniſtrorum eorumdem, ac rerum omnium ad illorum neceſſariam conſervationem, pertinentium, abſque Mon-*

Digitized by Google

Montium hujuſmodi lucro, idque moderatum & neceſſarium, ab his, qui ex hujuſmodi mutuo commodum ſuſcipiunt, licitè ultra ſortem exigi & capi poſſe nonnihil lucri, cum regula juris habeat, quòd qui commodum ſentit, onus quoque ſentire debeat, præſertim ſi Apoſtolica accedat authoritas. Quam quidem ſententiam à fel. record. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Julio II. Rom. Pontif. Prædeceſſoribus noſtris probatam, à Sanctis quoque ac Deo devotis & in magna ob Sanctitatis opinionem exiſtimatione habitis Evangelicæ veritatis Prædicatoribus prædicatam eſſe oſtendunt. Nos ſuper hoc, prout nobis eſt ex alto conceſſum, opportunè providerè volentes, alterius quidem partis ſtudium commendantes, cum hæc ad pacem & tranquillitatem totius Reipubl. Chriſtianæ ſpectare videantur, ſacro approbante Concilio, declaramus & definimus, Montes pietatis antedictos per Reſpublicas inſtitutos & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem ut præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat ultra ſortem abſque lucro eorumdem Montium recipitur: neque ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentivum præſtare, neque ullo pacto improbari, quin imo meritorium eſſe ac laudari & probari debere tale mutuum, & minime uſurarium putari, licereque illorum pietatem ac miſericordiam populis prædicare, etiam cum Indulgentiis à S.Sede Apoſtolica eam ob cauſam conceſſis, ac deinceps alios etiam ſimiles Montes, cum Apoſtolicæ Sedis approbatione erigi poſſe. Multò tamen perfectius, multòque ſanctius fore, ſi omninò tales Montes gratuiti conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel media ex parte hujuſmodi Montium miniſtrorum, ſolvantur expenſæ, ut ad leviorem æris ſolvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat: ad quos cum hujuſmodi cenſus aſſignatione pro impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſti fideles majoribus Indulgentiis invitandos eſſe decernimus. Omnes autem Religioſos & Eccleſiaſticas ac ſæculares perſonas, qui contrà præſentis declarationis & ſanctionis formam de cætero prædicare ſeu diſputare verbo vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam privilegio quocumque non obſtante, incurrere volumus: non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, decreti & excommunicationis infringere vel ei auſu temerario contrairè. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Data Romæ in publica ſeſſ. in Lateran. S. Baſilica ſolemniter celebrata 1515. 4. nonas Maii, Pontificatûs noſtri anno tertio.

Pauca ex hâc Leonis Bullâ ſunt advertenda. 1. Quod Pontifex agat de relevatione pauperum, ac egenorum per erectionem Montium, adeoque excludat ditiores, ſive non egenos. 2. Quod ratione mutui nihil peti hîc poſſit, aut ſperari; pro indemnitate tamen Montium, expenſarum videlicet miniſt orum eorum-

eorumdem, ac rerum omnium ad illorum neceſſariam conſervationem pertinentium poſſit aliquid recipi à mutuatariis. 3. Quod indè montes non poſſint lucrari. 4. Quod illud debeat eſſe moderatum, & prædictis neceſſarium. 5. Multò perfectius, multoque ſanctius fore, ſi omninò tales montes gratuitò conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel mediâ ex parte hujuſmodi montium miniſtrorum ſolverentur expenſæ, ut ad leviorem æris ſolvendi penſionem medio hoc pauperes gravari contingat. Denique hujuſmodi montes Pontifex approbat, & confirmat, vetans quibuſcumque aliquid in contra, vel docere, vel prædicare.

Et quamvis Cajetanus opuſculo de montibus eoſdem oppugnet, qui tamen Concilio Lateranenſi interfuit; tamen cùm opuſculum hoc 17. annis ante declarationem illius Concilii editum fuerit, ut notat Wiggers, & alii, non adeo magnam meretur authoritatem. Mirandum magis, Dominicum Soto innixum Caietano poſt contrariam definitionem illius Concilii montes oppugnaſſe, quo pacto magis ſtudio Caietani tamquam Ordinis ſui Generalis ductum credunt, quàm veritate, ac ſoliditate. Deinde, etſi Caietanus ſeſſioni x. non interfuerit, legitur tamen in fine Concilii dixiſſe ſe paratum eſſe quoad omnia obedire Concilio tamquam Generalem PP. Dominicanorum; ac ſolus Hieremias Archiepiſcopus Tranenſis legitur non conſenſiſſe, ut inter alios obſervat Sylvius. Magis rejiciendum eſt, quod alibi dicit Soto idem, hanc de montibus quæſtionem eſſe magis Philoſophicam, quàm Theologicam, dum in eâ agitur de ſalute animarum.

Eoſdem montes approbat Tridentina Synodus, quando illos *ſeſ.* 22. *cap.* 2. vocat montes pietatis, ac charitatis, aliiſque locis piis annumerat. Eoſdem approbarunt 8. Epiſcopi ad hanc veritatem congregati Mechliniæ 1617. ac deinde, præcipui Belgii Theologi.

Argumenta contra Montes pietatis.

Varia tamen opponi hîc poſſunt. 1. Quod ratione longioris moræ, ac diuturnioris usûs pecuniæ plus exigatur, quod eſt injuſtum. 2. Quod pro pignorum cuſtodiâ æquale pretium exigatur, ſive multum operæ exigant, ſive parum. 3. Quod Bulla Leonis ſolummodo permittat accipere aliquid ſuprà ſortem pro impenſis miniſtrorum; hîc autem in Belgio, ac aliis montibus mixtis accipiatur etiam aliquid pro ſolvendis cenſibus. 4. Quod eadem Bulla velit ſolummodo erogari bona montium in pauperes: noſtri verò montes indifferenter erogant & divitibus. 5. Quod hi montes careant approbatione S. Sedis, quam tamen Bulla requirit. 6. Quod hi montes nihil differre videantur à Lombardis. 7. Quod illud, quod ultrà ſortem exigitur, ſit exceſſivum ultrà omnia montis onera, quod tamen Bulla prohibet; quod maximè apparet ex eo, quod Italici montes ſolummodò exigant 2. aut 3. in 100. Belgici verò exigant 12. 13. imo 15. in 100.

Ad 1. dicendum eſt, non exigi plus præcisè ob longiorem pecuniæ uſum, ſed quia data pignora diutius debent conſervari, ratione cujus cuſtodiæ longioris, plus poteſt juſtè exigi. Quod autem æquale paſſim pretium pro cu-

ſtodiâ

ſtodiâ exigatur, ideo fit, quod ob varietatem pignorum, quæ adferuntur, ſit moraliter impoſſibile cuique ſuum determinare pretium cuſtodiæ: deinde, pignora minus oneroſa, ſæpè majorem indigent curam, & diligentiam cuſtodiendi. Denique, illi, qui modò adferunt pignora minus oneroſa, poſtea adferunt magis oneroſa. Unde patet ſolutio ad 2.

Ad 3. dicendum eſt, quod etſi Pontifex expreſsè tantùm dicat, poſſe aliquid ſupra ſortem tantùm exigi pro ſtipendiis miniſtrorum, tamen cùm ibi ſolummodo agat de montibus ex eleëmoſynis conflatis, tacitè quoque approbare cenſetur montes conflatos ex reditibus; adeoque quod pro iiſdem ſolvendis aliquid poſſit exigi. Eadem eſt ratio 4. argumenti: idem enim Pontifex vult expreſsè pauperibus ſubveniri, quia agit de montibus erectis ex eleëmoſynis, quæ pauperibus debentur, non ditioribus. Aliud eſt de aliis mixtis.

Ad 5. reſpondetur, quod abſolutè dicta approbatio non ſit neceſſaria, ſed ſatis ſit, quod certò conſtet de juſtitiâ montium, prouti de iis montibus conſtat, poſt definitionem Epiſcoporum, ac Theologorum.

Ad 6. dicendum eſt, multùm differre dictos montes à Lombardis. 1. Quod monti nullum accedat lucrum, quod fit Lombardis. 2. Quod mons obligetur pauperibus dato pignore mutuare: Lombardi verò poſſint claudere menſas ſuas fœnebres, dum voluerint.

Ad 7. reſp. cum Wiggers, & aliis peritis, qui illud maturè inſpexerunt, illud auctarium non eſſe omnibus attentis exceſſivum. Ratio eſt, quod gravamina montium Belgicorum ſint longè majora, quàm alibi, maximè in Italiâ, ubi plurimi montes ex eleëmoſynis gratuitò ſunt erecti, & ſine onere ſubſiſtunt. Montes verò Belgici debuerunt emere domos; levare pecunias ad earumdem erectionem cum onere redituum, quæ proindè adaugent ſummam à mutuatariis dandam, ut mons poſſit ſervari indemnis. Quod ſi ſubindè reditus illi redimantur, & extinguantur, non fit illud vi lucri, quod monti accedit ex mutuo; ſed ex legatis, ac eleëmoſynis monti relictis: quod pignora aliqua Dominis non comparentibus monti applicentur: quod reditus vitalitii morte cenſuarii extinguantur: quod antiqui reditus per novos ſub minori intereſſe redimantur: quod decurſu temporis plures petierint mutuo ex monte, atque ita onera in plures diſtributa.

Quæres, an liciti ſint montes particularis, quos quidam privatim in ſuis ædibus erigunt. Reſp. Certum eſt, ejuſmodi montes jure plerorumque locorum eſſe proſcriptos. Sepoſitâ tamen lege poſitivâ, plurimi volunt id licere: plures meritò id negant, eò quòd ſoli montes publici à Concilio Lateranenſi ſint approbati: deinde, quòd Reipublicæ interſit ſcire de eâdem re, ne fraudes irrepant. Inſuper, quod aliàs furtis, uſuris, ac oppreſſionibus pauperum pandatur porta. Denique, quod taxa ſolvenda à mutuatariis à Republicâ debeat taxari. An liceant Montes privati.

Quod verò ad Lombardos attinet, ita dicti à Lombardiâ, unde fœneratores hûc diverterant, permittebantur primò Lombardi egentibus mutuare, De Lombardis.

 aliquan-

Digitized by Google

aliquando ſub gravi intereſſe 30. aut 32. in 100. poſtea Albertus juſſit eos eſſe contentos cum 22. remiſſâ illis ingenti ſummâ, quæ Principi ab illis permiſſis pro mulctâ debebatur. Similes Lombardos permiſit Sixtus V. Duci Sabaudiæ, qui 18. etiam poſſent accipere in 100. Varia tamen circà ejuſmodi publicos mutuatarios ſtatuit Jus Belgicum: 1. Ne emerent, aut oppignorarent res aureas, aut argenteas. 2. Ne dent mutuum ſuper eas res, de quibus eſt ſuſpicio, quod ſint furtivæ. 3. Ne accipiant ultrà 2. quadrantes per ſeptimanam ad ſingulas libras Flandricas: ita ſtatuit Edictum 1600. editum. Arcebantur itidem ejuſmodi fœneratores, ac eorum ſocii ab officio divino, ſub pœnâ perdendi privilegii fœnerandi, & pœnis uſurariis manifeſtis à Jure conſtitutis. Quod verò ingens in urbe noſtrâ ſimilium quondam fuerit numerus, colligi poteſt ex duabus plateis, ex iiſdem vocatis, *de Lombaert-ſtraet*, ubi dicuntur habitaſſe.

S E C T I O VXI.

Quid Confeſſariis agendum cum uſurariis; ac de eorum pœnis.

CONfeſſariis Judicis officium, æquè ac Medici exactè exequi oportet primò indagando, an fœneratores habuerint juſtum aliquem titulum recipiendi aliquid ultrà ſortem. Puta, ſi ex mutuo damnum ſenſerint; ſi verè lucrum ceſſaverit, ſi in recuperatione ſortis expenſas fecerint; aut alium juſtum titulum allegare poſſint, de quibus latè egimus in antedictis. Dico, ſi *verè* lucrum ceſſaverit, quia ſubindè mentitur iniquitas, & avaritia fœneratorum, ut antea de lucro ceſſante annotavi. Deficiente juſto titulo, uſurarum Rei compellendi ſunt ad uſurarum reſtitutiones, conformiter prout de reſtitutione dictum eſt C. 3 Sect. 3. Tract. 1. dum perſtat illa S. Auguſtini ſententia, quod non remittatur peccatum, donec reſtituatur ablatum. Neque ad hoc compellendi ſolummodo ſunt ipſi uſurarii, ſed & eorum coöperatores juxtà dicta Cap. 8. Tract. 1. ipſorum filii, ac hæredes, ut ſect. neque excuſandi ſunt ex eo, quod prætendant ſe nulla pacta adjeciſſe in mutuo de lucrando: dum ſola intentio hîc reos facit, juxtà id, quod ait Urbanus III. Cap. *Conſuluit de uſuris: Hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent, judicandi ſunt malè agere, & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.* Quid verò velit illud *efficaciter*, declarat S. Thomas Opuſculo de uſuris Cap. 12. ita ſcribens: *In foro pœnitentiæ, ubi de correctione peccati agitur, maximè in quantum eſt contra legem Dei, ſic compellendi ſunt uſurarii ad reſtitutionem, ut beneficium abſolutionis eis denegetur, niſi reſtitutionem faciant plenam, quantum potuerint; aut dilationem petierint ab his, quibus tenentur reſtituere: aut ſi pauperes, & impotentes ſint ad reſtitutionem faciendam, promittant Deo, & Confeſſori ſuo, quod ſi aliquando ad frugem proſperitatis venirent, ſe reſtituturos pro ſuâ facultate; aut certè remiſſionem poſtulabunt ab his, quibus reſtitue-* re

Digitized by Google

re tenentur, alias non debent abſolvi in foro pœnitentiæ. Et hæc omnia probantur B. Auguſtini authoritate, quâ dicitur, quod non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Sicut ergo Confeſſor oſtendit abſolutum a Deo, quem abſolvit verbo: ita non debet abſolvere, niſi cùm videt ſigna reſtitutionis faciendæ in confitente; quæ ſigna determinata ſunt in his, quæ prædiximus, ſecundùm diverſos ſtatus reſtituentis. Ita S. Thomas. Et hæc quoque de uſurariis privatis.

De publicis enim alia eſt ratio, de quibus rurſum idem S. Doctor ibid. Cap. 18. *Uſurario notorio, non tantùm eſt perfectionis, ſed etiam neceſſitatis, ſaltem publicè, & in manu Eccleſiæ reſtitutiones faciendas promittere, & firmare; aliàs privaretur de jure Sacramento ſalutis, & Chriſtianâ ſepulturâ: & proptèr hoc dicit Apoſtolus 1. ad Thimoth. 5. peccantem coram omnibus argue.* Idem expreſsè confirmat generaliter quod peccatores publicos S. Tridentina Synodus Seſſ. 24. Reform. Cap. 8. dicens: *Apoſtolus monet publicè peccantes palam eſſe corripiendos, quando agitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimem commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oporteret, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocaverit ſuæ emendationis teſtimonio, ad rectam revocet vitam.* Et Concilium Mediol. 1. *tit. de iis, quæ pertinent ad Sacram. Pœnit.* conformiter ad dictam Tridentini Conſtitutionem præcipit, *ut publicè peccantibus publicam imponat pœnitentiam, neque illud publicæ pœnitentiæ genus, niſi datâ ab Epiſcopo facultate, ſecretâ aliâ pœnâ commutare audeant.* Quinam verò ſint publici uſurarii, declarat Gloſſa *in Cap. Uſurarium de uſuris in 6.* in verba *manifeſtos*, &c. *Manifeſti uſurarii dicuntur illi, de quibus notorium eſt de jure: ut quia confeſſi, vel condemnati, vel de facto convicti: vel quia habent operis evidentiam, quæ nullâ tergiverſatione poſſet celari.* Patet ex dictis illos juxtà Eccleſiæ legem ac ſenſum procedere, qui crimine manifeſto notatos urgent ad reparationem ſcandali dati, etiam cum illorum infamiâ.

Publici uſurarii debent publicè reſtituere.

Neque ſolùm ad reſtitutionem compellendi ſunt uſurarii à Confeſſariis, ſed providendum, ut caveant de futuro. Hinc injungendum, ut ſortes uſurariè mutuatas repetant, ac (ſi lubet) eâdem lucrentur. Nihil enim juvat uſuras, domos, aut aliâ viâ legitimâ, eâdem lucrentur. Nihil enim juvat uſuras reſtituere, & uſuris iteratò indulgere. Noverit tamen Confeſſarius arduo hîc conamine, æquè ac ſolerti providentiâ opus eſſe, dum avaritiâ mille modis palliare ſe ſolet, ac ægrè à lucro poteſt evocari, adeò ut meritò Apoſtolus 1. Thim. 8. dicat, quòd, qui volunt divites fieri, incidant in laqueum Diaboli, non niſi divinâ manu extricabilem, maximè inolitâ hoc ſæculo fœnerandi, ſub titulo mutuandi praxi, & conſuetudine: quâ fit, ut omnes promiſcuè ſibi licitum putent, pecuniâ ſuâ, quaquâ viâ ſe poſſe lucrari, ac contradictiones, & admonitiones eâ de re rideant, ut ineptias pueriles.

Pœnæ uſurariorum.

Pœnæ uſurariorum publicorum utroque jure ſunt variæ: *Can. infames* 3. q. 7.

Digitized by Google

q. 8. dicitur : *infames dicantur exercentes improbum fœnus : & illicitè exigentes uſuras uſurarum.* Hinc ſequitur eoſdem beneficiorum eſſe incapaces, ac eſſe irregulares. Cap. *Prætereà, de uſuris* ait Alexander III. *Parochianis tuis uſuras recipere interdicas, qui ſi parere contempſerint, ſi Clerici ſint, eos ab officio, beneficioque ſuſpendas.* Can. *quia in omnibus : Conſtituimus, quod uſurarii manifeſti, nec ad Communionem admittantur altaris, nec Chriſtianam (ſi in hoc peccato diſceſſerint) accipiant ſepulturam. Clement. I. de uſuris*, excommunicantur, qui ejuſmodi ſepulturæ tradiderunt. *Cap. quamquam de uſuris in 6.* prohibentur conficere teſtamentum, codicillum, aut aliâ ultimâ voluntate diſponere, & talis diſpoſitio decernitur eſſe nulla, niſi prius uſuras ſolverint, aut ſufficientem dederint cautionem. Addunt alii cum Toleto *lib. 5. cap. 36.* Eos ad nullum Sacramentum eſſe admittendos, ante ſatisfactionem debitam, aut cautionem ſufficientem : quia, etſi hoc non habeatur de jure expreſſum; habetur tamen de jure naturali. Denique prædictæ pœnæ de jure communi conſtitutæ, ſunt ſolummodo ſententiæ ferendæ, ut notant Authores : niſi fortè ipſo facto eaſdem alia jura infligant, uti ipſo facto eoſdem excommunicavit Synodus Cameracenſis 23. *tit. de uſuris*, uti notat Sylvius.

Henricus III. in Comitiis Bleſenſ. art. 202. ita ſtatuit : *Omnibus cujuſcumque ſexûs, & conditionis inhibemus uſuras exercere, ac pecuniam fœnori mutuare, vel lucro, ſub pœnâ pro primâ vice honoraria petendæ veniæ, & exilii, & gravis pecuniariæ mulctationis, cujus quarta pars denuntiatoribus adjudicabitur. Pro ſecunda autem vice pœna corporea, & generalis bonorum confiſcatio infligetur. Quibus iiſdem pœnis ſubjacere decernimus etiam Proxenetas, & mediatores uſurarum.*

In Codice Belgico V. *Woecker* 1. publici fœneratores ad Communionem non ſunt admittendi, niſi uſuris renuntiaverint : ex Synodo Camerac. 1586. deinde, nemo ſub pœnâ confiſcationis bonorum omnium, directè, vel indirectè uſuras poterit exercere, ubi ſimul omnes leges in contrarium abolentur, Edicto 1610. demum tempore divini officii Templum intrare prohibentur. Variæ inſuper alibi ſtatutæ ſunt pœnæ huic hominum fæci, ac pauperum oppreſſoribus; quibus tamen non obſtantibus etiamnum prævalet illud Pſalmiſtæ Pſalmo 54. *Et non defecit de plateis ejus, uſura, & dolus.* Nolunt intelligere, ut benè agant, & verum ſit illud S. Auguſtini ſerm. 3. in Pſalm. 36. *uſura, & dolus non abſconduntur ſaltem, quia mala ſunt, ſed publicè ſæviunt.....fœnus etiam ars vocatur,.....uſque adeo in plateâ eſt, quod ſaltem abſcondendum erat.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Contractu Societatis.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Societas.

SOcietas eſt varia: Uxoris, & Viri, quæ dicitur *Conjugalis:* ſocietas fratrum inter ſe, ſive *fraterna*: ſocietas bonorum omnium, officiorum, vectigalium: ſocietas negotiationis: ſocietas animalium, vel groſſorum, ut equorum, vaccarum: vel minorum, ut ovium, caprarum, &c. generaliter definiri poteſt, quod ſit conventio duorum, vel plurium conferentium aliquid pretio æſtimabile ad communem uſum, vel lucrum. Dicitur *conventio*, quia ſocietas eſt contractus, qui ſolo partium conſenſu perficitur. Res, quæ confertur, vel eſt pecunia, labor, induſtria, aut alia res pretio æſtimabilis, ſaltem per induſtriam fructifera. Additur, *ad commune lucrum*, pro ratione ſcilicet ſortis à ſingulis collatæ; ſi enim totum lucrum illi cedat, qui pecuniam contulit, & alteri, qui induſtriam contulit, ſua aſſignetur pars pro ratione induſtriæ, non erit ſocietas, ſed potius locatio. Sic ſolent mercatores partem lucri famulis promittere, ut diligentiùs leborent. Tribus autem potiſſimùm modis ſocietas contrahitur: primò, dum omnes ponunt induſtriam, laborem, & pecuniam. Secundò, quando unus ponit induſtriam, alius pecuniam: tertiò, dum unus pecuniam, alter induſtriam, & alter laborem. Quid ſit Societas.

Ad juſtitiam ſocietatis quinque ſunt requiſita: 1. Ut negotiatio ſit licita: ſocietas enim in pyraticis, furtivis, uſurariis, eſt injuſta. 2. Ut in omnibus ſervetur æqualitas, adeo ut pro quantitate collati, ſervetur quantitas diſtributionis: ubi æquales ſint ſortes, æquale ſit lucrum: ſi inæquales, ſit pro ratâ. Hinc dicitur, quod ſocietas ſit quædam fraternitas *L. verum ff. pro ſocio*; inter fratres autem debet eſſe juſta diſtributio, & æqualis proportio: aliàs ſocietas inæqualitate corrupta, dicitur Leonina, non fraterna, à communi Æſopi fabulâ derivata. 3. Ne contributio à ſociis facta, fiat per modum mutui, prout ſæpiſſimè ſit, dum pecunia traditur non negotiatoribus, aut aliâ lucrandi legitimâ arte carenti: quo caſu non eſſet ſocietas, ſed mutuum; & reportare ex eo lucrum, eſſet uſura. 4. Quod, qui ponit pecuniam, duplici ſubſit periculo, puta perditionis pecuniæ, & perditionis uſûs negotiatorii ejuſdem; qui verò ponit induſtriam, aut laborem, ſubſit ſolummodo uni periculo, ſcilicet perdendi uſum induſtriæ, ſeu laborum. 5. Et ex præcipuis requiſitis eſt, ut is, qui pecuniam ponit, ſubeat periculum pecuniæ, & non quærat ſalvum fieri capitale. Ratio illius eſt, quod in ſocietate conferens pecuniam, maneat Requiſita ad Societatem.

verè illius Dominus; adeoque illi perit, ſi pereat, dum quælibet res perit ſuo Domino. Docet id expreſsè S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. his verbis : *Ad quintum dicendum, quod ille, qui mutuat pecuniam, transferat dominium pecuniæ, in eum, cui mutuat: unde ille, cui mutuatur pecunia, ſub ſuo periculo tenet eam, & tenetur eam reſtituere integrè: unde non debet amplius exigere, quàm mutuavit: ſed ille, qui committit pecuniam ſuam, vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis cujuſdam, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet ejus: ita quod cum periculo ipſius mercator de eâ negotietur, vel artifex de eâ operetur. Et ideo ſic licitè poteſt partem lucri de eâ provenientis expetere, tamquam de re ſuâ.*

Dictas conditiones, ac alias ad legitimam ſocietatem requiſitas comprehendit Bulla Sixti V. edita Anno 1586. quam hîc adjungo.

Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DEteſtabilis avaritiæ ingluvies, & inſatiabilis lucrandi cupiditas, malorum omnium radix, uſque adeo excæcat mortalium mentes, ut multi nimis avidè lucro inhiantes, in laqueos, & inſidias Diaboli miſerè incidant: irrepit enim verſutè, & callidè antiquus humani generis hoſtis per varios dolos & fallacias, & incautos homines, quæſtûs dulcedine captos ac delinitos opprimit, atque eò perducit, ut ſeipſos in uſurarum voraginem, Deo hominibuſque odioſam, ſacris Canonibus damnatam, & Chriſtianæ charitati contrariam, fœdè immergant, & dum vanas & terrenas divitias quærunt, veras ac cæleſtes amittant: ſicuti nuper cum magno dolore audivimus, hoc malum in quaſdam Provincias pervaſiſſe. Nam multi ſpecioſum & honeſtum ſocietatis nomen ſuis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quaſi colore & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & aliis perſonis, ſuper eorum mercibus, officinis, tabernis, pamariis, aliiſque rebus ac bonis, pecunias ſuas, aut alias res, ſocietatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, ſeu terrarum cultoribus, paſtoribus, aliiſque ruſticis, ſeu quibuſvis perſonis dant in ſocietatem ſive ad ſoccidam ut vocant; ea conditione, ut ſors ipſa, ſeu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum, quàm animalium & rerum, ſalvum ſemper & integrum exiſtat pro eo qui non induſtriam, aut operas, ſed pecunias, animalia, aut res hujuſmodi in ſocietatem confert, utque omne periculum & damnum ab altero ſocio recipiente ſuſtineatur, contra æquitatem & ſocietatis juſtitiam diverſimodè paciſcuntur: eoſdemque ſocios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes & egenos, ſuoque labore & induſtria victitantes ad ſortem ſeu capitale reſtituendum (quicumque tandem caſus & rerum eventus conſequatur) pacto & obligatione obſtringunt: ſimulque etiam certam lucri quantitatem & ſummam, veluti tot pro quolibet centenario, in ſingulos annos aut menſes per alterum ſocium durante ſocietate ſolvendam præſi-

Digitized by Google

præfiniunt ac præſcribunt, eamque ſummam & quantitatem, non ſubductis rationibus accepti & expenſi, quod in radices ſeu tabulas ſocietatis referri ſolet, neque facto calculo vel computo pro ipſius lucri vel damni modo variabilem, ſed laborem & curam computandi & calculandi ſeinvicem remittere & renuntiare aſſerentes, quovis tempore certam conſtituunt. Proinde nos, qui hoc potiſſimum munus, noſtræque Paſtoralis ſolicitudinis maximè proprium arbitramus; ut gregem Dominicum fidei noſtræ creditum, ab omni offenſione & æternæ vitæ diſcrimine tutum, in viam ſalutis, cæleſti gratiâ adjutrice, dirigere nitamur; hujuſmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latius ſerpat, quantum Deo favente poſſimus, tollere cupientes, de attributa nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione damnamus & reprobamus omnes & quaſcumque contractus, conventiones & pactiones, poſt hac ineundos, ſeu ineundas, per quos ſeu quas cavebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiam ſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, ſive ut de certa quantitate vel ſumma in ſingulos annos aut menſes durante ſocietate reſpondeatur: ſtatuimuſque hujuſmodi contractus, conventiones & pactiones, uſurarios & illicitos poſt hac cenſeri debere atque in poſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter ſe paciſci & concordare: neque etiam, ſive ad certum ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios qui ea recipient, ad ſortem ſeu capitale ſalvum & integrum ubi illud caſu fortuito perierit vel amiſſum erit, reddendum quovis pacto aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietatis ineantur ſub hujuſmodi pactis & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus & prohibemus. Sed potius cuncti noverint, ſocietates hujuſmodi, cùm in poſterum unus pecuniam, animalia, aut alias res & bona, alter verò operam & induſtriam confert, purè, ſincerè & bona fide, ſicut decet juſtis æquis conditionibus & pactis ſecundùm juris diſpoſitionem, ac ſine ulla prorſus fraude, palliatione, aut uſurariæ pravitatis labe aut ſuſpicione ineundas ſeu contrahendas eſſe, ita ut non ad certam ſummam aut quantitatem, ab omni periculo & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine perſolvendam, neque ad capitale, niſi caſu fortuito perit reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si verò finita ſocietate ipſum capitale extat ei qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes ſuper eo legitimè conventum ſit, ac præterea iidem contrahentes, fructus, expenſas, & damna in commune conferant, & prout æquum & juſtum fuerit, ſibi communicent atque dividant, decernentes, ſi qui contractus, conventiones & pactiones, in futurum contra noſtram hujuſmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tamquam per hanc eandem conſtitutionem noſtram damnatis & reprobatis, etiamſi juramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel alias quomodolibet

 robo-

Digitized by Google

roborati fuerint, obligationem civilem aut naturalem oriri, nullamque actionem realem aut perſonalem, nec judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad ſortem ſeu capitale integrum recuperandum, quod caſu fortuito perierit aut amiſſum erit, neque quoad certas ſummas & quantitates in ſingulos annos aut menſes lucri ſocialis nomine promiſſas. Si qui vero inpoſterum ſub prædictis conditionibus & pactis contrahere temerè præſumpſerint, aut prætextu ſimilium contractuum, conventionum & pactionum, ſocietatis nomine initorum, qui hucuſque durant, ob exactionem dictæ ſortis, ſeu capitalis ſivè illius pretii & valoris, poſtquam illud in toto vel in parte caſu fortuito perierit aut amiſſum ſit, aut certæ ſummæ vel quantitatis annuæ aut menſtruæ ſibi promiſſæ, in futurum procedere auſi fuerint, eos univerſos & ſingulos, in pœnas contra manifeſtos uſurarios & fœneratores à ſacris Canonibus & Conciliis generalibus latas & promulgatas, eo ipſo incurrere, & contra illos uti manifeſtos uſurarios & fœneratores via juris, aliiſque opportunis remediis procedi poſſe & debere: ſicque ab omnibus cenſeri, & ita quoad præmiſſa univerſa & ſingula, per quoſcumque judices & commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores ac S. R. E. Cardinales (ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate) ubique judicare, declarari, & diffiniri debere: nec non irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Mandamus univerſis & ſingulis locorum Ordinariis, per quaſcumque Provincias & Regna Chriſtiani orbis conſtitutis, & quibuſvis noſtris, & Sedis Apoſtolicæ, etiam de latere Legatis, ac Vice-Legatis, cæteriſque Officialibus, præſertim Provinciarum & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici, ut in ſuis quiſque Civitatibus, Diœceſibus, Provinciis & Locis præſentem noſtram conſtitutionem publicari, & inviolatè obſervari curent: & contra perſonas, quæ in futurum præter & contra prohibitionem hanc noſtram paciſci aut exigere auſi fuerint, tamquam publicos uſurarios & fœneratores, per viam accuſationis, vel denuntiationis, aut inquiſitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur procedant: reoſque culpabiles repertos, condignis pœnis, ut ſupra diſpoſitum eſt afficiant, invocato etiam ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis, non obſtantibus quarumcumque Civitatum, Provinciarum & Locorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, quorumcumque tenorum exiſtant, ſive per modum conſtitutionis & legis perpetuæ quomodolibet conceſſis, etiam ſæpius approbatis & innovatis: quæ omnia nolumus cuiquam de cætero ſuffragari. Ut autem præſentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, neve aliquis ignorantiam prætendere valeat: volumus ut illæ in valvis Baſilicarum Principis Apoſtolorum de Urbe, & S. Joannis Lateranenſis, & Cancellariæ Apoſtolicæ, atque in acie campi Floræ, per aliquem ex noſtris curſoribus de more publicentur dimiſſis & affixis earum exemplis in acie & valvis prædictis, earumque tranſumptis etiam impreſſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in digni-

Digitized by Google

dignitate Eccleſiaſtica conſtituta munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud, ubique gentium & locorum habeatur, quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi eſſent exhibita vel oſtenſa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, reprobationis, ſtatuti, interdicti, prohibitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, iram omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, duodecimo Kalend. Novembris, Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Ratione dictæ Bullæ oritur gravis quæſtio, an in ſocietate licitum ſit aſſecurari de ſorte, & inſuper paciſci de certo lucro. Pro quâ ſit

SECTIO II.

An in ſocietate liceat pecuniam inferenti paciſci, ut ſors aſſecuretur, & inſuper paciſci de certo lucro.

GRaviſſima hæc eſt quæſtio, ex quâ ſubindè graves tumultus alibi excitatos conſtat, prouti de Lugduno ſcribit P. Gibalinus. Ut autem certa ab incertis ſeparemus: prænotandum eſt, hîc intervenire triplicem contractum, ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis lucri incerti majoris pro certo minori. Deinde, apud omnes conſtat, eos contractus licitos eſſe, ſi incantur cum diverſis. Tota quæſtio eſt, an cum iiſdem ſit licitum ita paciſci. Formulam contrahendi refert Anſelmo *Tribon. Cap.* 46. quam ex Flandrico hîc latinè ſubjicio, quâ hîc ſolent uti:

Infraſcriptus atteſtor me recepiſſe à N. ſummam tot flor. ad eoſdem deſtinandos legitimæ negotiationi, eamdam ſummam ipſi aſſecurans: & loco lucri incerti majoris, quod illi ratione illius poſſet competere, promitto illi, aut latori harum ſolvere cum ſummâ capitali tot flor. in 100, *annuè infrà tale tempus. In quorum fidem, &c.*

Alia ſic ſonat: *Infraſcriptus profiteor me accepiſſe à N. ſummam tot flor. ad eoſdem pro illo convertendos in legitimam mercaturam; quam ſummam cum ejus emolumentis ad nummum* 16. *illi aſſecuro; ſalvo, quod lucrum majus inde obventurum mihi cedat: promittens eidem N. eadem emolumenta me præſtiturum, pro ratâ temporis, quo eamdem ſummam negotiationi applicabo: & eamdem ſummam arbitrio ejus me redditurum; eâ conditione, ut trimeſtri priori idem mihi interdicat. In quorum fidem, &c.*

Triplicem hunc contractum cum eodem iniri poſſe, & licitum eſſe de jure naturæ ſaltem, imo & poſitivo necdum condemnatum, docent varii. Joannes Major dicitur primus hujus ſententiæ propugnator. Eam defendit Navarrus in Manuali *Cap.* 17. *num.* 254. referens Commentarium ſuum, in quo copioſius eâ de re ſcripſerat, & Soti argumenta rejecerat. Eamdem ſententiam

Digitized by Google

cum aliis defendit Valentia *Diſp.* 5. *q.* 25. *Puncto* 2. Referens eamdem ſe præſente, plurium Theologorum ſuffragio Romæ approbatam eſſe 1581. eamdem Romæ approbavit Theophylus Raynaudus, Lezana, Diana, Baldellus, &c. anno 1647. ad inſtantiam Philiberti Gibalini, uti ipſe refert *de uſuris tom.* 2. in fine. Hiſce ſubſcripsère Malderus, Leſſius, Toletus, Lugo, & alii innumeri Authores. Contrarium ſuſtinent non pauci cum Dominico Soto, lib. 6. q. 2. art. 2. ad 3. ut Arragonius, Bannez, Ledeſma, Azorius, Rebellus, Sylvius, dicens hanc ſententiam veriorem eſſe, ac tutiorem: quam etiam judicamus magis fundatam, uti apparebit.

Præcipuum hujus ſententiæ fundamentum eſt, quod in dicto triplici contractu non ſit ſocietas, ſed mutuum; adeoque ex eo lucrari, ſit uſurarium. Qui enim ſic tradit 1000. pro quorum aſſecuratione dat 50. & paciſcitur de lucro 60. quid aliud agit, quàm mutuare 1050. ut recipiat 1060. ita Sylvius. 2. Ratio eſt, quod per pactum aſſecurationis ibidem evertatur ſocietas, quæ eſt fraternitas, de cujus ratione eſt, ut partes ſint æquales, vel abſolutè, vel proportionaliter: ſi ergo aliquis ſociorum non ſit ſocius in periculo ſortis, & lucri, ſicuti ſunt alii, jam erit ſocietas Leonina. 3. Ratio eſt, quod contraria ſententia uſuris aditum pandat; imo eas omninò auferat, dum hoc triplici contractu facillimè haberi poteſt omnis effectus uſuræ. 4. Ratio aſſignari poteſt, quod ideo negotiatio conceditur ut licita, quia ratione periculi, ac laboris aliquid poteſt lucrari. Sed hâc viâ omne periculum ceſſat: ergo & titulus lucri ex negotiatione. 5. Quod aliàs admittenda eſſet praxis illa, quâ pupilli, & viduæ pecunias ſuas tradunt obligationi, quam praxim ſuprà rejecimus Sect. 9. Cap. 5. Denique, quod dictum contractum improbent variæ Leges, uti patet in primis ex Bullâ Sixti V. ſuprà relatâ, ubi expreſsè dicitur: *Damnamus, & reprobamus omnes, & quoſcumque contractus, conventiones, & pactiones poſt hac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu per quas cavebitur perſonis pecunias, animalia, vel quaſlibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu, quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur: ſive, ut de certâ quantitate, vel ſummâ in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimuſque ejuſmodi contractus, conventiones, & pactiones uſurarias, & illicitas poſt hac cenſeri debere.....ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub ejuſmodi pactis, & conditionibus quæ uſurariam pravitatem ſapiant, diſtrictè interdicimus, & prohibemus.*

Concilium Mediolanenſe 1. tit. de uſuris, expreſsè prohibet, ne fiat pactum, ut ſors ſit ſemper ſalva. Et idem ſtatuit Conc. Burdigalenſe 1585. Cap. 29. Idem innuit & Gloſſa in Cap. *Plerique* 14. q. 3. ad verbum *Negotiatoribus*, dicens: *Videtur, quod ſi quis pecuniam ſuam dedit negotiatori, ut inde emat merces, & det ſibi partem lucri, quod illud ſi licitum. Quod non concedo, ſi periculum ſpectet ad recipientem, ut ſit inter eos contractus mutui: ſed ſi per illa verba ſocietatem contrahunt, & tunc periculum ſpectat ad utrumque,*

Digitized by Google

que, tunc bene licitum, quod unus ſocius det pecuniam, & alter ſuppleat labore, qui dedit in pecuniâ; ut ff. pro ſocio L. 5.

Refertur itidem Deciſio Rotæ Rom. 552. num. 11. in hunc modum: *Quod aliquis lucretur æquales fructus, & non ſubeat periculum amiſſionis capitalis ſicut ſocius: quod genus ſocietatis, ut ſcilicet capitale ſit ſolvendum, eſt omni jure improbatum.*

Accedit authoritas ſcholæ Sorbonicæ Pariſ. condemnantis inter alias hanc Opinionem Amadæi Guimenii anno 1664. Licitum eſt mutuatario exigere aliquid ultra ſortem principalem ratione periculi recuperandi pecuniam, cui ſe mutuator exponit: ſi contractui ſocietatis adjungatur contractus aſſecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum eſt exigere lucrum certum, cum aſſecuratione capitalis. Ad quæ dicta Sorbona: *Doctrina harum propoſitionum falſa eſt, ſcandaloſa, inducens ad uſuras committendas, variaſque aperit artes eas palliandi, juſtitiam ac charitatem violandi, & à ſacrâ facultate jam damnata.*

Inſuper Pius V. in Bulla 79. ita habet: *Conventiones directè, aut indirectè obligantes ad caſus fortuitos* (prout hîc fit) *eum, qui aliàs ex naturâ contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.*

Ex quibus patet, rectè procedere Theologos Pariſienſes, de quibus ita ſcribit Giballinus ibi ſupra: *& ſanè, qui ex Academiâ Pariſ. ad nos proficiſcuntur, hunc fori noſtri uſum palam, & publicè damnant.* Et meritiſſimè. Mirum tamen, quod ſubdit Cap. 5. artic. 2. in fine dictus Author, quod ſi Academia Pariſ. contrarium ſentiret, ſcilicet nobiſcum: magnum illi faceſſeret negotium: etſi authoritati illi poſſet aliarum Academiarum opponere ſententiam. Et quamvis ægrè tantæ authoritati repugnaret, & invitus, (ut ait) facilè tamen id negat, ſentire ſcilicet Nobiliſſimam illam Academiam, prout objicitur: aſſerens vulgarem, & communem hanc eſſe illius ſententiam, quod id liceat: aut ſi eam ſententiam Academia damnavit, ejus (ait) aliquod edictum proferatur, aut olim, aut recens prolatum. Ità ferè ille: ſatis ſit hujus magnanimitati in defendendâ hâc opinione, objicere Cenſuram Amadæi ante dictam. Nec eſt, quod de cætero dicat, prout dicit Artic. 3. num. 5. in Belgio non eſſe receptam dictam Bullam, prout patet ex dictis: uti & illi de Galliâ dicit eſſé certum: etenim nobis certò conſtat, opinionem noſtram Lovanii eſſe communem, & eamdem confirmare præclariſſima, quæ accipimus, Gallorum monumenta. Ex quibus itidem patet, nimis confidenter à Leſſio ſcriptum eſſe *lib. 2. cap. 25. dub.* 3. in fine, prout ante nos animadverterunt Salmanticenſes tom. 3. Tract. 14. Cap. 3. puncto 9. num. 102. in hunc modum: *Hæc fuſius præter morem proſecutus ſum, quod videam adhuc à quibuſdam propter umbras quaſdam uſuræ hunc contractum damnari: cujus prohibitionem hoc tempore cum damno publico futuram non dubitaverim.* Nec enim omnia bono publico temporali convenientia, conveniunt bono ſalutis, ſpirituali, niſi viis legitimis procurentur.

Eoſdem

Digitized by Google

Eoſdem contractus interdictos videri per Edictum Caroli V. 4. Octob. 1540. refert Anſelmo ibi ſupra, quod vetat, ne alii, quàm mercatores, aut cum eis lucrum, & damnum communicantes, pecuniam locent cum lucro. Inferens populo non eſſe ingerendum hunc contrahendi modum ut licitum, dum expreſsè à S. Sede, & Synodo Antverpienſi eſt improbatus, & à Carolinâ non obſcurè damnatus.

Argumenta contraria. Objiciunt contrariæ ſententiæ defenſores. 1. Liciti ſunt tres dicti contractus cum diverſis; ergo etiam cum eodem. Reſp. neg. conſequentiam: quia, quando fiunt cum diverſis, non proceditur in primis contra leges: deinde, tunc non deſinit in mutuum, uti fit, quando ineuntur cum eodem. Alii addunt, etiam ejuſmodi contractus illicitos eſſe, & injuſtos ex parte illius, qui cum diverſis contrahit, dum videtur id facere in fraudem legis, neque videtur habere ſerium animum negotiandi, quamvis alii diverſi cum eo contrahentes non peccent.

Objiciunt 2. *L. ſi non fuerint 29. ff. pro ſocio*, ubi dicitur, quod ſocietas ita poſſit iniri, ut una pars non ſentiat damnum, quod non videtur aliter poſſe fieri, quàm per dictum triplicem contractum. Deinde, Cap. *Per veſtras, de donat. inter virum, & uxorem*, permittit, quod dos Uxoris deponi poſſit apud Mercatorem, ſi maritus vergat ad inopiam, ut dote illâ lucretur; quod quoque non videtur aliter poſſe fieri, quàm per triplicem contractum jam antè dictum. Ita varii cum Wiggers. Reſp. ad primum, quod ſolùm ibi jus innuat, quod aliquàndo alterius operæ tanti valeant, ut ob earumdem exceſſum, non debeat impendens ſubjacere damno, aut periculo; quod nihil ad propoſitum, dum ſupponitur, quod pecuniam conferens aſſecuretur, & non ſubeat ullum periculum. Deindè ad aliud reſp. hoc permitti de dote illâ, non per dictum triplicem contractum, ſed quod jus permittat dotem aliquali periculo ſubjacere, quam marito dilapidatori relinquendo illam dotem cum periculo longè majori.

Objicies 3. pecunia, etſi de ſe ſit ſterilis, per induſtriam tamen Mercatoris fit fructifera; atqui negotiatio de ſe eſt licita: ergo licebit dare mercatori pecuniam ſuam per ſocietatem, ſicuti ad negotiationem, ſive per ſe, ſive per rem ſuam. Reſp. nulla hîc vera eſt negotiatio, ſed ſimulata tantùm: ſi enim talis interroget cor ſuum, inveniet, quod alio animo procedat, quàm animo negotiandi. Unde patet, quod etſi ſpeculativè fortè poſſit hîc adeſſe talis animus, in praxi tamen vix ſubeſſe ſoleat.

Objicies 4. varia pericula concurrunt in dictis contractibus, v. g. quod ſocius poſſit depauperari, aufugere, cedere foro, &c. Reſp. ſi id verè ſubſit, ejuſque probabilis timor, poterit quoque aliquid recipi ratione damni emergentis, prout in mutuo. Sed hâc de re nulla eſt quæſtio, dum hîc quæritur, utrum in dictis tribus contractibus aliquid lucrum percipi poſſit, quod non poteſt percipi ex mutuo.

Objicies 5. Bullam Sixti V. hîc non eſſe receptam. Ita Leſſius. Deinde, dici-

dicitur in Bullâ, quod *poſt hac*; & *in futurum* id non liceat, adeoque ab initio licitum fuiſſe, ac validum. Denique, quod Bulla ſolùm ſerviat pro foro externo, ob præſumptionem, ac periculum uſuræ. Reſp. ad primum, falſum id eſſe, conſtat ex Anſelmo ibi ſuprà, numero 3. aſſerente, eamdem Bullam à Paulo V. in Belgio mandatam executioni, ut conſtat ex Synodo Antverpienſi ſub D. Miræo anno 1610. tit. 5. Cap. 15. circà finem. Et quamquam Malderus ejuſdem noſtræ Diœceſis Epiſcopus, aliquot retrò annis contrarium docuerit; certum tamen dicit dictus Author num. 4. Reverendiſſimum Malderum intendiſſe, ut hujuſmodi contractus interdicerentur, ſed ob authoritatem quorumdam in plebe potentum id omiſiſſe. Cui fiducialiter id credendum eſt, cùm idem Author in hâc eâdem causâ fuerit Advocatus Fiſcalis.

Quod verò in Bullâ dicatur *poſt hac*, *in futurum*, &c. Nullatenus ſequitur, eoſdem contractus antea fuiſſe licitos: veluti, ſi diceret Pontifex, *volo, ut poſt hàc, & in futurum ceſſent meretricia*, non ſequeretur antea licita fuiſſe meretricia. Quod denique Bulla ſolùm ſerviat pro foro externo, dici non poteſt; cum teſte Sylvio 22. q. 78. art. 2. Concluſ. 3. Pontifex damnet id, quod per ſe malum eſt, quodque præveniendo juris poſitivi ordinationem eſt illicitum, prout probari poteſt ex verbis Pontificis vocantis eoſdem contractus uſurarios, contra æquitatem, ac contra ſocietatis juſtitiam. Unde Azorius p. 3. lib. 9. Cap. 4. eâ de re ita ſcribit: *Meo judicio Pontifex condemnare videtur tamquam fœneratitiam, & uſurariam per ſe talem ſocietatem: eam enim fœneratitiam, & uſurariam appellat.* Et poſtea: *optabat Navarrus, ut Pontifex declararet pactum tale in ſocietate licitum eſſe, & juſtum: at contratrium Pontifex declaravit, ac definivit.* Denique non videt aliam alios Authores excuſandi rationem à violatione dictæ legis; quàm dicendo, eos ante dictam Bullam ſua ſcripta edidiſſe.

Ex quibus omnibus manifeſtè liquet, vel ob ſolum periculum probabile uſurarum, ac earumdem favorem, non ſolummodo earumdem umbram, (ut ſupra Leſſius) contrariam ſententiam abſolutè eſſe proſcribendam. Quidquid enim ſpeculativè loquendo hîc fieri poſſit, hoc omninò tenendum eſt, quod in re practicâ, prouti hæc eſt, eſt tenendum: nihil enim proderit ſpeculatio, ſi praxis correſpondens ſit admodum periculoſa, prouti hîc fit. Optandum ergò, ut minus in his, & ſimilibus obtineret ſpeculatio.

Addit Zypæus *Not. juris Belg. tit. de uſuris*, etſi cantrariæ ſententiæ faveat, quod quidquid theoricè diſputetur; praxis tamen contractus triplicis non facilè in judiciis approbabitur, uti & in magno Concilio aliquando improbata dicitur.

Patet itidem, gratis, vel fruſtrà allegari à Comitolo *l. 3. reſp. mor. q. 12. num. 3.* Sixtum V. de ſenſu Bullæ interrogatum, reſpondiſſe, ſe in eâ Bullâ voluiſſe ſolùm prohibere injuſtos contractus, & conventiones ſolitas ſocietatibus apponi, quas Claſſici DD. condemnant; non autem eas, quas iidem

iidem approbant, ut juſtas: idque Patri Tuccio S. J. Theol. retuliſſe Cardinalem Toletum, & Card. S. Severinæ, quibus ſanciendæ legis cura commiſſa fuit. Pontifex enim expreſsè prohibet dictum contractum tamquam uſurarium, verſutiâ antiqui humani generis hoſtis indictum, &c. Et conſequenter etiam damnat ſententiam Theologorum eumdem defendentium: aut dictam Bullam contra ſentientes oppugnant: aut reſponſio allegata Bullam deſtruit, quod neutiquam admittendum.

Nec denique quidquam juvat, quod adfert Lugo, ſcilicet Joannem Bapt. Coccinum S. Rotæ Decanum in Deciſione Romanâ die 3. Junii 1603. concluſiſſe hanc Bullam ſolùm comprehendere caſus uſurarios de jure communi, quam Deciſionem refert Flavius Cherubinus in Comp. Bullarii Scol. 1. ad illam Bullam: quia cùm Bulla illa concernat dictum triplicem contractum; ſequitur contractum illum etiam jure communi eſſe uſurarium.

SECTIO III.

De effectu Societatis, ejuſque diſſolutione.

Effectus ſocietatis eſt communio bonorum in ſocietatem collatorum cuique ſocio pro indiviſo competens. Fit ea communio per traditionem, quæ eo ipſo fieri cenſetur, quo res in ſocietatem confertur. Porrò, hæc traditio ita intelligenda eſt, ut qui rem ſuam in ſocietatem confert maneat illius rei dominus, etſi illud dominium alteri ſocio communicet, idque pro indiviſo. Hinc, qui in ſocietate pecuniam confert illi, qui confert induſtriam, lucratur ex illâ pecuniâ tamquam re ſuâ negotiationi expoſitâ, quod non poteſt facere in mutuo, etſi eam mutuet mercatori; eò quòd mutuans non maneat rei mutuatæ dominus, & transferat dominium illius in mutuatarium.

Subindè tamen, fit tantummodo communio lucri, & non ſortis capitalis, quæ tota manet illius, qui eam in ſocietatem contulit, & vocari ſolet ſocietas illa ad communionem *in interuſorio*: quando finitâ ſocietate debet illi ſors ſua ante omnia extrahi; lucrum verò, & fructus in quibus fuit communio, dividi debet inter ſocios; quod ferè ſemper faciendum, dum unus pecuniam, alter induſtriam confert, aut laborem. Non deſunt tamen aliqui Juriſperiti, qui nullam veram, & abſolutam ſocietatem agnoſcant, niſi in quâ, tum ſortis, tum lucri fit communio, adeoque hanc dicendam eſſe *quaſi ſocietatem*.

Ex dictâ communione bonorum naſcitur obligatio in ſociis, ad res communes diligenter promovendas, & conſervandas. Non tamen ideo ſocius tenetur de culpâ leviſſimâ aliis ſociis, qualis culpa non obligat in aliis contractibus utriuſque gratiâ initis, quales ſunt venditio, emptio, locatio, conductio, ſocietas. Unde dicit lex *ſocius ſocio. D. pro ſocio. Socius ſocio etiam culpæ nomine tenetur, id eſt deſidia, & negligentiæ. Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam dirigenda eſt: ſufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet: quia qui parum diligen-*

tem

tem ſocium acquirit, de ſe queri debet. Hinc ſequitur illum, qui negligenter res ſocietatis adminiſtravit, teneri ad reſtitutionem de propriis bonis, quanti ſocietatis intereſt eas diligenter fuiſſe adminiſtratas. Deinde, illum, qui bona ſocietatis prodigè expendit, v.g. in conviviis, & luxibus, non ſolùm teneri ad reſtituenda eadem de propriis, ſed inſuper debere de propriis illud compenſare, quantum illis bonis potuiſſet lucrari ſocietas.

Sequitur præterea ex dictâ communione, damna illa, quæ proximè, & propriè oriuntur ex contractu ſocietatis, debere eſſe communia, niſi proveniant ex negligentiâ ſocii, juxta mox dicta. Patet ex L. *cum duobus ff. pro ſocio* §. *venit.* Deindè, cùm lucra, quæ ex ſocietate proveniunt, ſint communia, quidni & damna? dictum eſt, damna, quæ *proximè*, &c. Quia damna privata, quæ ſolùm occaſionaliter ex ſocietate patitur ſocius, non debent eſſe communia. Sicuti enim lucra, quæ occaſionaliter ſolùm ex ſocietate proveniunt ſocio, non fiunt communia; ita nec damna prædicta. Ex quibus inferunt, quod ſi aliquid damni evenerit ſocio ad negotia exeunti ab inimico, à quo v.g. ob inimicitiam vulneratur, non debere damna illa ſocio eâ ratione illata, eſſe omnibus communia. Itidem, ſi quis ſocium ad negotia exeuntem ex amicitiâ tractaverit hoſpitio, muneribus, &c. non debere ea lucra quoque eſſe communia. Si verò res ſocietatis abſque culpâ ſocii furto ablatæ fuerint, damnum erit commune. Aliud eſt, ſi culpa advenerit; unde ſi quis causâ ſocietatis iter ſuſcipiens, ingreditur viam latronibus infeſtam, dum poſſet tutiorem, tenetur ille de damno, quod ſocietati obvenit à latronibus. Sequitur ex ante dictis. Idem eſt, ſi merces negligentiâ alicujus fuerint corruptæ, aut ſi fato, vel fortunâ: & generaliter, quoties culpa ſocii intervenit, damnum erit negligentis, non ſocietatis.

Eodem modo expenſæ legitimæ intuitu ſocietatis factæ, debent omnibus ſociis eſſe communes. Tales expenſæ ſunt, quæ requiruntur in mercibus apportandis, evehendis, conſervandis. 2. Dum quis pro defendendis rebus ſocietatis vulneratur à latronibus, expenſæ medicorum fiunt communes. 3. Dum ad pericula evadenda milites conducit. 4. Eleëmoſynæ moderatæ factæ in bonum ſocietatis, ejuſque felici exitu, cenſentur inter expenſas neceſſarias, ac legitimas, adeoque fiunt communes. Si verò ad faciendas expenſas neceſſarias non ſuppetat pecunia communis, tenetur id ſocius ſupplere de ſuo, nec ſatis eſt, quod ad hoc pecuniam accipiat mutuo. An autem ad id ſocius obligetur ex charitate, an etiam ex juſtitia, diſſentiunt Authores. Plurimi affirmant ex juſtitia quoque ad illud ſocium teneri, dum ratione contractus ſocietatis tenetur adhibere eam diligentiam, quam adhiberet circà res proprias, pro quarum conſervatione res proprias deberet inſumere. Ut ut ſit, ſemper illi ſocio jus competet repetendi à ſociis, quidquid rationi ſocietatis de ſuis inſumpſit.

Variis autem modis fieri ſolet ſocietas. Primò, morte ſocii, etſi ſocietas cum pluribus ſit contracta, aut niſi ſpecialiter conventum ſit, ut aliquo defun- Quomodo ſocietas diſſolvatur.

 ˆcto,

Digitized by Google

cto, alii tamen perſeverent. L. *verum* §. *fin. ff. pro ſocio.* Societas enim perſonalis eſt, ut tutela. Non igitur tranſit ſocietas ad hæredes defuncti, etiamſi pactum ſimile eſſet factum. Ibid. §. *in hæredem.* Aliquando tamen morte ſocii non ſolvitur ſocietas, puta ſi ex intempeſtivâ ſocietatis diſſolutione fieret grave præjudicium rerum, negotiorum, hæredum. Hinc varii cum Molina *Diſp.* 414 docent, non finiri morte ſocii ſocietatem, dum triticum ſeminatum eſt, & necdum collectum, dum eſt ſocietas in vectigalibus, quibus caſibus tranſit ſocietas ad hæredes, modò apti ſint ſocietati continuandæ. Dicta intelligenda ſunt etiam de morte civili, quæ fit per maximam capitis diminutionem, ſcilicet per exilium, deportationem ad inſulas, per profeſſionem. Intereà tamen, dum ignoratur mors ſocii, quæ jure ſocietatis interim fiunt, facta tenent. L. *actione ff. pro ſocio.*

Secundò, finitur ſocietas tempore ſocietati conſtituto jam elapſo, quod aliis contractibus eſt commune, dum voluntas contrahentium ad tale tempus fuit reſtrictum.

Tertiò, finitur renuntiatione, & mutuo ſociorum conſenſu; res enim per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur: naſcitur autem contractus ſocietatis mutuo conſenſu, ergo eodem & diſſolvitur. Sufficit hîc renuntiatio tacita, qualis eſt, dum ſeparatim quilibet ſocius pro ſe negotiatur *L. itaque cum ſeparatim ff. pro ſocio.* Tenetur tamen renuntians monere ſocios, alioquin cum non monito communicanda ſunt lucra, non itidem damna; congruit enim, ut in præjudicium renuntiantis teneatur renuntiatio, neque obſit ignoranti. Hinc ulterius negotia cœpta tenetur abſolvere, aut concedere tempus ſufficiens eadem abſovendi, ne id vergat in damnum reliquorum. Debet inſuper hîc abeſſe omnis fraus, & dolus, qualis adeſſe cenſetur, quoties prævidet ſocius, quod lucrum, quod erit commune, poſſit diſſolutâ ſocietate ſibi facere ſingulare. Neque etiam tempore ſocietati affixo necdum elapſo, poterit invitis ſociis diſcedere à ſocietate.

Quartò, finitur ſocietas bonorum publicatione, ſive confiſcatione §. *ſolvitur inſtitut. de ſocietate* §. *ult. ff. pro ſocio.* Cum enim alius ſuccedat in locum ſocii, cujus bona publicantur, habetur ille pro mortuo *L. actione* §. *publicatione ff. eod.*

Quintò, finitur ceſſione bonorum à ſocio factâ, quo caſu nec ſibi comparat, nec aliis ſociis §. *ſolvitur*, ibi.

Sextò, finitur quoque finito negotio, propter quod fuit inita ſocietas *L.* 63. §. *fin. ff. pro ſocio.* §. *manet inſtit. de ſocietate.* Quod ſi ſocii eo non obſtante ſocietatem perſequantur, illam renovare cenſentur.

Septimò, ſi capitale caſu, aut aliâ ratione pereat. *L.* 63. §. *ult. ff. pro ſocio.*

SE-

SECTIO IV.

De diviſione inter ſocios faciendâ finitâ Societate.

CUm communia æqualiter oporteat dividere ſecundùm juſtitiæ regulas, quæritur, quomodo bona ſociorum communia finitâ ſocietate ſint dividenda. Pro quorum intelligentiâ ponunt aliqui has ſequentes regulas.

1. Quod debeat eſſe par ratio ſortis, & proventus; id eſt, qui plus, minuſve contulit, plus, minuſve auferat. Hinc, ſi duo ſocii ſinguli contulerint 100. aureos cum æquali labore, & induſtriâ, & ex communi hâc ſorte lucrati ſint 200. aureos, quilibet ſumet 100. aureos pro capitali ſuo extrahendo, & totidem pro ſuo lucro. Si verò quis 100. aureos contulerit in ſortem, alius verò laborem, vel induſtriam valentem 100. aureis, & lucrum fuerit 200. aureis; qui pecuniam contulit, debet primò 100. extrahere, quos contulit in ſortem, deinde quilibet pro lucro reportabit 100. Ita plurimi contra Leſſium, & alios, ſentientes, quod ille, qui poſuit laborem, vel induſtriam 100. æſtimatam, poſſit quoque de illo lucro 200. 100. extrahere, prout alter ſocius extrahit pro ſorte, adeo ut ſolummodo 100. ſuperſint de lucro, ex quo proindè quilibet extrahet 50. Hæc tamen opinio videtur reprobanda, quia ſocius, qui ſolam operam adhibuit, nil contulit ad ſummam capitalem, quæ eſt quid reale, ac pecuniarium: induſtriæ verò, & operæ ſunt quid perſonale. Deindè Sixtus V. in Bullâ ante dictâ expreſsè ait, *ſortem finitâ ſocietate, tradendam eſſe illi, qui eam contulit, ſi extet.* Inſuper pecunia, ſi pereat, perit eam imponenti: ergo extans illi eſt reddenda; dum ſit æquum, ut qui ſentit incommodum, ſentiat & commodum. Regulæ pro diviſione facienda.

Objiciunt alii, quod opera alterius ſocii tanti valeant, quanti ſors ab alio allata valet: ergo pecunia finitâ ſocietate eſt dividenda; cùm ille, qui poſuit operam, tantumdem poſuit, quam qui poſuit pecuniam. Aliàs enim inæqualis eſſet ſociorum conditio: ſi enim nullum lucrum eſſet factum, qui poſuit ſortem, illam recuperaret, & alter perdidiſſet operas. Reſp. Ille, qui poſuit ſolas operas, nil poſuiſſe pro capitali; conſequenter non debetur illi capitale, ſed ſolummodo lucrum: quo caſu etiam fiet æqualitas, quia ſicuti pecunia ſtetit periculo eam deponentis, ita & opera ſtetit periculo laborantis: & ſicut apponens pecuniam, non poteſt eam exigere à ſocio, ſi eadem pereat: ita neque apponens operam, poteſt aliquid exigere de capitali alterius. Deindè, caſu quo nullum eſſet lucrum obtentum, neuter illud reportat, ſed uterque amittit, quod potuiſſet lucrari; ſicuti enim ſtetit pecunia periculo, ita & opera.

Poteſt interim conveniri, ut pecunia appoſita fiat omnibus communis, & finitâ ſocietate dividatur, uti conſtat ex dictâ Pontificis Bullâ; & tantus poſſit eſſe alterius labor, aut induſtria, ut eam diviſionem mereatur. An verò cenſendum ſit, ſocium ita voluiſſe ſortem ſuam facere communem, an eo, ſi nihil de eo fuerit expreſſum, docent ſtandum eſſe locorum conſuetudini, juxtà

 quam

quam cenſentur contractus celebrari. Seclusâ verò conſuetudine, cenſetur non voluiſſe ſortem ita ferre in commune, uti patet ex dictis.

Sed quid ſi pecunia finitâ ſocietate creviſſet quoad valorem, poſſetne eam conferens pecuniam ita auctam, ſibi recuperare. Reſp. Negativè ſeclusâ conventione, quâ uterque ſocius ſe expoſuit periculo damni, & lucri. Et ratio eſt, quia ſi pecunia quoad valorem decreviſſet, alter ſocius, qui ſolam induſtriam poſuit, obligatus fuiſſet ad dandam pecuniam ſimilis valoris, ac fuit collata: ergo ſatisfacit reſtituendo pecuniam ſimilis quoque valoris; quia cujus eſt damnum, oportet eſſe & commodum: ſequitur quoque ex dictis. Unde inferri inſuper poteſt, quod durante ſocietate non liceat lucrum extrahere, niſi fortè aliud obtineret conſuetudo, aut permitteret illud ſociorum conſenſus. Unde non poteſt ſocius in ſuum commodum uti pecuniâ collatâ, aut aliâ re communi, aliàs furti condemnetur *L. rei communi* 45. *ff. pro ſocio.* Si autem inde ſociis aliquod damnum obveniat, tenebitur ad ejus reſtitutionem.

Regula 2. 2. Regula eſt, quod in ſocietate oporteat eſſe æqualis ratio damni, & lucri, ut qui trientem lucri percepit, trientem damni capiat: & qui beſſem damni feret, feret beſſem lucri: aliàs enim aperta foret inæqualitas, nec ſervaretur regula ante data. Qui enim majus damnum, quam pro ratâ ſuæ ſortis ferret, non caperet lucrum pro ſuâ ſibi parte debitum.

Regula 3. 3. Regula eſt, quod inter ſocios æqualitas geometrica ſit ſervanda, ut pro portione partis collatæ, pecuniæ, rei, induſtriæ, &c. damnum & lucrum inter ſocios dividatur. Sequitur ex hucuſque dictis. Æqualitas dicta non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet ſuam latitudinem, dum ad illam plurima concurrunt, quæ ſunt meritò æſtimanda, quæ æſtimatio plurimum pendet à morali prudentum judicio, juxtà varios occurrentes circumſtantias, quæ ſæpè ſolent variari, uti fit in operis, ſervitiis, induſtriis, &c.

Regula 4. 4. Regula eſt, quod omnia pacta ſocietati adjecta, ſint obſervanda, niſi ſocietatis naturam deſtruant, aut alicui legi repugnent. Contractus enim ex conventionibus legem accipiunt, Cap. *Contractus Reg. jur. in 6.* toties verò ſocietatis natura deſtruitur, quoties per pactum aliquod ſocietas refertur ad aliud contractuum genus; v.g. mutui, locationis, conductionis. Legi autem naturali repugnare hìc cenſentur, quoties inducunt inæqualitatem inter ſocios, ſi unus plus gravetur, quam alius, nec aliundè illud compenſetur. Legi denique poſitivæ repugnant, dum juſtis loci ordinationibus contraveniunt; quæ, quia in diverſis locis ſunt diverſæ, neceſſariò oportet eaſdem obſervare. Idem dicendum eſt de legitimâ conſuetudine, habente vim legis.

Digitized by Google

SECTIO V.

De Societate animalium.

SOcietati negotiationis ſimilis eſt ſocietas animalium, ubique locorum uſu recepta. Subindè vocatur *Socida*. Ad cujus intelligentiam prænotandum eſt primò, variis modis poſſe alteri animalia tradi. 1. Per modum venditionis, ut pretium ſtatutum ſuo tempore ſolvatur. 2. Per modum locationis, concedendo alteri eorumdem uſumfructum pro certâ mercede ſolvendâ in pecuniâ, aut animalium fructibus, v. g. lanâ, lacte, &c. 3. Eadem tradendo ſimpliciter in cuſtodiam, datâ pecuniâ, aut aliâ mercede pro curâ, ac labore cuſtodiendi. 4. Ad ſocietatem, ita ut animalia ſint communia, vel ſaltem lucrum ex iiſdem proveniens. Fieri poteſt, ſi unus conferat animalia, alter laborem, & induſtriam: vel uterque animalia, & induſtriam; ut in ſimili diximus de ſocietate negotiationis. Prouti autem animalia hîc dantur alteri, ſive per modum locationis, ſive venditionis, ſive ſocietatis, ſive alio quocumque modo, ſervandæ ſunt conditiones illius contractûs, per quem reſpectivè dantur. Quot modis fiat.

Quod hîc ad ſocietatem animalium attinet, ſervandæ ſunt in primis regulæ generales ſuperius datæ pro ſocietate negotiationis, huic ſocietati accommodandæ. Specialiter tamen requiritur, 1. Ut ſinguli aliquid conferant, ſive animalia ſive laborem, operam, &c. hoc enim omni ſocietati eſt commune. 2. Ut ſervetur æqualitas, ut ſicuti quis contulit, ſic lucretur. 3. Ut apponens animalia ſtet eorumdem periculo, dum manet eorumdem dominus, & res perit ſuo domino. Si verò pars periculi in alium ſit rejecta, poteſt fieri compenſatio, ſi alter non tantam conferat induſtriam.

Ex dictis varia inferri ſolent: primò, iniquam eſſe ſocietatem, quâ quis alteri animalia tradit cum pacto, ut ſi pereant æqualiter pereant apponenti, & recipienti: ſi autem non pereant, detur capitale apponenti, & lucrum ex æquo dividatur: quo caſu non ſervatur æqualitas, cùm ſors ſtet periculo apponentis; hinc tale pactum damnat Bulla Sixti V. ſuperius allata, quo hîc paciſcuntur, quod ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſit ſalvum; & Concilium Mediolanenſe de uſuris de animalium ſocietate ita habet: *Nec fiat pactum, ut ſors ſit ſemper ſalva, etiam ex primis fœtibus.*

Secundò, iniquam eſſe ſocietatem, ſi quis Paſtori det animalia, ut maneat idem numerus; adeo ut, ſi quæ moriantur, ſupponantur alia ex fœtibus, & in fine accipiat mediam fœtuum partem, ſi labor Paſtoris pluris æſtimetur; quia nec eo caſu ſervatur æqualitas; aliud eſſet, ſi labor illius non tanti æſtimaretur.

Solent inferre ulterius tertiò, validum eſſe contractum, quo quis dat animalia cum pacto, quod primò debeat recipere omnes fructus, quouſque rehabeat capitale, & depaſta pecora, ac emolumenta ſint communia; modò capitale ſemper ſtet ejus periculo, etiam ante ſortem recuperatam.

Quartò, valere ſocietatem cum pacto, ut recipiens animalia habeat medietatem, ſic

ſic ut quoque ſubjaceat periculo ſortis, & de cætero emolumenta ſint communia.

Quintò valere itidem, ſi quis emat à Paſtore vitulum 2. annorum, poſt 3. aut 4. annos vendat, eâ conditione, ut primò extrahat ſuum capitale, quod dedit, deinde lucrum ſit commune, modo capita ſubſtent periculo dantis.

Sextò quod ſi in illâ ſocietate nihil ab initio ſit conventum, ſtandum eſſe conſuetudini loci, aut ita arbitrio boni viri res dividendas eſſe, ut unus præ alio non magis gravetur. Diviſio autem fœtuum juxtà patriæ morem, eſt quoque facienda.

Diſputant alii hîc quoque de ſocietate officiorum, & latiſſimè ſcriptores Itali, cùm ea ſocietas maximè vigeat in Italiâ, neque alibi ità ſolet obvenire. De ſocietate omnium bonorum, ſocietate inter fratres, inter conjuges, &c. nihil ſpecialiter hîc reſtat dicendum.

CAPUT VII.

De Cenſibus.

SECTIO I.

Quid ſit cenſus, & quotuplex.

OBſervant paſſim Authores, veteres Juriſperitos de cenſibus nihil tractaſſe, eò quòd necdum eſſent inventi, uti patet ex Cod. & ff. Quandonam ſint inventi, non ità certò conſtat. Cenſus reſervativus, de quo poſtea, à Joſepho Geneſis 47. legitur Egyptiis conſtitutus. Conſignativè originem alii referunt ab Martinum V. circà annum 1423. qui formam edidit in Conſtitutionibus cenſuum obſervandam, quam poſtea confirmavit Calixtus III. Ex illis tamen conſtitutionibus apertè colligitur, cenſus jam diu antea fuiſſe inſtitutos, dum dicti Pontifices, cenſuum legitimam conſtitutionem præſcribant, ac eorumdem fraudes coërceant: hinc alii ad Clementis V. tempora id referunt circà annum 1305. ex ſuâ conſtitutione, *Exivi de Paradiſo §. Cumque annui reditus de verb. ſignif.* id colligentes. Cenſus tamen de cenſibus q. 5. numero 9. dudum etiam ante tempora Juſtiniani cenſuum originem deducit, dum novella 160 de cenſibus disertè meminit. De quâ re plenius videri poteſt dictus Author.

Dicitur autem *cenſus* à *cenſendo*, quod ſingulorum bona cenſerentur, ut juxtà eorumdem æſtimationem, Patriæ contribuerent ad communia onera perferenda. Sumitur quoque pro divitiis, juxtà illud Poëtæ: *dat cenſus honores, cenſus amicitias.* Item pro tributo, juxtà illud Matthæi 22, *licetne cenſum dare Cæſari?* Generaliter verò ſumitur pro eo, quod ſolvitur alteri in ſignum ſubjectio-

ctionis. Propriè tamen hîc ſumitur pro jure ad aliquam penſionem percipiendam ex re aliquâ, vel perſonâ. Dicitur eſſe *jus*, quod hîc ponitur pro genere. Per id, quod dicitur *ad penſionem percipiendam*, diſtinguitur à mutuo; quia dans mutuo nullum habet jus percipiendi aliquid ex re mutuatâ; imò, ſi quid ex eâ perciperet, foret uſurarius. Differt itidem eâ ratione à pignore; cui enim datur pignus ob ſecuritatem, nihil ex pignore percipere poteſt, niſi id computet in diminutionem ſortis, uti ante demonſtravimus de Contractu Antichreſios. Additur, *ex re aliquâ, vel perſonâ*; eſt enim jus illud quaſi quædam ſervitus rei, aut perſonæ impoſita, ſive rei, aut perſonæ correſpondet certa obligatio ad penſionem rependendam. Quid cenſus.

Jus ergo illud remanet in eo, qui emit cenſum, ſive cenſuiſta, cui correſpondet obligatio cenſuarii, ſive qui cenſum vendit, ad penſionem ſolvendam. Obligatio autem cenſuarii eſt duplex: *realis*, quâ ejus res manet obligata, ad dandam penſionem: *perſonalis*, quâ perſona cenſuarii ad hoc manet obligata. Omnis autem obligatio realis includit obligationem perſonalem, non è contrà; *realis* enim obligatio præter eam, quam includit, involvit quoque perſonalem, quâ perſona obligata eſt, ut realem obligationem mandet executioni. Perſonalis reſpicit ſolam perſonam, ejuſque obligationem.

Dicitur quoque ſatis familiariter cenſus ille eſſe *reditus*, eò quòd de tempore in tempus redeat, v. g. de menſe in menſem, de anno in annum, &c.

Cenſus variè dividitur. 1. Ex parte materiæ, in cenſum realem, & perſonalem. *Realis* eſt, quæ fundatur in re alterius fructiferâ. Dicitur *alterius*, dum ſicut nemo habet rem propriam in pignus; ita nemo ex re propriâ propriè percipit penſionem. Hinc fit, ut cenſus hic pereat, pereunte re; aut minuatur, diminutâ re ſuper quam conſtituitur cenſus; eò quòd debeatur ex re ipſâ. Sequitur quoque hic cenſus rem, quocumque ierit. *Perſonalis* dicitur, qui ſtatuitur ſuper perſonam. *Mixtus*, qui ſuper perſonam ſimul ſtatuitur, & ſuper rem, qui ideò etiam non perit, pereunte re; quo caſu perſona etiamnum manet obligata. Suprà quam rem poſſit poni cenſus, dicam poſtea. Diviſio cenſûs.

2. Dividitur cenſus in reſervativum, & conſignativum, idque ex parte modi, quo imponitur. Prior eſt, quando quid alteri dato dominio directo alicujus rei, reſervat ſibi ex eâ re aliquam penſionem quotannis ſolvendam. Sic Joſeph. Geneſ. 47. dedit Egyptiis poſſeſſiones, reſervatâ Regi penſione ſolvendâ. Habet hic cenſus maximè locum in beneficiis Eccleſiaſticis. Differt hic cenſus ab Emphyteuſi, eò quòd in cenſu illo detur dominium, tam utile, quàm directum: in Emphyteuſi verò detur ſolum utile. Deinde, ſi penſio in Emphyteuſi triennio non ſolvatur, cadit dominium utile in commiſſum; & coaleſcit cum dominio directo de jure communi. Hoc autem non fit in cenſu, niſi de eo ſit ſpecialiter conventum. Quod verò de illo poſſit conveniri, probant ex eo, quod qui alteri donat rem ſuam, poſſit eam donare cum omnibus illis conditionibus, quæ juri non repugnant: quod autem Pius V. annullet omnia pacta, quæ moroſum debitorem cenſûs compellunt ad rem, aut rei pretium amit-

amittendum, aut ad omnem aliam quamcumque pœnam: nihil hîc obſtat, cùm agat Pontifex de cenſu conſignativo, de quo ſolummodo inter DD. erat quæſtio.

Cenſus conſignativus eſt, quando quis retinet dominium directum, & utile ſuæ rei, ſed illam, vel ſe obligat ad inde aliquam fructuum partem, aut penſionem ſolvendam: adeo ut alteri aſſignet jus exigendi penſionem ex rebus ſuis, aut ſuâ perſonâ. Et hic eſt cenſus propriè, ac famosè dictus, de quo de cætero agemus.

3. Dividitur cenſus ex parte materiæ ſolvendæ, in pecuniarium & fructualem; quatenus penſio illa ſolvenda eſt pecuniâ, aut fructibus.

4. Dividitur cenſus ex parte temporis, & durationis, in perpetuum, & temporalem. Prior eſt, qui de ſe nunquam exſpirat. Poſterior eſt, qui ſolummodò certo tempore durat, v. g. ad 3. annos & dicitur ille *certus*, quoad tempus: vel ad vitam hominis, & dicitur *incertus*, dum incertum eſt, quando morietur.

5. Dividitur in redimibilem, & irredimibilem: prior eſt, quem venditor poteſt redimere reddendo pretium, & compellere emptorem ad eum recipiendum. Poſterior eſt, quem venditor eo modo redimere non poteſt.

SECTIO II.

An Cenſus reales ſint liciti.

FAtendum omnibus, cenſus reales reſervativos licitos eſſe, & honeſtos, dum quilibet transferens rem ſuam in alium, poteſt ex eâ ſibi reſervare jus aliquod ad annuam penſionem ex eâ recipiendam. Patet ex dictis. Tota jam quæſtio eſt, de cenſu conſignativo. Hunc Authores aliqui ſuſpectæ fidei, ac doctrinæ volunt à Pontificibus inductum eſſe in vicem uſurarum, ut proſcripto uſurarum odioſo nomine, rem ipſam uſuræ ſub honeſtiori cenſuum titulo retinerent; quæ mera eſt calumnia, ut per ſe patet.

Alii, quos magno numero refert Binsfeldius in Cap. *In Civitate, de uſuris*, docent emptionem redditUUm annuorum eſſe multùm odioſam, & ſuſpectam; quâ ratione Innocentius ibid. (quem alii ſequuntur) admonet omnes Chriſti Fideles, ut ab hujuſmodi contractibus abſtineant. Inſuper antiqui Theologi, quorum mentio fit à Martino V. & Calixto III. inter quos Major, ac Gabriël, non pro omni hominum genere, nec in quemvis uſum cenſûs approbarunt, ſed ſolummodo ad certum finem; ſcilicet ad 4. dumtaxat perſonarum genera; puta ad ſuſtentationem eorum, qui aliis præſunt in ſpiritualibus, uti ſunt Prælati Eccleſiaſtici, Paſtores, &c. 2. illis qui præſunt in temporalibus, ut Reges, Duces, &c. 3. Orphanis, & Viduabus, debilibus, ac infirmis. 4. Religioſis, reſpectu quorum licitos cenſus aſſerebant dicti Doctores.

Cenſus aliquibus odioſi. Quod verò generaliter cenſus dicti ſint multùm odioſi, ac ſuſpecti; probatur 1. ex eo, quod cenſus magnam habeat affinitatem & ſimilitudinem cum uſurâ:

uſurâ; convenit enim cum illâ in materiâ, quæ eſt incrementum ſucceſſivum pro ratâ temporis, & ſortis. Deinde in fine, quia utraque inventa eſt ad fruendum pro tempore pecuniâ alienâ. Quod utraque ſpectet ad negotiationem quæſtuariam. Quod utraque ſors maneat ſecura, & tamen annuè quid lucri accedat. Et ob dictas rationes vult Molinæus cum aliis, cenſus illos eſſe loco uſurarum adinventos.

2. Quod ex eo tempore, quo frequentari cœpit cenſus, beneficium mutuandi charitativum deſiit. 3. Quod cenſus præbeat multis occaſionem deſidiæ, ac otiandi; otium autem ſit pulvinar Diaboli, unde plurima mala in Republicâ proveniunt. 4. Quod otioſis det anſam ſua bona diſſipandi, dum in minimâ neceſſitate, ut luxui vacent, reditus levant, & ſine fine multiplicant, donec alieno ære preſſi in ſummas miſerias redigantur, & ab avaris opprimantur. Ob quæ, & alia incommoda Innocentius in Cap. *In civitate, de uſuris*, & alii, qui eum ſequuntur, fideles Chriſtianos admonuêre ab hoc contractu abſtinere, neque filiis hujus ſæculi publicè prædicandum eſſe; quibus inculcandum eſt, non confidere in incerto divitiarum; quod, qui volunt divites fieri, cadant in laqueum Diaboli; fugere cupiditatem; quod denique charitatem fovet, non avaritiam idolorum ſervitutem.

Quibus tamen non obſtantibus omninò dicendum eſt, cenſus reales conſignativos, ſive novi ſint, ſive antiqui, eſſe licitos, & honeſtos. Fatentur tamen Authores, emptionem antiquorum redituum æquiorem eſſe, & ab uſuræ ſpecie magis alienam, quàm ſit novorum, ſive, qui de novo conſtituuntur: undè varii DD. cum Innocentio, emptionem antiquorum probant, novorum reprobant; idque ex eo, quod in emptione, & venditione diſtingui debeant merx, & pretium; quod clarè fit, dum emitur cenſus antiquus, ſive jam conſtitutus, cum jam ante tamquam merx, ſive tamquam res exiſtat. Obſcurum id verò ſit, dum conſtituitur novus, qui dum contractus celebratur, necdum exiſtit. Alias rationes hîc adferunt Authores. Cenſus eſt licitus.

Probatur tamen dicta concluſio, tam quoad veteres cenſus, quàm quoad novos: 1. authoritate Martini V. Calixti III. Pauli III. & Pii V. qui expreſsè docent, cenſus certis conditionibus conſtitutos, licitos eſſe, nec diſtinguunt inter novos, & antiquos. Eâ ratione Rebellus vocat hanc opinionem *Oraculum fidei*. Deinde probatur ex ratione: 1. Quod quilibet alteri poſſit donare jus exigendi ex ſuis bonis certam penſionem: quare non etiam poterit illud jus vendere? Inſuper poteſt quis alteri vendere jus ſervitutis, v. g. transeundi per agrum: ergo & poteſt vendere talem cenſum. Tota quæſtio eſt in demonſtrandâ hîc verâ emptione, & venditione. Pro quo notandum eſt, ad veram emptionem, ac venditionem requiri: 1. Ut contrahentes habeant facultatem transferendi dominii: 2. Quod res ſit venalis, aut ex natura ſua, aut lege vendi non prohibita: 3. Quod detur juſtum pretium: 4. Ne ulla fraus adhibeatur. Hæc autem omnia in cenſu verè concurrunt, uti ex dictis patet, & latius patebit ex dicendis. In cenſu eſt emptio, & venditio.

 Obji-

Objiciunt 1. quod non ſit hîc niſi venditio ſimulata, & virtuale mutuum, adeoque & uſura. Probant, quia ſi quis daret 1000. v. g. ut annuè recipiat 100. anno undecimo haberet totam ſortem datam, & adhuc 100. ultra ſortem, quod nihil eſt aliud, quàm lucrum ex mutuo, adeoque & uſura. Reſp. non eſſe hîc ullum mutuum, ne quidem virtuale: etſi enim, tam mutuatarius, quàm cenſuarius fiant domini pecuniæ datæ, adeo ut ſi pereant, pereant accipienti: tamen adhuc variè diſcrepant, dum mutuans poteſt ſortem repetere, dum volet: non itidem cenſualiſta: unde nec debet venditor censûs reddere capitale, ſed ſolummodo penſiones annuas. Quod verò poſt multos annos plus accipiat, quàm veleat capitale, non fit ex mutuo, ſed ex venditione, ac emptione juris exigendi quotannis penſionem: niſi fortè quis dicere vellet, quod ille quoque ſit uſurarius, qui ex agro empto decurſu temporis plures fructus recipit, quàm ager valeat.

Inſtabis, hîc emitur pecunia per pecuniam, quod eſt uſurarium. Reſp. hîc nec emitur pecunia, neque penſio; ſed emitur jus ad penſionem, & obligatio in venditore, quæ ſunt pretio æſtimalibia, & vendibilia, æquè ac vendibilis eſt uſusfructus domûs elocatæ, jus percipiendi partem fructuum ex vineâ, &c. Quatenus enim res in uſum hominum ſerviunt, ſunt venales, qualis res eſt & illud jus.

Inſtabis rurſum, non licet ullo modo emere pecuniam, quia ipſamet eſt cæterarum rerum pretium. Reſp. Ex dictis patet, non emi hîc pecuniam, ſed jus ad penſionem. Deinde, etſi primarius uſus pecuniæ ſit eſſe menſura rerum vendibilium, tamen ſecundarius ejus uſu poteſt eſſe pretium ſui ipſius, ſeu ut una permutetur cum alia.

Dices ulterius, cenſus emitur ob pecuniam, ergo magis emitur ipſa pecunia; propter quod enim unumquodque eſt tale, ipſum eſt magis tale. Reſp. negando conſequentiam: etſi enim cenſus ematur ob pecuniam, non tamen emitur ipſa pecunia: ſic medicina emitur ob ſanitatem, non tamen emitur ipſa ſanitas.

Objicies inſuper, jus illud ante non extat, ergo emi non poteſt. Reſp. ad venditionem non requiritur, ut actu exiſtat res illa, quæ venditur, uti patet in jactu retis, fructibus futuris, &c. Deindè, etiam illud jus in vendente anteà exiſtit eminenter, quod ſicuti poteſt ille alteri donare, ſic poteſt illud alteri vendere, tamquam rem ſuo modo extantem.

Quod autem alii objiciunt, cenſum præbere occaſionem deſidiæ, avaritiæ, &c. Nihil hîc urget; cum contractus maximè legitimi ſubindè dent illorum occaſionem. Vitia ergo illa non proveniunt ex natura cenſuum, ſed ex vitio, ac malitiâ cenſus ementium, ac vendentium. Hinc etiam ad juſtitiam illorum variæ conditiones ſunt requiſitæ, tam de jure naturæ, quàm jure poſitivo.

Ut autem ſciatur, quid ad cenſum requiratur jure naturæ, videndum quomodo cenſus conſtituatur, ſive acquiratur: prout enim acquiritur, requiritur eſſentialis ratio contractûs illius, per quem ſolet acquiri, ſive conſtitui.

Et

Digitized by Google

Et generaliter tot modis acquiruntur cenſus, quot dominia rerum legitimè ſolent transferri. Hinc acquiri poteſt teſtamento, legato, aut donatione mortis causâ : poteſt enim quilibet ſua bona ita alteri relinquere, ut ſimul alteri relinquat jus ex eiſdem bonis percipiendi aliquam penſionem : poterit teſtator alteri legato, aut aliâ dictâ viâ relinquere cenſum à ſe jam pridem conſtitutum. Poterit inſuper cenſus conſtitui tranſactione, permutatione, ſententiâ Judicis, ac tandem emptione. Prouti ergo aliquo ex dictis modis conſtituitur Cenſus, requiritur quoque reſpectivè id ex natura rei ad ejus conſtitutionem, quod requiritur ad rationem talis modi, quo cenſus conſtituitur. Quomodo cenſus acquirantur.

Jure poſitivo autem varia inſuper ſunt requiſita, maximè ex conſtitutione, Pii V. 14. Kalend. Februarii 1569. & amplius declaratâ 1570. 10. Julii. Uti etiam ex Conſtitutione Gregorii XIII. anno 1574. 7. Januarii, poſtulatis ſiculorum reſcribentis. Quæ, an ubique obſervanda ſint, non ita convenit inter DD. Comitolus Reſponſ. mor. lib. 3. quæſt. 27. affirmat, etſi quoque alibi non forent promulgatæ, aut uſu receptæ. Ait enim ibidem num. 4. *Quis exiſtimare poſſet, omnes Chriſtiani Imperii Provincias, ac Regna non teneri hac lege, quia audio in quibuſdam Regionibus, ac Regnis non eſſe receptam*? Et ratione datâ ex verbis Pontificis, ſubdit num. ſeq. ſe Dominos Provinciarum non abſoluturum, niſi Piam conſtitutionem vellent recipere. Alios, ſi quid poſt auditam dictam Bullam per dolum vel fraudem cenſum contrahendo commiſiſſent, pronuntiaret eſſe inane quidquid feciſſent; ac proindè reſtituenda eſſe, quæ percepiſſent. Si verò nihil de eâ Bullâ audita contraxiſſent, fructus perceptos diceret ſuos, & contractum fuiſſe verum, ſed tamen ad formam Pontificis renovandum. Si id renuerent, eos non abſolveret; cùm recuſarent neceſſaaiam legem; niſi veroſimiliter docerent dictam Bullam de tacito ſaltem conſenſu Pontificis eſſe abrogatam, aut uſu non receptam. Idem ſentiunt & alii. Verùm, quidquid ſit de authoritate Conſtitutionum Apoſtolicarum non receptarum, cenſent promiſcuè Authores, dictam Pii V. Bullam non obligare in illis locis, ubi uſu recepta non eſt : de Hiſpaniâ, Galliâ, Siciliâ, Germaniâ, ac Belgio, id paſſim exprimunt illorum locorum Scriptores, dum tractant de hâc materiâ; neque ideo umquam Pontifices reclamarunt. Addit Gudelin. *lib.* 3. *Juris noviſſ. cap.* 3. *num.* 27. Quod hæc ſacra authoritas omnes deterreret; imò cogeret abſtinere ab emptione redituum perſonalium, niſi diceretur conſtituionem hanc numquam in uſum tranſiviſſe. Ad cenſum requiſita.

Nec malè in hâc eâdem re obſervat Binsfeldius in *Cap. de civitate, de uſuris, Dubio uno*, & altero quæſt. 12. relatâ dictâ Bullâ, cum Navarro, omnes conditiones ibi recenſitas non eſſe ejuſdem ordinis; aliæ ſunt juris naturalis, & divini, ut uſurarium contractum eſſe reprobandum, uſuram palliatam eſſe extirpandam, cenſuum juſto pretio eſſe emendum, &c. Quod cenſus non ſtatuatur, niſi in re fructiferâ. Aliæ ſunt uſuræ præſumentes, & uſuris obviantes, v. g. quod pretium ſolvi debeat pecuniâ numeratâ, coram

ram Notario, & teſtibus; quod non fiat ſolutio anticipata, quod non apponantur pœnæ, &c. aliæ denique conſtitutiones adjunguntur, quæ tamquam rationabiles ſunt dignæ obſervatione, ut quod cenſuarius præferatur in emptione rei, quando eam venditor vult vendere, ac ut ante redemptionem fiat renuntiatio per bimeſtre. Hinc ille rectè reſolvit, quod illa, quæ ſunt juris naturalis, ac divini, ubique ab omnibus ſint obſervanda: illa, quæ ſunt ſecundi generis, docet quoque ubique ſervanda eſſe, eò quòd lex Papæ circà ſpiritualia, & illa, in quibus verſatur periculum animæ, ſervanda ſit in utroque foro, *Gloſſa recepta in Cap. 2. de Reg. juris in 6.* Quæ verò ſunt tertii generis, non eſſe ea neceſſariò obſervanda, ſed tantum ab illis, qui Pontifici ſubſunt in temporalibus. Hinc ulterius infert, dictam Bullam quoad illa, quæ ſunt juris naturæ, aut divini, per non uſum non poſſe abrogari; bene tamen quoad illa, quæ ſunt merè juris humani; maximè, Papâ ſciente, nec contradicente: nec præſumendum eſt, inquit, quod ſapientiſſimus, & ſanctiſſimus Pontifex in eis, quæ non ſunt juris naturalis, & divini, voluerit alios Principes, & Dominos in ſuâ temporali juriſdictione perturbare. Unde & concludit, quod dicta Conſtitutio in multis non obliget Germanos, alioſque, apud quos nunquam fuit recepta, qui ſemper hactenus aliam formam, & diverſum modum habuerunt, conſtituendi cenſum.

Requiſita ad cenſum jure Pontificio.

Ut tamen exactior habeatur dictæ conſtitutionis notitia, compendioſè adferam in illâ ad cenſum requiſita. Primò requiritur, ut cenſus non conſtituatur, niſi in re immobili, aut quæ habetur pro tali, de naturâ ſuâ fructiferâ, certis finibus deſignatâ. Quâ conditione tolluntur omnes cenſus perſonales, & alii conſtituti ſuper omnibus bonis in generali. Secundò, ut cenſus non creëtur, niſi verè in pecuniâ numeratâ, præſentibus teſtibus, ac Notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem præviè accepto pretio juſto, ac integro. Conditio hæc, non eſt de jure naturæ requiſita, ſed facta eſt ad obviandum fraudibus ementium cenſus. Facta quoque eſt contrà uſurarios, dantes ſub uſuris, & ſi mutuatarius non ſit ſolvendo, mutuum & uſuras uſurarum in unam ſummam capitalem conflant, & deinde celebrant contractum cenſus. Tertiò, ut non fiant ſolutiones anticipatæ, neque ille deducantur in pactum. Quartò ad hoc requiritur, ne fiant pacta directè, aut indirectè obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliàs ex naturâ contractûs non tenetur. Hæc conditio meritò ab omnibus Principibus foret obſervanda, ut monet Navarrus; cùm per exorbitantia pacta hîc pauperes ſæpè ex neceſſitate à potentioribus opprimantur. Quintò, ne fiat pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſubjectam. Si verò res ſit vendenda Dominus cenſûs aliis ſit præferendus. Prius eſt in gratiam venditoris, aliud emptoris. Sextò, etiam requiritur ne fiant pacta, quibus moroſus debitor conſtringatur ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria medio creditoris juramento liquidanda. Aut rem cenſui ſuppoſitam, aut ejus partem, aut aliud jus ex eodem contractu, aut aliundè acquiſi-

Digitized by Google

quiſitum perdere, aut in aliam pœnam cadere. Requiritur ſeptimò, ne cenſus augeatur pro cenſibus jam decurſis, aut debitis, aut etiam futuris in favorem ejuſdem perſonæ, aut alterius per eam ſuppoſitæ, nec etiam novus ſuper eâdem re, vel aliâ creëtur. Prohibet hæc condictio indirectè uſuras uſurarum, omni jure prohibitas. Octavò etiam requiritur, ne fiant pacta continentia ſolutionis onerum ad eum ſpectare, ad quem aliàs de jure, & ex naturâ contractûs non ſpectarent. Requiritur nonò, ſi res in toto, aut pro parte pereat, aut fiat infructuoſa, etiam proportionaliter diminuatur cenſus. Decimò requiritur, quod venditor cenſûs poſſit eum ſemper extinguere, quandocumque placuerit, non obſtante quâvis præſcriptione, aut pactis directè, vel indirectè facultatem redimendi auferentibus. Emptor autem cenſûs non poſſit cogere venditorem ad redemptionem. Venditor verò, dum vult eum extinguere, denuntiare debeat bimeſtri ante emptori. Poſt denuntiationem, ſi venditor non extinxerit, poterit dominus pretium etiam ab invito infra annum repetere. Si verò annus elabatur, & cenſus non extinguatur: non poteſt dominus Cenſûs amplius cogere venditorem ad redimendum; venditori tamen ſemper manet integrum redimere, præviâ renuntiatione. Undecimò ne pretium ſemel ſtatutum augeatur, aut minuatur. Quod quia ſtatutum videtur ad evitandas fraudes uſurarum, cenſet Navarrus non habere hoc locum in foro conſcientiæ, ubi præſumptiones locum non habent. Et aliud ſatis conſtat practicari, ob raritatem pecuniæ, emptorum multitudinem, &c. Porrò, quid jure noſtro Belgico in reditibus obſervandum ſit, dicetur in ſequentibus.

SECTIO III.

An Cenſus perſonalis ſit licitus.

Quæſtio eſt, an poſſit quis cenſum vendere ſuprà ſuam perſonam, ut obligatione perſonali teneatur quotannis penſionem ſolvere. Idem quæritur de Civitate, Republicâ, Communitatibus, quæ fictione juris ſunt quædam perſonæ. Et communis Canoniſtarum opinio eſt abſolutè negativa, quam tenent Innoc. Hoſtienſ. Navarrus de uſuris num. 81. eamdem amplexi ſunt varii Theologi: eorum rationes dabo in objectionibus.

Alii abſolutè quidem non negarunt cenſum perſonalem eſſe licitum; negarunt tamen, eum tunc eſſe licitum, ſi cenſus ille eſſet minor pretio, quàm ſit cumulus omnium penſionum, quæ ex eo cenſu expectantur. Et ita ſentit Molina *tract.* 2. *diſp.* 387. *num.* 7. Eamque probabiliorem dicit Lugo *diſp.* 27. *num.* 25. Hoc tamen eſt, de quo hîc eſt quæſtio, an ſcilicet minori pretio liceat cenſum emere, quàm ſit cumulus penſionum ſperatarum: cùm in confeſſo ſit, quod quis poſſit alteri tradere 1000. ut per 10. annos acquirat 100.

Plurimi conſentiunt cum S. Antonino 2. *p. tit.* 1. *cap.* 8. §. 1. cenſente

cum

cum multis aliis, cenſum perſonalem eſſe moraliter illicitum, & meritò è Republicâ eliminandum. Ratio eſt, quod Reſpublica Chriſtiana numquam in uſu habuerit, conſtituere cenſum in perſonâ liberâ, quâ ratione, ut res nova, & ſuſpecta eſt extirpandus: ob quam, & alias rationes infra citandas teſtatur Navarrus in Prætoriis Hiſpaniæ, tam ſecularibus præſertim ſupremis, quàm Eccleſiaſticis conſtitutum eſſe, cenſum perſonalem verè, vel præſumptivè ſaltem judicandum eſſe uſurarium.

Cenſus perſonalis eſt licitus.

Alii denique verius docere videntur, qui cenſum perſonalem abſolutè volunt eſſe licitum, ſi perſona illa, ſuper quam conſtituitur cenſus, ſit fructifera per induſtriam, aut per res ſuas: hanc tenent plerique Theologi, inter quos Soto, Bannez, Malderus, Valentia, Arragonius, Sylvius, Gail, &c. Et ex antiquioribus Gerſon tom. 2. opuſc. de contract. 3. p. Major, & Gabriël. His addi poteſt plurimorum Doctorum ſenſus, & approbatio ejuſdem cenſûs facta in Concilio Conſtantienſi, inter quos erant Cardinales, & alii Juris, ac Theologiæ eruditiſſimi, quam ad verbum refert Binsfeldius in Cap. *de civitate, de uſuris.*

Probatur idem ratione: 1. Quod, quis ſe poſſit gratis alteri obligare ad ſolvendam penſionem annuam, impoſitâ illâ obligatione ſuæ perſonæ, quæ obligatio cùm ſit pretio æſtimabilis, poteſt eam alteri vendere: cenſus autem perſonalis nihil eſt aliud, quàm venditio hujus obligationis. 2. Poteſt quilibet elocare operas ſuas *L. qui operas ff. locati*, ergo poteſt & illas vendere, & conſequenter partem valoris earum, quod facit imponens ſibi cenſum perſonalem. 3. Poſſunt perſonæ imponi decimæ, & tributa; cur non etiam cenſus? 4. Nicolaus V. conceſſit Siculis, quod eorum perſonæ poſſint æquè obligari, ac eorumdem bona, & jura. Si enim poſſit vendi jus ad fructus agri, quia ager fructificat: quare non itidem vendi poteſt jus ad fructus perſonæ, quia perſona per laborem, vel induſtriam eſt utilis, & fructifera?

Objectiones.

Objiciunt tamen 1. quod contrahentes non intendant hîc emere, vel vendere operas ſuas, quaſi ſeſe conſtituerent ſervos. Reſp. propriè hîc non vendi operas, ſed partem juris, quod alter habet, ut ex operis perſonæ capiat emolumentum, quod lucrum jam indè extat in ſpe, quodque partiale jus eſt pretio æſtimabile.

Objicies 2. ſic nulla de cætero erit uſura, dicendo conſtitui cenſum ſupra perſonam: ideo etiam illum cenſum condemnavit Pius V. Reſp. ſic eodem modo iuferre licebit de cenſu reali, quod uſurarius ſemper poterit exigere lucrum, ratione rei fructiferæ, quam habet mutuatarius. Deindè, avaritia uſurariorum prudentior eſt, quàm ſortem velle exponere cum ejus periculo, & ejus penſionum per obitum perſonæ mutuatarii, & carere ſorte, quamdiu illi placet, quod ad cenſum ordinariè requiritur: à quo periculo ſeſe uſurarii eximunt, dando mutuum ſub uſuris, in quo poſſint ſortem repetere tempore conſtituto.

Ad aliud reſpondeo cum Sylvio quæſt. 78. art. 4. concluſ. 1. Verum quidem

Digitized by Google

dem eſſe, Pium V. ſtatuiſſe quaſdam conditiones, ad cenſum creandum, quæ cum ſenſu perſonali non bene conveniunt: ut quod cenſus nullo modo creëntur, niſi in re immobili, vel quæ pro immobili habeatur: ſed illa ejus conſtitutio non eſt recepta in Belgio, nec aliis locis quamplurimis ut ante diximus: patetque ex uſu quotidiano, cui nullus contradicit. Aliud eſt de illis locis, ubi dicta Bulla eſt uſu recepta, quam in utroque ibi foro obligare cenſet cum aliis Cenſius q. 34. num. 39. Adeoque cenſum eſſe ineundum cum omnibus ſuis conditionibus à Pontifice præſcriptis, inter quas præcipua ferè eſt, quod conſtituatur ſupra re immobili, aut pro tali habitâ, qualis non eſt perſona. Fatendum interim, ſæpè ſub ſpecie censûs perſonalis poſſe palliari uſuram, ideoque plurimorum judicio, ut periculoſum eſſe proſcribendum, prout antea ex aliis annotavi.

Objiciunt inſuper alii, quod perſona libera non poſſit oppignorari, ergo multò minus gravari cenſu. Cenſus enim eſt onus gravius, quàm ſit pignus; quia per jus pignoris nihil aliud dat debitor, quàm ſecuritatem, ubi per cenſum ſuam perſonam ſubjicit tributo. Reſp. agimus hîc, quid fieri poſſit de jure naturæ, quo jure etiam homo liber poſſet oppignorari. Deinde, homo non poteſt ſic oppignorari, ut in defectu ſolutionis non poſſet pro eâdem vendi: ex quâ causâ aliqui Doctores docent hîc, non poſſe quoque cenſum imponi ſuprà perſonam, perſuadentes ſibi, quod ſicuti in defectu ſolutionis censûs realis, res cenſui ſubjecta vendi poteſt; ita deberet poſſe vendi perſona in defectu ſolutionis censûs perſonalis, quod nemo admittere poteſt. Imponitur ergo hîc perſonæ obligatio perſonalis, quæ etiam tranſit ad hæredes ſecundùm vires hæreditatis; quo fit, ut ejuſmodi cenſus æquè pereant, ac cenſus reales conſtituti in re immobili. Inſuper, ad ſecuritatem hujuſcemodi censûs, poteſt apponi contractus aſſecurationis, ad aliqua cenſuarii bona.

Denique hîc notandum eſt, debere neceſſariò perſonam, ſuprà quam cenſus ille conſtituitur, aliquâ ratione eſſe fructiferam, id eſt talem, quæ operâ ſuâ, vel induſtriâ poſſit facere fructus, ex quibus ſolvat, aut ſaltem habeat bona in re, vel in fundatâ ſpe, quibus poſſit ſatisfacere. Hinc inferunt, nihil æſtimari cenſum, ſive jus ſupra perſonam pauperum, nulla obtinentem in ſpe, quæ neque labore, aut induſtriâ, umquam erit ſolvendo. Sufficit tamen, quod ejuſmodi perſona habeat bona aliqua in ſpe; quâ ratione cenſus poſſet ſtatui ſupra vetulam, quæ ratione laboris, aut induſtriæ, nullum fructum poſſet adferre.

Quæ hucuſque diximus de perſona, quod ſuper eam cenſus conſtitui poſſit, habet itidem locum in Civitatibus, ac aliis Communitatibus, quæ fictione juris habentur perſonæ, ac ſunt fructiferæ, dum ſingulis annis recipiunt fructus ex tributis, cenſibus, &c. Licet enim pereant Civitatis perſonæ, ipſa tamen Civitas per ſucceſſionem eſt perpetua. Et patet ex caſu in anterioribus ex Binsfeldio adducto & approbato, quo quærebatur, an contractus, quo Religioſi non mendicantes emerant à Civitatibus, Oppidis,

Com-

Communitatibus, & Monaſteriis penſiones annuas perpetuas, juſto pretio juxta praxim patriæ, factâ venditoribus facultate illas eodem pretio redimendi, liciti forent, & ab uſurâ immunes.

SECTIO IV.

De Cenſu temporali, & vitalitio, an ſint liciti.

CEnſum temporalem duplicem eſſe diximus Sect. 1. certum, & incertum, prout ad determinatum vitæ tempus reſtringitur, vel ad incertam mortem conſtituitur. De utroque eſt hîc quæſtio.

Variis de uſurâ ſuſpectus eſt ille cenſus, qui conceditur ad certum tempus; maximè, ſi emptor intra illud tempus recipiat aliquid ultrà ſortem; & multò magis, ſi brevi tempore ſit finiturus: adeo ut plurimi conſulant, ab hoc contrahendi modo Chriſtianis eſſe abſtinendum, & eſſe utiliſſimum, ſi è Republicâ eliminaretur, uti monet Molinæus, & Molina; adeo ut Leſſius eâ ratione dicat affirmantem opinionem, illum eſſe licitum, ſolummodo eſſe probabilem, lib. 2. cap. 22. dub..... num. 42.

Cenſus temporalis eſt licitus.

Verior tamen, & communior opinio tenet eum eſſe licitum: imo ipſe Soto, conſulens cum aliis ab eo abſtinendum eſſe, docet de rigore juris, & juſtitiæ reprobari non poſſe. Dictam opinionem tenet inter alios Proſper Fagnanus tom. 3. in Cap. *In civitate, de uſuris*, ita de illo contractu diſcurrens num. 13. *Ulterius quæro, an cenſualis contractus ad tempus limitatum ſit de jure licitus. Reſp. In terminis juris communis videtur licitus, quia continet in ſe veram conditionem excludentem mutuum, & adeſt pretium certum, & certa etiam merx, quæ eſt jus exigendi annuam præſtationem per tot annos: & cùm venditor non teneatur, nec cogi poſſit ſortem ipſam reddere, procul abeſt hic contractus à mutuo, & ab uſuræ vitio: id enim, quod venditor pluribus ſolutionibus determinato tempore ſeparatim factis teneatur reſtituere ſortem, procedit ex eo, quod in hoc contractu certo pretio emitur jus limitatum percipiendi annuam præſtationem per tot annos, & non ultrà.* Et allatis in teſtimonium graviſſimis Authoribus, ita ſubdit: *Ratio eſt evidens, quia ſi poſſim emere cenſum perpetuò duraturum, quod eſt indubitatum: nulla ſubeſt ratio, quare non poſſim emere ad certum tempus. Nec placet differentia, quod in perpetuo conſiſtat contractus emptionis, ex quo merx eſt perpetuò remanſura penes emptorem; quod ſecus eſt in cenſu temporali, in quo res revertitur ad venditorem; quia etiam in temporali res non revertitur ad venditorem, ex quo dictum jus percipiendi limitatum ad certos annos, elapſis dictis annis finitur, & ceſſat.* Et poſt pauca, num. 15. *Et ejuſmodi contractus abſque dubio eſt validus, & nullam habet fraudis ſuſpicionem, ubi ex particularibus ſolutionibus to o tempore cenſûs, nihil recipitur ultra pretium datum: quod, ſi per particulares ſolutiones emptor ſit aliquid recepturus ultra pretium conventum, nihilominus validum eſſe de rigore juris, cenſuerunt Innoc. Hoſt. &c. Quia hæc*

lucri

lucri certitudo, quæ reprobatur in mutuo, admittitur in contractu emptionis, in quo poteſt quis ſucceſſivè ex re emptâ plus percipere, quàm ſit pretium numeratum pro dicta re emptâ, maximè conſideratis oneribus, quibus emptor ſe exponit. Ita Author ille diſertiſſimus.

Quæritur, an idem dicendum ſit de cenſu temporali perſonali: Reſp. De-Lugo, & alii, cenſum temporalem realem admittentes, rejiciunt temporalem perſonalem. Verùm datæ rationes, quibus probavimus cenſum perſonalem perpetuum licitum eſſe, etiam probant, licitum eſſe temporalem, dum utrobique eſt vera emptio, juſtum pretium, & alia ad veram emptionem requiſita. Neque obeſt, quod ſit temporalis, prout modò ex Fagnano probavimus de temporali reali, quæ hîc accommoda.

Quod attinet ad Cenſus vitalitios, ſive incertos temporales, eoſdem abſolutè rejicit Henricus à Gandavo, credens, in eo reditu emi pecuniam, quæ emi non poteſt, & proinde committi uſuram. Habet ille ſuæ ſententiæ Patronos Gaufredum in Summâ, & Gloſſatorem Raymundi: aitque, teſte Comitolo lib. 3. mor. q. 25. non eſſe ſapientes eos Religioſos, qui hujuſmodi contractus ſuadent Religioſis fæminis, ſed ignorantia juris naturalis in uſurario contractu deceptos, decipere animas. Eos ſequuntur Authores alii.

Communis tamen opinio tenet, eoſdem Cenſus eſſe planè licitos. Quoad cenſum duraturum ad vitam emptoris: id in confeſſo eſt apud omnes, teſte Comitolo ibi ſupra num. 4. ſed idem omninò tenendum eſt de vitalitio cenſu ad vitam venditoris. Ratio illius eſt prima quod contractus cum pari incertitudine damni, & lucri cenſeatur licitus omni jure, *L. ſi eâ lege C. de uſuris*, & alibi. Atqui in eo contractu ex parte utriuſque adeſt æqualis certitudo, dum ille, ſuper quem cenſus conſtituitur, ſicuti poteſt diu vivere, ſic poteſt & citò mori. Deindè, ſi contractus ille foret injuſtus, eſſet, quia virtuale mutuum intercederet, & ratione ejus aliquid acciperetur ultra ſortem: atqui neutrum hîc obeſt. Non eſſe mutuum, conſtat ex eo, quod de ratione mutui ſit, quod ſors debeat reddi mutuanti, & mutuatarius poſſit ad id compelli, quorum neutrum hîc poteſt fieri. Si quid verò ultrà ſortem fortè hîc recipitur, non recipitur id vi mutui, ſed vi juris empti, quo fit, ut habeat jus ad percipiendas penſiones, etiam ſæpè ſortem excedentes, ſi diu vivat; prout fieri poteſt ex emptione agri. Cenſus vitalitii ſunt liciti.

Ut tamen ſit licitus, requiritur 1. Ut adſit debita intentio, & abſit animus mutuandi. 2. Ut ſit juſtum pretium. 3. Ne hâc ratione deſideretur mors cenſum ementis, multò magis abſit omnis mala illius machinatio. Si tamen ſimile deſiderium, aut machinatio adſit, contrahentium id vitium eſt, non contractûs, ratione cujus de ſe non venit condemnandus.

Quærunt autem, quodnam pretium cenſendum ſit juſtum in hoc cenſu. Reſp. Molina, cum aliis docet, attendendum eſſe, quot annis poſſit moraliter loquendo vivere is, pro quo cenſus emitur, & ſumendam eſſe mediam partem annorum illorum, & penſiones mediæ illius partis debere adæquare pretium cen- Quod pretium ſit juſtum in cenſu vitalitio.

censûs, quo caſu vult eſſe æquale periculum pro emente, & vendente, prouti poterit citius, vel tardius mori. Verum melius alii communiter tradunt, non Poſſe juſtitiam illius pretii certâ, ac determinatâ regulâ definiri, ſed pendere à communi hominum, & loci conſuetudine, habitâ in primis ratione ætatis, & complexionis illius, ad cujus vitam cenſus emitur, an ſenex ſit, an juvenis: an robuſtus, an valetudinarius. Quod ſi fortè penſiones longè excesſerint decurſu temporis ſummam capitalem, & ex parte vendentis ſecuta inde fuerit enormiſſima læſio: non ideo quidquam injuſtitiæ advenit, ſed eſt bona emptoris fortuna: prouti eſt eadem venditoris, ſi citò moriatur emptor.

Denique pro praxi notant aliqui, ſæpè adeſſe poſſe animum uſurarium ex parte ementium ſimiles cenſus vitalitios, qui pecuniis aliàs otioſis, pro filiis, & aliis robuſtioribus ejuſmodi cenſus emunt, nihil aliud intendentes, quàm pecuniâ ſuâ lucrari, quod eſt uſurarium. Unde alii hunc contractum, ut periculi plenum proſcribunt, quem tamen praxis modò fecit uſitatiſſimum, tam apud Sæculares, quàm Eccleſiaſticos.

SECTIO V.

De Cenſu utrimque redimibili, & irredimibili, eorumque juſtitia.

IRredimibilem cenſum ex parte venditoris perpetuum, licitum eſſe, ſatis convenit inter DD. Quæſtio eſt, an itidem licitus ſit irredimibilis ex parte emptoris, ſive, quod emptor censûs eumdem redditâ ſorte redimere non poſſit.

Cenſus irredimibilis de jure naturæ eſt licitus.

Loquendo de jure naturæ, dicendum eſt, eum eſſe licitum. Adſunt enim hîc omnia ad veram emptionem, & venditionem censûs requiſita. Perſonæ enim ad contrahendum ſupponuntur habiles: ſupponitur adeſſe pretium juſtum: nec de cætero res prohibetur vendi: denique nulla oſtendi poteſt injuſtitia. Neque etiam dici poteſt, adeſſe implicitum quoddam mutuum; cùm pretium numeratum pleno jure ita transferatur in venditorem, ut abſolutè repeti non poſſit, quod eſt contra rationem mutui, adeoque alienus eſt hic contractus à mutuo. 2. Licitum eſt, emere domum, fundum, &c. idque in perpetuum: quidni liceat in perpetuum emere cenſum? 3. Licet inſtituere cenſum reſervativum traditis ſuis bonis, reſervatâ ſibi penſione perpetuâ: ergo licebit pariter inſtituere conſignativum ſuprà re aliquâ, idque in perpetuum. 4. Jus percipiendi decimas eſt reditus quidam perpetuus, & irredimibilis; quod jus, neque jure naturali, neque divino prohibetur vendi, ſed ſolum poſitivo, in quo & Papa poteſt diſpenſare, & dare alicui facultatem, ut ipſe, ac ejus hæredes in perpetuum habeant jus decimas percipiendi, quæ debentur aliàs Eccleſiæ. Ergo licitus erit cenſus perpetuus, iſque irredimibilis.

Neque hîc objici ullatenus poteſt, gravari hîc debitorem pluſquam uſuris, à quibus ſeſe poteſt liberare, redditâ ſorte, & lucro uſurario, cùm hîc à cenſu non poſſit ſeſe liberare: quia inde ſequeretur, iniquam quoque eſſe venditionem,

Digitized by Google

tionem, quâ ſemel factâ, & pretio dato, non poſſet emptor de cætero pretium exigere, nec teneretur venditor reddere. Imò, quod majus eſt, contractus paſſim de ſe perpetuitatem ſolent importare. Hoc interim obſervandum hîc eſt, etiam propter illud onus non redimendi, emendum eſſe illum cenſum pretio majori, uti & alii onere liberi, debent emi pretio minori.

Jure tamen noſtri Belgii ſtatutum eſt, ne deinceps ſtatuantur reditus irredimibiles, & tales antea poſiti, ſi vendantur, poſſit hæres retrotrahere emptionem, ſive extraneum ab emptione removere, vulgò *calingieren*, idque pro eodem pretio, quo venduntur, & eo pacto infrà annum redimere poſſit rem à dicto cenſu. Vide Codic. Belg. V. *Renten*. Unde conformiter Gudelinus de jure noviſ. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 28. ità ſcribit: *Planè conſtitutiones præſentis ævi volunt, quoſcumque reditus, qui interventu pecuniæ conſtituuntur, poſſe redimi, pactumque redimendi tacitè contractui ineſſe, nec non contrarium pactum inutile fore. Ratio ſic conſtituendi fuit, quia publicè intereſt prædia libera poſſideri, & debitores poſſe exonerari.* Statuitur inſuper ut omnes reditus ſuper bona feudalia, ſint redimibilia ad annum 25. item, ne feudalia ſimilibus oneribus gravarentur: deindè, ne manus mortuæ cenſus illos irredimibiles acquirant, Edicto Joannis Boni anno 1451. Rectè tamen circà dictam Conſtitutionem notat Clariſſ. D. Stockmans Deciſ. 73. quod etſi Carolus V. quoque vetet ne manus mortuæ acquirant bona immobilia, inter quæ expreſſè nominantur & reditus, idque generaliter, ſive redimibiles ſint, ſive irredimibiles: tamen ſtatim ab Edicto illo invaluerit, ut reditus redimibiles eo Edicto non comprehenderentur, ut notat Peckius *de amortiſatione cap.* 35. ratio eſt, quod hîc non ſit alienatio perpetua in manum mortuam, cùm reditus perimatur redditione ſortis, & ſic ceſſet finalis Edicti ratio. Et ita teſtatur prædictus Author judicatum in causâ Hermanni Taſſa Actoris, contrà Eleëmoſynarios Antverpienſes, quod ille hæres nollet his licitè legatum eſſe reditum redimibilem feudalem.

Quid hîc Juris Belgici.

Manus mortuæ poſſunt acquirere reditus redimibiles.

Major quæſtio eſt, an ex parte utriuſque redimibilis cenſus ſit quoque licitus. Reſp. Conſtat quidem ex Bulla pii V. antea citati, & ex Edicto Caroli V. omnem cenſum ex parte venditoris debere eſſe redimibilem: & hoc dignum, & juſtum eſſe patet ex eo, quòd venditor vel ſe, vel rem ſuam ex neceſſitate debeat cenſuali onere aggravare: quod tamen non tanto jure, & æqualitate indulgendum eſt emptori cenſûs, ſive cenſualiſtæ, qui potius ex abundantiâ pecuniæ cenſum emit: quâ ratione æquitas poſtulat, ut redimendi poteſtas potius relinquatur cenſuario, quàm cenſualiſtæ.

An cenſus utrimque redimibilis ſit licitus.

Loquendo tamen de jure naturæ, videtur, quod cenſus utrimque redimibilis, ſit abſolutè licitus. Ratio ejus eſt, 1. quod licitus ſit cenſus redimibilis ex parte venditoris, ſive cenſuarii; ergo etiam ex parte emptoris, ſive cenſualiſtæ. Si enim venditor poſſit ſibi reſervare tale jus redimendi, & imponere illud viciſſim emptori: cur quoque non poterit emptor ſibi reſervare tale jus, & imponere illud venditori? 2. Reperienda eſt hîc vera emptio, & venditio:

Digitized by Google

pactum enim de retroëmendo non obſtat emptioni, aut venditioni, ſicuti nec illis obſtat pactum de retrovendendo. Ideo enim poteſt venditor imponere emptori tale onus de retrovendendo, quia tale onus compenſare poteſt, rem illam tantò minoris emendo: ergo etiam emptor poteſt imponere venditori tale onus de retroëmendo, pluris rem illam emendo. 3. Si petas à me, ut emam à te cenſum, poſſum à te petere, ut emas à me domum: ergo etiam vendere tibi cenſum, eâ conditione, ut eumdem poſtea redimas: tale enim pactum æquè poteſt annecti eidem rei, quàm diverſæ. Idem probari poteſt ex authoritate multorum addito teſtimonio Valentiæ dicentis ita ſe præſente Romæ judicatum fuiſſe anno 1581.

Objectiones. Objiciunt alii, non inveniri hîc veram emptionem, ſed virtuale mutuum: quid enim aliud eſt, dare pecuniam, ut eam reddas; quàm mutuare? In emptione autem cum pacto retrovendendi, intercedit vera emptio, & venditio. Reſp. Poſſe dupliciter dari pecuniam cum pacto de eâ reddendâ: ſemel eam dando, ut poſtea reddatur alia ſimilis, quo caſu eſt verè mutuum. Alio modo, ſi detur pro re aliquâ vendibili immediatè, cum pacto, ut venditor poſtea rem illam redimat, quo caſu eſt vera emptio: illud autem hîc fit, non enim hîc datur pecunia pro pecuniâ, ſed pro jure exigendi penſionem, quod jus debet alter redimere, & ſic eſt iterum vera emptio.

Objicies inſuper, nullus admittet talem obligationem, niſi coäctus; atqui iniquum eſt cogere aliquem, ad aliquod pactum, ultra naturam contractûs, ergo. Reſp. Negando majorem, quia talis obligatio ex æquo compenſatur, dum v. g. emptor dat 20. ubi tantùm dediſſet 15. Deindè, quando emptor volet contractum reſcindere, & cenſum redimere, facilè inveniet ſuam ſortem, ordinario modo cenſum alteri vendendo, id eſt, redimibilem ex parte venditoris: adeo ut ſic minus lædetur cenſu utrimque redimibili, quàm ordinario. Et hæc inſiſtendo terminis juris naturæ: cùm hîc talis cenſus proſcribatur, idque meritò ob ſpeciem, & periculum uſuræ: adeo ut paſſim quoque DD. conſulant, ejuſmodi contractum filiis hujus ſæculi nequam, non eſſe deprædicandum.

Quæri hîc poteſt 1. an liceat cenſus cum pacto, ut certo tempore v. g. infrà 10. annos à venditore redimatur, intra quod, ſi non redimat, fiet irredimibilis. Reſp. Binsfeldius ibi ſupra, docet eo pacto cenſum non fieri uſurarium, fieri tamen abſolutè injuſtum. Alii tamen rectius docere videntur, cenſum illum non fieri injuſtum, ſi de cætero adſit juſtum pretium: imo hoc videtur ſtatutum fuiſſe *Levitici* 25. Deinde, ſi liceat emere cenſum irredimibilem, multò magis licebit talem. Denique præſenti pretio legitimo, adeſt vera venditio: juſtum verò pretium aderit, ſi juxtà majorem, vel minorem libertatem redimendi in venditore, majus, vel minus detur pretium. Et quamvis Martinus V. Calixtus III. Pius V. velint, ut ſemper maneat venditori facultas cenſum redimendi: ſolummodo id ſtatuunt ob præſumptionem fraudis, & iniquitatis; non tamen illis abſentibus ſimiles contractus ſimpliciter eſſe iniquos.

Adde,

Digitized by Google

Adde, ut aliquoties diximus, ſimile ſtatutum ferè ubique non eſſe uſu receptum.

Quæritur 2. an liceat hîc pactum, ut venditor non poſſit intrà 10. annos cenſum redimere, poſteà verò id poſſit. Reſp. Affirm. ſi adſit juſtum pretium: licet enim emere cenſum, qui ſemper eſt redimibilis, & etiam qui numquam ſit redimibilis; ergo etiam licitus erit, qui redimi tantùm poſſit certò tempore. Deinde, etiam hîc adeſt vera emptio, & venditio.

SECTIO VI.

An Cenſus fieri debeat in pecuniâ numeratâ.

VErius apparet, quod ſic; idque tam ex naturâ contractûs, quàm ob periculum uſuræ. Hinc Pius V. id omninò exigit, & quidem coram Notario & teſtibus, quæ circumſtantia tamen non eſt de jure naturæ. Natura enim cenſûs eſt, quod pro pecuniâ accipiatur jus portionis proportionatæ: ſed niſi jam inde ſit numerata pecunia, ſtatuta penſio erit major, ergo v. g. ſi Petrus initio Januarii ſtatuat 1000. in cenſum ad 100. & tunc 500. det actualiter, & in Feſto S. Joannis addat alia 500. penſio illa 100. non debetur 1000. ſed ſolummodo 500. ſolutis in Januario.

Neque hîc objici poteſt, quod ſi ematur prædium, & differatur ſolutio, poſſit à die emptionis recipere fructus prædii, etſi adhuc non ſit ſolutum pretium: quia aliud eſt in emptione prædii, aliud in emptione cenſûs: illud enim, quod in priori caſu emitur, eſt prædium, & conſequenter jus ad fructus: quare, ut ſit pretium proportionatum, ſufficit quod ſit proportionatum prædio; quod fieri poteſt, etſi pretium necdum ſit ſolutum, dum non ſolutum habetur pro ſoluto ex conſenſu venditoris. In cenſu verò emitur jus ad penſionem, quod non eſt proportionatum, niſi pretio præſenti: ideo enim habeo tale jus, quia dedi tantam pecuniæ ſummam, cui penſio correſpondet, quæ penſio eſt quaſi fructus numeratæ pecuniæ, & planè eſt contra naturam, quod fructus ſit ante rem ipſam actu exiſtentem, vel effectus ſit ante cauſam: adeoque repugnat penſionem eſſe ante pecuniam numeratam. Hinc ulterius docent alii, cenſum non eſſe venditionem quamlibet juris ad penſionem, ſed pro pecuniâ numeratâ.

An verò cenſus conſtitui poſſit ex mercibus, aut maſſâ argenteâ datâ loco pretii, non convenit inter Authores. Negant alii, eò quòd ſit permutatio, non emptio ad cenſum requiſita. Alii affirmant ſtando in terminis juris naturæ; eò quòd, quidquid pecuniâ æſtimari poſſit, pro pecuniâ debeat reputari: adeoque, qui illa dat, det quaſi pecuniam numeratam, ſi de cætero adſit juſtum pretium. Idem conſequenter docent, quod poſſit cenſus poni ſupra pecuniam tibi debitam de jure naturæ, eò quòd verè ſolvatur ſufficiens pretium, debitas pecunias tamquam numeratas conſignando: idem enim hîc eſſet, ac ſi quis pecunias numeraſſet, & alter in cenſum renumeraret. Et quamquam expecta-

ti,

Digitized by Google

tio ſolutionis cenſui repugnet, non tamen repugnat illi ſolutio anticipata, qualis eſt, ſi fiat pecuniâ aliàs debitâ.

Moribus tamen noſtris id minimè licet, prout obſervat Anſelmo *Trib. Cap.* 72. §. 22. eò quòd *tit. de contract.* 57. *art.* 15. *Conſuetud. Antverp.* habeatur de conſtitutione cenſuum, *den juſten prys ſonder ſimulatie betaelende : quibus verbis*, ait, *indicatur*, *integrum pretium eſſe ſolvendum*, *& reprobari anatociſmum*, *qui fit*, *quando uſura conjunguntur ſorti*. Deinde concludit : *palliata eſt uſura*, *niſi nummi omnes*, *& tota capitalis ſumma praſto ſit*, *& numeretur*. Cujus quidem periculum eo caſu ſubeſt, unde & à Pio V. eſt meritò id interdictum.

Notandum interim cum eodem Authore, quod nihilominus valeat conſtitutio cenſûs, ſi tempore, quo cenſus conſtituitur, pecunia non numeretur actu, ſed venditori remittatur ſcedula banckaria, & pecunia poſt contractum numeretur ab argentario : tali enim caſu, illa ſcedulæ remiſſio vera eſt, & non ficta pecuniæ præſtatio moraliter loquendo, cùm ſit planè idem, an per emptorem, an per mandatum brevi manu ſolvatur per ſcedulam, dum quod quis per alium facit, per ſe ipſum facere videatur. Et dictam ſcedulam banckariam ſufficere hîc, Siculis declaravit Pius V. ut periculis, quæ in tranſlatione pecuniæ ſolent contingere, poſſent occurrere ; quæ ratio ubique obtinet.

SECTIO VII.

Super quas res poſſint Cenſus conſtitui.

Pius V. in Bullâ aliquoties citatâ, tres conditiones requirit in re cenſibus ſubjectâ. 1. Ut ſit res immobilis, aut pro immobili habeatur : 2. Ut ſit frugifera : 3. Ut ſit certis finibus deſignata. Immobilia, ſunt ſolo hærentia, ut domus, ædificia : aut ſoli partes, ut prædia, ſylvæ, &c. Quaſi immobilia, ſunt jura perpetua, ſervitutes rerum immobilium. An immobilitas illa de jure naturæ ad cenſum quoque requiratur, non adeo conſtat : qui volunt cenſum perſonalem jure naturæ eſſe nullum, eam de jure naturæ ad cenſum requirunt. Illud tamen rectius de jure naturæ negat Soto *lib.* 6. *q.* 1. *art.* 1. Salonius, Valentia, & alii, quod & probant rationes allatæ Sect. 3. ubi oſtendimus, cenſum perſonalem jure naturæ eſſe licitum. Eatenus tamen dici poſſet, ad cenſum jure naturæ immobilitatem exigi, quatenus pereunte re cenſitâ, pereat & cenſus, quæ tamen immobilitas hîc eſt admodum impropria.

Quòd perſona, ſuper quam conſtituitur cenſus, debeat eſſe fructifera, demonſtratum eſt dictâ Sect. 3. Idem videtur dicendum eſſe de re, ſuper quam cenſus ſtatuitur, idque requiri etiam de jure naturæ : inutile enim videtur eſſe jus illud percipiendi fructus ex re non fructiferâ. Sufficit tamen, quòd res illa habeat fructus induſtriales, ſive civiles, ſive naturales : neque requiritur, quòd exactè ſingulis annis fructum ferat ; ſed ſatis eſt, quòd ex naturâ

Digitized by Google

naturâ ſuâ ſit fructifera; adeo ut domus, quæ aliquando manet illocata; ager, qui non niſi 2. annis fructus adfert (*vervactum* vocant, vulgò *Braecklant*) qualesplurimi ſunt in Belgio, & alibi, poſſint cenſibus ſubjici. Aliud eſt de agro de ſe quidem fertili, ſed nunc reddito ſterili, qui habetur pro re infructifera abſolutè.

An verò res debeat adeo eſſe fructifera, ut fructus rei adæquent penſionem illi impoſitam, ſive Cenſum, iterum non convenit inter DD. negant alii cum Soto, & aliis, eò quòd in conſtitutione cenſûs ſimul obligetur venditor cum omnibus bonis: unde, etſi res cenſita non ſit capax omnium illorum fructuum, tamen tenebit contractus, etiam quoad illum exceſſum cenſûs ſupra fructus, ad quem ſe venditor obligavit. Alii è contrà affirmant communiter cum Navarro *de uſuris num.* 79. *&* 85. Molina, Arragonio, Cenſio, &c. Aliàs enim injuſta erit venditio, vendere ex re quâdam certos fructus, ſeu jus ad illos, quos tamen res illa ferre non poteſt. Imo addunt, debere etiam rem illam tantam fructuum quantitatem ferre deductis expenſis in collectione fructuum faciendis; eò quòd non cenſeantur eſſe fructus, niſi illi, qui ſuperſunt deductis expenſis. Alii tamen diſtinguunt, & dicunt, hoc quidem neceſſe eſſe, ſi cenſus ſit merè realis: non itidem, ſi ſit partim realis, partim perſonalis, ſive mixtus, quando exceſſus ille ponitur ſupra perſonam, quæ ex aliis ſuis bonis illum præſtare debet. Verùm agimus hîc de re cenſitâ, ſeu objecto cenſûs, prouti etiam comprehendit perſonam cenſibus ſubjectam, adeo ut ſecunda opinio videatur hîc amplectenda.

Quomodo res ſubjecta cenſibus debeat eſſe fructifera.

Circà quæ notant 1. cenſum impoſitum ſuprà fundum incapacem reddendi tot fructus, invalidum tantum eſſe quoad exceſſum, in aliis, quorum capax eſt, cenſum ſubſiſtere. Cenſius *queſt.* 36. utile enim per non utile vitiatur, quando ab invicem poſſunt ſeparari *C. Utile Reg. Jur. in 6.* Sic etiam ſtatuit Pius V. ut re pro parte pereunte, pro parte pereat & cenſus. 2. Notant, quod ſi emptor cenſûs ignoret rem eſſe incapacem per ignorantiam culpabilem, debebit minori penſione eſſe contentus; quia cùm talem incapacitatem ſciverit, aut ſaltem ſcire potuerit, ac debuerit, videtur præſumendum, quod non tam voluerit cenſum emere, quàm eo prætextu quærere quæſtum uſurarium. Si verò ſit ignorantia inculpabilis, firmabitur cenſus, & venditor ex aliis ſuis bonis tenebitur defectum ſupplere. 3. Ex dictis colligunt, in conſtituendo cenſu potiorem rationem habendam eſſe fructuum rei, quàm pretii ejuſdem rei; aliàs enim poſſet conſtitui cenſus major, quàm ſint rei fructus, quod modò rejecimus.

Quòd verò res cenſibus ſubjecta certis finibus debeat deſignari, id eſt, non eſſe vaga, & incerta, etiam requirit Pius V. An verò illa conditio de jure naturæ ſit requiſita, non conveniunt Authores; & videtur dicendum, hîc requiri ex jure illo, quod requiritur ad veram venditionem. Hinc, ſi neſciatur, quis fundus in venditione fundi ſit venditus, venditio erit nulla *L. cum poſt. §. cum gener. ff. de jure dot.* Si verò ſciatur ſufficienter, quis ſit vendi-

venditus, etſi expreſsè deſignatus non ſit, valebit venditio: ita pariformiter idem dicendum eſt de emptione, ac venditione cenſuum.

An verò hinc dici debeat, cenſum conſtitui poſſe, ſuper omnia alicujus bona, non concordat Doctorum opinio. Cenſius *quæſt.* 40. *num.* 7. negat, dicitque eam communem eſſe ſententiam loquendo etiam de jure naturæ. Ratio illius eſt, quod aliàs emptor dicti censûs nullum ſubiret periculum rei emptæ, quia ſemper haberet cenſum ſuum, & reditum certò tutum, idque contrà *L.* 1. *D. de peric. & communic. rei vend.* Addit quoque ſpeciem uſuræ. Verius tamen alii tenent communiter, validum eſſe cenſum ſuper omnia alicujus bona, tam futura, quàm præſentia: eſtque omnium fermè Theologorum. Ratio eſt, quod quis vendere poſſit omnia ſua bona, etiam futura, adeoque etiam vendere poſſit reditum ſupra bonis iiſdem. Deinde, ſicut quis vendere poteſt jus ad fructus rei determinatæ, ſic etiam poteſt vendere jus ad fructus rerum ſuarum omnium. Imo cenſus poni poteſt ſupra hæreditatem, quæ omnia defuncti bona complectitur. Neque etiam verum eſt, quod alii objiciunt, puta periculum censûs non pertinere ad emptorem; dum abſolutè omnia bona poſſunt perire. Verum eſt, quod cenſus ſupra domum v. g. facilius perire poſſit, & majus ſubeat periculum, quàm cenſus fundatus ſupra omnia bona, dum plura difficilius pereant, quam res particulares: quo pacto alii obſervant, in cenſu ſupra omnia bona pretium debere eſſe majus, ad hoc, ut ſit juſtum. Magna tamen in ſimili cenſu eſt uſuræ ſuſpicio, ejuſque periculum, adeoque etiam jure Pii V. condemnatus.

Requiritur inſuper, ut res cenſita ſit venditori propria: aut ſaltem ſit alterius cum iſtius conſenſu cenſu onerata. Cùm enim cenſus ſit jus ſupra rem fructiferam, jus illud nemo dare poteſt, aut vendere, qui illud non habet: nemo enim alteri jus vendere, aut onus imponere poteſt ſupra rem, cujus non eſt dominus. Sic nemo ob eamdem rationem oppignorare poteſt rem alienam, rei alienæ imponere ſervitutem, &c. Dum autem de conſenſu alterius imponitur cenſus rei alienæ, ipſe dominus eum cenſum cenſetur imponere; quod enim quis facit per alium, per ſe ipſum id facere cenſetur. Idem facit ratihabitio cenſui jam conſtituto adveniens.

Cenſus poni poteſt ſupra furnum. Reſtat inquirendum de rebus particularibus, an ſuper eas cenſus poſſit imponi. 1. Quæritur de furnis, quæ ſolent inter immobilia reputari, & differunt à clybanis, qui habentur pro mobilibus, & de loco transferuntur in locum; adeoque cùm illa immobilia ſint, & fructifera, etiam cenſibus poſſunt ſubjici. 2. Idem dicendum eſt de molendinis ad ventum, & quæ armentis agitantur; itidem de illis, quæ *aquatica* nuncupamus: Illa enim immobilia reputantur, ac ſunt fructifera. Aliud dicunt de molendinis, quæ navibus affixa littori adhærent, ac fune, & catenis propius, aut longius pro decenſu fluvii ad littus alligantur, quæ mobilia eſſe docet Cenſius *quæſt.* 29. *num.* 7. Idem clarè dicendum eſt de molendinis domeſticis, & manualibus, quæ *querens* nominamus. 3. Poſſunt etiam cenſus imponi fodinis, ſive ſulphuris,

Molendina.

phuris, ſive ſalis, ſive lapidum, ferri, &c. Patet id ex *L. 4. §. lacus ff. de cenſ.* 4. Idem dicendum eſt de portubus, littoribus, ſtagnis, lacubus piſcatoriis, &c. Cùm ratione juris vectigalium, piſcium, &c. ſint fructifera, & ſunt immobilia. 5. Idem docent de columbariis illis, quæ villæ, vel agro inædificantur, ſuntque ut pars villæ: & de cætero ſunt fructifera ob fœcunditatem Columbarum. 6. Idem dic de vectigalibus perpetuis; ſecus de extraordinariis causâ alicujus neceſſitatis indictis, quæ mobilia habentur, dum ceſſant ceſſante causâ. Fodinas. Littora lacus, &c.

Sepoſitâ lege Pii V. poteſt cenſus imponi ſuper res mobiles, quæ quoque ſæpè ſunt fructiferæ. Sic poſſunt poni ſuper gemmas, aulæa, & alia pretioſa, quæ elocari poſſunt, & eatenus ſolent eſſe fructiferæ. 2. Super greges Ovium, Anſerum, armenta Equorum, Boum, Bubalorum, quorum fructus eſt in fœtu, lacte, lanâ, &c. 3. In navibus, quæ etſi ab aliquibus inter immobilia reputentur, tamen etſi verius ſint res mobiles, ſunt tamen fructiferæ, uti colligitur ex *L. ſi navis ff. de rei vind. ſi navis à malæ fidei poſſeſſore petatur, & fructus æſtimandi ſunt, ut in tabernâ, & areâ, quæ locari ſolent.* Idem eſt de navium vecturâ, quæ eſt loco fructuum. *L. 29. ff. de petit. hered.* 4. Non poteſt imponi cenſus ſuper fructus pendentes, etſi fortè cenſeantur eſſe immobiles, eò quòd non ſint fructiferi: & licet poſſint ſeminari, tamen fructus non dicuntur percipi jure ſeminis, ſed jure ſoli. 5. Poſſunt imponi cenſus ſupra officia, quæ vendi poſſunt. 6. Supra arboribus, quæ etiam dari poſſunt in emphyteuſim, quæ etiam in jure habentur immobiles, & ſunt fructiferæ. 7. Supra bona Eccleſiæ cenſus imponi poſſunt, ſi eadem bona non ſint ſpecialiter dicata, ac conſecrata cultui divino, uti ſunt Vaſa ſacra, Calices, Ciboria, &c. Quæ etiam in pignus dari nequeunt, niſi urgentiſſimâ neceſſitate, v.g. ad redimendos captivos, mortuos ſepeliendos, pauperes ſublevandos, quibus etiam caſibus eadem vendi licet, frangi, & conflari, ut habet S. Ambroſ. *lib. 2. cap. 28. offic.* alia tamen Eccleſiæ bona cenſui ſubjici poſſunt, etiam extra neceſſitatem talem, v.g. aureæ Coronæ, candelabra, &c. Servatâ tamen ubique formâ neceſſariâ, puta Capituli conſenſu, &c. Idem dic de bonis Hoſpitalium, quæ etiam reputantur bona eccleſiaſtica. Non tamen poteſt cenſus poni ſupra ipſam Eccleſiam, aut ejus fundum; cùm Eccleſia immunis ſit ab omni penſione, etiam ex priori pacto proveniente. Suarez cont. Errores Anglic. lib. 4. c. 20. num. 20. Cenſus etiam poni poteſt ſuprà res mobiles.

An verò cenſus conſtitui poſſit ſuper fructus beneficii, non eſt adeo manifeſtum: maximè, cùm Paulus IV. prohibuerit Eccleſiarum bona elocari ultra triennium, & conſequenter videatur prohibuiſſe Cenſum, qui eſt jus quoddam de ſe perpetuum. Eo tamen non obſtante, videtur, quod beneficiarius poſſit pro ſuâ vitâ vendere certam fructuum partem, ad quam ſolvendam ſeſe obligaret obligatione perſonali. Imo, quòd pro primo triennio obligaret res ſuas, & deindè ſe ipſum. Ita *Anſelmo* ibi ſupra, addens idem eſſe An cenſus poſſit poni ſuper fructus beneficii.

Digitized by Google

judicium de bonis ſubjectis fideicommiſſo, ſuper quæ cenſus conſtitui poteſt, uſque ad tempus reſtitutionis eorumdem, eò quòd uſque ad illud tempus poſſit alienari : probat illud ex eo, quod poſſeſſor fideicommiſſi, ſit dominus intrà illud tempus, uti & majoratûs, quod an verum ſit, diximus Cap. 1. Sect. 7. Tract. 1.

Cenſus non poteſt poni ſuprà rem uſu conſumptibilem.

Non poteſt tamen cenſus imponi ſuprà rem uſu comſumptibilem, quæ non ſit fructifera : qui enim emit ejuſmodi rem, non poteſt emere aliquod jus diverſum ab ipſius rei conſumptione, quia uſus in ipsâ conſiſtit. Sic qui emit triticum, ut ſingulis menſibus inde aliquid accipiat, idem facit, ac emere triticum per partes conſumendum : neque etiam utilitas talis rei ſeorſim vendi poteſt à dominio. Et quamvis poſſit cenſus imponi ſuper pecuniam negotiationi expoſitam : non ponitur eo caſu cenſus ſuprà pecuniam, quæ de ſe eſt ſterilis, ſed ſuprà induſtriam Mercatoris.

Cenſus poteſt poni ſuprà alium cenſum.

Poſſet denique cenſus poni ſuprà alium cenſum, ſervatis quibuſdam conditionibus. Ita *Malderus tract. V. cap. V. dub.* 7. Ratio eſt, quod cenſus habeatur pro re immobili; & praxis communis habeat, quod reditus minores privatorum, conſtituantur ſuper majoribus reditibus communitatum. Porrò, prima conditio hîc eſt, ne reditus, ſuper quo alter ponitur, ſit minor; debet enim ad minus eſſe alter æqualis; ſuper æqualem enim cenſum poſſe poni, tenet Navarrus num. 87. alii addunt ſecundam conditionem, ſcilicet, ne reditus obnoxius alteri ſit redimibilis; quia eo redempto, alter evaneſceret, aut ſaltem fieret merè perſonalis, quod pius V. prohibet. Verum hunc cenſum de naturâ rei licitum eſſe, demonſtravimus ſuprà. Imò, fieri poteſt, quod ideo dictus cenſus fiat perſonalis alio cenſu redempto, quia venditor poſſet ſeſe obligare, quod in caſu redemptionis aliam rem illi cenſui ſubjiciet.

SECTIO VIII.

Quodnam ſit juſtum pretium in conſtituendis Cenſibus.

CUm cenſus conſtitui ſoleant per venditionem, requiritur hîc juſtum pretium, prout in omni aliâ venditione. *Reginald. lib.* 25. *num.* 433. cenſet pretium cenſuum Lege Canonicâ eſſe ſtatuendum, idque ad Romanum Pontificem ſpeciali jure pertinere. Sed perperam. Cur enim non æquè valebit Principum authoritas, aut conſuetudo legitima in taxando pretio cenſuum, quàm in aliis rebus vendibilibus? *Proſper Fagnanus in Cap. in civitate, de uſuris, num.* 22. docet, non videri certum pretium generaliter poſſe ſtatui, aut debere, quo annui reditus debeant emi : nam rerum pretia non ſolùm pro diverſitate locorum, ſed & temporum variantur: item pro copiâ, & penuria ementium aut vendentium, itemque mercium, vel pecuniæ numeratæ. Unde infert, per legem, aut Edictum aliquod generale non poſſe fieri propoſitam taxationem. Eo tamen non obſtante, rectius docetur, etiam, vel lege aliqua, vel conſuetudine, poſſe ſtatui talem taxationem, prout fieri poteſt in aliis mercibus, quæ etiam pro tem-

Digitized by Google

temporum, ac aliarum occurrentium circumſtantiarum varietate, variantur.

Hinc juſtum pretium cenſûs cenſetur eſſe id, quod vel lege eſt definitum, vel communi Provinciæ conſuetudine, aut hominum æſtimatione, attentis omnibus circumſtantiis, & maximè naturâ cenſûs, qui venditur, ſolet ſtatui. Unde etiam fit, quod pretium illud in diverſis locis, ac reditibus ſit diverſum. Sic quoque videmus, à diverſis Authoribus diverſarum Provinciarum, ſtatui diverſa pretia: imo pro diverſitate temporum, diverſa pretia ſtatui in iiſdem locis. De pretio ſtatuto in Hiſpaniâ, Galliâ, Italiâ, Germaniâ, &c. agit Binsfeld. *in Cap. in Civitate, de uſuris, q.* 14. *concluſ.* 2. *&* 3. in Belgio, reditus redimibilis (quia irredimibilis de novo creari nequit de quo antea) ſtatuitur ad 10. 11. 12. 13. & 14 plus, aut minus juxtà conſuetudinem loci, ac temporis qualitatem. Modò tamen excreſcit idem pretium. Si verò ſit hypothecatus, ad 16. non infrà, ſecundum *Zypaeum Not. Juris Belg.* §. *de redditibus.* Sic videmus his luctuoſis temporibus, negotiatione indies deficiente, cenſuum pretia diminui. Quod ſit juſtum cenſuum pretium.

Quod attinet ad illas circumſtantias in aſſignando juſto pretio attendendas, notat primò Wiggers, quod maximè conveniat attendere in conſtitutione cenſûs realis, ad pretia rerum fructiferarum, v. g. an tanti emantur, aut ferè tanti cenſus irredimibiles, quanti emi poſſet ipſa res, quæ deductis expenſis facit tantos fructus, ut ſi cenſus ſit 100. flor. fructus rei poſſint valere 100. addit, aut *ferè tanti*, eò quòd plus ſit habere dominium rei plenum, quàm habere ſolummodò jus exigendi ex re aliquam penſionem, quod cenſus importat. Deinde notandum eſt, quod cenſus redimibilis minoris ſit æſtimandus, quàm valeat fundus, idque propter onus redimibilitatis; poſſit tamen comparari venditioni fundi cum pacto retrovendendi. Habenda inſuper ratio de cæteris oneribus, quibus cenſus ſubditur, ſive illa à venditore ſive ab emptore ſunt obeunda. Pertinet itidem ad juſtitiam pretii, ut pluris ematur perpetuus, quàm temporalis: pluris plurimum annorum, quàm pauciorum. Non tamen exigitur, ut pretium cenſûs exæquet penſiones ſolvendas, ut patet ex dictis, & in emptione agri id palàm ſit cujus pretium minus eſt, quàm valeant fructus ex eo percepti.

Quæres, quid agendum, ſi pretium cenſûs ſit iniquum. Reſp. Si pretium illud ſit lege taxatum, reddi debet exceſſus pretii, & quâ parte manet juſtum, eſſe tenendum; eò quòd lex non videatur cenſum talem irritare, ſed ſolummodò, quâ parte eſt iniquus, neque utile per inutile ſolet vitiari, adeoque inæqualitas debet reduci ad inæqualitatem. Sic etiam donatio excedens ſummam lege taxatam vitiatur quidem ob exceſſum; ſed illud, quod excedit, habetur pro non adjecto, & tali modo reductionem fieri in Germaniâ docet Binsfeld. ſuprà, & ex Molinæo in Galliis. Contrarium tamen in Galliis ſtatutum eſſe, refert Gibalinus *lib.* 4. *cap.* 6. *art.* 16. idque à Carolo IX. annò 1567. anno 1572. & 1601 ubi contrarium irritatur. Et in Belgio Edicto 1571. 5. Martii omnes cenſus minori pretio empti, quàm ferat conſuetudo, ſine authori-

tate Principis, habentur pro irritis, & uſurariis. Unde, quod ante dictum, intelligendum eſt juxtà jus commune, & ſi quando non eſt ſpecialis lex, cenſus injuſto pretio conſtitutos irritans, aut invalidans.

Notandum hîc etiam, quod reditus vitales ſuprà terras inundationi ſubjectas, debeant minoris ſolitò vendi, idque ratione oneris, & gravaminis; quo in caſu inundationis, remittere teneantur uni anno, & unum annum pecuniâ numeratâ contribuere ad aggerationem hypothecæ inundatæ, ſub pœnâ amiſſionis juris; aut ad minus id debeant ad quartum nummum aggerationis ejuſdem hypothecæ. Edict. 1531. 23. Maii: deindè, redimibiles reditus ſuper talem hypothecam inundatam, debent contribuere 2. annos paratâ pecuniâ, & 2. remittere, aut ſaltem 4. ſolvere, quando proprietarius ſolvet 5. pro aggeratione hypothecæ. Denique, quod qui habent irredimibiles, tantum debeant contribuere, quantum contribuunt proprietarii. Videri poteſt *Zyp. Notit. Juris Belg. tit. de navicularüs, naucleris, & mercatoria maritimâ.* Et Cod. Belg. V. *Renten.* num. 34. & 35.

Quæres, an cenſus poſſit emi minoris, quàm ſit ab initio conſtitutus. Reſp. Si valor cenſûs decreverit, vel ob minorem hypothecæ ſecuritatem, vel ob majorem difficultatem penſiones recuperandi, raritatem pecuniæ, &c. certum eſt, quod id poſſit, quod quæritur. Sicuti enim valor aliarum rerum vendibilium decreſcere poteſt, ità & valor cenſuum. Hinc ob ſimilem rationem, poteſt quoque cenſus ille vendi majoris. Et hæc maximè obtinent, loquendo de pretio vulgari, quod habet ſuam latitudinem. De pretio legitimo autem, ſive taxato à lege agendo, res illa non eſt ità certa. Alii enim docent, quod quando pretium eſt à lege taxatum, non poſſit illud violari, quia conſiſtit in indiviſibili. Alii opponunt, hoc ſolummodo verum eſſe in primâ conſtitutione cenſûs, non itidem in venditione cenſûs jam conſtituti, quod & aliqui volunt uſu obſervari. Quamquam enim Pius V. contrarium videatur ſtatuere; tamen vel explicari poteſt modo jam dicto; vel cum Leſſio dici poteſt, Bullam Pii V. hîc uſu non fuiſſe receptam, imo contrariâ conſuetudine illi eſſe derogatum, dum ſciente, nec contradicente Pontifice ſoleant cenſus minoris emi, ac vendi.

SECTIO IX.

De ſolutione Perſonarum.

A quo penſiones ſint ſolvendæ.

QUæres 1. à quo debeant ſolvi penſiones cenſuum. Reſp. Ante omnia obligatur venditor cenſûs ad ſolvendas penſiones, ratione contractûs ab eo initi, & obligationis illius in ſe ſuſceptæ: quæ quidem obligatio juxtà Cenſium quæſt. 73. adeò ſtricta eſt, ut quamvis rem cenſui ſubjectam in alium tranſtulerit, ideo non liberetur, ſed actione perſonali ad penſiones ſolvendas poſſit cogi. Ad idem deinde obligantur hæredes talis venditoris defuncti, qui ſicuti ſuccedunt in bonis, ſic & ſuccedunt in oneribus defuncti. Si verò ſint plures illius ſucceſſores, & cenſus ſit realis, non obligantur ſinguli in ſolidum,

ſed

ſed ſolummodo pro ratâ hæreditatis. Ita Covarruv. *lib.* 3. *vari. cap.* 7. *num.* 7. & Binsfeld. ibi ſupra q. 12. contrarium tenet Leſſius *l.* 2. *cap.* 22. *num.* 89. uti & Navarrus, Molina, &c. idque ex eo, quod niſi omnes ſucceſſores teneantur in ſolidum, creditoris conditio fieret deterior ex multiplicatione hæredum. Alii tamen id ipſum negant, & dicunt per ſe faciliorem, ac ſecuriorem reddi creditoris conditionem, dum ſinguli minus graventur in ſolvendâ exiguâ parte, quàm ſi unus deberet ſolvere totum, etſi fortè adſit aliquis labor in colligendo. Deinde, ſicuti creditoris conditio non debet hîc fieri deterior, ſic neque debet fieri melior; quod fieret, ſi ſinguli tenerentur in ſolidum, dum primò haberet obligatum ſolum cenſuarium. Imo probant opinionem dictam ratione à priori quod cenſus realis, ita adhæreat rei, ut illâ pro parte, vel toto pereunte, conformiter pereat & cenſus; quod non fieret, niſi obligatio cenſûs in omnes res illi ſubjectas, eſſet diviſa: unde oportet earumdem rerum poſſeſſores diviſam habere obligationem. Poſſunt nihilominus plures in ſolidum eſſe obligati ad præſtandas penſiones, ſi in venditione, aut aliâ conſtitutione cenſûs id ſit expreſſum. Aliàs, ſi id non ſit expreſſum, ſolummodo tenebuntur pro ratâ, prout generaliter ſtatuitur *L. reos ff. de duobus reis.* Notandum hîc eſt, quod ſtatuunt Conſuetudines Antverpienſes tit. 57. art. 47. ſcilicet, quod ſi fundus cenſui ſubjectus à proprietario dividatur in plures partes, & pluribus perſonis alienetur, cenſus tamen maneat indiviſus, & hypothecatus omnibus partibus, prout erat antea.

Si verò quis vendat domum v.g. reditu gravatam, non obligatur emptor ſatisfacere penſiones, niſi illas, quæ debentur à die emptionis inchoando. Alias verò ſatisfacere non debet, etſi etiam terminus ſolutionis foret poſt diem emptionis, ſed eaſdem ſolvere tenetur venditor. Ita etiam habent Conſuetud. Urbis noſtræ tit. 57. art. 7.

Quæres 2. quo tempore debeant ſolvi penſiones cenſuum. Reſp. Tempus ſolutionis conſtitui poteſt ex conventione contrahentium, ut vel in fine anni detur tota penſio, vel medio anno ejus medietas, vel ſingulis trimeſtribus pars quarta, vel alio modo, ſi non plus exigatur, quàm pro ratione temporis elapſi debeatur. Deinde, ſi nihil de eo termino ſit conventum, ſervanda eſt ubique locorum conſuetudo; contractus enim regulantur ſecundùm conſuetudinem *L. ſi fundus ff. de evictiõn.* Excipiunt aliqui cum Cenſio q. 3. num. 10. & q. 83. num. 1. cenſum fructuarium, quem volunt non niſi collectis fructibus eſſe præſtandum. Verùm id infundatum eſſe patet ex eo, quòd etiam non natis fructibus aliquo anno, debeatur penſio, ut antea notavimus. Deinde, emitur jus percipiendi fructus annuos, ſive illi ſint ex illâ re, ſive ex aliâ.

Quando penſiones debeant ſolvi.

Quæres 3. ubi cenſus debeat ſolvi. Reſp. In eo loco, de quo facta fuit conventio, etiam deferendi penſiones ſuis expenſis in domum creditoris; maximè ſi contrahentes ſint ejuſdem loci; eò quòd etiam ſecluſâ conventione debitor cenſûs ad illud obligetur. Pactum verò tale pro cenſu fructuario prohibet Pius V. ſi tamen, etiam in eo cenſu, aut quando contrahentes ſunt diverſi fori, gravamen

Ubi penſio debeat ſolvi.

Digitized by Google

vamen illud aliunde debitori compenſetur, non eſt, cur id non liceat de jure naturæ, v.g. cenſus ideo vendatur minoris. Si verò nulla ſit facta conventio, ſervanda eſt Patriæ conſuetudo.

Quæres 4. quis ſolvere debeat in conſtituendo cenſu ſcripturam, expeditionem, ejuſdem exactionem; item tributa, aut gabellas ex fundo Principi ſolvendas. Reſp. Scripturam ſolvendam eſſe ab emptore. Ratio eſt, quod ea fieri debeat ad probandam obligationem venditoris, adeoque fit in emptoris gratiam, & ejus utilitatem: aliàs afflicto adderetur afflictio. Idem eſt de expeditione, & exactione penſionum. Gabella verò, quæ imponitur contractui, ſive ob contractum, jure communi ſolvitur ab emptore, etſi, ait Bonac. *diſp.* 3. *q.* 4. *puncto unic. num.* 31. alibi contrarium obſervetur. Gabellæ autem impoſitæ prædiis cenſitis, ſolvendæ ſunt à venditore; quia cùm tributum ſit onus impoſitum prædio, & dominium prædii maneat penes venditorem, ſequitur ad eumdem pertinere onus tributorum. Navar. *de uſuris num.* 132. aliud tamen ſtatuunt leges particulares, & conventiones.

Quæres 5. an ſolvendus ſit Cenſus conſtitutus ſuprà domum v.g. aut molendinum, quod poſtea eſt dirutum, aut combuſtum, ſed reædificatum. Reſp. quomodo non tantum non ſolvendus ſit cenſus terrâ inundatâ, ſed alia onera è contrà ab emptore cenſûs ſubeunda, diximus aliâ Sect. præced. ſi verò domus v.g. aut ager uno, aut alio anno non elocetur, tamen ex eodem ſolvendum eſſe cenſibus, etiam patet. Si autem per bella v.g. neque ſeri potuerit, nec meti: neque domus inhabitari, inſiſtendo moribus noſtris, uti & æquitati, penſiones omnes ſolvendas non eſſe, eſt admittendum. Verum quidem eſt, jure noſtro obligationem cenſuum non tantum realem eſſe, ſed & perſonalem; adeo ut pereunte re cenſitâ, maneat adhuc obligatio perſonæ, quoad alia bona: ex quo videtur ſequi, etiam dicto caſu poſſe penſiones exigi de rigore juris: æquius tamen, ac Chriſtianæ charitati conformius ſtatuerunt Principes noſtri Edicto 1587. ne creditores per arreſta, aut executiones procederent contrà illos, quorum prædia ob bella, reddita ſunt inutilia: ſed ſi contrà eoſdem agere velint, id agendum eſſe porrecto libello ſupplici Concilio Regio, quod per Commiſſarios indagabit rationem jacturæ, & conformiter judicabit remiſſionem faciendam pro rata temporis, jacturæ, habito reſpectu creditorum, & debitorum.

Ad id, quod directè quæritur, reſpondet communiter Navarrus de uſuris num. 118. quod ſi pro parte tantum deſtructâ domo, per partes reædificetur, maneat obligatio ſolvendi cenſum, dum manet eadem domus cenſui ſubjecta. Si verò domo penitus extincta, reædificetur alia, etiam ex eadem materiâ præcedente, obligatio ſolvendi ſit extincta, eò quòd ſit domus alia, & domus cenſui ſubjecta ſit deſtructa. Aliud eſſet, ſi domus illa periſſet culpâ venditoris, quo caſu tenetur emptori ad intereſſe.

Quot annorum penſiones poſſint exigere.

Quæres 6. intra quod tempus penſiones ſunt exigendæ. Reſp. omni prorſus tempore elapſo, niſi fortè præſcriptio adveniret. Mribus noſtris ſtatuitur,

tur, ne ultrà tres annos elapſos cenſuarius poſſit expectare, adeo ut ſolummodo canones 3. annorum poſſit exigere, niſi debitores juridicè interpellati, & dilatione petita, iterum ſoluturos ſe eſſe ſpopondiſſent. Providè id ſtatuit jus noſtrum fraudibus creditorum volens occurrere, qui creditis multorum annorum canonibus, à debitoribus eoſdem poſteà rigoroſè extorquent; quo fit, ut miſeri debitores oppreſſi res ſuas creditoribus cedere cogantur. Idem ſtatuunt *Conſuetudines Antverp. tit.* 57. *art.* 41. *&* *Mechlinienſes tit.* 12. §. 9. Cùm verò dicta lex innitatur præſumptioni fraudis, ut ex verbis legis conſtat, in foro conſcientiæ locum non habet, ubi fraus nulla interceſſerit: adeoque debitor in conſcientiâ obligatur canones omnium annorum elapſorum ultrà tres annos etiam creditori ſatiſfacere: maximè, ſi creditor ex ignorantia, aut ex compaſſione ſolutionem exigere diſtuliſſet: unde immeritò in foro animæ ratione dicti privilegii debitores excipiunt.

Quæres 7. an pretium cenſûs poſſit eſſe frumentum, oleum, vinum, &c. ſive, an liceat emere cenſum frumento, vino, oleo exſolvendum. Reſp. clarum eſt, id fieri poſſe in cenſu reſervativo, dum quis alteri vendit vineam, ſervatâ ſibi parte vini. Idem etiam fieri poſſe in conſignativo ex naturâ rei, per ſe patet. Addit Binsfed. in *Cap. in civit. q.* 15. ſimiles reditus in frumento miſeris temporibus maximè ſuſpectos eſſe, & majorem habere ſuſpicionem, quam ſi in pecuniâ conſtituerentur: eò quòd pretia rerum in Republicâ ſæpius varientur, & vix duobus annis in eodem ſtatu permaneat, nec tempore emptionis moraliter certa æſtimatio fieri poſſit ob rerum, ac temporis mutationem: quâ ratione emptio illorum redituum ad exceſſum juſti pretii, & deceptionem aptior eſt, & debitori periculoſior. Unde addit dictus Author, quod juſtiſſimè tales reditus alibi reducerentur ad pecuniam, vel moderarentur ad valorem pecuniæ numeratæ, quod in Germaniâ ſtatutum refert, & in Hiſpaniâ à Carolo V. 1534. & in Codice Belgico V. *Renten* num. 4. dicitur, quod tempore caritatis annonæ, reditus in ſpecie ſolvendos, poſſint moderari ad juſtam taxam. Et num. 7. vetatur, ne quis in poſterum reditus ponat in frumento, vino aut oleo ſovendos. Ita ſtatutum 1571.

An liceat emere cenſum vino v. g. ſolvendum.

Quæres 8. an Paſtor v. g. Vicarius, aut alius quilibet, qui aliquot annis recepit in minore quantitate reditum ſiligineum, poſſit de cætero petere quantitatem in litteris creationis ſtipulatam. Reſp. Quæſtionem hanc ventilat Zypæus *Conſult. Can. lib.* 3. *conſult. tit. de empt. & vend.* ita reſpondens *: non ideo, quod debitor paſſus ſit* 30. *annis pro menſurâ frumenti certam ſummam, aut pro certâ ſpecie pecuniæ majoris minorem ſolvi, impoſterum eâdem debet eſſe contentus, ſi quidem invito creditore aliud pro alio ſolvi non poteſt.* Idem tenet Gail 2. *obſ.* 73. *num.* 2. & Anſelmo *Tribon. cap.* 24. *num.* 8 *&* 9. dicens ſe idem obtinuiſſe Antverpiæ 17 Septemb. 1633. in cauſâ Marci Vermeren, contra viduam Abeels: & anno ſeq. pro aliis. Rationem addit idem iteratò ventilans cap. 72. num. 12. quod hîc ſinguli anni requirant ſuas partiales præſcrip-

ſcriptiones, nec ſola præſtatio præterita inducat obligationem de futuro, & quod aliquando factum eſt, non trahitur in perpetuam neceſſitatem. *L.* 28. *Cod. de pact.*

SECTIO X.

De variis pactis Cenſui adjectis.

An in cenſibus liceat paciſci de ſolvendâ penſione in omni eventu.

QUæritur 1. de pacto, ut omni eventu etiam fortuito ſolvere debeat venditor penſionem. Reſp. Prohibere tale pactum quidem jure poſitivo Pii V. ex natura rei tamen eſſe licitum. Si enim in emptione aliarum rerum immobilium, licitum ſit munire contractum ſufficientibus cautelis, ſi de cætero ſervetur juſtum pretium: quare & illud idem non tenebit in contractu cenſuali? Deinde, ſimile pactum reſolvitur in duos contractus licitos, ſcilicet emptionis, & aſſecurationis, quo venditor in ſe omni eventu ſuſcipit periculum rei: ſi ergo in utroque contractu ſervetur juſtum pretium, quid oberit?

Dices, obſtat 1. quod tale pactum ſit contra naturam cenſûs, quæ exigit, ut pereunte re, pereat & cenſus, cui contrariatur illud pactum. 2. Quod actio realis, qualis naſcitur in cenſu, pereat pereunte re, ſeu fundamento actionis. 3. Quod pereunte re emphyteuticâ, vel redditâ inutili pereat jus Emphyteuſeos. Ad illa Reſp. etſi illud pactum non ſit conforme naturæ cenſuum, eam tamen non deſtruit, ſi onus illud aliunde juſto pretio compenſetur, dum hoc potius oriatur ex contractu aſſecurationis. Ad 2. Reſp. non ſolùm hîc naſci jus reale, ſed & perſonale, maximè moribus noſtris. Neque etiam fundamentum cenſûs, eſt res cenſibus ſubjecta; ſed eſt contractus, quo venditor ſeſe obligat, & ſuſcipit in ſe omne periculum, ſtatuendo rem illam pro hypothecâ: adeoque fundamentum illud ſemper manet, puta obligatio talis contractûs, ex quâ orta eſt obligatio perſonalis. Ad ultimum Reſp. id non mirum eſſe, dum totum jus emphyteuticum ſit reale in ſolam rem emphyteuticam, & ſub eâ conditione ſtatutum.

An cenſui apponi poſſit pœna commiſſi.

Quæritur 2. an Cenſui apponi poſſit pœna commiſſi moroſo debitori: id eſt, an ſi debitor intra 10. annos non ſolverit penſionem, res ſubjecta cenſibus, cadet in dominium emptoris in pœnam pacti violati. Reſp. In primis hoc licitum eſt in cenſu reſervativo, dum quilibet alteri poſſit dare rem ſuam eâ lege, ut ſi intra aliquem terminum non ſolvat penſionem, res illa ad ſe redeat. In conſignativis tamen, videtur eſſe pœna illa nimium exceſſiva, cùm res, ſupra quam ponitur Cenſus, valeat paſſim 1000. flor. ſi ſit penſio 100. flor. Iniquum verò eſt, quod pro omiſſione penſionis 6. aut 7. vicibus omiſſæ, debeant dari 1000. flor. Hinc etiam lex civilis prohibet, ne pignus ob neglectam ſolutionem cadat in commiſſum. De jure naturæ tamen, factum illud valere dicendum eſt, ut cenſuarius non ſolutâ penſione amittat rem cenſitam, aut ejus partem, ſi intercederet pretii æqualitas.

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur 3. an cenſui apponi poſſit pactum, ut ſi pecunia ſtatuto tempore non ſolvatur, mittetur nuncius expenſis debitoris ad exigendum. Reſp. de eo ſe conſultum ait Anſelmo *Trib. cap.* 17. *num.* 17. aitque injectum ei ſcrupulum ratione conſtitutionis Pii V. toties allegatæ. Pro cujus, ac aliorum pactorum cenſibus adjectorum, notandum eſt, ita de pactis loqui præfatam Bullam: *Damnamus, pacta continentia moroſum cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria, aut ad ſalaria, & expenſas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem cenſui ſubjectam, ſive aliquam ejus partem amittere: aut aliud jus ex eodem contractu, ſive aliundè acquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita ſint, & nulla.* Cùm verò Bulla dicta, hîc non ſit in uſu, uti aliquoties eſt inſinuatum, ſolummodo ſupereſt examinandum, an dictæ conventiones, etiam ex jure naturæ ſint illicitæ. Quod ad ultimum attinet, jam inde diximus quæſito 2. Deinde, non prohibet Pontifex pactum de ſolvendo damno emergenti: & licet quoque titulus lucri ceſſantis ſit reverà juſtus, & ſufficiens, ut pluribus oſtendi Sect. 8. *de uſura*: tamen hunc titulum meritò hîc proſcripſit Pontifex, tamquam qui ſit magis fraudibus opportunus. Si tamen reverà ſubſit titulus lucri ceſſantis, non eſt ratio, quare pactum de ſolvendo lucro ceſſante, non poſſit hîc deduci in pactum. Eadem dicenda ſunto de cambio, de expenſis, aut ſalariis creditoris juramento liquidandis, ſi revera ex dilata ſolutione quoad illa damnum emergat, aut verè ceſſet lucrum; illa enim ex æquitate naturali ſunt compenſanda: ex quo clarè patet illa à Pontifice ſtatuta eſſe ob præſumptionem fraudis, & ad illis obviandum. Ita etiam adjungit Bulla, quod annullet omnia pacta continentia ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad quem de jure, & naturâ contractûs non ſpectant: quare enim aliter ſervatâ æqualitate pretii ex natura rei non poteſt fieri, ut antea annotavimus? Unde eo ſuppoſito ad quæſitum illud poteſt reſponderi, etiam fieri poſſe tale pactum, ut exactio fiat expenſis debitoris moroſi, maximè, ſi id fiat ſolo animo debitorem excitandi ad exactam ſolutionem, & creditor malit ſibi ſolvi in termino præfixo, quàm gaudere, vel uti alterius pœnâ; additque dictus Author, id minimè videri, vel contra jus divinum, aut contra conſcientiam.

Quæres 4. an pactum obligans cenſuarium ad anticipatam ſolutionem, vitiet contractum cenſualem. Reſp. ſolutionem censûs anticipatam nullo pacto prævio, ſed ſponte ac liberaliter factam, ex mero cenſuarii, ac venditoris arbitrio, licitam eſſe, tradunt paſſim Authores: nullo enim jure ejuſmodi anticipata ſolutio inhibetur. Idem dicendum eſt de pacto anticipatæ ſolutionis, ſcilicet non vitiare ex natura rei contractum cenſualem, modò illud onus aliundè compenſetur. Ita Leſſius, addens contrariæ ſententiæ Authores intelligendos eſſe, quando onus illud aliundè non compenſatur. Et ſanè, cùm in locatione poſſint fieri ejuſcemodi pacta: cur eadem fieri nequeunt in contractu cenſuali? Rectè tamen ob uſurarum periculum ſimile pactum proſcripſit Bulla Pii V.

Quæres 5. an liceant hîc pacta impedientia liberam alienationem rei cenſui ſubjectæ. Reſp. omnia pacta auferentia, aut reſtringentia facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, reprobari quidem etiam à Pio V. ſed ex naturâ rei tale pactum illicitum non eſſe, paſſim Authores conſentiunt, modò de cætero ſervetur æqualitas. Ita Binsfeld. ibi ſupra quæſt. 12. concluſ. 15. quare enim non poteſt ſe venditor ad hoc obligare in gratiam emptoris, modò hîc onus illud juſto redimat pretio? Addunt, hîc eſſe virtualiter duos contractus, unum venditionis rei pro certo pretio: alium hypothecæ cum obligatione eam non alienandi, qui contractus ambo juſti ſunt, ſi ſervetur de reliquo æqualitas.

Quæres 6. an emptor censûs poſſit ad ſecuritatem exigere fidejuſſorem, aut aſſecurationem, ut ſi fortè res cenſui ſubjecta fiat aliena, aut aliis cenſibus ſubjecta, ſubſtituatur res alia in locum rei prioris. Reſp. quod ſic: hoc enim ſervat ad ſervandum emptorem indemnem, neque aliunde id ullo jure prohibetur, aut repugnat contractui cenſuali: ita communiter Authores.

Quæres 7. an cenſus augeri poſſint ex penſionibus debitis. Reſp. cenſum augeri poſſe ex penſionibus debitis, & numeratis, ſi eaſdem cenſitor numeratas, renumeret cenſuario. Deinde, etſi conſtitutio prædicta id prohibeat de penſionibus debitis necdum ſolutis, ne cenſuarius cenſibus cenſuum opprimatur; ex jure tamen naturæ id minimè eſt illicitum, ſi penſiones debitæ, etſi necdum ſolutæ, loco pretii novi censûs tradantur cenſuario.

SECTIO XI.

De redemptione Cenſuum.

CEnſum omnes ex parte venditoris redimibilem ſemper eſſe debere, ſtatuit Pius V. Idem ſtatutum eſt in Belgio, ut ab anno 1528. cenſus omnes conſtituendi eſſent redimibiles. Ex parte emptoris verò requirunt per ſe perpetuitatem, cùm ſors ab illo alienetur, neque ei liberum ſit ſortem pro libitu repetere. Imo, ut ait Stockmans Deciſ. 76. num. 1. hæc ſubſtantialis eſt inter annuum reditum, & mutuum differentia, quod in conſtitutione reditûs, ſors prorſus alienetur ab eo, qui nummos numerat; in mutuo remaneat pecuniæ repetendæ facultas. Id eſt, quod mutuans jus habeat ſortem ſuo tempore repetendi, & ad illud mutuatarium obligandi poteſtatem; qualem non habet emptor censûs.

Differentia inter mutuum & reditum.

Licitum tamen eſt juxtà varios quibuſdam caſibus in contractu cenſuali ſtipulari, quod certo tempore ſors repeti poſſit ab emptore, 1. in pecuniis pupillaribus, quod ſæpè judicatum eſſe in Arreſto Pariſienſi refert Pap. *lib.* 12. *tit.* 7. *arreſto* 30. & ita tenet Grotius *introduct. lib.* 3. *p.* 14. 2. Caſus eſt, quando venditor ſolet eſſe in ſolvendo moroſus, & loco ſolutionis ſolet creditores vexare litibus, uno caſu cogi poteſt ad refundendam ſortem. 3. Juxta aliquos ſi ab initio tale pactum adjectum fuerit, ut poſt 3. aut 4. annos reditum redimat, ſeu ſortem

tem reddat, quod pactum, non eſſe contrà naturam cenſûs, adeoque validum eſſe, probant ex eo, quod venditionem cenſûs minimè transferat in naturam mutui; ratione cujus alii volunt illud eſſe uſurarium: in mutuo enim obligatio reddendi ſortem oritur tantum ex eo, quod fuerit prius accepta à mutuatario, & non ob aliam cauſam: ſed in redemptione tali cenſûs obligatio reddendi pretium non oritur ex eo, quod acceptum fuerit, ſed quia redimitur jus, quod prius venditum fuerat, cujus proinde pretium dandum eſt: illud autem æquivalet illi, quod in primâ venditione venditor acceperat: alioqui in pacto redimendi rem venditam, eſſet mutuum, & uſura palliata dum præter pretium idem reſtitutum, retinentur fructus, quos ex illâ re emptor acceperat. Sed quia non redditur pretium in compenſationem ſummæ mutuo datæ, ſed mercis, quæ eodem pretio revenditur, quo primum vendita fuerat, ideo non eſt uſura. Et hoc patet ex eo, quod ſi poſt primam emptionem res periiſſet, periiſſet reverà emptori, neque poſſet ille à venditore repetere pretium, quod ipſi dederat, quia non haberet, quod revenderet, unde nec poſſet obligare venditorem ad eam redimendam. Ita Valentia 22. *diſp.* 5. *q.* 2. 2. *puncto* 6. *q.* 25. *puncto* 2.

Contrarium tamen rectius tenent Soto *lib.* 6. *quaſt.* 5. *art.* 3. Navarrus *de uſuris num.* 122. Covarruv. *lib.* 3. *variarum cap.* 9. *num.* 4. Binsfeld. in Cap. *de civitate q.* 12. *concluſ.* 10. Gail. *lib.* 2. *Pract. obſerv.* 7. docentes unanimiter, contractum uſurarium eſſe, quando pecunia non alienatur in omne tempus, ſed permittitur arbitrio creditoris, ut eam pro ſuo libitu poſſit repetere, & interim fruatur annuâ penſione: quo caſu non tam eſt contractus emptionis, quàm mutui: & non ita foret vera emptio, quàm colorata. Deinde, ut ait Binsfeld. de naturâ contractûs annuorum redituum eſt, quod ſors alienetur, nec poſſit ab invito repeti, & in hoc differt à mutuo, & uſurâ.

Licitum eſt quoque emere cenſum eâ conditione, ut redemptio non poſſit fieri per partes. Contrarium quidem habet Martin. V. ſed ex naturâ rei, id non eſſe illicitum, probatur ex generali regulâ, quod creditor de jure commni non teneatur acceptare ſolutionem debiti per partes, quod probant ex *L. tutor* §. *Lucius ff. de uſuris*, & aliis legibus, etſi ex aliis id negent alii Juriſperiti, de quo iidem diſputent; cùm hîc non agatur de ſolvendo debito, ſed de redimendâ re venditâ cum pacto revenditionis, in quo pacto ſtat generalis regula, quod non poſſit res redimi per partes. Si tamen nulla hâc de re ſit facta conventio, redemptio fieri debet, prout dictat loci conſuetudo, quæ uti legum, ita & contractuum eſt optima interpres. Hinc ubi conſuetudo habet, ut invito creditore non poſſit cenſus redimi per partes, uti eſt in Belgio, ſi in contractu non fuerit facta mentio de modo redimendi, non poteſt redimi, niſi integrè. Deinde rectè alii hoc addunt, quod ſi in ſimilibus locis ubi poteſt per partes redimi cenſus, tale pactum adjiciatur, pretium cenſûs poſſe augeri; eò quòd redemptio per partes ſit gravamen venditoris, qui per tale pactum privatur facultae redimendi per partes. Si verò ſepoſito tali pacto adhuc non potuiſſet cenſus redimi per

 partes,

Digitized by Google

partes, expreſſio talis pacti non obligat ad pretium augendum, cùm non addat novum gravamen venditori, quod antea non ineſſet.

An cenſus redimi debeat numeratâ pecuniâ.

An autem cenſus numeratâ pecuniâ redimi debeat, uti debet conſtitui, non eſt ità certum. Ad ejus conſtitutionem, pecuniam numeratam, & ob periculum uſuræ idem requirit Pontifex, ac alii præterà ſuperiores, quæ tamen nihil de redemptione hîc loquuntur; adeoque cenſuarius aliis bonis, ac rebus, quàm pecuniâ cenſum poterit redimere, modò venditor in id conſentiat, cùm invitum ad hoc non poſſit compellere. Ubi autem de ſpecie monetæ non fuit conventum, liberum erit venditori, quam voluerit, exigere. Deinde, ſi ſit veroſimile, quod valor monetæ non ſit mutandus, poterit prævię fieri pactum de redimendo cenſu in eâdem ſpecie monetâ. Idem dic, ſi ſit par utrimque dubium, an minuendum ſit pretium, an augendum. Idem alii volunt, ſi quidem certum erat pretium augendum, ſed emptor ſtatuerat pecuniam ſuam in illud tempus aſſervare, adeoque ratione damni, quod patitur, poſſit tale pactum apponere. Alii tamen rectius hoc non admittunt, neque videre poſſunt, quomodo emptor rei frugiferæ, cenſûs ſcilicet, pro juſto pretio, poſſit dici verè inde ſuſtinere aliquod damnum: cùm fieri non poſſit, ut rem frugiferam ſibi comparet, & tamen pecuniam in tempus augendam ſervet. Aliud eſt in mutuo, in quo illud fit in gratiam ſolius mutuatarii, unde eo caſu mutuans ſentit aliquod damnum, ſi pecuniam ſuam in id tempus ſervaſſet. Ita Wiggers.

Deinde, aliàs videtur pactum illud eſſe injuſtum, cùm obligare venditorem ad redimendum cenſum certâ monetâ, ſit onus vi contractûs planè indebitum, & nova obligatio, quæ proinde hîc apponi non poteſt, niſi pretium augeatur. Quidquid enim contractui apponitur, quod illi de ſe non ineſt, reddit eum illicitum, cùm in eo ſervari debeat omnimoda æqualitas. Quod enim in monetâ ſpectatur, eſt valor à lege taxatus, qui eſt idem in omni monetâ: ergo obligare venditorem ad certam ſpecie monetam, eſt obligare eum ultra naturam contractûs emptionis, ac venditionis, in quo ſolummodò requiritur æqualitas pretii cum merce, idque in quâcumque monetâ. Præterea, ex tali obligatione poſſet venditor incurrere aliquod damnum, ſi valor talis monetæ augeatur, quod proindè eſt onus pretio æſtimabile. Adde, quod quò cenſus eſt minus redimibilis, eò majoris debet emi; ergo etiam, qui redimi debet eâdem pecuniâ, quod eſt difficilius.

In Belgio autem redemptio fieri debet in eo valore, in quo cenſus ſunt conſtituti, licet valor creverit, vel decreverit. Cui tamen contrarium aliquando judicatum fuiſſe Antverpiæ anno 1630. uti & Pariſiis aliud obtinere, ex aliis tradit Anſelmo *Trib. Cap.* 72. *num.* 9. addens num. 10. quod quoties in contractu ab initio ob metum mutationis monetæ cautum fuit de pecuniâ ſub certâ æſtimatione reſtituenda, aut ſolvenda, ea pactio ſit planè ſervanda.

Licitum quoque eſt contractui apponere clauſulam, ut antequam fiat redemptio, teneatur venditor medio anno, aut trimeſtri antea inſinuare redemptionem futuram: imo, ſimile quid à Pio V. impoſitum eſt, pro commodo empto-

emptoris, ut in tempore poſſit providere ſuæ indemnitati, & alio honeſto lucro pecuniam ſuam deſtinare, aut alteri emptioni redituum.

Præterea, ſecluſo pacto, ſi fiat redemptio cenſus annui poſt 3. aut 6. menſes à conſtitutione cenſûs, non debet ſolvi totus cenſus illius anni, ſed tantum pro ratâ temporis. De jure enim in hoc contractus eſt libera redimendi poteſtas, quæ non debet eſſe reſtricta: non eſſet autem libera, ſi id non poſſet, niſi cum ſuo damno. Aliud eſt, ſi ab initio conventum eſſet, ut redemptio non fieret, niſi in fine anni, & ut tunc penſio refundatur cum capitali. Ita Binsfeldius ibi ſuprà concluſ. 18. & 19.

Ad dignoſcendum autem, an cenſus aliqui hîc redimi poſſit nec ne, aſſignant aliqui has regulas: 1. Quod reditus annui piis locis debiti, ſive ſolvantur pecuniâ, ſive alio tandem modo, etſi de eorum origine non conſtet, cenſeantur perpetui, ac irredimibiles. Zypæus *Conſult. Can. lib.* 3. Ratio ejus eſt, quod ſicuti Eccleſia, & pauperes ſunt perpetui; ita & reditus illis relicti. Et quia hîc in Belgio omnis reditus pecuniâ conſtitutus eſt redimibilis, tamen ſi de eo non certò conſtet, præſumendum tamen hîc eſt, eum aliter eſſe relictum; eò quòd Eccleſia negotiari non ſoleat. Aliud dicitur quoad privatos, à quibus præſumitur cenſum poſitum eſſe per emptionem, eò quòd talis ſpecies contractûs in conſtituendo cenſu ſoleat eſſe frequentiſſimus. Dicta verò maximè obtinent in reditibus vetuſtioribus, dum illi rariſſimè pecuniâ emebantur, maximè ab Eccleſiâ. Denique, in dubio judicandum eſt pro Eccleſiâ, & pietate, & ita ſæpè judicatum refert dictus Author id Conc. Mechlin. & alibi. Hinc etiam Wameſius tom. 2. *juris Pontificii tit. de cenſibus*, *Concilio* 506. vocat contrariam ſententiam erroneam. Et anno 1610. hic Antverpiæ ſtatutum eſt, ab aliis probandum hîc eſſe, interveniſſe pecuniam, ut redituum redimibilitas poſſet probari.

Unde dignoſci poſſit cenſum eſſe redimibilem.

Verùm, cùm ſoli reditus pecuniâ conſtituti pro Clero ſint redimibiles ex Edicto 1571. ſcilicet eodem pretio, quo primitus fuêre conſtituti; tamen, etſi expreſsè pretium venditionis non apponatur, ſi tamen moraliter ex litteris deduci poſſit illud interveniſſe, judicaretur pecuniâ eſſe conſtitutos, ac proinde eſſe redimibiles prouti dicit D. Stockmans judicatum fuiſſe 1644. Deciſ. 72. eò quòd in inſtrumento alicujus reditus ſuper fundum pauperibus relicti haberetur, quod diceret promiſſor, *vendidit, ac promiſit*, dum venditio de ſe ſatis innuat interveniſſe aliquod pretium. Addit Anſelmo *Tribon. Belg. Cap.* 27. *num.* 11. *&* 12. quod, quando non eſt expreſſum, quomodo probari debeat reditum pecuniâ eſſe conſtitutum, id probandum maneat in terminis juris communis, ita tamen, ut ſi fiat pretii mentio, cenſeatur pecuniâ eſſe conſtitutus: non tamen ſi dicatur ſolummodo, *promiſit ſe daturum*; eò quòd promiſſio ſit ſignificatio generalis; quæ tam poſſit applicari ad donationes, permutationes, &c. ac ad venditionem.

Reditus quoque ſuper feuda conſtituti, etſi irredimibiles, ſi ad manum exteram transferantur, id eſt, ad aliquem, qui non eſt de familiâ, ſemper ſunt redimibiles. Ratio eſt, quod cuique ſit ſemper liberum niti ad libertatem,

&

& ſeſe à ſervitute eximere. Unde Vaſalli, ac Servi, ſemper ſeſe poſſunt redimere eodem pretio à Dominis, quo ſunt venditi, ac Dominus tenetur eoſdem manumittere. Quando autem luuntur, aut redimuntur reditus feudales, id fieri hîc debet coram Judice ſcudali, & pro præſentia dari debent Domino proventus unius anni, vulgò, *Heer-geweyde*. Si verò ſit reditus naturâ redimibilis, ad hoc non tenebitur debitor; ſed ſolummodo jus pro annotatione redemptionis, & caſſatione reditus, vulgò *'t Boeck-recht*, quod quoque dari debet, dum ii reditus transferuntur.

In redemptione redituum fructuariorum pecuniâ emptorum, & piis uſibus donatorum, non eſt ſatis eos reducere ad valorem pecuniæ extrinſecum, ſive evaluationem, quam habuit antea, & quam modo habet pecunia: ſic etenim omnes piæ fundationes perirent, neque Eccleſiæ poſſent intertineri, nec pauperes ſuſtentari. Pecunia enim decurſu temporis frequentior facta, etiam in evaluatione facta eſt minor. Hinc Principes noſtri 1587. aliquibus attentantibus ſimiles reditus reducere ad valorem extrinſecum, ſtatuerunt ob dictas rationes, in redemptione ſimilium redituum ineundam eſſe rationem valoris intrinſeci, & ad ratam pretii, quod erat tempore conſtitutionis. Vide *Tribon. dict. cap. 27. num. 26.*

Quæres ultimò, an prædictæ leges de pretio cenſuum, &c. etiam Clericos obligent. Reſp. obligare: omnes enim leges generales, ac rationabiles, neque Canonibus derogantes, omnes æqualiter obligant. Hinc etiam lex, quæ reditus frumentarios reducit ad pecuniarios, omnes æqualiter concernit. Idem eſt, de aliis legibus ſimilibus.

CAPUT VIII.

De Cambiis, Locatione, & Conductione.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Cambium,

Quid cambium.

CAmbium generaliter idem eſt, quod *permutatio*: ſumitur hîc pro permutatione pecuniæ pro pecuniâ. *Campſor* dicitur, à quo petitur pecunia: qui petit, dicitur *Campſarius*. Dicuntur *Nummularii* Matthæi 21. quorum menſas ſubvertit Salvator. A Græcis dicuntur *Trapezita*, aut *Colybyſæ*. Dicuntur itidem *Argentarii*, *Banckarii*, *Menſularii*, &c. Cambium magnam habet affinitatem cum mutuo, unde opportunum eſt maximè ad palliandas uſuras: quo fit, ut Doctores de Cambio diſputantes, generales tantum cambiendi regulas, aut ſpecies aſſignare valeant, dum cambiendi forma indies alteratur, & novis quotidie adjunctis contractibus, cambiendi

di materia à Mercatoribus ſolet intricari. Variè interim differt à mutuo, 1. Quod in mutuo debeat reddi eadem res: in cambio debeat reddi diverſa, ſaltem quoad locum: 2. Quod in mutuo debeat reddi ſors alio tempore; quod, etſi ſæpè in cambio itidem fiat, tamen id fit per accidens, dum poteſt ſimul, & eodem tempore reddi. 3. Quod mutuum fiat circà res diverſas; cambium verò circà ſolam pecuniam. Quomodo differat à mutuo.

Ars hæc campſoria, etſi habeat de ſe ſpeciem mali, tamen poteſt bene fieri. Ratio prioris eſt, quod illa exerceatur lucri causâ, & det fomentum avaritiæ, & exponat periculis uſuræ. Deinde, pecuniam extrahit à principali ſuo uſu, quod certè malè audit. Quia tamen ars campſoria eſt Reipublicæ maximè utilis, ac neceſſaria; hinc poteſt debitè exerceri, ſi aliqua requiſita adſint, ac adſit debitus finis. Nec poteſt dici artem illam eſſe contra naturam pecuniæ, quæ de ſe ſterilis parit pecuniam per eam artem: eſt enim pecunia ſterilis, neque per ſe poteſt parere pecuniam, eam tamen parere poteſt ratione aliorum annexorum, v. g. ratione laboris, expenſarum Campſoris, &c. Quod autem Nummularii è Templo ejecti ſint à Chriſto, non ideo ars illa dici poteſt condemnata, dum id à Salvatore geſtum fuit, partim, quod domum Dei deceat ſanctitudo, non avaritia: partim, quód ii cambiebant cum hominibus vicinis, quod magis erat mutuare, quàm cambire. Unde S. Thomas Opuſc. 73. de uſuris cap 13. *Dicendum, quod ars campſoria, de ſe ſit juſta. Et eſt ratio, quia illud plus, quod accipitur à campſoribus in tali permutatione monetæ, non accipitur ratione pecuniæ, quæ de ſe eſt invendibilis: ſed ratione periculi, vel intereſſe, ut ſubveniatur ſalariis penſionum, domorum, miniſtrorumque, & laboribus, & expenſis in arte neceſſaria, & licita, ne fruſtra ponant operam, & ſudorem ſuum in re licitâ ad utilitatem aliorum.* Ars campſoria eſt bona.

Ex dictis S. Doctoris verbis colligere eſt ad juſtitiam Cambii, requiri juſtum titulum, 1. ratione damni emergentis, aut lucri ceſſantis, quia id etiam licitum eſt in mutuo, aliquid ratione illorum accipere ſupra ſortem; & Campſor poteſt ſe ſervare indemnem, neque debet alteri cambire cum ſuo damno. Colligi poteſt ſecundò, quod poſſit Campſor aliquid lucrari ratione officii cambiendi, ad quod exequendum obligat ſe ad comparandas pecunias omnis generis, eas aſſervandas, idque in gratiam Campſariorum, quæ obligatio eſt pretio æſtimabilis, & digna compenſatione; niſi fortè ſufficiens pro eo ſtipendium à Principe ſit ſtatutum Campſori. Neque hîc opus videtur eſſe, ut officium illud obtineatur à Princepe: quia, etſi privatim tale officium ſubeat in aliorum gratiam: quare non poteſt ille ſeſe ſervare indemnem, & ratione intereſſe aliquid lucrari ultra ſortem? Deinde, quod Cambire ſine inſtitutione Principis non ſit vetitum, ex eo conſtat, quod aliàs Princeps non rectè aliquem ad illud obligaret. Sic etiam Joannes Dux Brab. conceſſit cuivis Civi Antverpienſi facultatem publicè ſervandi menſas Cambiales, non impoſitâ ad hoc obligatione. Codex Belg. V. *Wiſſel-brievennum.* 12. Ratione cujus licitum ſit lucrari in Cambio.

3. Po-

Digitized by Google

3. Poterit aliquid cambiendo lucrari Campſor ratione oneris, ac laboris pecuniam conquirendi, de loco in locum transferendi, &c. Labor enim ille eſt pretio æſtimabilis; maximè, dum fit in gratiam alterius: ex quo infert Wiggers, quòd hîc intercedat virtualis elocatio operarum Campſoris. Laborem hîc intellige, non qui ſit intrinſecus cambio, ratione cujus non magis licitum eſt aliquid lucrari; quàm ratione ejuſdem id liceat in mutuando ſine uſurâ, aut in conferendo opere ſacro ſine ſimoniâ: ſed de labore extrinſeco, v. g. quod pecunia in gratiam alterius transferatur de loco in locum, per alios illi procuretur, &c.

4. Aliquid inſuper accipi poteſt ratione puritatis materiæ in pecuniâ: aurei enim nummi puriores ſunt, etſi ejuſdem valoris legalis, ſive pretii, quàm argentei; ſunt tamen diverſi valoris naturalis ratione materiæ. Sic etiam, etſi Ducati antiqui ſint ejuſdem pretii cum novis; tamen, quia puriores ſunt, ratione materiæ pluris æſtimantur naturaliter. Et licet non ſit permiſſum excedere in pecuniâ pretium lege taxatum, intelligi id debet de pecuniâ, quatenus eſt menſura rerum vendibilium, in quo non licet ejus pretium excedere: aliud eſt, prout pecunia poteſt ad aliud aſſumi, & eſſe materia permutationis. Imò, & in mutuo ratione puritatis materiæ poſſet aliquid exigere ultra ſortem, quatenus mutuans accipiendo pecuniam magis impuram, incurreret aliquod damnum, quo caſu non lucraretur præcisè vi mutui.

5. Licet Campſori aliquid accipere ratione commoditatis nummorum, quod dat Campſor, quâ ſe in gratiam Campſarii privat, ratione cujus licitum eſt aliquid accipere. Neque verum eſt, quod omnes nummi ſint æquè ſemper commodi: quis enim neget Piſtolas v. g. ſive Doſpias commodiores eſſe ad iter agendum, quàm pecunias argenteas? & minutas commodiores eſſe ad dandas eleëmoſynas, quàm aureas? Eòdem reduci poteſt, quod moneta, quam dat Campſarius, diſſicillimè valeat eo pretio, quo illam dat in illo loco, etſi tanti valeat in loco vicino; quia ob laborem, & expenſas eò ferendi, poterit aliquid lucrari.

Neque obſtat, quod non liceat vinum, aut triticum vendere ultrà pretium legale loci, in quo venditur, eo ſolo titulo, quod facilè poſſit aliò transferri, ubi pluris valent; quaſi ideo neque id fieri poſſet in Cambio: quia in priori caſu eſt emptio, & venditio; in quibus ſolummodo attenditur ad æqualitatem valoris inter mercem, & pretium legale. In Cambio autem eſt permutatio, in qua etiam attenditur valor naturalis, qui non tollitur per legalem. Sic quoque id fieri poſſet in permutatione tritici melioris in minori quantitate cum tritico pejori in quantitate majori, etſi non poſſit ſeorſim tanti vendi pretio legali. Deinde, etſi commoditas emptoris vendi non poſſit, ut alibi annotavimus: tamen id ſolum verum eſt, quando illa commoditas oritur ex induſtria, & labore ementis; non itidem, ſi commoditas illa venit ex ipsâ re venditâ, dum cum ipsâ re ſimul venditur ejus commoditas: commoditas autem pecuniæ oritur ex ipſa pecunia, non autem ex induſtria Campſarii.

6. Ali-

Digitized by Google

6. Aliquid à Campſore recipi poteſt. ſi ſit timor, quod nummi, quos dat Campſarius, ſint reprobandi, aut etiam eorumdem valor ſit minuendus. Id enim ſpectat ad periculum damni, ad cujus cautelam, poterit ſeſe Campſor ſervare indemnem.

Quæres 1. an moneta deterior poſſit permutari cum meliori v. g. impura cum puriori, arroſa cum integra, ſi ſit æqualis valor legalis. Reſp. affirmativè, patet id ex communi ubique praxi, dum omnes monetæ ejuſdem valoris legalis non ſint æquè puræ, neque æquè integræ. Deinde, etſi hîc valor naturalis ſit inæqualis, & ideo pro puriori poſſit plus exigi, tunc conſiderari ſolent ſub ratione mercis, & non ſub ratione pecuniæ: poteſt interim eas accipiens, non accipere ſub ratione mercis, ſed ratione pecuniæ, & ideo æquali pretio puram, ac impuram recipere.

Quæres 2. an liceat commutare pecuniam, ubi plus valet, accipiendam in loco, ubi minus valet, v. g. aurei Romæ minus valent, quàm in Belgio. Reſp. De ſe videtur id eſſe illicitum, eò quòd plus accipiatur, quàm detur. Et licet quis poſſit emere alibi merces minoris, ut eas alibi vendat majoris: non tamen licet eas vendere eodem pretio, quo alibi æſtimantur: v. g. non licet vendere lanam tanti in Hiſpaniâ, quanti valet in Belgio: ita etiam non licet dare aureos in Belgio eo pretio, quo valent Romæ. Lugo tamen illud juſtificat titulo virtualis tranſportationis; eò quòd ille, qui dat aureos, ubi plus valent v. g. in Belgio, id faciat, quia illis in alio loco indiget, ubi valent minoris, v. g. Romæ, quò non poteſt eos facilè transferre.

Quæres 3. an poſſint famuli cambire pecunias Dominorum, quibus debent aliquid ſolvere, v. g. aureas pro argenteis. Idem quæri poteſt de depoſitariis, & aliis æris Præfectis. Reſp. Si non vellet Dominus tali ſpecie creditori ſatisfaçere, & gratificare, ſed idem eſſet, an tali, vel tali ſpecie ſolvatur, id famulis licebit; eò quòd hoc caſu lucrum illius permutationis, ſit fructus induſtriæ famulorum, neque alteri per illud ullum ſit præjudicium. Non facilè tamen id illis permittendum: ne fraudibus porta pandatur.

Quæres 4. an etiam ob pecuniæ venuſtatem, raritatem, &c. poſſit Campſor aliquid lucrari. Reſp. affirmativè, puta quia continet raram hiſtoriam; ſic pecuniæ cuſæ in tumultibus Belgicis, Neapolitanis, &c. magis ſolent æſtimari. Idem eſt, ſi eſſet pecunia Campſori admodum chara, quod ab Avis, aut Proavis accepta, &c.

Dividitur autem Cambium 1. in reale, & fictum, ſive ſiccum. *Reale* eſt vera, & legitima permutatio pecuniarum: & dividitur illud in minutum, ſeu manuale, & locale, ſive per litteras. *Minutum*, ſeu *manuale* eſt, quando pecuniæ præſentes permutantur cum præſentibus, parva pro magnis, vel contra. *Locale*, ſive *per litteras*, quando permutantur præſentes pecuniæ cum abſentibus ſecundùm locum, quando danti pecunias dantur litteræ, quibus alibi pecunias poſſit recipere. Fit verò aliquando, dante Campſore pecunias hoc loco, ut alibi eas recipiat; aliquando ipſo Campſore pecunias recipiente, ut alibi eam tradi procuret. Diviſio Cambii.

Cambium *ſiccum*, ſeu *fictum* eſt contractus habens quamdam ſimilitudinem Cambii; reverà tamen eſt mutuum palliatum, cùm neque permutentur per illum pecuniæ præſentes pro præſentibus, neque præſentes cum abſentibus quoad locum; ſed ſolummodo pro abſentibus quoad tempus; atque ita accipitur lucrum ob ſolam dilationem, puta pro expectatâ ſolutione, quod eſt uſura. Dicitur *fictum*, eò quòd fingantur adeſſe circumſtantiæ debiti Cambii, quæ reverà non adſunt. Hinc etiam dicitur *ſiccum*, quia caret humore debiti Cambii, ad ferendum fructum lucri, unde manifeſtè patet eſſe iniquum.

SECTIO II.

An Cambium locale, ſive per litteras ſit licitum.

Dupliciter, ut modò dictum eſt, poteſt fieri Cambium locale: ſemel Campſore dante pecunias hoc loco, ut eas alio recipiat: ſemel eas accipiente, ut eas alibi reddi curet: quæritur hîc, an utroque illo caſu tale Cambium ſit licitum. Et in primis notant DD. Cambium per litteras eſſe quaſi neceſſarium hominibus, qui ſæpè in uno loco pecuniis indigent, quas habent in alio loco, ſive ad aliquid in alio loco emendum, ſive ad habitandum, quas tamen ob aliquam legem non poſſunt transferre, aut ob pericula, aut laborem non poſſunt ita commodè, aut etiam, quia illa in tali loco non recipitur.

Quo titulo aliquid poteſt accipi in Cambio locali.

1. Igitur, dum Campſor ipſe prior pecunias recipit, à Campſario, ut eas alibi reddi curet, licitum eſt Campſori aliquid lucrari, idque titulo virtualis tranſportationis, dum Campſor quaſi nuntius per ſuam induſtriam illam virtualiter transfert de loco in locum, adeoque ut nuntius ex eo poteſt lucrari. Hoc equidem verum eſt, Campſorem non poſſe tantum lucrari, quantum nuntius reverâ pecunias transferens, idque ob majorem facilitatem in cambiente; veluti nauta non accipit tantum pro vecturâ, ac accipit auriga, quia communi æſtimatione non tantum meretur.

2. Hoc etiam fieri poteſt titulo aſſecurationis, dum Campſor non ſolùm transfert, ſed etiam promittit ſecuritatem: ſic etiam nuntius non tantùm pro tranſportatione, ſed etiam pro aſſecuratione poteſt aliquid accipere. Et quamvis Campſor alibi habeat pecuniam paratam, neque transferendo ullum ſubeat periculum; hoc illius induſtriæ eſt deputandum; & obligatio, quâ ſe obligat ad rem alterius alibi ſalvam aſſignandam, eſt pretio æſtimabilis, quod hîc ſufficit. Ex quo etiam ſequitur, quod quò iter eſt longius, aut quò majora ſunt pericula, majus poſſit eſſe & lucrum.

Quando autem Campſor pecunias prius dat, ut alibi eaſdem recipiat, etiam licitum eſt, aliquid cambiendo lucrari, idque ob eandem rationem. Et quamquam eo caſu, videatur Campſarius pecuniam tranſportare, adeoque non poſſit ratione aſſecurationis, aut tranſportationis aliquid accipere: tamen moraliter loquendo cenſetur etiam illud Campſor facere, cùm moraliter loquendo cenſeatur illa pecunia transferri, quæ uno loco datur, ubi indigetur, ut alibi

eadem

eadem reddatur, quæ eſt pecunia Campſarii. Et quamvis pecuniæ realiter transferri nequeant, quas nemo necdum accepit, poteſt tamen illa translatio fieri in æquivalenti, quia illud præſtat Campſor, quod æſtimatione morali tanti valeat, idque per anticipatam ſolutionem, ac ſi verè pecuniam tranſtuliſſet. Idem eſt, ſi v. g. rogem nuntium, ut pecunias mihi Lovanio huc transferat; ſi ipſe eam mihi hic numeret, antequam eam Lovanii acceperit, idem præſtat, ac ſi pecuniam tranſtuliſſet.

Deindè hoc etiam caſu aliquid lucrari poteſt Campſor ratione lucri ceſſantis, quod non poſſit pecuniâ cambitâ negotiari, dum quilibet ſe poteſt ſervare indemnem. Imo, teſte Leſſio, Campſores hunc titulum præcipuè attendunt; adeo ut, ſi deſit hic titulus, arbitrentur Cambia eſſe iniqua: parvi enim æſtimant pecuniæ trajectionem, & dictam aſſecurationem, qui tamen ſunt verè tituli principales ad lucrandum in Cambio reali. Et hunc titulum videntur illi promiſcuè confundere cum carentiâ pecuniæ, ob quam dicunt ſeſe lucrari, ubi tamen merè ob pecuniæ carentiam velle lucrari, eſt uſurarium, juxta ante dicta. Hoc tamen hîc ſtatuit Pius V. ne Campſores ab initio de lucro ceſſante paciſcantur, ſed ſtatuatur illud ex eventu futuro. Denique, hic quoque titulus non obtinet, quando Campſor prius accipit pecuniam.

Addunt hic alii, etiam hic poſſe lucrari ex eo, quòd detur pecunia in loco, ubi minus valet, & reddatur in loco, ubi magis valet, aut è contrà; imo & docent hanc communem eſſe Mercatorum praxim. Melius tamen alii negant hunc titulum, ſecluſis aliis, eſſe ſufficientem ad lucrandum, ex eo quod non ſervetur eo caſu æqualitas inter datum, & acceptum, dum datur minus, ubi minus valet, & è contrà ſicuti non poſſum permutare modium tritici æquè boni, reddendi alibi, ubi modius eſt major: ergo neque permutare pecuniam hîc, ubi minus valet, reddendam in loco, ubi pluris valet: ſicut enim valor, ita & menſura lege taxatur. Deinde, ſi cui commodavi aureum valentem 4. non poſſum velle reddi aureum, dum crevit ad 5. aut etiam velle 5. ſed ſolummodo 4. hinc, ſi alibi ſit illa Mercatorum praxis, abuſus ille eſt, & corruptela contra æquitatem naturalem.

Dicet aliquis, poteſt quis in Cambio minuto ob majorem commoditatem permutare pecuniam minoris valoris legalis, cum pecuniâ majoris valoris legalis; ergo ob eamdem rationem id fieri poteſt in Cambio locali, ſive per litteras. Reſp. Neg. conſeq. Ratio eſt, quod in Cambio minuto, ſimul ematur commoditas pecuniæ diverſæ materiæ: in locali verò, quando eadem eſt reddenda ſolummodo diverſa in valore, ſeu evaluatione, eſt tantùm commoditas transferendi, quæ hîc ſupponitur aliundè eſſe compenſata. Hinc, quamvis Wiggers dixerat, quod aliquid poſſet accipi ratione ejus, quod valor alibi ſit major, v. g. Leodii, quàm Antverpiæ, & quod poſſit reddi tantum, quanti pecunia ibi valeat: tamen, quod ratione ejus poſſit quid plus recipere, quàm ibidem valeat, dicit eſſe fundatum. Hinc S. Thomas Opuſculo 73. de uſuris cap. 14. ita ait: ***Aut mutuans exiſtimat dictam monetam plus valituram in***

Eee 2 *loco*,

Digitized by Google

loco, & tunc mutuans committit uſuram, quia lucrum ſperat ex mutuo. Aut mutuans nihil lucri ex mutuo intendit, ſive ex tempore, ſive ex loco, ſed tantùm ob favorem, & gratiam proximi hoc mutuat, & tunc nihil culpabile ex hoc incurrit. Ex quo patet merè ex eo, quod pecunia alibi plus valeat, non poſſe Campſorem aliquid lucrari.

Aſſignant ultimò juſtum lucrandi titulum, majorem, vel minorem pecuniæ copiam: etſi enim valor pataconis v.g. eſſet idem hîc, & in Hiſpaniâ, ſcilicet 48. aſſium: tamen accidentariè minoris æſtimatur in Hiſpaniâ; eò quòd pecunia ibi ſit copioſior, adeoque minoris æſtimetur, ſicuti etiam ex eo creſcunt pretia mercium. Fit autem hoc primò, quod alibi ſint plures petentes ad Cambium: ſicut enim multitudo emptorum inducit creſcentiam pretii, ita & Cambii, ex eo, quod pecunia tunc pluris æſtimetur. 2. Ex multitudine, vel paucitate Campſorum, qui quò ſunt plures, eò minoris æſtimatur pecunia, uti & merces, quando ſunt plures venditores, & è contrà. 3. Ex neceſſitate pecuniæ ad aliquem finem, v.g. ad gerendum bellum, ædificandum, &c. quo caſu etiam ſolet pecunia pluris æſtimari.

Quæres ulterius, an ſi Cambium ſit ad utriuſque commoditatem, poſſit alteruter aliquid lucrari. Caſus eſt: ſunt duo, quorum unus habet pecuniam Romæ, quam vellet transferri Antverpiam, vel contra; an alteruter poſſit inde aliquid lucrari. Reſp. ſi pecuniæ ubique habeant eumdem valorem, non poſſe. Nec enim id poteſt fieri ratione tranſlationis virtualis, quæ hîc eſt mutua, adeoque æqualis, uti & æqualis eſt utrobique aſſecuratio. Si tamen altera moneta alibi pluris valeat, poſſet alter aliquid plus accipere, ut fiat æqualitas, juxtà mox dicta.

Pro pleniori tamen intelligentiâ notari poteſt, duobus hoc potiſſimum modis poſſe fieri: ſemel, ſi uterque indicet, ſe alibi indigere pecuniâ: ſemel, ſi id quidem unus indicet, alter verò alibi indigens pecuniâ, nec illud indicans ab alio illo præveniatur. De illo modo priori jam modò eſt dictum. De alio modo verius apparet, quod ille, qui prævenitur poſſit aliquid lucrari. Ratio eſt, quod ad verum Cambium ſolummodo requiratur, ut pecunia verè detur in uno loco, & reſtituatur in alio, & illud fiat in gratiam petentis cambium, quod hîc fit: & merè eſt per accidens, quod alter alibi pecuniâ indigeat. v.g. habet Equum reducendum Lovanium, poteris pretium elocationis accipere, etſi debuiſſes Equum mittere Lovanium: hoc enim eſt per accidens, & ſpectat ad bonam fortunam mittentis: & ita habet praxis quotidiana.

E contrà, ſi Petrus volens ire Lovanium, illudque diſſimulans, à te conducatur, ut Equum reducat Lovanium, poterit Petrus pro pretio elocare ſuam operam: neque ideo poſtea id reſciens, poſſem aliquid plus exigere, etſi id ante potuiſſem, quando & Petrus potuiſſet id recuſare.

S E-

SECTIO III.
De Cambiis ad certas nundinas.

NUndinæ, ſive fora publica, & generalia, nihil aliud ſunt, quàm certâ anni tempora, quibus Mercatores, à diverſis partibus conveniunt, emendi, vendendi, vel liquidandi causâ. In diverſis Regnis, diverſis ſiunt temporibus. In Italiâ ſiunt quater in anno, in apparitione Domini, in Paſchate, in Auguſto, & in feſto omnium SS. Francofurti fiunt bis in annò, circà Paſcha, & circà Remigialia, Noſtrates vocant, *de Francfortſche miſſe*. Ab eo etiam famoſum eſt Cambium Francfordienſe. Quæritur, an Cambia ad ſimiles nundinas ſint licita, dum vident Mercatores, quanto tempore nundinæ illæ adhuc diſtent, ut conformiter plus, minuſvè lucrentur. Aliqui enim volunt id eſſe licitum, eò quòd non minus lucri ceſſantis adferat diſtantia temporis, quàm loci, ob quam vult quoque Pius V. poſſe aliquid plus accipi. Quid nundinæ.

Dicendum tamen, id eſſe illicitum. Et ratio eſt, quia in Cambio ſolummodo requiritur illud tempus, quod neceſſarium eſt ad transferendas litteras cambiales, aut ſolutionem procurandam; ſi ergo aliud tempus intercedat, ratione cujus plus accipitur, non fiet hoc ratione mutui, ſed vi cujuſdam mutui, in quo præcisè ob dilationem aliquid accipere ultrà ſortem, eſt uſurarium. Deindè, non poteſt aliquid ob dilatam ſolutionem carius vendi; ergo nec hîc aliquid ideo lucrari. Denique, aliàs videretur vendi tempus cujus nemo eſt dominus, niſi ſolus Deus. Cambia ad nundinas ſunt illicita.

Objiciunt hîc aliqui titulum lucri ceſſantis ratione cujus liceat hîc aliquid lucrari. Reſp. ſi ille titulus hîc verè adeſſet, nihil eſſet contra dicta, dum agimus merè de ſolâ dilatione ſecluſis aliis titulis. Deinde, lucrum ceſſans non habet hîc locum, niſi ex cambio quis verè prohibeatur lucrari; quod hîc non fit, cùm pecuniam illam tantum habeat expoſitam ad cambiendum, idque ad ſtatum: vel ad tempus, quod hîc facit; adeoque non poteſt dici, quod inde verè ceſſet lucrum: maximè cùm ſponte cum Campſario conveniat de illo termino uſque ad nundinas. Aliud eſſet, ſi verè foret in procinctu ad negotiandum cum illâ pecuniâ, quo caſu lucrum verè ceſſat ex cambio. Hinc Navarrus in Cap. *Navigandi*, docet antedictos Mercatores mortaliter peccare, uti & illos, qui datâ ad Cambium pecuniâ, aliam tamen habent, quâ poſſint negotiari, quos & ad reſtituenda lucra ita comparata docet eſſe obligatos. Unde ait: *Væ tot pœnitentibus, quos iſta via locupletarunt! quin & væ Confeſſariis, qui eorum audiunt, atque audire Confeſſiones non ceſſant, non jubentes eis deſiſtere, & ſic parta reſtituere: aut ſi juſſerint, & obſequi noluerunt, ad utrorumque damnationem eos abſolvunt.*

Duos inſuper titulos hîc alii proferunt ad legitimandum tale Campſorum lucrum, ſcilicet periculum ſortis, quod quò eſt major dilatio, cenſetur eſſe majus.

majus. Secundò, quod quò major eſt dilatio, plures petant ad cambium; atqui quò plures petunt cambia, eò magis creſcat cambiorum pretium. Quod ad primum titulum attinet, notandum eſt, ratione illius, in mutuo verius nihil accipi poſſe præcisè, juxtà alibi dicta; ergo nec in Cambio. Ad alium titulum reſpondet Malderus, non ſatis tutò id poſſe dici, eò quòd major copia eorum, qui volunt emere creditò, non faciat hoc in communibus mercibus, ut vendenti creditò liceat aliquid accipere ultrà latitudinem juſti pretii. Addit Soto, quòd id, quod procedit ex iniquâ radice, ſit etiam iniquum: quod autem plures cambia quærant ad longius tempus, eò quòd longius differatur ſolutio, eſt uſuræ radix, & occaſio.

Quæres, quare ſit potius æſtimanda diſtantia loci, quàm diſtantia temporis. Reſp. quia in diſtantiâ loci regulariter ſunt onera æſtimabilia in tranſlatione conjuncta, adeo ut eam diſtantiam conſiderare permittat etiam Pius V. quæ onera deſunt in ſolâ diſtantiâ temporis.

Cambium nundinis ad nundinas eſt illicitum.

Ex quo ſequitur, quòd Cambia de nundinis, ad nundinas ejuſdem loci non ſint licita, eò quòd Cambia fieri debeant inter pecunias verè loco diſtantes, & litteræ verè debeant transferri, ut eis viſis alio in loco fiat ſolutio; adeoque ſimile Cambium non eſt niſi mutuum, ex quo aliquid lucrari, eſt uſura. Aliud eſſet, ſi foret Cambium de nundinis ad nundinas diverſi loci, quo caſu id licitum eſſet titulo virtualis tranſlationis, & alia ad licitum Cambium requiſita ibi adſunt.

Quæres inſuper, an liceat cambire pecuniam præſentem cum futurâ ſecundùm valorem in ſequentibus nundinis. Reſp. ſi ſit utrimque æquale periculum creſcendi, vel decreſcendi pretii, eſt illud omninò licitum. Et quamvis valor pretii communiter conſiderandus ſit ex valore, quem habet tempore Cambii, tamen aliter id poteſt fieri ex mutuo contrahentium conſenſu, ſeſe illi periculo, ut aleæ ſubjiciendo. Si tamen hîc ſumatur aliquod pretium, quo creditur plus, minuſve futurum in proximis nundinis; non videtur hîc eſſe æqualitas, dum Campſor ſemper eſt in tuto aliquid lucrandi, & Campſarius ſe privat eâ ſorte, quam fortè habuiſſet, ſi Cambiorum pretia poſtea eſſent ferè nullo modo aucta.

Dices, ut judicetur de juſto pretio, non eſt conſiderandum, quale ſit pretium tempore contractûs, ſed quale ſit tempore traditionis; ergo etiam cambiri poteſt pecunia pro pretio futuro; ergo juſtum erit Cambium, ſi pretium taxetur, juxtà pretium, quod erit ſolutioni præfixum, etſi etiam videatur eſſe augendum, ita Lugo. Reſp. tamen neg. conſeq. Ratio eſt, quod in cambio non ematur pecunia pro pecuniâ, ſed commutetur cum lucro ratione virtualis trajectionis de loco in locum, atque tempore contractûs cenſetur una pecunia tradi pro aliâ, & conſequenter pro eo tempore cenſenda ſunt pretia cambiorum. Aliud autem eſt de emptione ad tempus futurum, in quâ cenſetur vendi res tamquam pro tali, vel tali tempore tradenda, quando etiam cenſendum eſt de rei pretio.

Quæ-

Quæres, an etiam liceant cambia ad ſecundas, vel tertias nundinas. Reſp. ſi Campſor ratione ejus quid plus exigat, quàm exegiſſet ad proximas nundinas, ſequitur ex dictis, id eſſe illicitum, dum præcisè ob dilationem ſolutionis aliquid accipitur, quod eſt uſura. Aliud eſſet, ſi foret idem lucrum, ac eſſet ad proximas nundinas, & de cætero eſſet juſtum Cambii pretium.

Quæres hìc, quodnam ſit juſtum Cambiorum pretium. Reſp. id, quod juſtâ lege taxatur: quod, quia rarò tali lege taxari ſolet, hinc illud cenſetur eſſe juſtum, quod communi Mercatorum conſilio ſine aliquâ fraude omnibus conſideratis ſtatuitur, puta conſideratâ copiâ, vel inopiâ pecuniæ, frequentiâ, & raritate Cambiorum; quibus attentis ſolet hebdomadatim diſtribui ſcedula cambialis pretii, quam vocant *cambiato*, & mitti ad diverſa loca, ut diverſa diverſorum locorum Cambiorum pretia poſſint à Mercatoribus dignoſci. Hoc tamen non ſolet adeo exactè obſervari, ſed ſæpè ex æquo poteſt variari. Pretium tamen illud, cùm fiat æſtimatione communi, magis alienum eſt ab omni privato affectu, ac fraude, etſi aliquando illa poſſent intervenire. Quid ſit juſtum pretium Cambiorum.

SECTIO IV.

De Cambio Biſantino, & Cambio cum recambio.

Cambium *Biſantinum*, ſeu *Placentinum* eſt Cambium, dum quis alibi ad Cambium accipit pecunias, illas (ut ait) redditurus alibi, ubi non habet occaſionem reddendi (ut Beſançoni, & Placentiæ fieri conſuevit) rogans, ut ipſe Campſor nomine ſuo per factorem ſuum ſibi ipſi reſpondeat, & ſic ſibi per recambium pecuniam ſuam ſibi recuperet. Quæritur, an ejuſmodi Cambium ſit licitum. Reſp. Malderus ait, hoc Cambium etiam in foro externo non carere ſuſpicione uſuræ, ut colligi poteſt ex Cap. *Navigandi.* Deinde, ſi Campſor putaverit Campſarium ibi habere veram reddendi occaſionem, poteſt cogere Campſarium ad ſtandum contractui. Denique, quod Campſor ſciens Campſarium non habere talem occaſionem, peccet contrà charitatem, per tales ambages Campſarium ex neceſſitate petentem pecuniam ducendo, & impenſis gravando. Hinc ſimpliciter loquendo, videtur tale Cambium eſſe ſiccum, ſeu fictum, & eſſe idem, ac ſi Campſarius vendat boves, quos mox à Campſore conducit; maximè ſi ſciat Campſor Campſarium non habere alibi pecuniam. Quid Cambium Biſantinum, ſeu Placentinum.

Si verò Campſarius petens, non habeat in alio loco correſpondentem, & petat ſolvi per correſpondentem Campſoris, juxta alios non videtur de ſe id eſſe illicitum, dum adſunt omnia ad Cambium requiſita, quia pecunia in alio loco ſolvitur: & quamquam ſolvatur per factorem Campſoris, nihil obſtat; quia ſicuti ad emptionem, & venditionem requiruntur duæ perſonæ, ſcilicet emens, & vendens; ita & in Cambio: ſed non deſinit ideo eſſe emptio, & venditio; eòquòd vendens ementi non habenti pecuniam, aſſignet amicum, qui pro emente ſolvat. Ergo nec deſinit eſſe Cambium, eò quòd Campſarius non habens

in

Cambium Biſantinum eſt ſiccum.

in alio loco commoditatem pecunias refundendi, acquirat eam commoditatem à Campſore. Hæc illi. Verumtamen alii rectius docent, Cambium illud generaliter reducendum eſſe ad Cambium ſiccum, hoc eſt, ad mutuum uſurarium ſub nomine Cambii palliatum. Ratio eſt, quod datio pecuniæ, neque Placentiæ, neque alibi verè facienda ſit, ſed tantùm in loco, ubi accipitur: & Campſarius nullam habeat voluntatem, aut neceſſitatem Placentiam eundi. Deindè factor ille, aut correſpondens Placentinus, unam & eamdem perſonam ſuſtinet cum Campſore, adeoque nullus eſt locus recambio, ſed ſolummodo eſt locus mutuo, quod falſo nomine dicitur eſſe Cambium.

Quid Cambium cum recambio.

Cambium verò cum recambio eſt illud, quando quis Antverpiæ v.g. accipit Cambium, cujus litteras oſtendit Romæ, ubi ille ad quem diriguntur, non vult eas admittere factâ proteſtatione; quo fit, ut Campſarius novo intereſſe, debeat remittere Antverpiam. Cambia illa, ſine Campſarii licentiâ, ac conſenſu ſunt irrita, & iniqua. Omnis enim contractus requirit liberum contrahentium conſenſum. Neque etiam Campſor habet ulteriorem actionem in Campſarium, quàm ad lucrum Cambii, non autem ad recambium, ejuſvè lucrum. Unde etiam non poteſt Campſor paciſci cum Campſario: quod ſi litteræ non admittantur Romæ, obligabitur ad intereſſe recambii: ſicuti nec uſurarius excuſabitur ab uſurâ, ex eo, quod mutuatarius in eam conſentiat. Sequitur quoque, quod non liceat obligare Campſarium ad Cambium, quod vocant *recurſæ*, quando Campſarius pecuniam illam Romæ ſolutam, ſuo intereſſe facit huc remitti: eò quòd pecuniâ ſolutâ Romæ, abſolutus ſit contractus Cambii: neque ad quid ultrà obligetur Campſarius: adeoque iniquè Campſor ad illud obligabit Campſarium, cùm obligatio illa ſit pretio æſtimabilis.

Quæres, an non liceat in Cambio pactum de intereſſe Campſoris, ſi Campſarius ſit in morâ ſolvendi. Reſp. Licere, prout id licitum eſt in aliis contractibus: quilibet enim poteſt ſeſe ſervare indemnem. Poterit autem id fieri de lucro certo pro incerto ſub æquali periculo poſtea ſolvendo. Imo etiam de ſe id licitum eſt fieri antea, etſi id vetet Pius V.

An Campſores juſtè recipiant ſuas proviſiones.

Quæres hîc ultimò, an Campſores juſtè accipiant ſuas proviſiones. Reſp. Proviſiones nihil aliud hîc ſunt quàm merces pro ſcribendo litteras, pro altero ſolvendo, litteras mittendo, nummos cuſtodiendo, &c. alii vocant *honoraria*. Reſp. Prænotandum eſt, eſſe triplex Mercatorum genus: 1. Qui alibi vendunt. 2. Sunt Campſores. 3. Qui pecuniam ſuam apud Banckarios habent repoſitam, qui eam illorum nomine exponunt, diſtrahunt, &c. ſimul habendo rationem dati, & accepti. Et hi olim erant omninò diverſi à Campſoribus, accipientes ab iis aliquod ſtipendium, quod ſtipendium accipiunt Campſores ipſi. Similes tamen Banckarii hîc, & alibi etiamnum ſunt in uſu. Similes ergo Banckarii poſſunt ab aliis recipere ſtipendium, à quibus habent repoſitas pecunias, ratione cuſtodiæ, laboris ſolvendi pro illis, habendo rationem dati & accepti, per modum elocationis operæ, dum dignus eſt operarius mercede ſuâ. Unde etiam patet, quod cùm illi in utilitatem Campſorum operas elocent, debeant

debeant ab illis proviſionem accipere, non à Campſariis. Inſuper, ipſe Campſor non poteſt ultrà pretium tranſportationis, & aſſecurationis aliquid accipere à Campſario ratione laboris pecunias mittendi, litteras ſcribendi, &c. eò quòd illi labores ſint Cambio intrinſeci; ſicuti Judex non poteſt ultra proviſionem ſibi debitam aliquid accipere ratione juſtæ ſententiæ datæ.

Peccant interim ſæpè ſimiles Banckarii, ſine conſenſu Mercatorum pecunias depoſitas exponendo : rationes dati, & accepti negligendo : pecunias cambitas levioris ponderis bitumine, aut urinâ ponderoſiores reddendo, & cambiendo : pecunias falſas aliundè acquiſitas, loco ſincerarum cambiendo, &c.

Ex dictis colligi poteſt, quouſque hîc requirantur in Cambio conditiones à Pio V. requiſitæ; requirentis 1. ac damnantis, omnia Cambia ſicca, in quibus fingitur alio in loco futura ſolutio, ubi tamen fiet in eodem loco. 2. Ne in Cambio reali præcisè ob dilationem aliquid accipiatur, aut paciſcantur : aut etiam ab initio paciſcantur de certo lucro. 3. Ne Cambia realia exerceantur ultra primas nundinas. 4. Ut in terminis ſolutionum ſtatuendis, habeatur ratio longinquitatis, ac vicinitatis locorum, in quibus debet fieri ſolutio.

Hanc Pii V. Conſtitutionem docet Leſſius fortè nuſpiam eſſe receptam quoad omnes circumſtantias, niſi quoad Cambia ſicca, quæ jure naturæ ſunt nulla. Notari tamen poteſt quoad hoc, & alia ante dicta de Bullis Pontificis, quod ſcribit Proſper Fagnanus in Cap. *Naviganti*, *de uſuris* in fine, ubi ita ait: *Quamvis in conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ non à conſenſu populi, ſed ab authoritate à Chriſto Domino ſummis Pontificibus attributa proficiſcuntur, admitti non poſſit propoſitio Navarri, & aliorum aſſerentium illas non ligare, niſi ſint uſu receptæ : tamen admittenda eſt alia propoſitio tamquam ſacris Canonibus conſentanea, & Doctoribus ubique recepta, quod per contrarium uſum cum ſcientiâ Papæ, & longiſſimi temporis curſu abrogari valeant..... nulla enim eſt lex poſitiva, quæ per contrariam conſuetudinem rationabilem, & legitimè proſcriptam abrogari non poſſit.*

SECTIO V.

De Locatione, & Conductione.

Locatio eſt contractus, quo aliquid conceditur ad uſum, vel fructum pro mercede. Ex parte concedentis eſt *locatio* : ex parte recipientis rem pro pretio, eſt *conductio*. Dicitur contractus, quo aliquid conceditur, puta res mobilis, vel immobilis, perſona, aut non perſona, dummodo alteri poſſit eſſe utilis, vel ad uſum, ut Equus : vel ad fructum, ut ager, Vacca, &c. *Merces* hîc eſt pecunia, aliter non erit locatio, ſed alius contractus innominatus. Habet igitur contractus locationis magnam affinitatem cum emptione; variè tamen ab eâdem differt : 1. Quod in emptione transferatur domi-

Quid locatio.

Differt locatio ab emptione.

dominum, locatione ſolummodo uſus, vel fructus. 2. Si res empta ante traditionem pereat, emptor debeat de pretio : ſi verò res locata ſic pereat, ſit liber conductor.

Quis, & quid poſſit elocari. Quærts 1. quis, & quid poſſit elocari. Reſp. generaliter ii locare poſſunt, & conducere, qui poſſunt emere, & vendere : & generaliter qui non poſſunt contrahere, non poſſunt quoque conducere, vel elocare. Aliqui tamen ſpecialiter à conducendo prohibentur, uti Milites, & Curiales, quibus vetitum eſt conducere agros ad colendum *L. Curiales. L. milites C. de locato.* Sic & Monachis, ac Clericis prohibitum eſt conducere prædia laicorum præcisâ neceſſitate, etſi poſſint ſuccedere conductori. *Cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi, de vit. & honeſt. Cler.*

Sic etiam omnis res, quæ vendi poteſt, poteſt elocari, niſi ſpecialiter interdicatur, qualiter ſit in domo viciná Magiſtro litterarum, quæ Fabro, aut alteri Magiſtro elocari non poteſt; etſi id non amplius videatur in uſu. Deinde, ſervitutes, etſi vendi poſſint, elocari tamen nequeunt : *locare ſervitutem nemo poteſt* : *L. locare ff. locati.* Sic & è contrà, quædem elocari poſſunt, quæ non poſſunt vendi, uti ſunt res pupillares : bona dotalia Uxoris. Res ſacræ, ut Calices, &c. ob reverentiam elocari non poſſunt : res Eccleſiæ jure Eccleſiaſtico elocari non poſſunt, ultrà triennium, alioqui locatio erit invalida, *Clement. Ambitioſa* : quod quidem tenet, ubi eadem Clementina eſt uſu recepta, nec per contrarium uſum legitimè obrogata. Et Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *Cap.* 11. Caſſat omnes locationes anticipatis ſolutionibus factas, nec illas intelligit validas in præjudicium ſucceſſorum, quocumque indulto non obſtante. Vetat inſuper elocare Juriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultatem nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus. Et Concil. Mechlinienſe ſub Matthia Hovio 1609. tit. 21. Cap. 111. declarat elocationes bonorum beneficialium à beneficiariis initas non diutius durare, quàm pro illo anno, in quo moritur, vel beneficium dimittit ipſe beneficiatus contrahens, niſi ab Ordinario, vel Capitulo, ſub cujus juriſdictione ipſa beneficia exiſtunt, fuerint confirmatæ. Cap. 1. vetat, decimas ultra triennium elocari : prata ſeparatim non ultra ſexcennium : terras arabiles non ultra novennium : neque contractus elocationum renovari poſſint, niſi finito biennio prioris contractûs, quoad decimas : quadriennio quoad prata, ſexennio quoad domos, & terras arabiles. Cap. 2. vetat ea aliter elocari, quàm poſt 3. proclamationes publicas debitè factas, & plus offerenti elocandum decernit, idque ſub idoneâ cautione.

Concilium Antverpienſe ſub Joanne Miræo 1610. tit. 21. Cap. 15. vult, ut omnes elocationes bonorum ſpectantium ad beneficia, aut officia Eccleſiaſtica, fiant cum cognitione, & approbatione Decani, & Capituli, quibus ſubſunt. Et Cap. 16. decernit, ut bona vacantium beneficiorum, & abſentium ſine placeto, elocet in ſuo diſtrictu Archipresbyter ruralis publicè plus offerenti. Cap. 17. vetat etiam conformiter ad ad Conc. Trid. elocationes

nes bonorum cujuſcumque beneficii, aut officii, anticipatis ſolutionibus factas, ſub pœna duplum reſtituendi ejus, quod acceptum erit.

Quæres 2. an res alicui elocata, poſſit ab illo elocari alicui tertio. Reſp. affirm. *Nemo enim prohibetur rem, quam conduxit, aliis locare, ſi nihil aliud convenit. Cod. de locato.* Idem permittunt Conſuetudines Antverp. *tit. de locatione art.9.* & aliæ paſſim. Debet tamen ſecunda elocatio fieri ad eumdem uſum, & perſonæ æquè idoneæ; adeo tamen, ut ſecundus conductor non teneatur obligatione perſonali priori locatori, ſed ſecundo ad ſolvendam penſionem. Dictum eſt *obligatione perſonali*, quia fructus in prædio nati, uti & res in domum elocatam illatæ, manent penſioni obſtrictæ obligatione reali, & penſioni hypothecatæ. Res uni elocata poteſt elocari alteri.

Quæres 3. an quando plures habent domum, vel fundum communem, & unus vult eum elocare huic perſonæ, vel ad hunc finem, alter autem eum vult elocare alteri perſonæ, aut ad alium finem, quis debeat prævalere. Reſp. prævalere illum, qui habet majus jus, ſeu majorem partem: aliàs, ſi ſint conditione pares, mittendæ ſunt ſortes, aut recurrendum eſt ad Judicem pro compoſitione. Elocatio verò facta ab uno ſocio, diſſentientibus aliis juſtâ de cauſâ, eſt invalida: quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Aliud eſſet, ſi diſſentirent ſine causâ, dum quilibet debet velle, quod alteri prodeſt, & ſibi non nocet; alioqui cenſeretur eſſe irrationabiliter invitus.

Quæres 4. ad quid obligetur elocator? Reſp. 1. Tenetur ut venditor aperire vitium rei elocatæ, unde infert S. Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 15. §. 6. Si quis locet rem vitioſam ſcienter, puta domum ruinoſam, vel Equum claudicantem, vel aliquid defectuoſum, peccare mortaliter, ſi inde ſecutum eſt, vel veriſimiliter ſequi poterat notabile damnum conductori, & teneri ad ſatisfactionem de damno ſecuto. Quænam autem hîc culpa requiratur, utcumque ex dictis de reſtitutione poteſt intelligi, ad hoc ut locator, vel conductor teneatur; puta lata, vel levis culpa, quia contractus illi cedunt in utriuſque utilitatem, non itidem leviſſima. Obligatio elocatoris

Secundò, tenetur locator ad ea omnia, quæ ſunt neceſſaria pro conſervandâ re conductâ; imo etiam ad expenſas utiles duraturas ultra tempus elocationis. Qui enim ſentit commodum, debet ſentire & onus. Dictum eſt *duraturas*, &c. Si enim ſint tantùm ad uſum conductoris, aut ad voluptatem, quæ ab uſu rei poſſunt ſeparari ſine detrimento rei, ad nihil tenebitur elocator, quia conductor illa ſeparare poteſt, & auferre. Adde tamen, niſi aliter conventum ſit, aut aliud alibi habeat conſuetudo. Hinc deducunt, quod locator Equi debeat refundere expenſas factas à conductore, qui ægrotus fuerat abſque culpâ conductoris; niſi fortè conductor convenerit de ſuſtinendo tali onere, quando & onus illud debet compenſari, ponendo minus pretium elocationis.

Conſuetudo autem Antverp. ſtatuit quoad elocationes domorum, quod loca-

Digitized by Google

locator debeat domum conſervare in tecto, & muris, muniendo eam contra ventum, & aquam, cloacas purgando, caminas verrendo; portas, ac feneſtras clauſurâ providendo. 2. Quod conductor ſuis ſumptibus poſſit domum ſuis uſibus adaptare ſine detrimento domûs, ac ſine ſumptu locatoris, ita ut domo exiens eam debeat collocare, & relinquere in eodem ſtatu. 3. Quod conductor exiens poſſit auferre, ac detrahere quod domui adjecit ad ſuum commodum, ſed ſine damno domûs, niſi locator vellet id, quod adjectum fuerat, ſuo ſumptu recipere, & conſervare, ad arbitrium boni viri æſtimandum, aut niſi aliter in contractu ſit conventum.

Tertiò, debet quoque elocator ad onera & tributa domui vel alteri rei elocatæ impoſita, niſi aliter ſit conventum, vel aliud habeat Patriæ conſuetudo. Hinc dicitur *ff. de viâ publ. conſtruat vias publicas unuſquiſque ſecundùm propriam domum, & aquaeductus purget, qui ſub dio ſunt, & conſtruat ita, ut non prohibeatur vehiculum transſire. Quicumque autem mercede habitant, ſi non conſtruat dominus, ipſi conſtruentes computent diſpendium in mercedem.* Ratio eſt eadem, quod qui ſentit commodum debeat ſentire & onus. Si verò tributa imponantur fructibus rei elocatæ, non ipſi rei, ea debet ſolvere conductor, qui ſentit fructuum commodum. Verum hoc caſu perinde eſt, quis onera ſolvat, locator, an conductor, dum conductor eò minus dat pro mercede, quod pro tributo fructuum.

Non poteſt locator conductorem expellere durante tempore elocationis, eò quòd per contractum elocationis conductor jus habeat ad utendum re elocatâ per certum tempus; adeoque ſine injuriâ non poteſt in eo impediri. Imo alibi, ut hîc Antverpiæ *de elocat. num.* 6. ſtatuitur quod ne quidem proprietarius poſſit inquilinum, ſive conductorem domûs expellere, etſi ipſe eam vellet intrare ad habitandum, aut pro toto, vel parte eam vellet reparare, aut deſtruere. Varii tamen ſunt tituli, quibus de jure communi liceat repellere conductorem: 1. Si conductor ad 5. annos ſaltem per biennium non ſolverit; quia frangenti fidem, fides frangatur eidem. *L. cum dominii ff. de locato.* 2. Si locatori incipiat domus eſſe neceſſaria ad habitandum, v. g. ſi locatoris domus inopinatò corruat, comburatur, nec commodè poſſit aliam invenire. *L. æde, quæ C. de locato.* 3. Si domus debeat reparari, quod nequit fieri inhabitante conductore. *L. æde* jam citatâ. Tenetur tamen elocator penſionem ad ratam temporis remittere, aut ſaltem conductori providere de domo æquè congruâ. *L. cum in plures ff. locati.* Par enim non eſt, ut conductor abſque ſuâ culpâ ſentiat incommodum penſionis. 4. Si conductor domo abutatur, aut re aliâ conductâ, v. g. inferendo in domum meretrices, &c.

5. Non poteſt locator rem elocare ad eâ abutendum, v. g. domum lenonibus, ac meretricibus. Unde *Authent. de lenonibus* §. *præconiſamus* dicitur: *Si quis patiatur in domo ſuâ quemdam lenonem, & hæc denunciata cognoſcens, non ex domo ſuâ expulerit, ſciat ſe, &* 10. *librarum auri ſuſtinere pœnam, & citrà ipſam perditurum habitationem.* Si enim alteri non liceat rem vendere, aut

aut etiam reddere rem propriam, qui noſcitur eâ abſurus: nec etiam licet rem eo caſu alteri abuſuro elocare. Dant enim illi moraliter loquendo alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis. Neque objici hîc poteſt, quod alteri elocare non poſſit quis domum ſuam, & conſequenter damnum rei ſuæ ſit paſſurus: quia, ut ait S. Hieronymus in illud Evangelii, *ſi manus tua, vel pes tuus, &c.* melius eſt, ut emolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrifacere, cauſam habeas ruinarum.

Quæres 5. ad quid obligetur conductor. Reſp. Primò obligatur, ut non poſſit uti re locatâ ad alium finem, quàm ad quem eam conduxit, niſi aliud conſtet, aut rationabiliter præſumi poſſit de conſenſu locatoris. Quilibet enim ſtare debet conventioni, ac ejus obligationi. Unde *Juſtinianus lib.* 4. *Inſtit. tit.* 1. *de obligat.* §. *furtum*, ita dicit: *Si is, qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quàm cujus gratiâ ei data eſt, furtum committit: veluti ſi quis equum geſtandi causâ commodatum ſibi longius aliquò duxerit.* Additum eſt, *niſi aliud conſtet, &c.* quia ſi conductor rationabiliter præſumat, quod locator non diſſentiet, poterit re locatâ ad alium uſum uti. De quâ re plura de commodato agendo. Obligatio conductoris.

2. Non poteſt rem conductam ante tempus dimittere abſque juſtâ causâ. Ratio eſt, quod conductor teneatur ſtare contractui, nec ab eo ſine juſtâ causâ poterit reſilire. Subſiſtente verò causâ juſtâ, poterit rem illam dimittere; v. g. ſi equus tempore locationis ſine culpâ conductoris ægrotet, domus conducta ſine ejus culpâ ex parte corruat, ſi propter bella domum nequeat inhabitare, &c.

3. Debet conductor eamdem numero rem expleto elocationis tempore locatori reſignare; ratio eſt, quod per contractum elocationis non transferatur dominium rei elocatæ in conductorem, ſed ſolummodo detur rei uſus ad certum tempus, quo proindè elapſo, tenetur rem elocatam reddere. Si verò conductor rem inhabitare, aut uti illâ pergat poſt tempus elocationi præfixum, cenſetur iteratò rem conduxiſſe, prout expreſsè ſtatuunt Conſuetud. Antverp. *titulo* 59. *art.* 12. Lovanienſ. *tit.* 1. *art.* 12. Bruxellenſ. *art.* 127.

4. Tenetur tempore conſtituto ſolvere penſionem elocationis in contractu conſtitutam. Quando autem ſolvi debeat, ex conventione, aut loci conſuetudine debet disjudicari. Si verò neutrum hîc aliquid dictet, volunt aliqui elapſo anno, quoad prædiorum, ac domorum elocationem eſſe ſolvendum. Quod ſi conductor non potuerit uti re conductâ, videndum eſt, an id acciderit conductoris culpâ, an ſine illâ, v. g. ob bellum ſuperveniens, &c. ſi enim id factum ſit ſine culpâ conductoris, non tenetur ſolvere penſionem ad ratam temporis, quo non potuit eâ re uti. Conductor enim non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad ſolvendam penſionem pro eo tempore, neque contractus obligant ultra intentionem contrahentium. Et ita decernitur *L. habitatores* §. *ult.* & *L. ſi fundus ff. locati.* Si verò impedimentum ſupervenerit ex parte conductoris, tenebitur ille omninò ſolvere penſionem: neque enim æquitas patitur, ut locator

cator debeat pati damnum ob culpam conductoris: & ſicuti non debet conductor ſolvere penſionem, quando impedimentum ponitur non utendi re locatâ ex parte locatoris: ita par eſt, ut locator percipiat penſionem, quando conductor non potuit uti re conductâ ob impedimentum proveniens ex parte conductoris. Quod ſi impedimentum proveniat ex parte rei conductæ, idem eſt, ac quando impedimentum provenit ſine culpa conductoris.

Ex dictis inferunt Authores, 1. teneri conductorem ad ſolvendum pretium domûs elocatæ, qui tempore elocationis aliò pergit: qui eo tempore matrimonium init, ratione cujus debet ampliorem domum conducere. 2. Quod, qui conduxit operas famulorum pro menſe, & ob ſuam culpam non eſt uſus illorum operâ, teneatur ſolvere famulis ſtipendium elocationis: ſi verò intereà famulus inſerviſſet alteri pro pretio, volunt alii id à primo conductore poſſe detrahi, qui ſatisfacit famulum ſervando indemnem. 3. Inferunt, quod ſi quis nequeat inhabitare domum, quia infeſtatur ſpectris, non teneri pro eo tempore ad ſolvendum, eò quòd impedimentum proveniat ex ipsâ re ſine culpâ conductoris. Idem alii habent de caſu peſtis vicinæ, niſi aliud habeat loci conſuetudo. 4. Quod conductor non debeat ſolvere, ſi hoc delictum locatoris domus addicatur Fiſco. Notandum tamen, quod ceſſante impedimento teneatur conductor contractum continuare, ſi necdum tranſactum ſit tempus elocationis. Deinde, ſæpè obtinet conſuetudo, ut pretium elocationis totum ſolvi debeat, etſi ob impedimentum aliquod re locatâ uti non potuerit conductor, uti locum id habet in naulo navigantium, quod etiam totum ſolvi debet, ſive ob tempeſtatem, ſive ob Pyratas, ſive aliunde impedimentum evenerit.

Quæ remiſſio penſionis facienda conductori.

Quæres 6. an in caſu ſterilitatis debeat locator remittere de pretio elocationis colono. Reſp. In primis, ſi damnum ſit modicum, quod ratione exercitûs, grandinis, &c. paſſus eſt colonus, nihil eſt remittendum: quia ſicuti dum plus accipit aliquot annis, nihil ob fertilitatem erit augendum: ita nec ob ſterilitatem erit aliquid remittendum. Si verò damnum ſit magnum, omninò aliquid erit remittendum, quia æquum non eſt, quod colonus, & ſemen, & operas perdens, debeat inſuper dare mercedem. *L. ex conducto*, §. *ſi vis ff. locati:* quænam autem debeat dici magna ſterilitas, non conveniunt Authores: alii eam magnam volunt, quæ talis vulgò æſtimatur: alii, quando fundus non dat medios fructus, quos dare conſuevit: alii, quando detracta expenſarum æſtimatione, & ſemine, non ſuperſunt fructus, qui ſufficiant ad dimidiam penſionem perſolvendam.

Talis tamen remiſſio fieri non debet, ſi aliter ſi conventum de omni caſu fortuito, quando etiam ob illud onus debet ager v. g. minoris elocari. Deinde, ſi ager ſit elocatus pro medietate, aut alia parte fructuum, ſolummodo facienda eſt diviſio de illo, quod ſupereſt, quia hîc eſt æquale periculum. Denique, ſi damnum illud, vel antecedentium, vel conſequentium annorum fertilitate compenſetur. Cæterum, ut evitetur remiſſio, aut colono inutilis reddatur

actio

actio ex conducto, quidem adhibent hanc cautelam, quod ſcientes exercitum appropinquare, curent intimare colono, ut ſua tempeſtivè ſalvet, & in tuto ponat, additâ proteſtatione, quod ſi de eo certioratus in damnum incidat, jam illud non evenerit per vim majorem, ſed per coloni negligentiam, quam proindè colonus, non elocator tenetur luere. In Belgio ex *Edicto* 31. *Octob.* 1587. habetur, remiſſionem in hiſce caſibus faciendam eſſe ad arbitrium Judicis formandum ex dictamine juris, cauſarum circumſtantiis, facultate colendi, fructuſque percipiendi, reſervatâ Regi facultate interpretandi, ſi quæ obſcuritas ſeſe obtulerit.

Quæres 7. quinam ſtare debeant elocationibus ab alio factis. Reſp. In primis pupilli ſtare debent elocationibus à tutore factis, dum eæ factæ cenſentur nomine pupilli; ita tamen, ut ſi ſentiant ſeſe gravatos, uti poſſint beneficio reſtitutionis in integrum. Idem eſt de conductionibus factis Rectoribus Collegiorum, Hoſpitalium, Uxoris reſpectu Mariti. Si verò Beneficiarius, aut Prælatus elocet ſua bona ad propriam utilitatem, non debet illi ſtare ſucceſſor, ſed extinguitur cum alterius vita. Si verò id factum ſit nomine communitatis, & in illius utilitatem, debet ei ſtare ſucceſſor, ita tamen, ut ſi communitas ſit læſa, poſſit quoque uti beneficio reſtitutionis.

Stare quoque conductioni factæ tenetur ſucceſſor univerſalis, ſive qui in omnia locatoris bona, ac jura ſuccedit. Particularis verò, qui jure particulari ſuccedit locatori, v.g. emptor, donatarius, legatarius de jure communi non tenetur ſtare conductioni, ſeu elocationi factæ ab eo, cui ſuccedit. *L. emptorem C. de locato.* Et ratio eſt, quod ſucceſſor particularis non repræſentet perſonam locatoris; nec ejus obligationes in ſe ſuſcipiat. Moribus tamen totius ferè Belgii tenetur emptor ſtare elocationi ab altero factæ, adeo ut hîc ſit vulgare dictum: *Huer gaet voor koop.* Illud tamen cum aliis ita interpretatur Groenweg. *Cod. lib.* 4. *tit.* 65. *leg.* 9. *emptorem*, ut tantummodo illud procedat, ſi locatio coram judice rei ſitæ ficta ſit; aut, ſi privato contractu, quatenus, ut plerumque fieri ſolet, locatio eſt infrà decennium. Cæterum, ſi ad longum tempus privatim fundus locatus ſit, aliud dicendum exiſtimat; quia hujuſmodi locationem, quatenus longum tempus excedit, viribus non ſubſiſtere Hollandiæ Curia cenſuit. In locatione enim longi temporis eadem ſolemnitas intervenire debet, quæ in alienatione, cujus naturam induit, atque ſortitur ex communi Doctorum ſententia. Ita ille.

Quæres 8. quid dicendum de elocatione Famulorum, Ancillarum, Operariorum, &c. Reſp. quod ex juſtitia benè laborantibus debeatur debitum ſtipendium, dignus eſt enim operarius ſuâ mercede: & peccatum eſt in Cœlum clamans, defraudare mercedem Operariorum. Cùm verò juſtum ſtipendium debeatur ſolummodo laborantibus, etiam non ritè laborantibus non debetur integrum ſtipendium, quia ſtipendium correſpondet labori, adeo ut ipſe ſervus non poſſit plus in conſcientia exigere, aut retinere, quam laborando mereatur; & verè furetur illud, quod non laborando, vel otiando acquirit. Si enim dominus

Elocationes famulorum, ancillarum, &c.

minus

minus debeat illi ad æqualitatem laboris ſuperaddere, quare non deberet etiam ille reddere laborem ſtipendio? aliud hîc eſſet, ſi famuli minori ſtipendio ſint contenti. Dum verò famuli ſeſe Dominis elocant, ut reddat ſtipendium pro libitu, non ſatisfacit Dominus quodcumque reddendo pro labore, ſed tenetur reddere ſtipendium labori correſpondens, pro quo cenſetur ſe Famulus Domino elocaſſe. Stipendii verò æquitas deſumi poteſt ex prudenti judicio, habitâ ratione obſequiorum, conſuetudinis, temporis, ac aliarum circumſtantiarum. Sic aliqui ſeſe elocant pro ſolo victu, uti pueri: alii pro victu, & mercede: alii pretium ſuperaddendo, ut ſunt illi, qui ſeſe tradunt artificibus, ad diſcendas artes. Ubi obſervandum eſt, peccare graviter conductores, & conductrices, quæ pueros ad laborem ſummum adigunt, & vix pane eoſdem ſatiant: qui artem alios edocere negligunt; qui ad alios uſus, quàm ad quos conducti ſunt, famulos adhibent, niſi illud aliunde compenſetur.

Quæres 9. quid ſi famuli necdum expleto elocationis tempore recedant, aut eos Domini de domo ejiciant? Reſp. Si Dominus ante illud tempus famulum ejiciat, tenetur Dominus famulo tradere integrum ſtipendium, niſi fortè obſtet graviſſima cauſa. Debet enim conductor ſolvere penſionem, dum non eſt uſus re conductâ ob ſuam culpam. Neque hîc ſatis eſt adeſſe aliquam famuli culpam, cùm oporteat compati infirmitatibus famulorum, & aliàs quivis facilè prætexeret culpam famuli, ad mercedem denegandam. Famulus verò diſcedens ante finem anni v. g. ſolummodo carere debet mercede, quæ correſpondet tempori, quo non ſervit; dum tempore præterito, quod dignè inſervivit, dignus fuerit ſuâ mercede. Aliud tamen fieri poſſet ex conventione, aut aliud dictare poſſet Patriæ conſuetudo. Sic dicta apud nos non adeo obtinent, etſi in Hollandiæ partibus etiamnum teneant

Quæres 10. an tempore morbi, Famuli, & Ancillæ lucrentur ſua ſtipendia. Reſp. Etſi aliqui velint cum Sylveſtro V. *Familia* deberi eo caſu alimenta, & modicas expenſas, ac neceſſarias: tamen verius eſt, ſeclusâ conventione, ac conſuetudine, non deberi pro eo tempore ſtipendium, quod tantummodo ſolvendum eſt propter operas quotidianas, neque conductor tenetur penſionem ſolvere, dum non poteſt uti re elocatâ ob culpam locatoris, aut aliam ob cauſam ex parte rei conductæ provenientem. Neque aliâ ſtrictâ obligatione tenetur de ſuo inſervire Dominus Famulo ægrotanti, niſi fortè ex charitate, ſi eſſet in gravi neceſſitate, aut extremâ. Videtur tamen lex charitatis fortius hîc ligare Dominum, quàm alium extraneum; maximè, ſi famulus fideliter inſerviat, qualem Dominis commendat Sapientia æterna. Peracto morbo, non tenetur Famulus ſuperaddere tempus ægritudini correſpondens, ſed elapſo termino elocationis ceſſat & obligatio inſerviendi. Neque etiam illorum ſtipendia augenda ſunt ex eo, quod perſonæ familiæ, cui inſerviunt, multiplicentur, niſi fortè ſtipendia ſtatuta ſint pro quolibet capite: quando autem ſolvenda ſunt ſtipendia per modum unius, ſtipendia non ſunt augenda; uti neque ſunt minuenda, quando perſonæ minuuntur, quod & uſuve-

Digitized by Google

uſuvenit in Medicis, & Barbitonſoribus Monaſteriornm. Si tamen nulla, aut modica foret apparentia numerum perſonarum diminuendi, ſed paulatim augerentur, æquitas poſtulat, ut & ſtipendia conformiter augerentur.

SECTIO VI.

De Feudo, & Emphyteuſi.

FEudum à fœdere, vel à fidelitate, ac fide, quam domino præſtare debet Vaſallus ſic dictum, eſt conceſſio rei immobilis quoad dominium utile pro fidelitate, & obſequio perſonali, quod Vaſallus tenetur domino exhibere. Quid Feudum.

Emphyteuſis, quod idem latinè ſonat, ac *inſitio*, ſeu *implantatio*, eò quòd terræ incultæ, & implantatæ aliquibus concederentur, eâ conditione, ut eaſdem colerent plantando, arando, &c. & quas utili tantùm dominio poſſiderent, eâ lege, ut proprietario ſolveret quotannis aliquam penſionem in recognitionem dominii directi. Tali modo bona Brabantiæ pars data fuit olim Abbatiis, & ab eiſdem etiamnum aliis ſolet concedi, quo fit, ut olim crucata, modò appareat fructifera, & ſilveſtris. Poſtea verò, non tantum terra inculta, ſed & culta, data fuit in Emphiteuſim, idque ſive ad tempus, ſive ad vitam. Unde ſolet definiri, eſt contractus, quo res aliqua immobilis quoad dominium utile alteri conceditur, pro reali penſione certo tempore proprietario perſolvendâ. Quid Emphyteuſis.

Emphyteuſis convenit cum Feudo, quod utrobique concedatur res immobilis, & quidem quoad ſolum dominium utile: quod inconſulto Domino rem alienare non poſſint, aliàs res caderet in commiſſum. Differunt tamen, quod in Feudo penſio ſit perſonalis, in Emphyteuſi ſit realis. A locatione ambo differunt, quod in eâ non transferatur dominium utile, ſed ſolummodo uſus aut fructus: quod locatio non poſſit eſſe ultrà decennium, aliàs erit Emphyteuſis: quod locatio ſit etiam in re mobili; hæc autem tantum habeant locum in re immobili. A venditione hæc differunt, quod in eâ transferatur dominium utile, ſimul ac directum. A cenſu reſervativo, quod in eo plenum dominium transferatur in cenſualiſtam, reſervatâ penſione annuâ, neque etiam, quod ſi penſio illa infrà 3. aut 4. annos non ſolvatur, non ideo cadat in commiſſum.

Porrò, Emphyteuſis eſt varia: alia perpetua eſt, temporalis alia, puta ad vitam unius, vel duorum. Alia inſuper eſt Eccleſiaſtica, id eſt, quæ eſt in re, cujus dominium directum ſpectat ad Eccleſiam, de quâ proindè judicare, ſpectat ad eamdem; ſic tamen, ut ſi laico illa concedatur, de eâ judicare debeat Judex ſæcularis quantum ad dominium utile; adeo ut etiam ex illâ tamquam è re laicâ debeatur Principi tributum. Alia prætereà eſt Emphyteuſis hæreditaria ſimpliciter, quæ ſolet concedi omnibus omninò hæredibus, etiam extraneis futuris: alia eſt hæreditaria mixtè, quæ conceditur pro aliquibus hæredibus, non tamen omni- Diviſio Emphyteuſis.

Digitized by Google

omnibus: alia denique eſt Emphyteuſis familiaris, id eſt, quæ datur omnibus, aut aliquibus de familiâ, etſi etiam non ſint hæredes.

Ad Emphyteuſim generaliter eſt attendenda conſuetudo loci, & contrahentium conventio. Ad eam tamen ſpecialiter requiri ſolet ſcriptura, etſi non abſolutè, ut docet Gudelinus *de jure noviſſ. l.* 3. *cap.* 7. Deinde, ut Emphyteuta in recognitionem dominii directi ſolvat penſionem in conventione aſſignatam; adeo ut, ſi 3. annis in laicâ, vel 2. in Eccleſiaſticâ non ſolverit, cadat in pœnam commiſſi, & dominium utile miſceatur cum directo, & amittat rem cum omni ſuâ melioratione. Excipe tamen, niſi dominus ſit debitor,& ita per retentionem penſionis fiat compenſatio: etiam, ſi Emphyteuta offerat, & per dominum ſtet, quo minus recipiatur penſio: vel denique, ſi novus hæres ignoret rem eſſe Emphyteuticam, quia ubi nulla eſt culpa, ibi nulla eſt pœna. Si verò res illa ad plures devenerit, & unus non ſolvat aliis ſolventibus,omnes cadent in pœnam commiſſi, quam tamen pœnam alii facilè poſſunt evadere, ſolvendo parum plus, aut unus pro alio deficiente,& poſtea contra illum agat, qui nòn ſolverit.

Requiritur inſuper, ut Emphyteuta non ſolùm debeat poſſidere rem quoad dominium utile, ſed etiam illam debeat meliorare, unde etiam dicitur *inſitio*, ſeu *implantatio*, ait Gudelinus ibi ſuprà. Denique requiritur, ne Emphyteuta inconſulto domino rem alienet per venditionem, aut jus ſuum utile vendat, aut ad 10. annos elocet, aut alteri tradat in Emphyteuſim: aliàs ſi hîc dominum non conſulat, res cadit in commiſſum. In Galliis tamen Emphyteuta non ſuſtinet pœnam commiſſi ob omiſſam in alienatione denuntiationem; cùm liberum ſit ipſi domino directo, per retractum, fundum alienatum ſibi vindicare. Ita ex aliis Cabaſſutius *theor. lib. 6. cap. xi. num.* 19.

Similia ad feudum paſſim ſunt requiſita, ut conſtat ex dictis. Ubi hoc notari poteſt, quod in dubio, an fundus ſit allodialis, an feudalis, præſumendum ſit, eum eſſe allodialem, eò quòd feudalitas ſit quædam ſervitus, quæ non præſumitur, niſi probetur. Poterit tamen illa probari ex aliis conjecturis, v. g. quod à Principe petierint licentiam alienandi, quod vaſalli id teſtentur; quod aliquando pro illis bonis onera ſint ſoluta, &c. Regulariter quoque in feudo ſuccedunt maſculi, & quidem illi ante alios,qui ſunt ex priori matrimonio. Moribus noſtris in ſucceſſione feudi præfertur filius primogenitus: filiis deficientibus, ſuccedit filia primogenita. Deficientibus deſcendentibus frater natu maximus, ſoror aliive, aut adſcendentes, aut collaterales ſuccedunt eo ordine, quem cuique loco præſcribunt conſuetudines. Ita Groenwegen *de feudorum conſuetud. lib.* 1. *tit.* 1. addens, ultrà decimum ex latere gradum non progredi, ſed eo gradu deficiente Fiſco applicari. Prætereà, Clerici poſſunt eſſe poſſeſſores feudi, maximè per ſubſtitutum, ſi perſonale ſervitium non requirat; ſic tamen, ut de illâ re apud Judicem ſæcularem poſſint conveniri, eò quòd natura cauſæ trahat ad ſe perſonam, non è contrà, & natura feudi ſit ſæcularis: adeo ut in hoc eventu videatur ceſſare privilegium Canonis. In Belgio tamen olim anno 1366. ſtatutum eſt, ne Clerici ſine ſpeciali licentiâ poſſint acquirere feuda. Codex

Unde probetùr feudalitas.

An Clerici poſſint poſſidere feuda.

Be'g.

Belg. V. *Leenen*, *num.* 40. an verò manus mortuæ ſuccedere hîc poſſint in feuda, meritò dubitatur. Anſelmo *Trib. cap.* 50. *num.* 20. ait, rationem eſſe dubitandi, quod quædam Monaſteria in Brabantiâ habeant privilegium à Principe, ut poſſint acquirere immobilia ſine juriſdictione, ex quo videtur ſequi, quod etiam acquirere poſſint feuda. E contra facit, quod nomine bonorum immobilium, hîc non comprehendantur feuda, eò quòd ſint alterius conditionis, & naturæ, ac diverſo jure cenſeantur. Adde, quod cùm Eccleſia numquam moriatur, ſucceſſio ejus de conſuetudine reprobetur, dum numquam feudum ad dominum poſſet reverti, & conſequenter, quod non videatur Princeps voluiſſe præjudicare Domino, cujus conditio eâ ratione fieret deterior. Unde ulterius ex Molinæo infert dictus Author, quod vaſallus non poſſit feudum alienare manui mortuæ, ſed debeat illud alienare perſonæ æqualis conditionis, & æquè idoneæ ad præſtanda fidelitatis obſequia, & alia dominicalia jura ſubeunda. Denique addit in hunc modum: *R.^{di} Patres Illuſtriſſima Societatis ob bene merita in Eccleſiam, & Rempubl. particularia à Principe obtinuerunt indulta, quibus capaces facti ſunt, acquirendi bona ſtabilia allodialia, juriſdictionem non habentia: unde feuda? dubito.* An manus mortuæ ſuccedere poſſint in feuda in Belgio.

Poſſunt autem feuda in Brabantiâ teſtamento relinqui, cui teſtatori lubet, uti etiam de illis inter vivos diſponere. Aliud eſt in Flandria, ubi etiam expreſsè ſtatuitur, ne quis feudum vendere poſſit, ſine indulto Principis, idque ſub certa forma. Amittitur verò feudum, ſi dominum neget, ſi feudi conditiones non obſerventur, ob ingratitudinem, &c. quæ recenſetur de feudorum conſuetudinibus, ubi, etſi etiam inter alia habeatur, quod ob omiſſam petitionem inveſtituræ feudum amittatur, tamen id moribus noſtris non obſervari, tradit Groenwegen ex aliis ibid. tit. 5. ſed hujuſmodi negligentia duplici Laudemio redimi ſolet, prout ait reſcripſiſſe Curiam Hollandiæ feudalem. Et in Galliis non privatur vaſallus feudo, nequidem in caſu rebellionis, quam vocant *felonnie*, niſi poſt ſententiam Judicis: ſi verò rebellio eſſet læſæ Majeſtatis, privatur ipſo facto. Cabaſſutius ſupra ex aliis. Invitis quoque Domino, & agnatis poteſt vaſallus feudum alienare, & hypothecæ ſubjicere; modò nova inveſtitura fiat coram Domini Vicario, & Paribus Curiæ. Chriſtinæus *Vol.* 1. *deciſ.* 268. *num.* 6. Specialiter tamen ſtatuitur, ne feuda alienari poſſint, niſi coram Judicibus, ſeu dominis feudalibus. Codex Belg. V. *Leenen num.* 5. deinde, quotieſcumque Dominus mutuatur, aut vaſallus, toties feudum debet relevari, idque intra annum, & diem jure communi; hodie inter 6. ſeptimanas: quando & præſtandum eſt juramentum fidelitatis, à quo tamen libera eſt Eccleſiaſtica, quæ hîc pro ſe debet ſubſtituere aliquem, quem vocant *den ſterf-man*, hominem morientem; quo mortuo iterum facienda eſt relevatio. Plura de illis videri poſſunt apud Zypæum *Notit. juris Belg. tit. de feudis*: concludentem in fine, quod quia variatur ubique admodum hæc materia, ſpeciales feudorum leges cuique ſuo loco ſint excutiendæ: & apud nos Conſtitutio Caroli V. quoad feudorum uſum, ſit obſervanda, ut rationi conſonat: & generales locorum

conſtitutiones etiam ad Feuda extendantur quando conſuetudines Feuda non excipiunt.

SECTIO VII.

De Depoſito, Commodato, Mandato, Precario.

Quid Depoſitum. **D***Epoſitum* dicitur ex eo, quod aliquid ponatur in alterius cuſtodiam; unde eſt contractus, quo ſola rei cuſtodia alteri committitur, ut eam integram reddat. Hinc non transfert dominium nec uſumfructum in depoſitarium, quâ ratione differt à mutuo, in quo dominium transfertur in mutuatarium: in quo ſors quoqe repeti tantum poteſt tempore ſtatuto, in depoſito ſemper poteſt repeti, quod fuit depoſitum. Differt quoque à commodato, & precario, quod in his detur res ad certum uſum; & à pignore, quod illud detur ad ſecuritatem, depoſitum verò neque det uſum rei, & ſolummodo fiat ad cuſtodiam. Ex quibus patet, quod non liceat uti re depoſitâ contrà Domini voluntatem, aliàs furti condemnatur depoſitarius, contrectando rem alienam invito rationabiliter Domino: & conſequenter teneatur in conſcientiâ reſtituere valorem uſûs illius, ſi ſit pretio æſtimabilis. Aliud eſſet, ſi rationabiliter præſumere poſſet, Dominum non eſſe invitum, aut quod tacitè conſentiat. Semper ergo in depoſitario oritur obligatio fidelitatis, & quidem tanta, ut etiam furi, vel prædoni rem aliquam deponenti, & eamdem repetenti, debeat res reddi, niſi prius poſſit reddi Domino illius rei. Deponi autem poſſunt tantum res mobiles, ut veſtis, gemmæ, libri, animalia, vinum, frumentum, &c. ſubindè etiam immobilis. Depoſitarii verò eſſe poſſunt omnes omnino ratione utentes, etiam Religioſi validè, ſed abſque Superiorum conſenſu illicitè. Si verò culpâ Religioſi depoſitum pereat, non tenebitur Monaſterium, niſi inde factum ſit ditius: non enim eſt æquum, quod Monaſterium ob particularem culpam ſentiat aliquod damnum: idem eſt de depoſito apud Prælatum ob eamdem rationem. Aliud eſſet, ſi Monaſterium ipſum, rem aliquam accepiſſet in depoſito, quo caſu tenebitur Monaſterium, ut alii depoſitarii. Solent tamen ob varia incommoda, ac ſcandala inhiberi Religioſis accipere res in depoſitum, prout de Societate teſtatur Sanchez de Ordine Minimorum Pereynis R. P. q. 3. cap. 5. num. 27.

Ex quâ culpâ teneatur depoſitarius. Quæret aliquis, ex quâ culpâ teneatur depoſitarius. Reſp. Prænotandum eſt, depoſitum tribus potiſſimum modis fieri poſſe: 1. Accipiendo rem in cuſtodiam gratis. 2. Accepto ſtipendio pro cuſtodiâ. 3. Cum pacto ſervandi rem abſolutè indemnem, quâcumque tandem ratione pereat. Si primo modo deponatur, tenebitur depoſitarius de culpâ latâ, & dolo. Ita habetur *L. 1. ff. de depoſito*. Et ratio eſt, quod æquitas non poſtulet, ut quis teneatur majorem adhibere diligentiam in rebus alienis gratis ad cuſtodiam collatis, quàm in conſervandis propriis, ad quas conſervandas non tenebitur de culpâ levi, multò minus de leviſſimâ. Si ſecundo modo deponatur res, tenebitur depoſitarius,

tarius, etiam de levi. Eo ipſo enim, quo accipit ſtipendium cuſtodiæ, obligavit ſe ad cuſtodiendum rem depoſitam eâ curâ, & diligentiâ, quam providi cuſtodes ſolent adhibere, quos conſtat etiam leves culpas præcavere, etſi ſubinde incidant in leviſſimas. Ita Salonius *q. 62. art. 6. controv. 6.*

Si denique depoſitum fiat in gratiam utriuſque, non tenebitur quoque de leviſſimâ culpâ, quia æquitas exigit, ne tantam quis adhibere debeat diligentiam, dum res accipitur in utilitatem utriuſque, ac quando accipitur in utilitatem depoſitarii, quo caſu ſolummodo tenetur de culpâ leviſſimâ: ergo, quando fit in utilitatem utriuſque, non tenebitur de leviſſimâ.

Obligatio depoſitarii.

Sequitur ex dictis, quod depoſitarius teneatur depoſitum eâ fide conſervare, quâ conſervare ſolet res proprias: quod rem depoſitam ſine morâ reddere debeat domino rem repetenti: quod rem reddere debeat eo ſtatu, quo eam accepit: quod eâ re uti non poſſit ſine licentiâ domini deponentis. Sæpè tamen rem depoſitam reddere non tenebitur: 1. Non tenetur antequam expenſæ in conſervandâ re depoſitâ adhibitæ, ſint reſtitutæ. 2. Si bona deponentis ſint confiſcata, quo caſu debent dari Fiſco. 3. Si redditio depoſiti fieret in damnum Reipubl. 4. Si res depoſita ſit apud dominum, quem deponens ignorat eſſe dominum, quo caſu poterit rem illam ſibi retinere. 5. Si ſit res furtiva, quam ipſe dominus repetit. 6. Si deponens re ſuâ noſcitur abuſurus, juxtà alibi dicta de reſtitutione.

Quid ſit Commodatum.

Commodatum eſt gratuita conceſſio alicujus rei ad ſolum uſum. Dicitur ***gratuita***, quia ſi adſit merces, erit locatio. Additur, ad ***ſolum uſum***, quâ ratione differt à pignore, & depoſito, quibus uti non licet. Commodatarius tamen non poteſt uti re commodatâ, niſi ad eum uſum, ad quem fuit commodata. 2. Tenetur rem commodatam reddere tempore præfixo, eamque numero eamdem, nec deterioratam: 3. Ut rem eam conſervet, ac propriam.

Obligatio Commodatarii.

Et quamquam titulo debiti res commodata privatâ authoritate denegari non poſſit, niſi debitum ſit liquidum, aut expenſæ neceſſariæ ſint factæ in re commodatâ ſervandâ à commodatario: ***Cod. L. ult. de Commodato:*** moribus tamen noſtris ob qualecumque debitum rem commodatam in domo ſuâ Judicis authoritate arreſto includere licet, ejuſque vigore, donec debitum perſolvatur, aut præſtetur cautio, ea retineri poteſt. Ita ***Groenweg.*** dicto loco. Sic etiam, etſi jure civili Commodatarius rem commodatam alienans, aut pignori eam dans Domino non præjudicet, & alienando rem commodatam, aut pignori eam objiciens furtum committat, neque dominium transferat in accipientem; moribus tamen noſtris contrà eum, qui rem commodatam bonâ fide, ac juſto titulo accepit, actionem non habet rei Dominus: aut ſi res non quidem alienata ſit, ſed pignori tantùm data, rem ſuam vindicare non poſſit, niſi pignus luat. Ita habent Conſuetud. Antverp. *tit.* 58. *art.* 5. Cùm verò commodatum ſit in gratiam ſolius commodatarii; ſequitur, quod teneatur ille de culpâ leviſſimâ, juxtà mox dicta de depoſito.

Quid Precarium.

Commodato affine eſt ***precarium***, & eſt, ***quod precibus petenti utendum conce-***

Digitized by Google

conceditur tamdiu, quandiu is, qui conceſſit, patitur. L. Precarium ff. de precario. Solvitur quoque obitu ejus, cui conceſſum eſt, non etiam concedentis: aut cùm ipſum alienare contingit alicui hoc revocare volenti: quia per conventionem hujuſmodi non licet rem alienam invito domino poſſideri, ibidem.

Quid Mandatum.

Mandatum denique eſt contractus nominatus, quo quis in alterius gratiam ſuſcipit aliquid exequendum. Requiritur ergo 1. Ut mandatum ſit de re honeſtâ, quia ad turpe nullus obligatur. 2. Ut fiat gratis, aut aliàs erit locatio. 3. Ne mandatarius excedat fines mandati. 4. Ut mandatarius ſervetur indemnis, etiam ad caſum fortuitum. Exſpirat autem mandatum, ſi re etiamnum integrâ revocetur: ſi tunc mandatarius renuntiet: inſuper exſpirat morte mandantis, ac mandatarii. Morte tamen mandantis non exſpirat, ſi datum ſit de re exequendâ poſt mortem mandantis: ſi ſit privilegium mandatarii v. g. Juriſdictio mortuo Epiſcopo conceſſa: ſi ſit poteſtas donec revocaverit, & ante mortem non ſit revocata

SECTIO VIII.

De Pignore, & Hypotheca: Fidejuſſione, & Aſſecuratione.

Quid pignus & Hypotheca.

Pignus, & *Hypotheca* ſæpè ſolent confundi cum re obligatâ pro debito, & data in ſecuritatem Creditoris, ut ex illâ haberi poſſit ſolutio. Propriè tamen pignus eſt rei mobilis, hypotheca immobilis. Res illæ oppignorari non poſſunt, quæ non poſſunt vendi, ut Eccleſia, res ſacræ, &c. Sicuti autem in neceſſitate eæ res poſſunt vendi, ita & eo caſu poſſunt oppignorari. Idem eſt de rebus publicis, ut ſunt viæ, plateæ, &c. quæ non poſſunt quoque vendi, nec etiam oppignorari. Deinde res aliena non poteſt oppignorari ſine conſenſu domini: nec feudum, aut Emphyteuſis ſine conſenſu Domini directi. Poteſt eadem res pluribus oppignorari, ſi eadem res ſit ſufficiens ad pluribus ſolvendum. Poterit quoque pignus à Debitore acceptum alteri oppignorari. Neque etiam in pignore locum habet pœna commiſſoria, ſive, quod res in pignus data, ſi certo tempore non ſolvatur, cedat commiſſo: benè tamen, quod eo caſu pignus juſto pretio poſſit divendi, & ex pretio ſolvi. Cùm verò pignus datum ſit ſolummodo ad ſecuritatem; ſequitur, quod non liceat pignore uti, niſi de conſenſu ſaltem probabiliter præſumpto Domini; maximè, ſi res uſu fieret deterior. Debet inſuper Creditor fructus pignoris computare, aliàs eſſet uſura, prout de eâdem agendo latius eſt dictum. Creditor quoque non tenetur præſtare expenſas neceſſarias in conſervando pignore, cùm pignus maneat ſemper Debitoris, qui proindè ad eaſdem tenetur, ſicuti ad eumdem pertinent etiam fructus: ſic Equus pignori traditus alendus erit expenſis debitoris.

Obligatur prætereà Creditor ad fidelem cuſtodiam pignoris, teneturque de dolo, latâ, ac levi culpâ; non verò ex leviſſimâ, quâ tantum tenetur ille, dum

dum contractus cedit in illius tantùm utilitatem: contractus autem pignoris cedit in utilitatem utriuſque. Oblatâ verò ſolutione à Debitore, tenetur Creditor eam acceptare, & pignus reddere; dum ſublatâ principali obligatione, deſtruitur acceſſoria ex pignore; unde Debitori competit actio pignoritia, caſu quo Creditor pignus renuat reddere. *L. Creditor* 20. *cod. de pign.* Cætera de pignore, & hypothecâ ſpectant ad forum contentioſum, aut ex generalibus regulis de contractu dictis, poſſunt, quæ reſtant, colligi, & uſuvenire.

Fidejuſſio ſic dicta, quod fide ſuâ quis eſſe jubeat, quod ab alio debetur; eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, quâ quis ſe obligat ad ſolvendum, non ſolvente principali. Supponit ergo obligationem principalis, cui fidejuſſor adjungit ſuam obligationem acceſſoriam, adeoque quod ceſſante principali obligatione, prouti ceſſat, dum ſolvitur, ceſſet quoque fidejuſſoris obligatio. Sequitur etiam ex dictis, quod fidejuſſor non plus obligetur, quàm obligetur principalis, qui ſi obligetur ſub conditione, etiam eodem modo obligabitur fidejuſſor: neque ad plura obligatur fidejuſſor, quàm obligetur principalis; etſi poſſit obligari arctius, dando hypothecam, adjungendo juramentum, &c. Hinc rurſum, ſi contractus principalis ſit invalidus, invalida etiam erit fidejuſſio. Neque etiam fidejuſſor conveniri poteſt, niſi prius convenerint creditores principalem, quia ſolummodo obligatur in defectu principalis. Et quidem, ſi fidejuſſor ſeſe obligaverit ad tempus, elapſo tempore liberatur, etſi principalis maneat obligatus: aliud eſt, ſi fidejuſſerit abſolutè; obligatio enim abſoluta non tollitur lapſu temporis, cenſetur autem fidejuſſor ſolummodo ſe obligare pro debito pecuniario, niſi aliter conſtet ex formâ fidejubendi, ſi quis fidejubeat pro aliquo, qui eſt reus capitis: nec enim ille quoad vitam fidejubere poteſt, cujus non eſt Dominus. Cùm verò fidejuſſionis obligatio, ſit onus pretio æſtimabile, ſequitur, quod pro fidejubendo liceat aliquod pretium accipere; quod etiam verum eſt, etſi nullum ſubſit periculum; eò quòd illa obigatio de ſe ſit talis. De cætero pretium illud determinari debet juxtà quantitatem laboris, periculorum, &c. Unde ulterius ſequitur, quod Creditor poſſit accipere pretium, ut à fidejuſſione eximatur, & liberetur fidejuſſor, quia à tali onere liberari, eſt pretio æſtimabile, quando & Creditor in ſe periculum ſuſcipit. Si verò fidejuſſor, vel ob moram, vel ob aliam Debitoris culpam, debeat pati aliquod damnum, debet illud à Debitore refundi, qui debet fidejuſſorem ſervare indemnem. Cumque fidejuſſionis obligatio ſit realis; ſequitur, quod tranſeat etiam ad hæredes. Poteſt autem Creditor à fidejuſſore exigere ſolutionem: 1. Quando Debitor non eſt ſolvendo: quando Debitor non poteſt commodè conveniri: ſi denique fidejuſſor ſeſe ſtatuerit, ut principalem.

Quid Fidejuſſio.

Quicumque poſſunt principaliter obligari, poſſunt & fidejubere, niſi ſpeciali jure prohibeantur, qualiter per *Senatus Conſ. Velleianum* prohibetur Mulier. Antverpiæ tamen non habere locum hoc S. C. docet D. Stockmans *Deciſ.* 142. dicens ibidem mulierem, quæ ſui juris eſt, etiam non mercatri-

Qui poſſint fidejubere.

cem,

cem, poſſe pro alio fidejubere, aut pignora dare, licet etiam non renuntiaverit beneficio Senatûs Conſulti; nec de eâ admonita fuerit; modò reliquæ ſolemnitates, in contractibus Mulierum conſuetudine Urbis præſcriptæ, obſerventur; puta, ut aſſiſtente tutore à lege dato, mulier contrahat. Cæteri in quantum poſſunt contrahere, poſſunt & fidejubere.

Quid Aſſecuratio. *Aſſecuratio* eſt contractus, in quo alterius periculum in ſe quis ſuſcipit; idque vel pretio, vel gratis; adeo ut pro ratâ ad compenſationem rei teneatur, ſi perierit pro toto, vel pro parte. Si gratis fiat aſſecuratio, reducitur ad promiſſionem: ſi pretio, reducenda eſt juxtà alios ad contractum innominatum, juxtà alios ad emptionem, & venditionem, quo aſſecurator vendit ſuſceptionem periculi pro pretio. Ad hauc requiritur, ut ſit æqualitas inter obligationem, quam in ſe aſſecurator ſuſcepit, & inter datum pretium, quod aliquando à lege taxatur, aliquando à communi hominum æſtimatione, conſideratis periculis, laboribus, &c. Hinc etiam pretium in 1000. flor. v.g. eſt ubique diverſum; alibi 4. 5. 6. 7. in 100. 2. Requiritur, ut aſſecuratio ſit libera, ne cogatur aſſecurator, quo caſu illi imponeretur nova obligatio pretio æſtimabilis, ad quam aſſecurator non tenetur. Unde qui mutuat, & ſimul aſſecurat in foro externo habetur pro uſurario. 3. Requiritur, ut aſſecurator ab eo, qui petit aſſecurationem, admoneatur de veris periculis, quibus res ſubjacet. 4. Ut res verè extet, quæ aſſecuratur: unde, ſi quis fingat ſe habere merces in navi, quas verè non habet, non valebit aſſecuratio, dum dolus dat ei cauſam. Conſuetudines tamen Antverpienſes tit. 54. art. 9. permittunt aſſecurari bona naufraga, capta, aut corrupta, modò non innoteſcat illi, eadem eſſe capta, aut perdita, qui eadem curat aſſecurari: aliàs ſi id illi innoteſcat, habenda ſit aſſecuratio planè nulla. 5. Requiritur, ut res aliquali periculo etiamnum ſubjaceat; ſi enim aſſecurator noſcat, navim v.g. perveniſſe ad portum, nihil pro ſuſceptione periculi poterit accipere, dum periculum eſt planè nullum, & dolus dat cauſam contractui. Eadem eſt ratio ex parte Mercatoris, qui certò novit navim periiſſe. Cenſetur verò moribus noſtris navim periiſſe, quoties per annum, ac diem à diſceſſu nihil de eâ eſt auditum, modò eo tempore in Europâ fuerit, aut illi vicina: ita dictæ Conſuetudines num. 7. Fraudulenta verò eſt aſſecuratio, ſi aſſecurator non habeat ſufficientia bona, unde ſolvat, ſi res aſſecurata pereat: uti etiam, ſi aſſecuret rem, quam certò quis novit eſſe in tuto. Cætera de aſſecurationibus ſpectant ad fora Mercatorum.

SECTIO IX.

De Ludis, & Sponſionibus.

Quid ludus, & jocus. LUdus generaliter ſignificat recreationem animi, & à rebus ſeriis avocationem, ad voluptatem capiendam adhibitam, quæ ſi fiat verbis, dicitur *Jocus*: ſi factis, dicitur *Ludus*. Hanc ſecundùm ſe non eſſe malam, apertè

tè conſtat, niſi peccetur per exceſſum, aut niſi voluptas propter ſe ex ludo intendatur: circà quod rectè notat S. Thomas hîc ad Art. 4. quod ſicut voluptas, quæ in ludo intenditur, non eſt per ſe intenta à naturâ, ſed propter operationem: ita neque ab homine debeat intendi propter ſe, ſed propter operationes animæ; ſcilicet, ut aliquantulum recreatus animus, poſſit promptiùs vacare ſtudio, & contemplationi.

Ludus autem eſt varius; alius adhibetur ex gaudio, & devotione, qualis erat ludus Davidis ante Arcam Domini 2. *Reg.* 7. talis quoque eſt ludus, qui fit in Natali Domini, ut in Italiâ, aut in feſto Corporis Chriſti, qui fit in Hiſpaniâ, quem & commendat Concilium Trid. *ſeſſ.* 13. *Cap.* 5. alii ſunt ludi ad turpitudinem, & obſcœnitatem, qui & dicuntur eſſe *Diabolici*, de quibus ait S. Chryſoſtomus Hom. 6. in Matth. *non Deus dat ludere, ſed Diabolus*. Alius eſt ludus ad exercitium, ut eſt ludus pilæ palmariæ, ludus annularis, &c. Alius inſuper eſt merè ad recreationem, de quo hîc agitur, qui & dividitur in eum, qui viribus animi regitur, aut corporis, v. g. ſchaccia, jactus globorum, &c. Alius verò regitur fortunâ, *jeux de hazard*, *haſaertſpel*: ut eſt ludus taxillorum, & plerique ludi chartarum, in quibus non ars, ſed fortuna præſidet: alius denique eſt ludus, qui & arte regitur, & fortunâ, ut ſunt ludus quidam chartarum pictarum. Diviſio ludi.

Ludus ergo ſæpè ſolet vitiari ex nimio affectu ad ludum: ex parte temporis, & ex parte loci indebiti, v. g. loci ſacri: ex parte perſonæ ludentis: ex parte finis, qui ſi ſit mortaliter malus, erit & ludus mortaliter peccaminoſus: idem fit, ſi adſit periculum vitæ, prouti fit in torneamentis, & haſtiludiis, de quibus alibi latius eſt actum: mortalis itidem erit ludus, ſi ſit periculum perdendi tantum, ut Uxor, ac Filii egeant; ut per ludum fiat quis impotens ad ſolvendum: ſi ludendo quis ſe exponat periculo blaſphemandi, pejerandi, rixandi, Miſſam omittendi, &c. quæ pericula, cùm ſæpè ſoleant ludos concomitari, ideo acriter à SS. Patribus ludi ſolent reprehendi, de quâ re yideri poterit S. Antoninus *p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 13. §. 5. Ex eo tamen, quod in ludo pecunia ſubjiciatur fortunæ, non ideo præcisè ludus prohibetur; cùm illud ipſum ſæpè fiat in aliis contractibus, v. g. aſſecurationis, venditionis, &c. Deindè, ſicuti eſt periculum perdendi, ita eſt & ſpes lucrandi; & ſicuti ludens poteſt eam pecuniam alteri gratis donare, ita poteſt eam fortunæ ſubjicere cum ſpe lucrandi: Imo pecuniam apponere, videtur ſpectare ad recreationis augmentum, dum ſine pecuniâ expoſitâ, dicitur ludus eſſe ſiccus.

An verò ludere principaliter ob lucrum, ſit peccatum, variant Authores. Quod autem ludere ultimatè ob voluptatem, ſit peccatum ſaltem veniale, eſt conforme opinioni S. Auguſtini, uti eſt comedere, & bibere ob eumdem finem. Addunt alii eſſe peccatum mortale, ſi ſit ſumma notabilis, quam quis ſperat lucrari, directè repugnans contra legem Decalogi, *Non concupiſces rem proximi tui*, idque ex affectu avaritiæ. Alii è contra volunt, id ſolum eſſe

Digitized by Google

peccatum veniale, quia lucrum eſt finis proximus ludi, neque aliàs licerent varii contractus, in quibus intrinſecè intenditur lucrum, uti fit in venditione, locatione, ſocietate, &c. Hinc rectius docetur, ludere ob lucrum non eſſe malum, ſi in lucro ultimatè non ſiſtatur, ſed ultimatè fiat ludus ob finem omnium, puta Dei gloriam, prouti alibi latius deduximus.

Aleæ luſus eſt vetitus maximè Clericis.

Aleæ luſum, qualis dicitur omnis ille, qui fortuna regitur, damnarunt etiam Gentiles. Inventionem ejus aſſignavit Plato Dæmoni cuidam dicto *Theuth*, & Ariſtoteles 4. Ethic. aſſimulat luſores illos latronibus, eò quòd uterque turpi lrcro ſtudere ſoleant. Cicero autem Orat. 2. ait conſpiratores in Catilinam fuiſſe omnes aleatores, omnes adulteros, omnes impuros, impudicoſque. Et Juvenalis Satyrâ 14.

——Alea turpis,
Turpe & adulterium.

Unde & antiquis erat proverbium: *Aleator, quantò in arte melior, tantò eſt nequior*. Idem prohibuêre ſemper ſancti Patres: S. Cyprianus expreſsè ſcripſit tractatum (vel quis alius apud ipſum) contra aleatores. S. Chryſoſtomus eumdem inſequitur Hom. 15. ad Pop. dicens eumdem eſſe cauſam blaſphemiarum. S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 11. aſſociat aleatores uſurariis. S. Bernardinus Senenſ. ſerm. 33. in Dominic. 5. Quadrag. ſcribit, quòd aleatores ſint avari, fures, proditores, uſurarii, mendaces, deceptores, falſarii, blaſphemi, tranſgreſſores legum divinarum, & Eccleſiaſticarum; quod ſint bonorum ſuorum dilapidatores, rixoſi, &c. Unde non immeritò Summa Angelica V. *Ludus* num. 3. ait de aleâ, quod ſit *ludus diabolicus, qui operatione diabolicâ inventus eſt, ad inducendum homines ad peccatum*.

Imo & Acatholici eumdem luſum ſolent condemnare. Calvinus enim in quâdam Epiſtolâ, ait, quod quamvis alea non ſit reputanda inter ſuperſtitiones alias, ſit tamen cauſa, & inſtrumentum variorum criminum, & malorum; puta juramentorum, deceptionum, & offenſionum divinarum innumerarum. Et reformata Eccleſia, ut prætenderunt, quondam in Galliis, in ſuis regulis, expreſsè vetuerat omnes luſus per Edicta Regia prohibitos, ut ſunt alearum, & omnium aliorum, qui fortunâ reguntur, illis, *Jeux de hazard*.

Meritò igitur ejuſmodi luſus varia jura proſcripſerunt, tam Civilia, quàm Canonica, ut videre eſt Cod. lib. 3. tit. de aleatoribus. Et Cod. lib. 1. tit. 3. de Epiſc. & Cler. L. *interdicimus*, Clericos alea ludentes tribus annis à miniſterio arceantur, & Monaſterio includuntur. Canon. 14. Apoſtolorum, eumdem quoque luſum Clericis interdicit, & huic luſui conſuetos à communione Eccleſiæ præcipit removeri. Idem latiſſimè inhibent alia Concilia, tam generalia, quàm particularia, quæ omnia huc adferre, eſſet operoſum. In Belgio expreſsè inhibet dictum luſum Synodus Provinvialis Mechlinienſis

Digitized by Google

ſis anni 1607. tit. 18. cap. 9. mandatque, ut quod Concilia de ſimili luſu ſtatuerant, ſtrictè obſerventur. Eumdem quoque expreſsè damnat Synodus Antverp. anni 1610. cap. 9. tit. 17. art. 12.

Et conformiter ad dicta, ſtatuerunt idem Religionum omnium Statuta, & Decreta. Statuta Ord. noſtri Diſt. 4. cap. 4 ſimilem luſum omnibus noſtris, tam Conventualibus, quàm beneficiatis prohibet, ſub pœnâ gravioris culpæ. Conſtitutiones Eremitarum S. Auguſtini p. 6. cap. 13. expreſsè prohibet alearum luſum ſub gravibus pœnis ibidem contentis. Idem inhibent alia aliorum Ordinum Statuta.

Eâdem ratione inhibetur, aleatoribus dare cauſam ludendi, & eoſdem fovere; quâ ratione prohibent varii elocare domos ſuas ad ludendum, qualibus S. Carolus in Inſtructionibus p. 4. Act. prohibuit Confeſſariis dare abſolutionis Sacramentalis beneficium, eò quòd occaſionem præbeant proximis ſuis graviter peccandi. Hinc etiam S. Bernardinus loco ibi ſupra aſſerit ejuſmodi eſſe cauſas, & participes omnium omninò malorum è tali ludo provenientium, quæ ibidem enumeravit, dicens; quod Confeſſarius ſimilibus nequeat dare abſolutionem, *donec removerint domum à tali peſſimo uſu ludendi: & impoſſibile eſt, ipſum ſalvari, niſi relinquat illas ſuas artes maledictas.* Imo audet ille Eſcorbar tract. exam. cap. 4. lib. 12. dicens: *Infero, exponentem domum ludo alea, non ſolùm peccare mortaliter, ſed etiamſi luſores ad reſtitutionem teneantur, & non reſtituant, ipſos teneri ſatisfacere.*

Sequitur ex dictis majori jure alearum uſum Clericis omnibus, ac Religioſis eſſe interdictum, ut luculenter ſtatuunt varia Decreta; adeo ut Cap. penult. de vitâ & honeſt. Cler. ne quidem velit Eccleſia, ut ludis ejuſmodi interſint. Et Synodus Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. Reform. confirmat omnia Statuta circà ludos à Pontificibus antea lata, inter quæ etiam recenſetur Cap. *inter dilectos*, de Exceſſ. Prælat. ubi Clerici hîc delinquentes jubentur ab officio deponi, & beneficio privari. Cumque aliqua dictorum jurium, ultrà pœnas allegatas, etiam addant excommunicationem, docet ex eo S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 2. Clericos aleatores peccare mortaliter: quem etiam ſequitur Sylveſter V. *Ludus* q. 4. Soto autem de Jure, & Juſtitiâ lib. 4. q. 5. art. 2. docet Sacerdotibus vix citra mortale uti licere ludis vetitis, ac præſertim Religioſis, & Antiſtitibus. Turrecremata in Cap. *Epiſcopus* Diſt. 35. aleæ luſum ait eſſe mortalem. Comitolus verò Reſp. moral. lib. 1. q. 90. dicit ſibi non eſſe de eo dubitandum, quin illis ſit illud mortale peccatum.

Qualiter intelligenda ſit dicta prohibitio.

Varias tamen hîc formant exceptiones, & explanationes: ac primò, ut ante dictum eſt, per ludum alearum, ac prohibitum ſolent intelligere ludum, qui principaliter fortuna regitur, qualis juxta alios non cenſetur eſſe luſus *Verkeeren*, ac *Ticktacken* dictus, etſi fiant aleâ: cùm ejuſmodi ludus magis arte regi ſoleant, quàm fortunâ: unde & Anſelmo *Trib. Cap.* 77. *num.* 4. eumdem dicit eſſe luſum licitum, & ad ſummum illicitum ratione jacturæ temporis, aut corruptionis proximi ad videndum concurrentis, quæ ta-

Digitized by Google

men ratio ait, eſt exiguæ conſiderationis. Unde addit ex Neoſtad. Deciſ. Hollandiæ 58. judicatum eſſe, proviſioni locum non eſſe ratione eorum, quæ tali ludo lucrata fuerant: etſi de cætero ibidem debita ex ludo contracta exigi non poſſent. Et quamquam varii Authores (de quibus poſtea,) etiam condemnent ludum alearum, qui, partim arte, partim fortunâ regitur, adeo ut neque illis intereſſe liceat Clericis, qualis eſt & dictus ludus: ait tamen in Belgio noſtro generalis conſuetudinis authoramento, ſcientibus, & patientibus ſuperioribus, eorumque Officiariis adeo receſſum eſſe, ut etiam his impunè liceat, & ludere, & ludo licito quæſita retinere, qualis eſt ludus, quem dicimus *Verkeeren.* Quoad Religioſos tamen, ait jura antiqua permanſiſſe illæſa, neque aliquam conſuetudinem reſpectu illorum in contrarium inductam; etſi & illis Scacciorum ludum ob recreationem velit eſſe permiſſum.

Cùm enim ratione ſtatûs Clericalis, Clericis per ſe interdictum ſit aleis deſervire, nec ſine ſcandalo illud ſoleant practicare: ſequitur, quod nulla id poſſit honeſtare conſuetudo. Aliud eſt de illis, qui incidenter domi recreationis causâ ludunt, nec ludendi faciunt profeſſionem, quales aleis deſervire jura non cenſent. Verum eſt, Eccleſiaſticorum animos ſubindè recreandos, ſed mediis licitis, & eorum ſtatui ordinatis: & ut ait S. Antoninus ibi ſuprà §. 1. *Solatia ſua potius in Scripturis deberent quærere, juxtà illud* 1. *Machab.* 12. *Habentes ſolatio libros ſanctos in manibus noſtris.*

De cætero, alii ludi honeſti, ut eſt pilæ palmariæ, per annulum globorum, &c. & Clericis, & Religioſis recretionis causâ poterunt permitti; imo & ſubindè exercitii causâ illis injungi. Addit de Caſtillo *de jure, & juſt. de ludo:* ex obſervantiâ Religionum, augeri gravitatem luſûs; quia ſi alibi toleretur, non erit tanta, quam bene in illis ſit, ubi nominatur quidem luſus; quod de chartis, ac aleis, ait ſe per 30. annos non vidiſſe in Societate. Denique rectè de hâc re Concil. Mediolanenſe 4. Can. de armis: *Clericalis ordinis hominibus omnis generis ſaltationis, & ludi, præſertim verò aleæ, ac taxillorum interdicimus: prohibemus etiam globos, qui ligneis malleis impelluntur. Si verò valetudinis interdum causâ, parvâ pilâ, aut alio non indecoro exercitationis genere uti contigerit, nec publicè id faciant nec pecunia intercedat in ludo.* Et Conc. Senonſe Can. 25. vetat ne id fiat cum laicis.

Requiritur inſuper ad incurrendas dictas pœnas aleatoribus à jure poſitis, ut aleator ille ſit aleæ impenſè deditus, qualis in jure dicitur, aleæ deſervire. Nec enim ille cenſetur moraliter loquendo aleæ deſervire, qui aliquando datâ occaſione recreationis causâ aleâ ſolet ludere: ſed qui ludendi aleâ facit profeſſionem. De cætero præſtaret omnibus ob periculum variorum malorum ab alea abſtinere, quâ ratione legitur de Franciſco Borgia, noluiſſe eam umquam ludere ob 4. inde conſequentia; puta, quod luſu perdi ſoleat pecunia, tempus, pietas, & conſcientia. Et Sara laudatur à S. Eloquio Tob. 3. quod numquam miſcuerit ſe cum ludentibus. Et Hieremias cap. 19. *Non ſedi*, ait, *in concilio ludentium.*

Notan-

Notandum tamen, quod ante inſinuavimus, etiam Authores condemnare luſum alearum, uti & alium quemvis, qui partim arte regitur, & partim fortunâ; inter quos eſt Narvarrus in Enchirid. cap 19. num. 7. & 8. Summa Angelica V. *ludus* num. 4. & Sylveſter V. *ludus*, num. 5. Et ratio illorum eſt, quod jura generaliter prohibeant omnem luſum aleæ, adeoque omnem luſum, qui fortunâ regitur, etſi ars quoque comitetur. Enim verò, etſi luſus ille, v. g. *Ticktacken* ſive etiam, *Verkeeren*, arte regatur, uti etiam idem dicendum de luſu chartarum pictarum: tamen ars ludendi parum conferet, aut patrocinabitur ludenti. niſi faveat etiam fortuna chartæ, vel taxillorum. Hinc etiam conſtat in Partibus Provenciæ luſum, *Ticktack* eſſe prohibitum, dum in generalibus Conſuetud. Franciæ tom. 2. p. 1140. expreſsè dicitur inter alios ludos prohibitos: *Idem de ludo ad trinquetum, eſſe, & ſervari volumus, & intelligimus, & ordinamus.*

Quæres 1. an ea, quæ quis lucratus eſt ludo vetito, debeat reſtituere. Reſp. Antequam reſpondeatur, prænotandum eſt ad rectum ludendi ritum, ſeu legem ludi requiri primò, ut ludentes habeant liberam diſpoſitionem illius, quod ludo exponunt, dum nemo poſſit res alienas periculo alienandi ſubjicere, aut dominium earumdem in alium transferre. Hinc non poteſt ludere minor, prodigus, Religioſus, &c. 2. Requiritur, ne ludens utatur fraudibus contra leges ludi: poſſit tamen adhibere eas fraudes, quas ludus de ſe patitur, vel quando ludentes hoc mutuo condonant: priori modo fallit ille, qui ſe fingit ignarum ludi, ut alium decipiendo devincat, & pecuniâ expolier. 3. Requiritur, ne quis alium vi, vel fraude ad ludendum adigat. 4. Ut ſit æqualis conditio ludentium, hoc eſt, ne plus lucrari velis, quam poſſis perdere, v. g. ſi velis uno jactu lucrari 20. & ſolummodo habeas 10.

An recepta ludo vetito ſint reſtituenda.

His poſitis, Reſp. 1. quod ſine vi, vel fraude ludo vetito eſt acquiſitum, poteſt retineri; eò quòd prohibitio ludi, reddat quidem ludum eſſe illicitum, non tamen invalidum, neque ex naturâ rei contractus ludi eſt invalidus: multa enim illicita fiunt, quæ tamen facta tenent. Qui tamen tali ludo aliquid perdidit, poteſt illud in judicio repetere, quæ leges, cùm ſint juſtæ, obligant quoque, & tutum faciunt in conſcientiâ repetentem, & habentem lucrum obligant, modò repetitio illa fiat intra tempus à lege definitum. Neque ſatis eſt, quod ea repetitio fiat privatim, eò quòd dictæ leges, utpote pœnales, non obligent ante ſententiam Judicis, quod & uſus ipſe ſatis declarat, qui eſt optimus legum interpres. Imo ſi fraus adfuerit, ſi præ rubore non fuerit ille, qui perdidit, auſus repetere, poterit ille juxta varios clanculò illud ſibi recuperare, modò abſit ſcandalum, nec alia via id poſſit recuperare; eò quòd per talem ludum non fuerit tranſlatum dominium, ſed ſemper manſerit apud perdentem. Aliud eſt de caſu, quo fraus abfuit, & ſola legis prohibitio obfuit, quando id non niſi per ſententiam Judicis liceat recuperare: cùm enim eo caſu verè ſit tranſlatum dominium rei perditæ, non poteſt ſine legitimâ authoritate alium re ſuâ ſpoliare. Deinde, ille qui perdidit, non poteſt illud repetere, niſi vi legis;

ergo.

Digitized by Google

ergo non niſi in judicio. Sic etiam, dum quis debet reſtitui in integrum, non poteſt hoc facere ſibi ipſi, cùm nemo ſibi ipſi jus dicat in propria causâ.

Quæres 2. an quando ludo vetito luditur datâ fide, ſive creditò, teneatur ille qui perdidit in conſcientia ſolvere. Reſp. Quoad forum externum alii negant dum illud jus ita lucranti denegat actionem. Idem dicunt de foro conſcientiæ, quia jura dant facultatem, ut qui ita perdidit, & jam inde ſolvit, repeti poſſit: ergo jam inde jus habet ad illud retinendum, quod jam ſtatim poſſet repetere, ſi ſolviſſet. Quorſum enim illæ ambages? hinc etiam in jure dicitur: *Exceptio, & retentio ei competit, cui datur actio.* Sed per leges datur perdita repetendi actio, ergo & retentio.

Alii tamen verius diſtinguunt, & dicunt ſiſtendo in jure naturæ ita perdentem in conſcientiâ debere ſolvere. Ratio eſt, quod promiſſio de re licitâ ſit implenda; maximè, ſi ſit mutua. Deinde, qui ita perdit pecuniâ præſenti debet ſolvere; ergo & ille, qui ita perdit ludendo datâ fide: debet enim in ludentibus eſſe æqualitas, dum ludus eſt contractus ſpectans ad juſtitiam commutativam: ſi autem unus ludat pecuniâ præſenti, & alter creditâ, ſi hic lucretur, verè acquirit dominium pecuniæ perditæ: ergo & è contra, ſi ille alter lucretur, verè etiam acquiret dominium pecuniæ perditæ: aliàs enim paratâ pecuniâ ludens, eſſet pejoris conditionis. Conſuetudines tamen Urbis Antverpienſis habent, tit. 54. art. 20. ut qui creditò ludunt, non teneantur ſolvere. Art. ſeq. ſtatuitur, ut quidquid globis, pilâ, aleis, paratâ pecuniâ ſine dolo eſt amiſſum, maneat victori. Nulla quoque hîc datur actio repetendi pecuniam ad ludendum alteri mutuatam. Art. 19. & art. 18. datur facultas repetendi veſtes ludendo perditas, & generaliter minores ſolvere non tenentur id, quod ludendo perdiderunt. Art. 78. tit. 43. denique jure Belgii, illi, qui ludit falſis aleis, debet pollex ejus dexter amputari. Codex Belg. V. *Teerlinghen.*

Quid ſponſio. *Sponſio* propriè eſt concertatio plurium ſuper eodem eventu incerto, ſub certo pretio à victore obtinendo. Fit aliquando appoſito pignore, aliquando eo non appoſito: aliquando etiam fit de effectu præterito, aliquando de futuro, aliquando de præſenti: aliquando etiam fit de re licitâ, aliquando de re illicitâ. Eſt autem contractus ſponſionis de ſe licitus, etſi certæ ſponſiones ob ſpeciales rationes prohibeantur: hinc etiam datur actio, ad exigendum pretium victoriæ. Quod autem huic contractui adſit cupiditas lucri, nil planè obeſt; eò quòd illa ſit ſponſioni planè extrinſeca, uti eſt & aliis contractibus. Neque etiam ex eo, ſponſio debet dici illicita, quia in illâ res fortunæ committitur, cùm hoc non ſit per ſe illicitum, uti fit in ludo licito, emptione jactûs retis, &c. neque aliunde eſt aliqua temeritas, dum utrimque ſupponitur eſſe æqualitas. Si tamen ſponſio fiat, cum illo, qui vult aliquod crimen committere, ſpondendo, quod illud non audebit facere, videtur ejuſmodi ſponſio in jure eſſe invalida, dum generaliter turpes ſtipulationes in jure nullius dicuntur eſſe momenti. Et ratio eſt, quod ejuſmodi ſtipulationibus, malus animus peccaturi

caturi obfirmetur, & inflammetur. Aliud eſt de illo, qui ſpondet, cum alio, qui dicit ſe non peccaturum, ſpondendo quod peccabit, quia illâ ſponſione à peccato potius retrahetur.

Porrò, ad validam ſponſionem requiritur: 1. Ut uterque ſpondens ſit de eventu dubius. 2. Ut uterque eòdem ſenſu id accipiat, ſuper quo fit ſponſio: hinc ſi unus eâ de re ſit certus, certare non poterit, & quod ita certando lucratus eſt, tenetur reddere, eò quòd ſponſio ob inæqualitatem fuit injuſta; niſi fortè ille, qui de re eâ eſt certus, prævie dicat, ſe eâ de re eſſe certum, & eo non obſtante alter velit certare; quia ſcienti, & conſentienti non fit injuria.

Debet autem pretium ſponſionis eſſe licita merces: unde ſpondere pro Miſſis v.g. precibus, communionibus, &c. eſt planè illicitum, miſcendo ſacra profanis, & ſit abuti rebus ſacris ad animi relaxationem. Si enim ad profanum uſum non liceat adhibere vaſa, & veſtes ſacras, multò minùs licebit ad eum uſum adhibere Miſſam à Chriſto inſtitutam. Unde etiam S. Gregorius *lib. 6. Regiſt. Epiſt.* 7. carpit Clericos quoſdam, qui in electione Prælati cantaverant, *hæc dies, quam fecit Dominus, &c.* idem etiam alibi vetat Conc. Trid. ad coërcenda petulantia ingenia. Hinc ait Pereynes *R. P. q.* 2. *c.* 2. *num.* 5. quod Religioſi melius in ſponſionibus proponerent quid temporale, v.g. pitanciam vini, &c. An liceat ſponſio pro Miſſis.

Quod ſi quis ſpondeat ſe velocius altero curſurum, quando alter poſtea nolit currere, cum quo quis ſpondet, juxta Lugonem, non debet alter nolens currere, dici perdidiſſe, ſi ſponſio facta ſit per modum ludi: quia ſicuti, etſi ludens non poſſit incepto ludo à ludo deſiſtere, poteſt tamen ante inchoatum ludum à ludo abſtinere: ita & ſimiliter hîc in ſponſione. Si verò propriè ſponſiones fecerint, debet alter, aut currere, aut perdere: dum eo ipſo, qui per alium non ſtat, quò minùs curſus fiat, cenſetur ex parte ipſius facta eſſe conditio. An verò licita, ac valida ſit ſponſio cum 3. ſeorſim appetentibus idem beneficium, quod illud non accipient, diſputant Authores. Alii volunt ſingulos illos contractus eſſe juſtos; etſi enim ſint de eâdem re, non ideo ex illa concomitantia vitiantur: unde nec ille debet aliis duobus perdentibus aliquid reddere, cùm verè fuerit juſta ſponſio. Ita Lugo, & alii. Alii tamen id dicunt eſſe injuſtum ex parte inæqualitatis; cùm enim ille certans v.g. pro 100. tantum poſſit perdere 100. dum unus ſolummodo poteſt beneficium illud obtinere; & tamen 300. poſſit lucrari: ſequitur, quod ſit aperta inæqualitas. Varias interim ſponſiones reprobant jura poſitiva. In Belgio reprobantur ſponſiones ſuper futurâ femellâ, aut maſculo: item ſuper vitas perſonarum, ſuper itinera, navigationes, &c. quod etiam confirmant Conſuetudines Antverpienſes tit. 54. & ratio hujus prohibitionis eſt, ne hâc ſponſione daretur occaſio partûs ſupponendi, abortiendi, inquirendi per artes magicas, quid gravida geſtet utero, ne detur occaſio alterum in viâ occidendi, &c.

Quæri hîc unà poteſt de ludo Ollæ, an ſit licitus, vulgò vocatur *de Loterye*, An ludus ollæ ſit licitus.

Digitized by Google

rye, Italicè *Lotto*, fitque, dum plures de licentiâ ſuperiorum aliquam pecuniæ ſummam congerunt, ex quâ res pretioſas, ac alia neceſſaria conquirunt, ac ſcedulas varias Ollæ, aut alteri vaſi imponunt, quas proinde alii datâ pecuniâ extrahunt, ſpe aliquid obtinendi. Porrò, dictæ ſcedulæ ita componuntur, ut plures ſint ſine præmio; quo fit, ut ludum illum erigentes ſemper lucrentur. Varii hunc ludum variè juſtificant, primò ratione contractus ludi, quod tamen improbat Binsfeldius in Cap. *Naviganti*, *de uſuris quæſt.* 4. eò quòd ludum illum erigentes ſalvent ſuum lucrum, nec ſentiant periculum, quod ſentiunt ſoli imponentes pecuniam; ubi tamen ad juſtitiam ludi debet eſſe æquale periculum ex utraque parte. Alii illum juſtificant ratione emptionis, & venditionis, quod nec eidem Authori placet, cùm illud lucrum exceſſivum non ſit commenſutatum pretio mercium, & impenſis neceſſariis pro erectione ludi illius. Neque etiam dici poteſt, quod imponentes cenſeantur exceſſum dare, quia nihil de tali voluntate donandi conſtat, nec in dubio ſit illud aſſerendum. Hinc ulterius docet ille, recurrendum hîc eſſe ad uſum Patriæ, quæ in contractibus multum valet, etſi praxis illa derogare non poſſit juri divino, aut naturali injuſtitiam condemnanti: unde & finaliter reſolvit, quod hoc aliis relinquat juſtificandum.

Eâ de re ex profeſſo tractavit Joannes Briardus Athenſis Acad. Lovan. Vice-Cancell. in quæſt. quodlib. & poſt eum Martinus Del Rio *Diſquiſ. magic. lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 2. qui cum Sylvio *quæſt.* 95. *art.* 8. *concl.* 4. docent eum ludum eſſe licitum, ſi certæ conditiones adſint; primò, ut is, qui proponit præmia, ſi in privatum commodum Lotteriam inſtituat, non plus eâ viâ lucretur, quàm lucraretur, ſi alio quovis contractu licito ſuas merces diſtraheret. Si autem in publicam utilitatem inſtitueretur de authoritate Principis, poſſet nonnihil excedere in lucro inde expectato, prout arbitrio prudentum, ad publicam neceſſitatem ſublevandam, vel ad piam cauſam promovendam videbitur expediens, quantum quiſque ſortientium debeat inferre. Deinde requiritur, ut abſit omnis fraus, tam ex parte proponentium præmia, quàm ex parte ſortientium: hinc præmia non mutanda, ſcedulæ non alterandæ, ut præmia non proponenda, quæ non ſunt præmia, nec ludus continuetur poſt diſtracta præmia. Videri poteſt Sylvius loco citato.

Neque etiam ludus ille condemnandus eſt ex eo, quod fortunâ regatur, quâ ratione condemnari ſolet ludus aleæ: non enim luſus ille ideò præcisè condemnatur; ſed ex eo, quod ex ſimili ludo oriri ſoleant rixæ, blaſphemiæ, &c. quæ regulariter ex ludo Ollæ oriri non ſolent; unde magis accedit ludus ille ad ſortes diviſorias, quàm ad ludum alearum: accedit, quod ludus ille meritò juſtificari poſſit ratione emptionis, & venditionis: etſi enim aliquid excedatur, nihil injuſtitiæ committitur, ſi id ſtatuatur authoritate Principis ob legitimum finem, à quâ etiam taxari ſolent pretia præmiorum, ne exceſſus ſit nimius. In Belgio tamen ludus ille interdictus eſt, niſi erigatur in bonum Templorum, Urbium, aut locorum piorum. Codex Belg. V. *Loterye.* Ex Edicto 2. Maij anno 1526.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De injuſtitiâ Linguæ.

SECTIO I.

De Detractione.

Lingua injuſta, à quâ ſe liberatam dicit Sapientia æterna *Eccl.* 51. quam plenam veneno mortifero ait S. Jacobus Apoſt. & Pſalmiſta alibi vocat doloſam, ac ſerpentinam; inter graviores injurias meritò eſt recenſenda. Juriſtis dicitur *injuria verbalis*, & de eâdem agunt in *L. Item apud Lab. ff. de injuriis*, & alibi. Sæpè comparatur vulnerationi, aut mutilationi à SS. Patribus, qualiter gladio linguæ occidiſſe Judæos, alibi docet S. Auguſtinus: unde etiam plurimi docent, ideo ab Apoſtolo Detractionem, morſui, & comeſtioni proximi comparatam, dicente ad Galatas cap. 5. *Quod ſi invicem morderis, & comeditis; videte, ne ab invicem conſumamini.* Et Anſelmus cap. 147. ſimilitud. ex S. Clemente, ait eſſe tria genera homicidii, ſcilicet interfectionem fratrum, odium, & Detractionem: ac allatâ jam dictâ Apoſtoli ſententiâ ſubdit: *Comedit namque alter alterum, & quaſi morſum in eum facit, quotieſcumque quis aliquem malè loquendo viliorem efficit.* Imo S. Auguſtinus de Baptiſmo contrà donat. lib. 2. cap. 7. ita eâ de re ſcribit: *Levius putatur, quod gladio minante, quàm quod linguâ inſidiante committitur.* Et Tractatu 5. in Joan. *Illi gravius cor feriunt, qui linguâ feriunt.* Potiſſimæ hujus linguæ ſpecies ſunt Detractio, contumelia, convitium, improperium, ſuſurratio, deriſio, & maledictio. Lingua injuſta occiſione eſt deterior.

Detractio eſt injuſta, & occulta alienæ famæ denigratio. *Injuſta*, quia non eſt detractio, juxtà ordinem correptionis fraternæ. revelare alterius crimen occultum: uti neque idem revelare ad impediendum damnum nobis, aut proximis impendens; item ſi nequeas, niſi id revelando, avertere injuſtam vexam; & generaliter, quoties revelatio illa criminis occulti non cenſetur eſſe injuſta. Dicitur *occulta*, quantum ſcilicet eſt ex intentione revelantis; adeo ut ſi quis præſentis famam injuſtè denigraret, quem credebat abeſſe, verè detraheret. Sed Detractio fieri octo potiſſimum modis, quatuor directè, ac totidem indirectè, qui continentur his verſibus. Quid detractio, & quot modis fiat.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens:
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remiſſè.

1. Significat impoſitionem criminis falſi. 2. Verum crimen occultum augendo. 3. Occultum revelando. 4. Alterius rectè facta ſiniſtrè interpretando.

Digitized by Google

5. Negando alterius bonum. 6. Illud extenuando. 7. Silendo bonum, ubi oporteret laudari. 8. Frigidè alium laudando.

Ex quo capite varietur gravitas detractionis.

Detractio ex vario capite poteſt variari: ex parte loci, ubi detrahitur: ex parte criminis, quod revelatur: ex parte perſonæ, cui detrahitur: ex parte illorum, coram quibus alter detrahit: ex parte modi, quo detrahitur, puta vel factis, vel verbis. Ex parte loci, alibi cenſetur detractio eſſe minor, quàm eadem ſit alibi: prout crimen aliquod alibi habetur ignominioſius: ſic, qui diceret aliquem fuiſſe ebrium, gravius detraheret in Hiſpaniâ, & Italiâ, quàm qui id diceret in Germaniâ, aut Belgio. Deindè, prout crimen aliquod de ſe eſt magis nocivum famæ, ſic ex revelatione ejuſdem creſcet gravitas detractionis. Idem eſt de perſonâ, quæ quò eſt gravior, & magis indiget famâ bonâ, eò illi detrahens gravius peccat. Idem eſt dicendum, ſi detractio fiat coram viris probis, quorum æſtimatio pluris valet, quàm plebei; adeoque coram illis detrahens, cenſetur detracto gravius obeſſe. Neque ſolùm detrahitur particularibus perſonis, ſed & communitatibus, v.g. Ordinibus ſacris, Collegiis, Monaſteriis, &c. unde, qui Religioſo ſtatui detrahit, incurrit ſuſpicionem hæreſis: qui de Minoribus, & Prædicatoribus ſpargit libellos famoſos, incurrit excommunicationem, &c. qui non tamen deſignatâ perſonâ, diceret in aliquâ civitate eſſe ſodomitas v.g. homicidas, &c. non peccaret graviter; dum nullus in particulari graviter læditur. Neque dici poteſt, quod ergo nec graviter peccet ille, qui explicato Monaſterio, diceret in eo eſſe talem, non explicatâ perſonâ: eò quòd urbs non teneatur ex ſuâ profeſſione agere vitam perfectam, ſicuti tenentur Religioſi: unde etiam illa audientes, non ſolent ità ſcandaliſari, ſicuti ſcandaliſantur audientes hæc de Religione. Revelare quoque defectus merè naturales, non videtur eſſe grave peccatum, niſi inde grave aliquod damnum alteri obveniret, uti aliquando evenit perſonæ digniori. Idem dicendum eſt de inclinatione alicujus, ſive paſſionibus, dicendo v.g. aliquem eſſe iracundum, avarum, ſuperbum. Graviſſimè quoque alibi cenſentur obeſſe aliorum famæ verbales aliquæ injuriæ, quæ tales non cenſentur eſſe ubique. Didacus Covarr. *lib.* 1. *variarum reſolut. cap.* 11. *num.* 2. teſtatur apud Hiſpanos ſtatutum eſſe, ut ſi quis alium aliquo ex 6. vitiis convitiarit, debeat illa coram Judice retractare, ac coram honeſtis perſonis, & mulctari 300. ſolidis. Vitia illa recenſet eſſe, leproſus, ſodomita, hæreticus, ſive Judæus, proditor, cornutus, & nomen meretricis mulieri maritatæ objectum. Aliis locis, alia dicendi genera reputantur eſſe maximopere injurioſa, quod ex communi hominum æſtimatione eſt potiſſimum disjudicandum.

Quibus detrahatur.

Variæ detrahendi ſpecies.

Non requiritur ad detractionem formalis intentio injuriandi.

Requirunt inſuper Authores communiter ad injuriam verbalem, intentionem injuriandi, adeo ut eâ ratione aliqui diſtinguant inter peccata conſiſtentia in facto, & peccata conſiſtentia in verbis; quod in illis genus perpendatur ex ſolo objecto: in his, non niſi ex adjunctâ intentione. Rationem dant ex D. Thoma, quod verba, in quantum merè ſunt ſoni quidam, non inferant aliis nocumentum, ſed quatenus aliquid ſignificant, quæ ſignificatio pendet ex intentio-

tione. Hinc ulterius inferunt, quod quando ſuperior in ordine ad conrrectionem convitium aliquod dicit, non peccet peccato detractionis, eò quòd deſit animus injuriandi. : ſic Chriſtus Lucæ ult. Diſcipulis tendentibus in Emaus dixit : *O ſtulti, & tardi corde ad credendum!* Et Paulus Galat. 2. *O inſenſati Galathæ, quis vos faſcinavit Evangelio non obedire?* His tamen non obſtantibus, videtur illum verè detrahere, qui gravia convitia, ſive in objurgationibus, ſive joci causâ de aliquo coram aliis effutiret, etſi formalis intentio injuriandi abeſſet. Sufficit enim, quod verba illa graviter de ſe, & de ſuâ ſignificatione lædant famam proximi; niſi fortè in objurgando foret id maximè neceſſarium; ubi tamen potius increpandum promiſcuè eſt in ſpiritu lenitatis, quàm in typho furoris; ne quos leni correctione emendare debent, ſeverâ contumeliâ exaſperent, ad iracundiam provocent, & reddant incorrigibiles. Deindè, qui joci causâ ejuſmodi effutiunt, prævidere poterant, & debebant, ex talibus verbis proximum graviter eſſe dehonorandum, adeoque detractio eſt illis voluntaria in causâ. Imo modus ille detrahendi videtur ſpectare ad deriſionem, de quâ poſtea. Neque verum eſt, quod verborum ſignificatio pendeat potiſſimum ex intentione proferentis, cùm potius pendeat ex inſtitutione, & acceptione communi; etſi ſubindè circumſtantiæ innuant, aliâ intentione eadem proferri, quod in eo caſu non ſemper evenit, ſed potius ſæpè recogitent : *ridendo dicere verum, quid vetat?* Hinc etiam communiter docent Juriſtæ in *L. ſi non convitii C. de injuriis*, quod omne verbum natura ſua injurioſum, præſumatur prolatum animo injuriandi, niſi probetur contrarium : verbis enim animus declaratur, & talis quis præſumitur, qualem prolata verba ſignificant.

Mortale eſt revelare alterius grave crimen occultum uni etiam viro probo.

Quæres, quale peccatum ſit occultum crimen grave detegere uni tantùm viro probo, ac taciturno. Reſp. Aliqui cum Caietano volunt id eſſe ſolummodo veniale. Ratio eſt, quod uxor, & maritus ſibi mutuo peccata filiorum revelantes non peccent ſaltem graviter : item quod in Confeſſione poſſit quis revelare peccatum complicis : quod ſi quis feciſſet occultum crimen, poſſit id pandere viro probo, ut ſciat, quomodo illâ in re debeat ſeſe gerere. Denique, quod tali revelatione nullum, vel certè exiguum damnum proximo inferatur, quibus tamen non obſtantibus, verior eſt opinio, etiam eſſe peccatum mortale, grave alterius crimen occultum revelare viro probo, eique taciturno. Ratio eſt, quod tali revelatione graviter lædatur fama proximi : nam ut ait Dominicus Soto *lib. 5. q. x. art. 2. concl. 4. Mallem crimen meum notum eſſe tribus, aut quatuor, quàm uni graviſſimo viro. Nam quamvis ex unâ parte præſentius periculum immineat ab illis evulgatum iri, quàm ob iſto : tamen ab alterâ parte ego pluris æſtimo in bonâ eſſe æſtimatione apud illum virum graviſſimum, quàm apud plures alios minoris æſtimationis. Unde infamia non eſt ſolùm accipienda hic in rigore juris, quando eſt apud plures : ſed etiam ſecundùm rei naturam.* Hinc infert dictus Author, quod peſſimè, ac nocentiſſimè faciant ii, qui, niſi urgens ſit cauſa corrigendi fratrem, vel uni quantumvis prudenti viro occultum crimen proximi revelant : nam etſi ille id ſilentio ſervavit, tamen

Digitized by Google

alius apud illum magnum patitur honoris, ac famæ detrimentum, Aliud eſt, ſi hîc adeſſet juſta cauſa, prouti eſt, in fundamentis alterius ſententiæ. Adde, etiam in judicio temerario penes unum dumtaxat lædi famam proximi, puta penes temere judicantem: & tamen ſæpè ibidem eſſe peccatum mortale, eſt manifeſtum.

Quando liceat crimen occultum alterius revelare.

Dicta juſta cauſa adeſſe cenſetur, quoties talis detectio criminis occulti eſt neceſſaria ad avertendum damnum ſibi, vel proximo impendens. Unde inferunt primò, licitum eſſe ad evadendum mortis pœnam, revelare occultum crimen alterius, ſi ex illa revelatione tantùm immineat periculum infamiæ, aut bonorum, eò quòd nemo teneatur cum tanto ſuo damno ſervare alterius bona, aut famam: prouti etiam poſſet quis oſtendere bona apud ſe occultata, ne occultando moriatur. Neque etiam hîc cenſetur peccari contra fidelitatem; cùm ſecretum non cenſeatur ſub tam arctâ obligatione commiſſum. Imo alii addunt, quod etſi alteri quoque ex ea revelatione crearetur periculum vitæ, poſſet equidem alius illud revelare, ſi crimen illud ſine injuriâ cognoſcat; cùm non cenſeatur ſecreti obligatio hîc urgere, & alter id ſibi imputare debeat, qui ſcire debuit, quod quando alteri aliquid ſub ſecreto commiſit, non teneatur illud cum tanto ſuo periculo celare; niſi fortè pactum adveniſſet, illud etiam cum tanto ſuo damno occultandi. Aliud eſſet, ſi alter crimen illud vi, vel fraude reſciviſſet, quando alter meritò quæri poſſet, quod vi, vel fraude alter ſua ſecreta inveſtigaſſet, quæ modò vertit in illius perniciem, ut ſe liberet, quod eſt injuriam addere injuriæ.

Inferunt ſecundò, etiam id licitum eſſe ad defendendum juſtè innocentem. Si enim illum defendere liceat contra invaſorem alterum, etiam cum damno alterius invadentis in membris, & vitâ: quare id non etiam licet, cum damno famæ invadentis?

Inferunt tertiò, licitum eſſe detegere ſimulationem alicujus, qui fictis virtutibus famam ſibi comparavit, quod cedit in damnum aliorum. Sic licet Medici, Advocati, Confeſſarii ignorantias, & malevolentias revelare, ne nocere pergant ægrotis, clientibus, pœnitentibus. Sic quoque licitum eſt detegere falſam aliquorum paupertatem, ne aliis verè pauperibus præjudicent. Aliud hîc eſt, ſi nullum hinc aliis obveniat damnum, quo caſu major injuria fieret id detegendo, quàm aliorum crimina revelando, dum ſimul cum crimine panderetur eorumdem hypocriſis. Et quamquam tales non habeant quidem jus, ut poſitivè habeantur probi: habent tamen jus, ne judicentur eſſe improbi, quamdiu crimen eſt occultum, neque alteri eſt damnoſum.

Inferunt quartò, licitum eſſe ad habendum auxilium, ut injuria illata repatetur, aut ad eamdem præcavendam, exponere amico injuriam ab alio illatam in occulto. Imo, id aliqui licitum aſſerunt, ſi id fiat ad capiendum ſolatium, & doloris lenimentum; maximè, ſi injuria ſit atrox, & vehementer affligat, aut ex dolore timeatur grave nocumentum, puta morbus: quia non poteſt injurioſus id ægrè ferre, quod in tali occaſione crimen ejus reveletur.

Infe-

Inferunt denique ex dictis, quod ſi noverim Petrum eſſe furem, ſuſpectæ converſationis, proditorem, &c. poſſim cohabitantes admonere, ut ſibi caveant: item, quod ſervato ordine correptionis fraternæ, poſſim occultum fratris crimen ſuperiori indicare, ut emendetur: quod ſi Petro imponatur innocenti grave crimen, unde timeretur illi grave malum, poſſim authorem criminis manifeſtare: quod ſi noverim aliquem eſſe planè inidoneum ad beneficium aliquod, vel officium, poſſim impedire, ne ad illud aſſumatur.

Varia tamen ad prædicta ſunt neceſſariò requiſita: 1. Quod verè ſubeſſe debeat tale crimen, quod alteri imponit: ſi enim ſolummodo foret illius ſuſpicio infundata, graviter peccaret, ob talem cauſam proximi famæ, & bono ejus temporali obeſſe, teneretur que alter ad reparationem famæ, æquè ac damnorum inde obvenientium. 2. Non plus revelandum eſſe, quàm ad avertendum malum ſit neceſſarium: ſi enim ex revelatione unius criminis ſatis poſſit illud averti, non poſſunt revelari plura alia: ſi patefacta injuria non patefacta perſona poſſit ſufficienter haberi remedium inſtantis mali, injuſtè ſignaretur perſona. 3. Quod detectio criminis debeat eſſe omninò neceſſaria ad avertendum damnum: ſi enim aliâ viâ id poſſit impediri, eſſet in primis certò contrà charitatem, prout in ſimili dici ſolet de correptione fraternâ: imo verius etiam contra juſtitiam, cùm eo caſu detectio illa cenſeatur eſſe mera detractio.

Nec ſolum vivis detractio nocet, ſed etiam mortuis. Fama enim etiam poſt mortem eſt ſuperſtes; ad quam mortui jus habent, ratione voluntatis, quæ eſt fundamentum juris, & dominii. Si enim mortui poſſint honorari: quare non etiam dehonorari, & diffamari? cæteris tamen paribus cenſeatur levior eſſe detractio facta mortuis, quàm facta vivis; quia fama à defunctis minus æſtimatur, & minus damnum illis infertur, cum ad rectè vivendum famâ non indigeant, uti vivi. Hinc ulterius inferunt etiam Hiſtoriographos detrahere, dum memoriæ tradunt ſecreta aliorum crimina, quæ familiæ alicui poſſent verti dedecori. Sæpè tamen excuſari poterunt, vel quia crimina non ſunt occulta, vel illud neceſſitas requirit. Graviſſima interim etiam Gentilibus fuit ejuſmodi detractio, uti patet apud Solonem de Leg. ubi graviſſimè eſt interdicta. Crudele eſt enim mortuos in pace quieſcentes verbis lacerare.

Detrahitur etiam defunctis.

An verò occultum fratris crimen, quod in uno loco eſt publicum, liceat in alio loco revelare, ubi illud eſt ſecretum, non conveniunt Authores. Ad cujus intelligentiam prænotandum eſt, crimen aliquod dici publicum jure, & publicum facto. *Publicum jure* dicitur, quando conſtat aliquod crimen per confeſſionem in judicio, aut ejus convictionem, vel per juridicam ſententiam ſubſecutam. *Publicum facto* dicitur, quando crimen factum eſt in talibus circumſtantiis, ut moraliter loquendo non poſſit amplius manere occultum. Notandum deindè, quod hîc quæri poſſit, an id ſit contra charitatem, an verò ſit quoque contra juſtitiam. Et Adrianus, docet id eſſe etiam contra juſtitiam; eò quòd ille in alio loco habeat famam illæſam; ergo hoc ibidem pro-

An in uno loco publicum liceat revelare in alio, ubi eſt occultum.

Quid publicum jure, & publicum facto.

propalare, eſt illius famam graviter lædere. Deinde, quod non liceat crimen proximi publicum, jam factum occultum, eò quòd bene audiat, revelare, cùm jam crimen illud cenſeatur eſſe occultum: ergo multò minùs licebit illud revelare in alio loco, ubi illud ignoratur: illud enim cenſetur magis occultum, quod alibi ignoratur: quàm quod ante ſcitum eſt, & jam oblitum. Denique, quod non liceat proximo in faciem objicere tale crimen: ergo neque illud referre alteri in occulto.

Varia corollaria.

Communis tamen ſententia tenet 1. Quòd non ſit contrà juſtitiam diffamare aliquem in aliquo loco, ubi crimen ejus ignoratur, qui juridicè jam eſt infamis per ſententiam publicam; ratio eſt, quòd talis jam amiſerit jus ad famam, & infamia ſit pars pœnæ à Judice inflicta, ſubſequens neceſſariò publicam ſententiam. Si verò non ſit ſententia publica, v. g. lata in Monaſterio, in familiâ, Collegio, &c. omninò erit contrà juſtitiam, crimen illud extrà Monaſterium, aut familiam propalare, ſi extraneis foret illud crimen occultum. Secundò, ſæpiſſimè tamen ſolet illud eſſe contrà charitatem, diffamare ſcilicet in loco aliquo infamem juridicè, ubi crimen ejus ignoratur. Directè enim id repugnat primo charitatis principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Docent 3. eſſe contrà juſtitiam, eum, qui præcisè ratione facti eſt alibi infamis, infamare ulterius in loco, ubi crimen erat occultum, neque facilè ad eum locum ejus notitia erat perventura. Ratio eſt, quod ille jus habeat ad ſuam famam pro illo loco: nec enim aliter ſuo facto amiſit jus ad famam, quàm exigit notoreitas ipſius facti. 4. Docent, quod non videatur peccatum grave revelare alterius crimen, quod noſcit brevi per ſententiam publicam ibi publicandum. Ratio eſt, quod fama brevi juſtâ ſententiâ auferenda, non videatur magnæ æſtimationis, adeoque non videatur inferri hîc grave damnum. 5. Docent, quod verè detrahat, qui infamatum de uno crimine, infamat ulterius de alio priori crimine minimè connexo: etſi enim ille amiſerit jus ad famam quoad crimen publicatum: retinet tamen jus ad famam quoad alia occulta. 6. Docent, peccare indubiè contrà juſtitiam, qui crimen ab alio injuſtè divulgatum, ulterius pergit divulgare, quando illud crimen falsò alicui affingitur: imò, etſi illud ſit verum; verius videtur eſſe idem dicendùm, dum apparet illud nihil eſſe aliud, quàm continuare injuriam ab alio illatam; neque injuriatus videtur privatus jure ſuo ad famam ob injuſtitiam alterius primò detrahentis. 7. Non licet crimen alicujus ob diuturnitatem, aut bonam converſationem datum oblivioni, de novo detegere ſine detractione: eò quòd talis hebeat jus ad famam, quam habet de præſenti, etſi aliquando eam amiſiſſet.

Varia detractionis pallia.

Solet ſe inſuper detractoris lingua variè palliare: ac 1. ſolùm narrando alterius crimen occultum, & dicendo ſe illud quidem audiviſſe, nolle tamen ſeſe illud ipſum aſſeverare, de quà methodo ita ſcribit Soto ibi ſuprà q. 5. art. 3. *Modus iſte infamandi eſt tantò pernitioſior, quantò uſitatior, & minoris æſtimatus; nempe, dum quis, quæ audivit, refert. Audiſti ſcilicet vicinam tuam,*

amicum

amicum acceptare. Id autem (ut ingenium eſt hominum) ſtatim in aures vicina hiſce verbis ſuſurras : hoc , aut illud audivi , ego quidem non credo , ſed audita refero. Eſt profectò ingenioſus, ſed peſtilens detrahendi modus : nam quo tu te ipſum ſanctius juſtificas , majorem tibi arrogas fidem , & ideo pejus infamas : ſic enim fama , ait ille , vires acquirit eundo.

Alia eſt detrahendi methodus , dum de aliquo coram aliis dicitur hoc , aut ſimili modo : *Debet ille tacere coram me , ſcit enim ille , quid ſciam , quid fecerit , &c.* Ex modo enim dicendi, alii meritò credunt, quid grave ſubeſſe : imò ſæpè quid gravius ſolent ſuſpicari, quàm ſæpè ſubſit, cujus alter eſt vera cauſa. Alios detrahendi modos aſſignat D. Bernardus *ſerm.* 24. *in Cant.* dum iti ſcribit : *Et ſunt ſpecies peſtis hujus , dum alii quidem nude , atque irreverenter uti in buccam venerit , virus evomunt detractionis. Alii autem quodam ſimulatæ verecundiæ fuco , conceptam malitiam , quam retinere non poſſunt , adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria , ſicque quâdam cum gravitate , & tarditate , vultu mœſto , dimiſſis ſuperciliis , & voce plangenti egredi maledictionem , & quidem tantò perſuaſibiliorem , quantò creditur ab his , qui audiunt , corde invito , & magis condolentis affectu , quam malitiosè proferri. Doleo , inquit , vehementer pro eo , quod diligo eum ſatis , & numquam potui de hâc re corrigere eum. Et alius , mihi quidem , ait , benè compertum fuerat de illo iſtud , ſed per me numquam innotuiſſet : at quoniam per alterum patefacta eſt res , veritatem negare non poſſum , dolens dico , revera ita eſt. Et addit grande damnum : nam aliàs , quidem in pluribus valet : Cæterum in hâc parte , ut verum fateamur , excuſari minimè poteſt.*

Fit inſuper detractio ſatis uſitato Ironiæ ſermone , quæ negat tacitè , quod dicit apertè. Fit quoque ſæpiſſimè factis , v. g. dum cornua ſuſpenduntur præ cujuſdam foribus : digitis in cornuum formam extenſis , ad caput cujuſdam exporrectis , & generaliter quâcumque actione , quâ fama proximi poteſt violari. Graviſſimè quoque fama violatur ſcripto , dum infamia per ſcripturam pluribus , ac citius innoteſcit , & diutius perſeverat. Dicitur illud *libellus famoſus* , qualis propriè eſt , quando aliquid ſcribitur tendens ad infamationem alterius , ut de manu ad manum perveniat infamia. Si verò aliquid ſcribatur ad correctionem , aut ad cautelam ; non erit propriè libellus famoſus. Dicitur *libellus* , non quaſi requirat libri formam , cùm & ſchedula , infamiam dicto modo continens , vulgò *paſquillen* , ſit libellus famoſus. Quid libellus famoſus.

S E C T I O II.

De gravitate detractionis , & contumeliæ.

ANtequam de gravitate utriuſque vitii agamus , notandum eſt , quod ſicuti detractio nocet in occulto ; ita contumelia noceat in publico , & famam in faciem auferat , prouti rapina palam aufert bona externa , & eâ ratione Quid ſit contumelia.

tione differt à furto, quod eadem auferat in occulto. Propriè tamen contumelia honorem alterius lædit, qui eſt teſtificatio excellentiæ alterius; ubi contumeliæ teſtantur potius alterius abjectionem, ac vilitatem. Conſecutivè tamen famam ejuſdem violat, quatenus alii ex illatis contumeliis bonam de eo opinionem abjiciunt, aut minuunt. Cùm autem per contumeliam irrogetur proximo major injuria, certum eſt, cæteris paribus, eam detractione eſſe graviorem.

Quid honor.

Gravitas detractionis.

Gravitas verò Detractionis ubique declaratur, & oppugnatur, ſed nullibi expugnatur. Prov. Cap. 24. dicitur: *Abominatio hominum Detractor ſit.* Rom. 1. *Detractores Deo odibiles* Eccli. 10. *Si mordeat ſerpens in occulto, nihil minus eo habet, qui detrahit.* S. Hieronymus in Pſ. 100. in illud, *detrahentem ſecretò proximo ſuo*, docet Detractionem eſſe fornicatione pejorem; *quia*, ait, *qui fornicatur ſe tantùm occidit, ille autem, qui detrahit, & ſe, & illum, qui audit, demergit.* S. Bernardus ſerm. de triplici cuſt. ling. *Vipera eſt lingua Detractoris, ferociſſima planè, quæ tres lethaliter inficit flatu uno.* Et ſerm. 24. in Cant. *Qui detrahit, charitatem linguâ maledicâ, & quantum in ſe eſt, necat funditus, & extinguit.* Et Serm. 17. ad Sororem: *Certè non poteſt ibi eſſe pax integra, ubi regnat detrahens lingua.* S. Bonavent. in Speculo diſcipl. cap. 31. *Peſſima vitii corruptela eſt Detractio; quæ animam maculat, Deum offendit, proximum ſcandaliſat.* Gravior eſt dum fit viro juſto, quo ait S. Hieron. ſuper Pſ. 38. *Qui detrahit juſtis, Diabolus eſt.* Diſſipat quoque hoc vitium totam Religioſæ vitæ diſciplinam, de quo ait S. Bonav. ibi ſuprà: *Religioſus non eſt, qui Detractionibus paſcit, aut paſcitur alienis.* Et illius Parens S. Franciſcus Opuſc. Collat. 18. *inſtant Religioni diſcrimina, niſi Detractoribus obvietur.* Unde S. Hieronymus ſuper Pſ. 149. in illud, *Domine libera animam*, &c. ita ſcribit: *Non putent Monachi ſe debere eſſe ſecuros, dicentes: grandia crimina non facimus in Monaſterio; non adulteror, non furtum facio, non homicidium, non paricidium, & cætera, quæ grandia vitia ſunt: grande ſcelus eſt, quando detrahis fratri tuo, linguâ tuâ fratrem interficis: grande vitium eſt, detrahere fratribus: tacere non velle, circuire cellas, aliis detrahere.*

Frequentia detractionis.

Et quamquam tam gravi flagello Detractionis vitium ubique vapulet; conſtat tamen, illud ubique maximè dominari, & ut ait dictus S. Eccleſiæ Doctor Epiſt. ad Celant. *Pauci ſunt, qui huic vitio detractionis renuntient; raroque invenies, qui ita vitam ſuam irreprehenſibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantaque hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen, quaſi in extremum Diaboli laqueum incidant ..... detractio malum celebre eſt, & in multis fervet hoc vitium, ut penè ab omnibus libenter audiatur.* Idem teſtatus eſt Salvianus lib. 3. de gubern. Dei Cap. V. ubi ita ſcribit: *Detrahendi libido terminum non habet: nam ſemper admodum cibo, numquam detractione ſaturamur.* Tanta iuſuper eſt hujus vitii contagio, ut & audientes inficiat ſermo

mo detractoris; adeo ut S. Barnard. lib. 2. Cap. 13. de Conſider. dicat: *Detrahere, aut detrahentem audire, utrum horum damnabilius ſit, non facilè dixerim.* Et S. Auguſtinus, vel quiſquis eſt Author, de ſalutaribus document. Cap. 26. *Detractor, & libens auditor, Diabolum portant in linguâ.* Hinc docent communiter DD. peccare illum contra charitatem, qui detractores non repellit, dum ſine ſuo incommodo repellere poteſt, cùm quilibet ex charitate teneatur avertere damnum proximi, dum commodè repellere poteſt. Imo, ſi quis ex officio teneatur conſulere famæ alterius, tenetur ad illud ex juſtitiâ. Ratio eſt, quod Prælatus v. g. ex officio tenetur curare bona temporalia, æquè ac ſpiritualia ſubditorum, inter quæ bona temporalia eſt fama eminentiſſimum, & ad conſervationem bonorum temporalium maximè neceſſarium, dum redire neſcit, cùm ſemel periit pudor. De quo latius Sect. 4. Porrò, detractoribus reſiſtendum eſt ſolummodo, ſi ſit ſpes fructûs neque timor probabilis detrahentem potius inflammandi, quàm ſedandi. Reſiſtendum verò eſt, vel increpatione manifeſtâ, vel facie triſtiori oſtendendo ſeſe detractionibus indignari: unde Prov. 25. *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Ad quod S. Hiron. epiſt. ad Ruſticum: *Detractor, cùm triſtem viderit faciem audientis (imo ne audientis quidem, ſed obturantis aures) ne audiat judicium ſanguinis, illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſiccatur.* Notari tamen hîc poteſt, quod hîc ſcribit Card. de Lugo in hunc modum: *Infero prædictam obligationem impediendi ſub peccato gravi detrahentem, raram eſſe inter æquales, rariſſimam in inferiore reſpectu perſonæ ſuperioris.* Rationes ſubdit, primò, quia audiens poteſt præſumere, quod id, quod dicitur, ſit publicum, uti ſæpè fit: 2. Quia ſæpè id, quod dicitur, ab audiente poterit reparari, oſtendendo ejus falſitatem. 3. Quod ſæpè ſit melius, ut relinquat pergere detrahentem, ne eum ſiſtendo, ingerat auditoribus ſuſpicionem graviorum. 4. Quod ſæpè ſe opponere nequeat ſine gravi offenſione detrahentis. 5. Quod ſæpè ſit modica ſpes impediendi. 6. Quod detrahens ſæpè habeat juſtam cauſam illud manifeſtandi.

Audiens detrahentem quomodo peccet.

SECTIO III.

De reſtitutione famæ à detractore faciendâ.

CUm juxtà S. Auguſtinum, non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; certum eſt, quod fama per detractionem ablata ſit reſtituenda, dum fama inter bona temporalia eſt bonum eminentius: melius eſt enim nomen bonum, quàm divitiæ multæ, *Proverb.* 22. Obligatio hæc adeo arcta eſt, ut quamvis ex ignorantiâ alterius crimen occultum quis revelaſſet, putans v. g. illud eſſe publicum, vel putans illud dictum eſſe de uno, referat illud de alio; etiam conſtringat ad reparationem famæ, ubi errorem ſuum recognoverit. Ratio illius eſt, quod qui eſt cauſa damni, etiam ſine ſuâ culpâ

An ex ignorantiâ detrahens teneatur ad reſtitutionem.

 poſiti,

poſiti, v. g. conflagrationis domûs, debeat illud impedire, ne ulterius proſerpat: infamia autem tamquam ignis proſerpit, vireſque acquirit eundo. Et quamquam vera, & propriè dicta reſtitutio oriatur, vel ex re acceptâ, vel ex injuſtâ acceptione, vel denique ex contractu; & nullo ex dictis titulo ille teneatur, tamen aliud eſt in interruptione damni alterius, ad quod ille ſemper obligatur, qui dedit cauſam damni: hinc ſicuti tenetur rem ſtatim ille reddere, quando novit eam eſſe alienam: ita & hic errore cognito alienum quaſi retinet. non reddendo famam à ſe ablatam. Deinde, etſi ab initio non fuerit injuſta cauſa damni, tamen dum errorem cognoſcit, nec tollit cauſam infamiæ, jam incipit eſſe injuſta cauſa damni. Si tamen durante bonâ fide, ex tali revelatione aliquod damnum ſit ſecutum, non tenebitur ille ad illius damni reparationem, eò quòd non ſit cauſa voluntaria illius, & conſequenter non ſit culpabilis: aliud eſt, ſi damnum illud oriatur errore jam cognito, & quando alter eſt in morâ, infamiam non impediendo, quo caſu tenebitur, tam ad reſtitutionem famæ, quàm ad reſtitutionem damnorum: cùm illorum ſit cauſa voluntaria, non impediendo damnum, quod debet, & poteſt impedire. Hoc interim rectè notant alii, talem ex ignorantiâ revelantem, non teneri ad reſtitutionem cum tanto onere, quàm bene teneatur ille, qui ex malitiâ alteri detraxit: quia non eſt æquum, æqualiter illos hîc obligare. Hinc conſequenter docent, non teneri illum reſtituere cum jacturâ famæ, aut bonorum, prout tenetur ille, qui ex malitiâ detraxit; qui enim malitioſè id fecit, quaſi dupliciter eſt reus, ponendo ſemel culpabiliter cauſam damni, & ſemel illam continuando: alius verò ſolummodo non impediendo, errore jam cognito, ſic ut inculpabiliter antea dederit cauſam damni.

Hoc tamen fatendum eſt, quod ſi proximo ità diffamato gravius aliquod damnum immineat, debeat etiam illud cum aliquali ſuæ famæ detrimento reſarcire: ſicuti enim ex charitate tenetur impedire damnum proximi, quando ſine ſuo incommodo id poteſt: ità etiam videtur ad illud obligandus, quando cum aliquali ſuo incommodo poteſt, qui aliquam damni cauſam dedit, etſi inculpabiliter dederit. Denique, ſi me verum crimen dicente de aliquo, alii audientes id credant dici de alio, & illud ulterius de illo alio divulgent, non teneor eo caſu ad reſtitutionem famæ, aut damnorum illi tertio obvenientium; eò quòd talis diffamationis non ſim vera cauſa, ſed illa ſit mala aliorum intelligentia, cui cauſam non dedi, ſed ſolummodo occaſionem. Aliud eſſet, ſi potuiſſem prævidere, illam malam intelligentiam ex meâ locutione ſecuturam, quo caſu ſicuti illa mala intelligentia eſt mihi voluntaria in cauſâ, ita & diffamatio ſubſequens ex tali malâ intelligentiâ aliorum. Ex charitate tamen ad illud teneor, ex quâ damnum alterius teneor impedire, quando id commodè poſſum.

Quanta ſit obligatio reſtituendi in detractore. Obligatio reſtituendi famam à detractore, etiam ſtringit cum periculo famæ, quia in pari periculo potior eſt conditio innocentis, quàm nocentis. Aliud eſt, ſi detractor eſſet vir magnæ authoritatis, cujus fama bono publico

blico eſſet neceſſaria, cùm fama, & bonum privatum bono publico ſit poſtponendum. Deinde, etſi fama ordinariè non ſit reſtituenda cum periculo vitæ, ſubindè tamen eo etiam caſu reſtituenda eſt; ut ſi ex infamiâ alteri immineat periculum vitæ, ſi ex infamiâ immineat pernicies Reipublicæ, immineat grave bellum; & generaliter quandocumque vita diffamatoris eſt poſtponenda periculo, quod ex infamatione ſequitur, vel timeretur.

Contrà datam doctrinam objici ſolent: 1. Quod nemo debeat reſtituere bona inferioris ordinis cum jacturâ bonorum ordinis ſuperioris; ſed vita eſt ſuperioris ordinis, quàm fama: ſic nemo debet ſe vendere, ut debita ſolvat. 2. Quod adultera non debeat cum periculo vitæ aperire adulterium, etſi aliæ proles ex eo debeant fraudari amplo patrimonio. Reſp. Regula illa, quod bona inferioris ordinis non ſint reſtituenda cum jacturâ bonorum ſuperioris ordinis, non eſt generaliter vera; ſed ſolùm, quando cætera ſunt paria, nec ſit neceſſarium ad ſatisfaciendum: hinc etiam aliquando fama alicujus præponderat vitæ alterius. Quod autem quis ſeſe vendere non debeat, ut debita ſolvat, non id eò fit, quia libertas eſt altioris ordinis, quàm ſint bona temporalia; cùm *Exodi* 22. de fure dictum ſit: *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur*: ſed ideo illud fit, quod in L. N. vetitum fit, ſeſe in ſervum vendere; adeo ut lege non obſtante poſſet ſe quis vendere, ut ſolvat debita contracta. Eadem eſt ratio de adulterâ, quæ ideo non debet aperire ſuum crimen, quod nec ſpurius, nec maritus credere debeat adulteræ crimen ſuum alleganti, adeòque non ſit ſpes damni avertendi. Si tamen ex tali ſpurio gravia damna imminerent Reipublicæ, deberet adultera etiam cum periculo vitæ illud aperire. Non ergo ex eo liberatur hîc adultera, quòd bona inferioris ordinis non ſint reſtituenda cum jacturâ boni ſuperioris ordinis, ſed ob rationem mox dictam.

Obligatur inſuper detractor de omni prorſus damno ex diffamatione ſecuto, cùm illius fuerit vera cauſa: idque verum eſt, etſi expreſsè non intenderit per ſuam diffamationem inferre tale damnum, ſed ſatis eſt, quod potuerit, & debuerit illud prævidere. Quod quamvis omnes admittere debeant de falsâ criminatione; illud tamen negant, quando verum crimen occultum eſt revelatum, ex quâ revelatione ſubſequuntur damna; quo caſu volunt aliqui, totum damnum non eſſe reſarciendum; ſed ſolummodo pro parte ad arbitrium boni viri, pro ratione damni, & malitiæ, quâ crimen illud eſt revelatum. Et ratio illorum eſt, quod præcipua cauſa damni, non fuerit revelatio criminis, ſed ipſum crimen; & revelatio ſit ſolummodo cauſa ſine quâ non: ergo non debet infamator totum reſtituere. Ita Soto. Alii tamen verius docent, etiam eo caſu omnia omninò damna eſſe reſtituenda, idque in integrum. Etſi enim diverſimodè famam auferat, qui verum, & qui falſum alterius ceimen propalat, & hîc gravius quoque peccet: æqualiter tamen uterque nocet, tollendo bonam alterius æſtimationem, & generando malam: atqui reſtitutio non ſumitur ex diverſitate, aut gravitate peccati; ſed

Ulterior obligatio detractoris.

ex majori, vel minori nocumento, quod utrobique infertur æquale. Damna enim, quæ conſequuntur infamiam, non oriuntur ex crimine, quia, etſi crimen foret verum, maneatque occultum, nullam adferret infamiam, aut damnum, adeoque id oritur ex malâ æſtimatione quam infamator in aliis generat. Hinc ille alter eſt vera cauſa infamiæ, ſive crimen illud verum ſit, ſive falſum. Si verò fuiſſet neceſſitas criminis manifeſtandi, ſicuti nulla foret facta injuria, ita nulla data eſſet damni cauſa à manifeſtante, ſed ab eo ipſo, qui crimen fecit. Si denique per detractionem quis fuerit impeditus ab aliquo commodo conſequendo, non debet reſtitui tantum, quanti valeret commodum. Sed ſolùm quanti valebat ſpes commodum illud conſequendi.

SECTIO IV.

Quinam pro aliis teneantur ad reſtitutionem famæ.

IN primis hæredes tenentur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex detractione defuncti alteri obvenerunt, eò quòd tale onus ſit reale, quod cum
Hæredes aliis oneribus cum ipsâ hæreditate tranſit ad hæredes, ſicut alia onera realia. Reſtitutio autem famæ communiter dicitur eſſe perſonalis, adeoque non tranſire ad hæredes, ſed ſolùm concernit perſonam detrahentis. Secundò, Prælatus audiens diffamari Communitatem, & non obſtans, tenetur ad reſtitu-
Superiores. tionem, eò quòd tam bene famam, quàm alia bona temporalia Communitatis ex officio teneatur conſervare, idque ex vi taciti contractûs inter ipſum, & Communitatem initi. Tertiò, Prælatus audiens detrahi ſuo ſubdito, & non impediens, tenetur quoque ad reſtitutionem famæ ſuo ſubdito faciendam. Hoc quidem Wiggers, & alii admittunt, quando infamia Religioſi vergit in infamiam Communitatis, juxtà concluſionem mox dictam. Verùm id generaliter verum eſſe probatum eſt Sect. 2. ex eo, quod Prælatus teneatur ex officio curare, non tantum bona ſpiritualia, ſed & temporalia ſubditorum, quæ ad ſpiritualium conſervationem, & profectum ſunt neceſſaria, quale eſt & fama. Aliud eſt de iis bonis temporalibus, quæ ad bona ſpiritualia conſervanda, ant procuranda non ſunt neceſſaria, ad quæ procuranda non tenetur ex officio Prælatus, quâ ratione alii cum Wiggers docent, Prælatum videntem pallium, à ſubdito auferri, & non obſtantem, non teneri ad reſtitutionem; quia pallium, uti & alia bona emporalia externa non ſunt neceſſaria ad bona ſpiritualia, uti eſt fama. Nec poteſt dici, Prælatum ſolummodo debere procurare, ne ſubditus peccet; non autem, ne alii peccent in illum: quia etiam Prælatus debet præcavere, ne ſubdito detur occaſio peccandi, quæ ſubdito dari cenſetur, dum infamatur. Quartò, Prælatus audiens ſubditum ſuum aliis detrahentem, & non impediens, dum poteſt impedire, debet compellere ſubditum ad reſtitutionem, & in defectu illius, tenetur ipſe Prælatus ad reſtitutionem. Prius patet, quia Prælati ex officio obſtare debent, ne ſubditi aliis noceant, aliàs erunt concauſa non obſtando. Poſterius non

omnes

omnes admittunt, & negant teneri Prælatum ad reſtitutionem eo caſu, quia reſtitutio non eſt facienda, niſi ob damnum illatum contrà juſtitiam debitam illi, cui damnum infertur: Prælatus autem ex officio, & juſtitiâ ſolùm debet reſpicere bonum ſui ſubditi, eumque reprimere, ne aliis noceat, & compellere, ut reſtituat; non tamen debet ex juſtitiâ curare famam non ſubditi. Ita Soto. Alii tamen communiter tenent contrarium, eò quòd voluntas ſui ſubditi ſit in manibus Prælati, quam coërcere debet, & impedire, ne aliis noceat; adeo ut, ſi ſubditus noceat, & non obſtet, dum poteſt, & debet obſtare, illi noxa ſubditi cenſeatur eſſe voluntaria. Nec refert, quod non debeat procurare bonum non ſubditi, ne teneatur ad reſtitutionem: quia quis neget Prætorem non teneri ad reſtitutionem de damno tertio illato, quod ejus ſubditus illi intulit, quod cùm potuiſſet impedire, & non impedivit, etſi ille tertius non ſit ſubditus illius Prætoris? Satis ergo eſt, ut ad reſtitutionem obligetur Prælatus, uti & Prætor, quod illud ex officio tenebatur impedire, & non impediverit, quando potuit impedire.

Ex his colligi poteſt, ſaluberrimum eſſe conſilium Soti, quod dat *lib.* 5. *quæſt.* 10. quod ſuperiores omnes, maximè Religioſi, debeant totis viribus obviam ire detractoribus. Quod certè negligunt, quorum aures pruriunt, qui à veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, & detractores ſub ſpecie, & honeſto zelatorum titulo acceptant, & intertinent. Audiant Sapientem Prov. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios.* Et Prov. 4. *Remove a te os pravum, & detrahentia labia ſint procul à te.* Unde Hieronymus ad Celanti. Epiſt. 14. *Nihil tam inquietat animum, nihil eſt, quod ita mobilem mentem, & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi. Hinc enim crebræ diſſenſiones, hinc odia injuſta naſcuntur: hoc eſt, quod ſæpè de amiciſſimis etiam inimicos facit, dum concordos quidem, ſed credulas animas maligna lingua diſſociat.* Et S. Bernardus lib. 4. de Conſiderat. cap. 6. *Clandeſtinas, & ſuſurratas delationes non recipias, & hanc velim generalem tibi conſtituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in ore locutus eſt, ſuſpectum habeas. Quod ſi te judicante dicendum coram, ille renuerit, delatorem judices, non accuſatorem.* Rectiſſimè, & ad conſervandam pacem opportunum. Notabile.

V. tenentur inſuper Prælati ad reſtitutionem famæ ſubditorum, dum eorumdem vitia, etiam in communitate publica, quibuſcumque extraneis propalant. Ratio eſt, quod etſi reſpectu aliorum de Communitate vitia illa ſint publica, adeoque ſine detractione illis poſſint revelari: ſunt tamen occulta reſpectu extraneorum, & ſubditus jus habet, ne fama ejus coram illis à quoquam auferatur. Neque enim ſubditorum famam, ut voluntatem habent ſuperiores ſibi ſubjectam; ſed ſubditi ſuæ famæ veri manent domini, illiſque fit vera injuria, ſi à quoquam illa violetur.

Digitized by Google

SECTIO V.

Quomodo, & coram quibus fama ſit reſtituenda.

Quandonam fama ſit reſtituenda.

CUm fama creſcat eundo, uti & infamia, tenetur detractor ſtatim ac commodè poteſt, famam infamato reſtituere, adeo ut continuò peccet detractor illud negligendo, & dando cauſam ulterioris infamiæ ſui proximi. Quando autem detraxit, ſive proximum infamavit per impoſitionem falſi criminis, ſive in judicio, ſive extra illud, debet illud infamator efficaciter retractare, niſi fortè infamator eſſet longè majoris famæ, & æſtimationis. Ratio eſt, quod ille, qui ei injuriâ nocuit, poteſtque illud reddere in eâdem ſpecie, aut in eodem genere æquivalens, debeat illud ita reddere, quod hîc fit retractando, quod facilè poteſt. Deinde, nulli licitum eſt conſulere bonis propriis cum damno aliorum, quod hîc aliàs fieret. Denique, neceſſe hîc eſt alterutrum illorum fieri, & alterum manere infamem: ſed in pari jure, & pari causâ, melior eſt conditio innocentis. Aliud eſſet, ſi infamans eſſet longè majoris authoritatis, quia cùm reſtitutio fiat ad procurandam æqualitatem, ſequitur illud hîc excuſare, ne potius habeatur inæqualitas.

Reſtitutio famæ debet eſſe efficax.

Debet autem dicta reſtitutio eſſe efficax, adeo ut, ſi nudæ retractationi alii credere renuant, debeat etiam adhiberi juramentum, vel aliud medium efficax ad reparationem famæ. Qui enim tenetur ad finem, tenetur quoque adhibere omnia media, quæ neceſſaria ſunt ad talem finem. Si tamen iis omnibus adhibitis alii non acquieſcant, infamia remanens, non erit amplius infamatori, ſed aliorum malitiæ adſcribenda. Ubi inſuper rectè notat Salonius, quod niſi morali certitudine conſtet Confeſſario, quod ille, qui alterum falsò infamavit, ſtatim reſtituet famam ita ablatam, non poſſit eum abſolvere, priuſquam id fecerit. Et ratio illius eſt, quod facilius homines reddent pecuniam alienam, quàm dicent ſe eſſe mentitos: ſed habens pecuniam alienam, quam poteſt ſtatim reddere, & non reddit, non poteſt abſolvi: ergo. Deinde, experientiâ teſte, inquit, quando volunt confiteri, & differtur abſolutio, obediunt pœnitentes Confeſſariis, & obtentâ abſolutione obliviſcuntur, & differunt adimplere promiſſa.

Notabile.

Quis modus revocandi detractionem.

Quod ſi diffamatio facta ſit per revelationem criminis veri, ſed occulti, plus habet difficultatis famæ reſtitutio: ubi teſte Salonio, tot ſunt ſententiæ, quot capita. Eſt enim difficillima hæc reſtitutio, & quæ rarò ſortitur effectum, ait ille; quo nomine vidit aliquando graviſſimos viros judicaſſe, eſſe gravius peccatum, verum crimen occultum manifeſtare, quàm imponere alicui falſum; quia, qui imponit falſum, facilè reſtituere poteſt; qui verò verum revelat, difficillimè poteſt, & ferè numquàm. Quidquid tamen ſit de gravitate illorum, illud tamen certum eſt, hoc genus reſtitutionis eſſe difficillimum, adeo ut ſuâ difficultate Doctores traxerit in varias opiniones. Alii enim docent, talem debere adire illos, apud quos alium diffamavit, & dicere, *ſe malè, iniquè, injurioſè,*

rioſè, injuſtè eſſe locutum, neque ſibi hàc in parte adhibendam eſſe ullam fidem. Modus hic, aiunt, eſſet optimus reſtitutioni faciendæ, ſed ſolummodo coram Plebeiis valiturus, dum ſapientiores ſciant, ſi crimen eſſet falſum debere dici, *ſe fuiſſe mentitum*; adeo ut dictus retractandi modus horum reſpectu ſit potius dictorum confirmatio. Hinc alii docent, quod debeat ille uti verbis ambiguis & æquivocis, ex quibus non ſciatur ſitnè crimen illud verum, an falſum; ſed ex quibus audientes putent eum dicere, ſe eſſe mentitum. Verùm hoc rurſum caſu obſtat, quod mox dictum eſt obſtare ex parte ſapientiorum, quibus æquivocatio illa, ejuſque ſignificatio probè innoteſcit. Alii ergo volunt, quod alius debeat famam ejus in tantum augere, ut videatur eſſe facta compenſatio, de quâ re mox agam Sect. ſeq. Alii inſuper dicunt, quod dicere poſſit, ſeſe eſſe mentitum, & dixiſſe practicè falſum, licet ſpeculativè dixerit verum. Verùm, ut rectè notat Sylvius, nihil eſt illud aliud, quàm mentiri: non enim hîc agitur, an diffamator dixerit verum, vel falſum practicum: ſed an dixerit ſpeculativum, quod hîc negat. Et quamquam Reus rogatus extrà juris ordinem, poſſit negare crimen, quod tamen commiſit; id ideo fit, quia talis Rei reſponſio ex circumſtantiis loci, temporis, ac perſonæ continet veritatem, dum reſpondet, uti rogatur: unde in his circumſtantiis, illa verba Rei, *non feci, &c.* juxtà communem uſum loquendi, & intelligendi in judiciis, etſi videantur eſſe generalia, tamen admittunt hîc, hujuſmodi ſenſum reſtrictum, ut ſenſus ſit, *non probatur me feciſſe: non feci, quod ad veritatem hujus tribunalis ſpectat: non feci id, quod à me juridicè quæritur, &c.* Sermo autem detractoris volentis reſtituere non continet veritatem, ne quidem ex circumſtantiis, quia non ſolet hoc ita intelligi, prouti ille per clauſulas mente reſtrictas, vellet intelligi, ſed ut verba ſonant. Ita *Sylvius.* Alii ergò generaliter hîc docent, quod pro diverſitate perſonarum, quibus famæ reſtitutio eſt facienda, diverſus reſtituendi modus ſit adhibendus: qui, ſi nequeat eſſe efficax, debeat peti condonatio ab infamato. Hinc rectè Henriquez in compendio caſuum moral. cap. 9. num. 7. ita ſcribit: *Quamvis univerſum genus humanum hoc peſſimo vitio linguæ ſit pleniſſimum, pauciſſimos tamen eſſe, qui, ut debent, illud æſtiment; pauciores, qui de illo debitè conterantur; vix ullos, qui famam reſtituant.*

Quæſtio eſt, coram quibus fama ſit reſtituenda. Alii docent, id agendum eſſe apud omnes, ad quos infamia devenerit. Alii diſtinguunt, & dicunt, quod ſi ità alicujus famam quiſquam abſtulerit detrahendo, & facilè prævidere poterat, ac debebat, apud alios infamiam eſſe ſpargendam, etiam apud illos omnes famam reſtituere obligetur, quia eſt vera cauſa, quòd infamia ſit etiam apud illos. Si tamen alicui id dixerit ſub ſecreto, ſic ut de illius fidelitate meritò poterat confidere, non ſit obligatus, ut coram aliis famam reſtituat. Ut ut eſt, præſtat ori ſuo ponere cuſtodiam, ne labamur in linguâ, & tanto oneri implicemur. Coram quibus fama ſit reſtituenda.

SECTIO VI.

Quænam excuſent à reſtitutione Famæ.

Impotentia. EXcuſat hîc primò impotemtia. Deinde excuſat, ſi crimen viâ juris, & legitimè, factum ſit publicum, eò quòd infamatus hoc caſu amiſerit jus ad ſuam famam, adeoque alter non obligetur ad famam reparandam. Tenetur tamen ille de damnis, quæ antequam eſſet publicum, ex infamiâ ſunt ſubſecuta. An verò itidem hîc excuſet, ſi crimen injuſtè ſit publicatum, diſſentiunt authores. Wiggers docet, infamatum non amittere eo caſu jus ad famam, cùm jus non amittatur per infamiam, adeoque eo caſu diffamatorem non excuſari. E contra Sylvius, docet probabile eſſe, quod diffamator eo etiam caſu excuſetur, cùm alter abſolutè amiſerit jus ad famam, ſeu jus tale, ut alii aliter de eo ſentiant. Neque hîc propriè amittitur jus per injuriam; ſed per illud, quod ex injuriâ ſequitur, quod eſt eſſe publicum.

An, & quomodo hic excuſet condonatio. Excuſatur inſuper diffamator condonatione infamati: eſt enim homo dominus ſuæ famæ, & ut ait D. Thomas q. 73. art. 4. *Noſtri arbitrii eſt detrimentum famæ noſtræ pati, niſi hoc vergeret in periculum aliorum.* Poterit ergo homo remittere reſtitutionem famæ æquè ac reſtitutionem pecuniæ, niſi illud obſtaret. Pro quo notari poteſt, perſonam aliam eſſe publicam, aliam privatam: deindè, famam perſonæ publicæ eſſe aliquando famam ſubditorum, aliquando non eſſe; puta, quando crimen detractionis perſonæ publicæ eſt perſonale, non redundans in infamiam ſubditorum, v.g. quod ſuperior ſit avarus, ſævus, &c. quibus poſitis, docent communiter, quod perſona privata poſſit condonare reparationem famæ, quando illa alteri non eſt neceſſaria. Patet ex dictis. Si verò aliis ſit neceſſaria, non poterit eam condonare, eò quòd non ſit dominus famæ aliorum; aliàs eſſet cauſa infamiæ, quam alii ſuſtinent. Si tamen ſimilis perſona de gravi crimine infamata remittat reſtitutionem famæ ſine cauſâ, remiſſio quidem tenet, ſed peccat mortaliter contra charitatem. Si crimen ſit leve, ſolummodo peccat venialiter. Eſt enim hîc prodigalitas, quæ quidem de ſe eſt venialis, ſed prout adfert damnum grave, vel leve, eſt mortalis, vel levis. Si verò habeat perſona talis cauſam rationabilem remittendi injuriam ſibi illatam, tenet remiſſio, & laudabiliter aget; eſt enim actus eximiæ charitatis; ſi enim ex eâ liceat vitam exponere pro amico, licebit multò magis pro illo exponere famam. Unde Gregorius hom. 9. in Ezech. *Linguas detrahentium, ſicuti noſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant: ita per ſuam malitiam excitatas debemus tolerare, ut nobis meritum creſcat.* Deindè, injurias detrahentium remittendo imitamur Apoſtolum dicentem 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Et S. Auguſtinum alibi dicentem: ſenti de Auguſtino quodcumque libet, ſola conſcientia me non accuſet.

Aliud eſt de perſonâ publicâ, v.g. Prælato, cujus fama eſt ſubditis neceſſaria:

ria: hic enim non poteſt remittere injuriam detractionis; & quamquam remittat, manet tamen detractor ſemper obligatus, cùm non poſſit renuntiare juri, quod habet ſubditus ad ſuam famam, cujus ſubditus eſt dominus, non Prælatus.

An autem excuſetur hîc etiam detractor, quando famam diffamati auxit aliundè, non ita certò conſtat. Sylvius docet, quod quandoque poſſit excuſari, quando ſcilicet prudenti æſtimatione cenſeretur facta eſſe compenſatio. Hoc tamen ſæpè non contingit; maximè, dum augmentum fit in alio genere, v.g. ſi quem infamaverim de fornicatione, non excuſabor à reſtitutione famæ ex eo, quod eum laudem de liberalitate: quo caſu idem ferè accidit, ac quando quis laudatur, cum particulâ illâ *ſed*, dicendo v.g. *eſt homo doctus, pius, ſed*. qui modus, ait dictus Author, ſicuti eſt familiaris, ita etiam eſt pernicioſus. Notandum hîc inſuper, quod infamatus familiariter converſando cum infamante, cenſeatur quidem remittere injuriam, ſed non ideo cenſeatur remittere obligationem reſtituendi famam, niſi fortè jam ſit recuperata, aut illud facto, vel verbo exprimat, ſicuti non cenſetur creditor remittere debitum, ex eo, quod familiariter agat cum debitore. An compenſatio.

Sed quid, ſi fama aliundè ſit recuperata, aut infamia abſterſa? Reſp. Si fama ſit recuperata per ſententiam Judicis, depoſitionem teſtium, &c. manet diffamator liber à reſtituendo, quia inæqualitas jam eſt ablata, & reducta ad æqualitatem; ſic etiam, ſi Dominus ipſe, aut Judex rem furto ablatam Domino reddat, non debet eam reddere latro. Debet tamen diffamator reſarcire omnia damna, quæ ante ex infamatione infamatus eſt paſſus, uti etiam omnes ſumptus, quos facere debuit in famâ recuperandâ, quorum diffamator fuit vera cauſa. Quid ſi fama aliunde ſit recuperata.

Quod ſi quis poſt aliquot annos recordetur ſeſe graviter detraxiſſe alicui puellæ v.g. quæritur, an tunc debeat famam reſtituere, an verò debeat prius ſciſcitari ab illis, quibus id dixit, an aliquid ſciant de dictâ puellâ, quod à ſe ſit dictum. Variant hîc ſententiæ. Alii docent, quod fama non ſit reſtituenda, quando diuturnitate temporis eſt obliterata, eò quòd hoc caſu ceſſaverit omne damnum in famâ; ceſſante autem damno, ceſſat obligatio reſtituendi. Deinde, quod una ex conditionibus ad reparationem famæ neceſſariis illa ſit, quod fama ſit læſa, & per oblivionem deſinat eſſe læſa. Denique, quod hoc caſu retractare, ſit virtualiter reducere in memoriam crimen oblivioni jam traditum, atque ita non eſſet tam famæ reſtitutio, quàm nova diffamatio. Alii è contrà docent contrarium, eò quòd difficile ſit certò ſcire, an apud omnes oblivioni ſit datum, qui quandoque id poſſunt recordari, quandoque oblivifci. Unde melius docent alii, magna prudentiâ hîc eſſe utendum; ſi enim certò ſciat diffamator, crimen eſſe plenè obliteratum, nec probabile eſſe periculum, quod crimen ſit revocandum in memoriam, erit liber à reſtitutione famæ. Si verò ſit tale periculum, non erit ab illâ liber; quia etſi eo caſu fortè actu non ſit fama læſa, ſit tamen læſa habitu, cùm facilè poſſit infamia revocari in memoriam: Quomodo in caſu oblivionis

 unde

Digitized by Google

unde etiam patet ſolutio ad rationem primæ ſententiæ. Deindè, etſi in caſu talis periculi procedat diffamator ad dictam inquiſitionem, in ordine ad reſtitutionem faciendam, non ideo dicenda erit nova diffamatio, quia non fit ea ex animo diffamandi, ne quidem interpretativo; ſed potius fit animo infamiam auferendi, adeo ut ad ſummum ſit detractio merè materialis.

An hìc excuſet compenſatio mutua.

Quæri hìc etiam poteſt, an compenſatio hìc excuſet: v. g. ſi Petrus dixerit de Joanne eum eſſe furem, & Joannes viciſſim id dixerit de Petro. In primis poterunt illi ſibi mutuo remittere reſtituendi obligationem, niſi infamia vergeret in detrimentum aliorum. Quilibet eſt dominus ſuæ famæ. Deindè, probabiliter dici poteſt, quod etiam paria delicta mutuâ compenſatione deleantur: *Cap. fin. de adulterio.* Si enim in facultatibus licita ſit compenſatio, quare non etiam in delictis?

Objiciunt alii cum Navarro, quod juxtà hoc, licitum erit Joanni inferre contumeliam Petro, qui Joannem v. g. vulneravit, ſi Petrus nollet reſtituere, ſicuti licet occultè recuperare pecuniam, dum aliter non poteſt. Reſp. Afficere contumeliâ, eſt per ſe malum; unde illa ad habendam compenſationem, non eſt adhibenda. Quando autem delicta illa jam ſunt commiſſa, non erit contra rectam rationem in illis fieri compenſationem. Et quamquam per unam contumeliam, aut detractionem non tollatur alia detractio, aut contumelia, ſicuti per unum debitum pecuniarium tollitur aliud: tollitur tamen per ſubſequentem contumeliam obligatio reſarciendi damnum in famâ illatum, ſi alius nolit illud reſarcire. Sic v. g. ſi tu incendas domum meam, & ego tuam, per hoc non tollitur quidem damnum mihi illatum, ſed tollitur ſolùm obligatio reſtitutionis reciprocæ. Quod autem liceat magis pecuniam occultè accipere ad habendam compenſationem, quàm ad eum finem liceat alteri detrahere, ideò eſt, quod per acceptionem pecuniæ tollatur damnum, quod alter tibi retinendo inferebat; quo caſu vim vi repellis, neque eo caſu eſt privata vindicta. Per contumeliam verò, vel repercuſſionem non tollitur damnum ab alio illatum, adeoque redditur ſolummodo malum pro malo, ut fiat æqualitas, quod privato non licet. Neque etiam poteſt dici, quod vult ille idem Author, hâc dictâ ſententiâ foveri detractiones, & contumelias, dum quis putaret ſe poſſe alium infamare, quia ab alio prius eſt infamatus: omnes enim fatentur, quod ſic ſeſe mutuo infamantes peccent, & utrique competat jus ad proſequendam ſuam injuriam, ita tamen, ut illatis utrimque injuriis ſit locus compenſationi, ſicuti eſt in aliis debitis. Deindè, etſi mutuâ injuriâ, fiat compenſatio quantum ad damna mutuo illata; Judici tamen non tollitur jus puniendi, cujus timore ab injuriâ inferendâ ſufficienter poterunt deterreri.

Quid ſi fama ſecundùm ſe nequeat reſtitui.

Sed quid ſi fama reſtitui non poſſit ſecundùm ſe, an debeat ea reddi in alio genere, v. g. pecuniis. Reſp. Veroſimilius eſſe ità reſtituendam juxtà id, quod docet S. Thomas, quod quando aliquid non eſt reſtituibile ſecundùm ſe, debeat fieri reſtitutio juxta id, quod eſt poſſibile; hoc enim juſtitia, & æqualitas exigit, ut omni modo poſſibili reparetur, ſi ſit violata. Idem dictum eſt alibi

Digitized by Google

alibi de mutilatione. Etſi enim fama ſecundùm ſe ſit pretioſior pecuniâ, tamen prouti fama eſt bonum aliquod temporale, poterit tanta eſſe pecunia, ut famæ æquiparetur, ſicuti argentum poteſt æquivalere auro, etſi aurum argento ſit pretioſius.

SECTIO VII.

De reſtitutione honoris per contumeliam læſi.

HOnor, quem contumelia violat, conſiſtit in reverentiâ alteri debitâ, ratione alicujus dotis animi, non corporis, quibus bruta homines antecellunt. Hinc contumelia eſt contra juſtitiam, adeoque inducit obligationem reſtituendi, ut honore reparato habeatur æqualitas, juxtà illud Apoſtoli Rom. 13. *Reddite omnibus debita; cui honorem, honorem.* Quæſtio eſt de modo, quo facienda ſit dicta honoris reſtitutio. Et quidem veniæ petitio dicitur hìc eſſe modus ſæpè opportunus, aliquando ſufficiens, aliquando requiſitus, aliquando tamen inſufficiens. Alii volunt, illud hìc eſſe adhibendum, quod ad reparationem judicatur eſſe neceſſarium. Quid ſit honor.

Pro cujus intelligentiâ notandum eſt, in contumeliâ duo potiſſimum eſſe conſideranda: Primum eſt exacerbare proximum, quod eſt contrà charitatem: aliud eſt velle eum expoliare reverentia illi debitâ, quod eſt contrà juſtitiam. Charitati videtur ſatisfieri, ſi calumniator proximo reconcilietur. Juſtitiæ verò ſatisfit, exhibendo illi honorem debitum, quocumque modo ad id opportuno. Qui quidem modus cenſetur eſſe ſufficiens in eo, qui alium inhonoravit ex ignorantiâ, confitendo propriam ignorantiam, prout Apoſtolus Actorum confitebatur dicens: *Ignorabam fratres, quod Princeps ſacerdotum eſſet.* Si autem id factum eſſet ex malitiâ, irâ, odio, aut aliâ malâ voluntate, nec inhonoratus ſit ſubditus; non videtur ordinariè modus convenientior, quàm petitio veniæ, quâ ſimul ſatisfit charitati, & juſtitiæ: per hanc enim in primis de injuriâ illatâ dolemus, ac de eo pœnitemus, quo ſatisfit charitati. Deindè, humiliamus nos proximo per contumeliam læſo, quo facto honorem ablatum reſtituimus, & ſic ſatisfit juſtitiæ violatæ. Et hic modus, ait Salonius, eſt frequens in uſu fidelium, & Confeſſorum; ac tantò dignior, quantò charitati, ac humilitati vicinior. Diximus, *nec inhonoratus eſt ſubditus*, cùm in caſu, quod eſt ſubditus, alia reparationis methodus requiratur, quàm veniæ petitio, juxtà illud Regulæ S. Auguſtini: *Non à vobis exigitur, ut à vobis ſubditis veniam poſtuletis; ne apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas.* Regula hoc tempore minimè præſcribenda, dum plus plerique timeri appetunt, quàm amari, unde nullum hodie illius rei periculum. Hinc & ulterius patet, quod ad reparandum honorem nulla certa regula poſſit ſtatui, ſed relinquendum id eſſe arbitrio prudentiæ, juxtà circumſtantias temporis, loci, ac perſonæ; adeo ut moraliter loquendo cenſeatur honor læſus iteratò eſſe reparatus. Inter hujuſcemodi modos cenſent Reparatio honoris quomodo facienda.

 eſſe,

Digitized by Google

eſſe, infamatum amicè ſalutare, invitare eum ad prandium, amicè propinare, dare locum honorificum, &c. addunt quoque, honorem non ſolùm eſſe reſtituendum, quando quis poſitivè alium affecit contumeliâ: ſed etiam, quando privativè, id eſt, quando quis non exhibuit honorem alteri debitum; quæ reſtitutio fieri cenſetur, quando honor omiſſus rurſum exhibetur. Neque ſolummodo reſtituendus eſt honor, ſed & omnia damna ex inhonoratione ſecuta, v. g. ſi ideo exciderit à beneficio, officio, &c.

An contumeliæ ſint patienter tolerandæ. Quæres, an ſemper expediat alium urgere ad reparationem honoris. Reſp. In primis quilibet debet habere animum contumelias quaſvis patienter ferendi, cùm quilibet debeat eſſe animo paratus ad ſervandam Dei legem, adeoque legem Dei de ferendis injuriis, ubi illud lex Dei poſtulaverit: eſt enim illud præceptum affirmativum, obligans ſolummodo in certis circumſtantiis, & in præparatione animi, ubi occaſio ſe obtulerit. Deinde, nullus quantâvis contumeliâ affectus, poteſt habere animum poſitivè contrarium illam nunquam ſufferendi, ſed ſeſe ſemper vindicandi, cum quo conſiſtere nequit animus adimplendi legem de injuriis aliquando ferendis. Sæpius tamen laudabile eſt, & Chriſtiano dignum, illatas injurias pro nomine JESU more Apoſtolico velle ſuſtinere: ſuadet id lex Chriſti, ut cùm maledixerint nobis homines, & dixerint omne malum adverſum nos mentientes propter ipſum; gaudeamus, & exultemus, quoniam merces noſtra copioſa eſt in Cœlis. Commendat S. Gregorius in his caſibus recurrere ad conſcientiam noſtram, dum dicit. *lib.* 8. *Epiſt. cap.* 45. *Inter verba laudantium, ſive vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt, & ſi in eâ non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam triſtitiam generare debet: & rurſum, ſi in eâ non invenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam lætitiam debemus proſilire. Quid enim, ſi homines laudent, & conſcienta nos accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia liberos nos eſſe demonſtret?* Et Homilia 9. ſuper Ezech. *Quid autem poteſt obeſſe ſi homines vobis derogent, & ſola vos conſcientia defendat?* Debet tamen injuriatus aliquando injuriantem compeſcere, maximè propter duo, puta propter bonum injuriantis, & ad avertendum malum aliorum. Sic ait Sapiens Proverb. 27. *Reſponde ſtulto juxtà ſtultitiam ejus, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Sic quoque ad avertendum aliorum malum, detrahentium linguas compeſcendas eſſe ab his, quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, docet ibid. S. Gregorius, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant; & ità in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant. Unde hîc verum eſt illud S. Auguſtini: qui negligit famam, crudelis eſt. Debet tamen illa reſiſtentia fieri, quàm maximè poſſit, modeſtè, ne reſpondendo ſtulto juxtà ſtultitiam ejus, ei ſimilis efficiatur. Certè, non litigandum eſſe umquam cum homine linguato, ne ſtruantur ligna in ignem illius, docet Sapientia æterna *Eccleſ.* 8.

Quicumque tamen ſit, tenetur ex corde remittere injuriam, rancorem, & omne odium ergà contumelioſum. Jubet id lex Evangelica Matth. 5. *Diligite*

ligite inimicos veſtros. Et Apoſt. ad Coloſſ. 4. *Nunc autem deponite & vos omnem iram, indignationem, &c. ſupportantes invicem, & donantes vobismetipſis.* Quod faciendum eſt, non tantùm dum contumelioſus illud rogat dimitti, ſed etiam id non roganti: nec enim Chriſtus, vel Apoſtoli dixêre diligendos inimicos, illis donandum, dum veniam rogant; ſed generaliter, dum malefaciunt. Quamvis autem quilibet ex corde remittere debeat injuriam illatam, non tamen ideo remittere debet actionem injuriarum, & ſatisfactionem pro injuriâ illatâ. Licitum enim eſt cuilibet læſo viâ legitimâ proſequi ſuum jus, aliàs ſi id non liceret, oriretur maxima in omni Republica confuſio, & perturbatio, & paſſim mali bonos opprimerent injuriis, tribuereturque incentivum delinquendi. Hinc, quamvis inhonoratus, etiam in Confeſſione Sacramentali dimiſerit injuriam ab alio illatam, poterit nihilominus in foro exteriori actionem injuriarum intentare, aut jam intentatam proſequi. Sic & Acatholici, communione Cœnæ illorum cenſent, non remiſſam eſſe injuriam, quoad actionem injuriarum: atque ita Friſiæ Senatum cenſuiſſe, tradit *Sande lib. 9. tit. 8. defin.* 12.

Pœna libelli famoſi.

Reſtitutioni quoque obnoxium eſſe illum, qui ſcripſit libellum famoſum, per ſe patet, cùm ſit ſpecies detractionis cæteris gravior, juxtà ante dicta Sect. 1. pœna illius Jure Civili eſt capitalis, *L. unica C. de famoſis libellis.* Jure Canonico flagellatur, & excommunicatur, Cap. *hi qui*, 5. q. 1. Jure Belgico juxtà Zypæum *Not. Juris Belg. de libellis famoſ.* Eſt pœna patibuli, & confiſcationis bonorum, ſi ſit adverſus Religionem, ſalutem publicam, Regiam Majeſtatem, ejuſque jura, aut contrà eos, qui ad gubernacula Reipublicæ ſedent. Edicto 1. Maii 1566. qui verò libellum famoſum inventum non ruperit, aut Magiſtratui detulerit, arbitrariæ pœnæ ſubjicitur. Vide Cod. Belg. V. *Paſquillen.* Noviſſima Ordinum Generalium Edicta, primâ vice 1000. Carolinorum mulctam imponunt; deindè duplum, & corporalis pœna huic capitali ſurrogatur, Ità Groenweg. *Cod. lib. 9. tit. 36. de famoſis libellis*, addens Edicta illa diſſolutis hominum moribus difficilius revocari ad praxim; quod & aſſerit eſſe dolendum.

SECTIO VIII.

De Suſurratione, & Deriſione.

Quid ſuſurratio, ejuſque gravitas.

S*Uſurratio* eſt occulta oblocutio contrà proximum ad diſſolvendam amicitiam, & diſcordias ſeminandas inter amicos ordinata. Convenit ergò cum detractione, quod occultè noceat: in fine autem ab eâ differt, cùm detractio fiat ad auferendam famam, ſuſurratio verò ad diſſolvendam amicitiam. Eſt interim ſuſurratio peccatum mortale, & quidem gravius detractione, & contumeliâ, eò quòd auferat amicitiam, quæ eſt bonum eminentius, quàm ſit honor, vel fama, quæ ſolummodo ſunt diſpoſitiones ad famam, vel honorem obtinendum; finis verò præſtantior eſt mediis. Patet id etiam, quod

pro

pro amico liceat exponere vitam, quod non liceat pro famâ, vel honore, niſi fortè illis conjunctum eſſet aliquod bonum ſpirituale. Hinc Eccleſiaſtici 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio.* Et Cap. 28. dicitur, ſuſurro, & bilinguis eſſe maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. *Rom.* 1. ſuſurrones excluduntur à regno Dei. *Prov.* 6. inter ſeptem, quæ deteſtatur anima ſapientiæ æternæ, eſt ſeminare inter fratres diſcordias. Hinc & SS. Patres vocant ſuſurrones, *Diaboli Advocatos*, cujus proprium eſt officium, turbare pacem, & amicitiam. Sæpè tamen poteſt eſſe venialis, 1. Ex levitate materiæ. 2. Ex imperfectione actûs, ut quando non lædit amicitiam, ſed ſolummodo exceſſum amicitiæ, manente quoad ſubſtantiam amicitiâ, & benevolentiâ. 3. Ex modo dicendi, ſi dicatur quidpiam jocosè, aut non ità, ut credatur, aut non lædat; niſi fortè prævidere potuiſſet ex tali joco diſſolvendam eſſe amicitiam. Dicta quoque intelligi debent de amicitiâ honeſtâ, quia quod fit ad diſſolvendam amicitiam ſuſpectam, non eſt ſuſurratio, ſed dilectio proximi ordinata, qualis eſſet, ſi quis ſeminaret diſcordias inter Concubinam, & Concubinarium.

Quando ſit venialis.

Quærunt hîc aliqui, an qui non poteſt obtinere gratiam Prælati, niſi alium per ſuſurrationem ab illâ dejiciat, poſſit uti ſuſurratione. Et Soto *de Jure, & Juſt. lib.* 5. 11. *art.* 1. docet id neutiquam licere infamando, bene tamen narrando aliqua vitia naturalia, quæ ſint publica; dum unuſquiſque ſine vi, vel fraude poteſt ſibi comparare commodum ſuum, modò illo ſit dignus. Quod ſi arguas, id verum eſſe niſi alter repellatur à jure ſuo: reſpondet, quod quando illud jus alicui competit ex juſtitiâ, nefas eſſet tali jure hominem ſpoliare: ſed tamen, quando gratuitò in alterius amicitiâ retinetur, non fiet ei injuria. Ita Soto. Addunt alii pro dictâ ſententiâ, ſolummodo id fieri viâ illicitâ, quando id fit vi, vel fraude, aut ſi fiat proximum infamando, aut amicitiam diſſolvendo; aut denique ſpoliando proximum, ad quod habet jus: nihil autem horum hîc fit, ſed ſolummodo impeditur exceſſus amicitiæ; neque alius jus habet ad amicitiam, quæ pendet ab alterius liberâ voluntate. Quibus omnibus non obſtantibus docent rectius alii cum Salonio *q.* 74. *art.* 2. *in fine*, etiam talem peccare contra juſtitiam. Neque enim ille ſolummodo peccat contra juſtitiam, qui ſpoliat fratrem bono aliquo ipſi debito, ex juſtitia: ſed etiam, qui eum ſpoliat bono gratuito jam illi conceſſo: v. g. ſi quis conſtituiſſet egeno dare eleëmoſynam; ſi quis illi ſuaderet eam non dare, teneretur egeno ad reſtitutionem: ita & in hoc caſu, etſi amicitia ſit gratuita, tamen poſtquam quis in amicitiam eſt admiſſus, extrudere illum de tali amicitia, etſi non ſeminando diſcordias, ſpoliatur ille bono jam illi conceſſo, quod eſt contra juſtitiam. Hoc autem clarius patet, ſi ex tali dejectione ab amicitiâ, alter dejectus incurrat aliquod damnum, aut amittat aliquod bonum, quod plerumque ſolet accidere, dum quis amicitiâ Principis, aut Superioris deturbatur. Adde, ſæpè quoque in hoc caſu advenire læſionem famæ quæ illi ſuſurrationi ſolet eſſe con-

rexa:

nexa: qui enim inter aliquos diſcordias ſeminat, alterius bonum nomen extenuat, ut ab alterius amicitiâ eum diſſociet.

Deriſio juxtà S. Antoninum *p. 2. tit. 6. de gulâ*, eſt actus locutionis propriè, quo quis intendit ad erubeſcentiam, & confuſionem alterum inducere. Cùm enim quatuor ſint, quæ homo ob virtutem mereatur, honorem ſcilicet, famam, amicitiam, & lætitiam bonæ conſcientiæ ad ſe ipſum, ita quoque in illis omnibus homo lædi poteſt à linguâ maledicâ. Contumelia namque lædit honorem, detractio famam, ſuſurratio amicitiam: & deriſio lædit illam bonæ conſcientiæ lætitiam, cauſando confuſionem, & erubeſcentiam, ac conſequenter inquietudinem deridendo. Fieri autem poteſt, quod quis dupliciter afficiatur erubeſcentiâ: ſemel verbis irriſoriis, ironicis, &c. quod propriè dicitur *deriſio*: ſemel, ſi id fiat facto, v.g. naſo rugato, contorto collo, exerendo linguam, movendo caput, quod propriè dicitur *ſubſannatio*. Deriſio eſt peccatum grave, dum dicitur grave malum de proximo, aut etiam leve, quod ſit grave reſpectu alicujus perſonæ dignioris, vel dicatur illud ex intentione graviter alium pudefaciendi, inde enim evenit grave proximi damnum. Pudefactio verò illa oriri debet ex perturbatione, aut confuſione proximi: quia ſi ſolum proveniret ex paſſione verecundiæ, aut rubore, non ſolet ita æſtimari, & cenſetur magis eſſe aliquid naturale, quàm morale. Si verò ſit quid abſolutè leve, erit deriſio ſolummodo peccatum leve. Quid deriſio.

Ratione perſonæ juxtà D. Thomam maxima eſt deriſio Dei, quæ propriè eſt blaſphemia. 2. Loco ponitur deriſio parentum. 3. Loco, deriſio juſtorum, quæ, ut ait Sylvius, eſt peſtilentiſſima, & plerumque eſt peccatum mortale. De ejuſmodi deriſoribus, ait S. Ephrem de rectâ viv. ratione Cap. 17. *Qui honeſtis occupatos laboribus irridet, Diaboli miniſtrum ſe facit, ſceleſtæque ejus voluntati obſequens, gaudium, quod Dei ſervis præparatum eſt, deperdet.* Eos Caſſiodorus vocat *ſtultos*: ait enim ſup. Pſalm. 38. *Stultorum conſuetudo talis eſt, ut illos magis irrideant, quos bonis moribus ſtudere cognoſcunt.* De illis dicitur Proverb. 19. *Parata ſunt deriſoribus judicia.* Ubi quoque deſideratur pax, & concordia; deriſio erit exterminanda, juxtà ibid. Cap. 22. *Ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium.* Neque hîc admittenda deriſio joci causâ adhibita, quam aliqui volunt eſſe actum honeſtæ recreationis, ſpectantem ad virtutem moralem eutrapeliæ, tendentis ad honeſtas animi recreationes: promiſcuè enim ex ſimilibus deriſionibus periculum adeſt fratrem contriſtandi, & pudefaciendi, & ſæpiſſimè ſolent in jurgia degenerare, adeoque meritò ab iiſdem erit abſtinendum. Notat tamen hîc ultimò Exim. D. Sylvius, quod ſi quis alium pudefaciat, ut eum à malo avocet, non ſit deridere, ſed ſit opus charitatis, & correptionis fraternæ. Gravitas deriſionis

SE-

SECTIO IX.

De Judicio temerario.

Quid ſit judicium temerarium. JUdicium temerarium eſt, cùm quis opus proximi, de quo non habet ſufficientia judicia ad cognoſcendum, utrum bonum ſit, vel malum, in mente ſuâ firmiter affirmat, ſeu determinat illud eſſe malum. Ita S. Antoninus *p.* 2. *tit.* 3. *cap.* 8. §. 1. Sequitur inde, etiam judicium temerarium violare bonam de proximo opinionem, & conſequenter eſſe contra juſtitiam, uti eſt detractio. Proximus enim habet jus ad ſuam famam, quamdiu non adeſt ratio ſufficiens in contrarium. Violatur verò fama, tam per actus internos, quàm externos: imo exterior detractio non infert nocumentum, niſi quatenus in alio generat malam de proximo ſuſpicionem, aut judicium ſiniſtrum. Quid opinio temeraria. Differt autem judicium temerarium ab opinione temerariâ, quod hæc ſit cum formidine aliqua de oppoſito, judicium verò illud ſit aſſenſus abſolutus, & determinatus. Oritur judicium illud ex triplici potiſſimum capite: 1. Ex malitiâ judicantis: *in viâ ſtultus ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* 2. Ex odio, & invidia, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*: Hinc, ſicuti illos, quos diligimus, judicamus eſſe bonos: ita illos, quos odimus, judicamus malos; eò quòd voluntas, & intellectus ſe mutuò facilè inclinent, & pertrahant in idem. 3. Oritur ſæpè ex longo uſu, unde juxta Ariſtotelem 2. *Rethor.* Senes ſunt maximè ſuſpicioſi. Quod autem vitium illud de ſe ſit peccatum mortale, declarat Scriptura, judicio temerario indicens condemnationem. Lucæ 6. *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et Jac. 4. *Qui judicat fratrem, detrahit legi.* Et ratio eſt, quod gravis irrogetur proximo injuria, dum ſine causâ habetur improbus. Idem etiam verum eſt, etſi ſolâ mente formetur, & retineatur tale judicium, nec foras in contumelias erumpat: quivis enim cordatus, mallet ſpoliari aliquot aureis, quàm apud aliquem bonâ famâ; unde patet id graviter lædere proximum. Deindè, ſicut proximus jus habet ad famam apud alios, ita & habet jus ad famam quoad te. Inſuper apertè illud judicium contrariatur illi generali regulæ juris naturæ, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* His adde illud S. Auguſtini epiſt. 137. *Qui de occultis judicat proximum, divinum ſibi uſurpat judicium.*

Requiſita ad judicium temerarium. Quæres 1. an ad judicium temerarium requiratur, ut aſſeveranter judicet ex levibus indiciis aliquem malè egiſſe; an verò ſatis ſit, quod illud ſuſpicetur. Reſp. Aliqui volunt eſſe mortale ob levia ſigna proximum contemnere, ac habere de eo malam opinionem: quod æquè contra juſtitiam eſt, ac contra Chriſtianam charitatem. Imo, quod viri probi, mallent de levi crimine firmiter judicari ſine ſufficientibus judiciis, quàm ſolâ ſuſpicione perſtringi de gravioribus. Sic grave æſtimant ſuſpicari, quod quis ſcortetur cum furore, etſi illud aſſeveranter needum judicent. Contraria tamen ſententia eſt com-

communis. Pro cujus intelligentiâ recolligendum eſt, quod ſcribit D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 3. *Triplex*, ait, *eſt gradus ſuſpicionis. Primus quidem gradus eſt, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat: & hoc eſt veniale, & leve peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, ſine quâ vita iſta non ducitur, ut habetur in gloſſa ſuper illud* 1. *ad Corinth.* 4. NOLITE ANTE TEMPUS JUDICARE. *Secundus gradus eſt, cùm quis pro certo malitiam alterius æſtimat ex levibus indiciis: & hoc, ſi ſit de aliquo gravi, eſt peccatum mortale, in quantum non eſt ſine contemptu proximi, unde gloſſa ibidem ſubdit: etſi ergo ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus; judicia tamen, id eſt, definitivas, firmaſque ſententias continere debemus. Tertius gradus eſt, cùm aliquis Judex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad injuſtitiam pertinet, unde eſt peccatum mortale.* Hæc D. Thomas, cujus verba expoſitione non egent. Qui ergo docent, ſuſpicionem de gravi malo proximi eſſe peccatum grave, intelligendi ſunt de ſecundo gradu ſuſpicionis, prouti continetur ſuſpicio ſub temerario judicio.

Quæ indicia ſint ſufficientia, & inſufficientia.

Quæres 2. quæ indicia ſint dicenda eſſe ſufficientia, ne judicium aliquod ſit temerarium. Reſp. *Levia* indicia illa ſunt, quæ conſideratis circumſtantiis non ſufficiunt ad inducendum virum prudentem ad formandum ſimile judicium. *Gravia* ſunt, quæ ad illud idem ſufficiunt. Ad hæc conducit plurimum conſideratio temporis, ut ſi quis de nocte videat adſcendentem ſcalas, ad judicandum adſcendentis furtum; conducit quoque conſideratio loci, ſi v.g. in loco ſecreto videat juvenem cum puellâ laſcivè agere: item conſideratio perſonæ, ſi videam juvenem loqui cum meretrice, quo caſu magis judicare poſſem de libidine, quàm ſi viderem virum gravem cum eâ loqui. Grave itidem indicium eſt fama de peccato alterius, quæ ſit fundata; ut puta, quia habet authores veros, vel probos, aut alia fundamenta. Unde patet, non poſſe ita præcisè determinari, quando indicia levia ſint, an gravia; ſed morali judicio id potius eſſe disjudicandum, attentis omnibus circumſtantiis.

Quando judicium temerarium ſit veniale.

Quæres 3. ex quibus capitibus poſſit judicium temerarium eſſe peccatum veniale. Reſp. Primò, ob inadvertentiam, & indeliberationem. Secundò, ſi temeritas non ſit notabilis, id eſt, ſi non ſit magna diſconvenientia inter indicia, & judicii firmitatem, adeo ut indicia ſint ferè ſufficientia ad virum prudentem inducendum ad tale judicandum. Tertiò, ex parte parvitatis materiæ: illa verò hîc cenſetur generaliter eſſe gravis, quæ omnibus attentis graviter præjudicat honori alterius: peccatum mortale quidem de ſe videtur eſſe gravis materia, cùm per illud homo fiat infamis coram Deo, & hominibus: tamen ratione perſonæ poteſt ſubindè eſſe levis, v.g. ſi de milite dicam, eum acceptaſſe duellum: de juvene aulico, quod ſolicitârit puellam; eò quòd illud illorum honori non cenſeatur graviter præjudicare, neque illis fieri gravem injuriam, dum ſæpè ſimilibus glorientur, & credant ſeſe iis commendari. Sic contrà peccatum veniale de ſe eſt materia levis, ità

Digitized by Google

tamen, ut ratione perſonæ poſſit eſſe gravis; qualis eſſet, ſi de Prælato diceret, quod ſoleret mentiri; de virgine honeſtiſſimâ, quod de nocte cum viro miſceret ſermones, &c. & generaliter, dum omnibus attentis, cenſeretur alterius honori graviter obeſſe.

Quale peccatum ſit dubitare de alterius probitate.

Quæres 4. an etiam dubitatio de alterius probitate ſine ſufficientibus motivis, ſit peccatum mortale. Reſp. Dubitatio poſitiva de probitate alterius ſine ſufficienti fundamento, eſt de ſe peccatum mortale, niſi materiæ levitas faciat eſſe veniale. Ratio eſt, quod proximus jus habeat, ne ſub dubio malè opineris de illo, quamdiu nihil obſtat ſufficiens: dubitando autem de alicujus probitate ſine ſufficienti causâ, illi contravenimus. Probat illud Soto ex eo, quod jus illud proximi ſub dubio violet, etiam dum citrà aſſenſum dubitat, cùm dubium illud ſit cauſa, cur proximum minus æſtimet, quàm deceat, & periculum creët, ne proximum deſpiciat, ac odio perſequatur. Aliud eſſet, ſi foret dubitatio indeliberata, quaſi quas vitare mens humana non poteſt, & quam S. Auguſtinus refert ad dubitationem humanam, de quo ante actum eſt.

An dubia ſint in meliorem partem interpretanda.

Quæres ergo 5. an dubia ſint ſemper in meliorem partem interpretanda. Reſp. Prænotandum eſt poſſe dubia dupliciter interpretari in meliorem partem: ſemel poſitivè, ut quando eſt dubium, an quis aliquid fecerit, judicemus poſitivè eum illud non feciſſe. Alio modo negativè, quando de eo, nec bene judicamus, nec malè. Hoc poſito, docent communiter, dubia in meliorem partem interpretanda eſſe ſaltem negativè: ratio eſt, quia etſi nemo jus habeat, ut poſitivè de eo bene judicetur; habet tamen jus, ne temerè, & ſine ſufficienti fundamento judicetur malus: ſed quando res eſt dubia, deëſt fundamentum ſufficiens, ut iniquè de proximo judicemus; maximè, dum in pari causâ, melior eſt conditio poſſidentis, bonam ſcilicet opinionem. Idem dicendum eſt, dum quis actu verſatur circà mores proximi, quo caſu obligatur poſitivè etiam dubia interpretari in meliorem partem, idquè ob eaſdem planè rationes jam dictas. Et quamvis fortè altera pars ſit vera; puta, quod malè fecerit; præſtat tamen errare, benè ſentiendo de proximo, quàm de illo ſentiendo malè: hoc enim judicare ſine ſufficienti motivo, malum eſt, non verò iſtud. Aliud eſt, quando agitur de præcavendo aliquo damno, & adhibendo remedio; quo caſu, etſi non liceat poſitivè definire, malum aliquod eſſe factum; licebit tamen illud ſupponere, quaſi reverà ſubeſſet, ut ſibi caveret. Si enim ad cavendum proprium incommodum liceat occultum alterius crimen verum revelare: potiori jure videtur licitum eſſe ad præcavendum proprium damnum, dubia interpretari in partem pejorem, modo jam dicto; maximè, cùm id fieri poſſit ſine detrimento famæ. Hinc, ſi domi recipiam hominem ignotum, quamvis judicare non poſſim eum eſſe nequam: poſſum tamen proſpicere rebus meis, ac ſi eſſet fur: item contra juvenem circumeuntem domum puellæ, licet patri puellam cuſtodire, ac ſi quid mali juvenis intentaret: licet Prælato ex quibuſdam indiciis ordinatio-

Digitized by Google

nationes injungere ſubditis, ac ſi quid mali eſſet factum. Notat tamen cum aliis Salonius q. 6. art. 4. in hâc parte plurimum deſiderari prudentiam, ne Prælati, vel parentes ſint nimii, ac ne dum volunt ſuis proſpicere, illos ad amaritudinem provocent, aut apud vicinos infament.

Quæres ultimò, quid judicandum ſit Confeſſario, quando dubitat aliquis, an deliberatè, vel indeliberatè judicaverit; an habuerit ſufficientia motiva ad judicandum. Reſp. Docent Authores hîc conſiderandum eſſe, an ille qui dubitat, ſit timoratæ, an latæ conſcientiæ. Si primum, & talis dubitat, an moraliter judicando deliquerit; interogandus eſt, an ſi tunc advertiſſet illud eſſe judicium temerarium, deliberatâ voluntate conſenſiſſet? ſi reſpondeat negativè, excuſandus eſt à mortali. Quod generaliter pro directione conſcientiæ ſcrupuloſæ poteſt obſervari, quæ ſæpè putat ſeſe conſenſiſſe, ubi reverâ non conſenſerit deliberatè. In aliis verò conſcientiæ largioris, non ita pro illis eſt judicandum, ſed ex circumſtantiis temporis, loci, perſonæ, & affectûs pravi ita judicantis, arbitrio prudentis Confeſſarii erit disjudicandum. Idem erit in determinandâ ſufficientiâ motivorum, ad judicandum. Unde hîc, uti in aliis pleriſque locum obtinet Confeſſarii diſcretio.

Digitized by Google

TRACTATUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De Judiciis.

SECTIO PRIMA.

Quid judicium, & an judicare ſit licitum.

Quid Judicium.

JUDICIUM varia ſignificat: 1. Juſtam determinationem juris, ſive ſententiam: 2. Determinationem intellectûs, ſive practici, ſive ſpeculativi: 3. Negotia; ſic 1. Cor. 6. *Sæcularia judicia, ſi habueritis.* 4. Legem, ſic Pſ. 118. ſæpè Lex divina vocatur *Judicium.* 5. Condemnationem æternam, ſic Sapientiæ 6. *Judicium duriſſimum his, qui præſunt.* 6. Uſum rationis. 7. Tribunal, ſive Civile, ſive Eccleſiaſticum. Omnia tamen ultimatè dicuntur à *dicendo jure*, ſive *juſto*, unde derivatur judicium. Deſcribitur à S. Antonino parte 3. tit. 9. *Actus judicii, & authoritas judicandi eſt quædam poteſtas delegata, ſeu collata hominibus à Deo, qui in hoc tenent locum, & vices Dei.* Eſt autem judicium actus juſtitiæ, quæ directè inclinat in hoc, ut juſtum dicatur, & juſtum fiat. Et quamquam omnis virtus in hoc inclinet, ut in materiâ propriâ habeat rectum judicium; non ideo tamen omnis virtus ſpectat ad virtutem juſtitiæ; quia illud judicium eſt impropriè dictum, quatenus juſtè, id eſt, rectè de tali materiâ judicatur. Deinde, hoc ipſum facit Juſtitia, poſitivè illud procurando; aliæ verò virtutes hoc ſolùm faciunt removendo prohibens, moderando paſſiones partis ſenſitivæ, &c.

Patet

Patet hinc clarè, judicium eſſe actum licitum, imo etiam humano generi neceſſarium, propter variorum incommodorum compoſitionem, injuriarum redintegrationem, & juſtitiæ ipſius conſervationem, quæ ſine judiciis obtineri non poſſent. Hinc Deus ipſe Exodi 18. *Conſtitue Judices, qui populum judicent omni tempore.* Et in toto libro Judicum laudantur *Sampſon*, *Gedeon*, *Jephte*, *Samuel*; *&c.* ſic ab initio Eccleſiæ, ſive novi Teſtamenti Judicia fuêre obſervata. Sic Paulus 1. Cor. 5. judicavit incæſtuoſum eum excommunicando. Petrus Act. 5. exercuit Judicium in Ananiam, & Saphyram. His adde, fruſtraneas fore leges civiles, niſi judicia licerent, dum leges datæ ſint, ut juxtà eaſdem judicarent. Denique, ut dictum eſt, judicium eſt actus juſtitiæ. Unde patet, graviſſimum fuiſſe errorem Waldenſium, & Anabaptiſtarum, ex aliquibus Scripturæ locis malè intellectis, judicia reprobantium. Loca illa erant, quod Matthæi 7. dicatur: *Nolite judicare.* Quod Cap. 5. dicatur: *Si quis voluerit tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, da illi & pallium.* Quod Apoſtolus 1. Cor. 6. dicat: *Delictum eſt in vobis, quod judicia habeatis inter vos: cur non magis fraudem patimini?* Verum prior locus apertè agit de judicio temerario, ſubditur enim: *Quod vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras?* Locus alter ſolummodo id præcipit quoad præparationem animi, ut vellemus potius quidvis pati, quàm charitatem vindicando violare, prout etiam dicitur, *qui te percuſſerit in unâ maxillâ, præbe ei & alteram*; ubi tamen ipſe Chriſtus ſe percutienti dixit: *Cur me cædis?* & Paulus, *Percutiat te paries dealbate*? ad locum Apoſtoli, alii intelligunt per te *delictum*, periculum peccati, quod omnis litigans incurrit, dum plerumque lites comitari ſolent inimicitiæ, odia, detractiones, invidiæ, &c. Deinde Apoſtolus carpit Corinthios, quod cùm poſſent commodè finire lites apud arbitros fideles, illas traherent ad infideles, quibus eſſent ſcandalo tam facilè litigando. Deniquè, etſi fortè litigare eſſet malum, non ideo ſequeretur etiam malum eſſe judicare.

Judicare eſt licitum.

Porrò, ad rectum judicium aliqua ſunt neceſſariò requiſita. 1. Ut procedat ex inclinatione juſtitiæ, quatenus juxtà leges debet dari unicuique, quod ſuum eſt: item ex inclinatione juſtitiæ, quatenus debent diligere juſtitiam, qui judicant terram, de quibus latius eſt agendum Sect. ſeq.

Dividitur 1. judicium ex perſonâ judicantis, in Eccleſiaſticum, & ſæculare. Eccleſiaſticum eſt, quod agitur coram Judice Eccleſiaſtico de re Eccleſiaſticâ, maximè ſpirituali, aut illi annexâ, v.g. de matrimonio, beneficiis, jure patronatûs, &c. explorati enim juris eſt, ſolùm Eccleſiaſticis Judicibus, non laicis, harum rerum, & ſimilium cognitionem competere. Deinde, ſingulari privilegio Clericis conceſſo, tam ex Conſtitutionibus Civilibus *Authent. Clericus*, *Authent. ſtatuimus C. de Epiſc. & Clericis*, quàm ex SS Canonibus *Cap. ſi diligenti 12. Extrav. de foro compet.* Et alibi paſſim, ſtatuitur, ut Clericorum cauſæ civiles, ubi conveniuntur, pertineant ad Judicem Eccleſiaſticum, adeo ut Clerici etiam jurati huic privilegio renun-

Diviſio judicii.

Digitized by Google

tiare nequeant, Cap. dicto *ſi diligenti*, & nos plura de beneficiis. Sæculare judicium eſt, quando id agitur coram Judice ſæculari.

Judicium poſſeſſorium, & petitorium.

Dividitur 2. in judicium poſſeſſorium, & petitorium: *Poſſeſſorium* eſt, in quo de ſolâ poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione contenditur, ſive acquirendâ, ſive retinendâ, ſive recuperandâ. *Petitorium* eſt, in quo de rei controverſæ proprietate, vel de alio jure agitur extrà poſſeſſionem, aut quaſi poſſeſſionem, v. g. ſi adeatur hæreditas, ſi res vendicetur, ſi contendant ſibi competere jus eligendi, præſentandi, conferendi, &c. An autem poſſeſſorio, an petitorio judicio agatur, ex concluſione libelli, ſive narrationis potiſſimum intelligitur.

Ordinarium, & extraordinarium.

3. Dividitur judicium in ordinarium, & extraordinarium. *Ordinarium* eſt, in quo ſolemniter ſervato judicii ordine proceditur, putà, cum Reo in jus vocato libellus traditur, fitque litis conteſtatio, & juramentum calumniæ, res probatur, & à judice fertur ſententia; unde & hujuſmodi judicium ſolet vocari *ſolemne*, ob dictas ſolemnitates judicii adhibendas. *Extraordinarium* dicitur, in quo omiſſo ſolemni judicii ordine, ſimpliciter ſine ſtrepitu judicii proceditur, uti fit in cauſis electionum, poſtulationum, officiorum, dignitatum, decimarum. uſurarum; ita tamen, ut adſint probationes legitimæ, ac neceſſariæ, defenſio legitima, citatio, juramentum de calumniâ, & ſententia Judicis definitiva. Solent verò in omni judicio contentioſo intervenire 4. Judex, Actor, Reus, & cauſa. Hinc ut ordine procedamus, primò agendum eſt.

SECTIO II.

De Judice, ejuſque Officio, & Obligatione.

Quid Judex.

JUdex dicitur, quaſi *jus dicens*, quia primarium Judicis officium eſt edicere, quid cuique debitum ſit; ſive, quid ſit juſtum. Unde & ab Ariſtot. vocatur *jus animatum.* Magna eſt ejus authoritas, adeo ut Pſalmo 81. dicatur *Deus. Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos disjudicat:* Ubi per *Deos* intelliguntur Judices. Exodi 22. *Diis non detrahes, & Principi populi non maledices.* Ubi rurſum vocantur Judices *Dii.* Idem fit Exodi 7. ubi Deus dicit Moyſi, *Ecce, conſtitui te Deum Pharaonis*, ubi Hæbrei habent *Judicem Pharaonis.*

Judex legitimus.

Conditiones, ac qualitates boni Judicis expreſſit Jetro Sacerdos ita ad Moyſen dicens Exodi 18. *Provide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & oderint avaritiam.* Requiritur ergo primò in Judice legitima miſſio, ſive juriſdictio ad judicandum neceſſaria, de quâ ante egimus. Hinc judicium uſurpatum, eſt iniquum, prouti lex lata ab illo, qui non habet legitimam authoritatem nulla eſt, & iniqua, cùm judicium ſit quaſi lex particularis. Deindè, cùm judicium non ſolùm habeat vim declarativam, ſed etiam punitivam, requirit debitam authoritatem. Denique, eo caſu fit gravis injuria illi, cujus authoritas uſurpatur. Vide plura de juriſdictione loco citato. Inſinuatur interim ex omni plebe viros meliores eſſe eligen-

gen-

Digitized by Google

gendos, quo pacto damnatur ambitus, ſive ambitio officiorum, ſæpè ab indignis uſitata, in quam animadvertunt variæ leges omnium Regnorum, tam Civiles, quàm Eccleſiaſticæ, quæ utinam ubique attenderentur.

Secundò requiritur in Judice ſapientia: unde Pſ. 2. *Erudimini, qui judicatis terram.* Hinc & Salomon rogavit à Domino ſapientiam, ut populum ſuum diſjudicare poſſet, & diſcernere inter bonum, & malum. *Impoſſibile enim eſt*, ait S. Baſilius hom. in init. Prov. *eum, qui non eſt praeruditus in juſtitiæ cognitione, ambiguas res rectè judicare poſſe.* Neque hîc ſufficit ſapientia qualiſcumque, ſed requiritur maxima: nam ut rectè D. Thomas de regimine Princ. lib. 1. cap. 15. *Regendi, & gubernandi munus, ars omnium ſumma, & difficilior inter omnes totius mundi artes. Indiget proinde ſcientiâ, & ſapientiâ nimiâ.* Defectu hujus requiſiti, tot ubique injuſtæ ſententiæ, & oppreſſiones innocentium, dicente S. Auguſtino lib. 16. Civ. c. 6. *Plerumque Judicis ignorantia, eſt calamitas innocentis.*

Tertiò, requiritur in Judice timor Domini: *Qui enim timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt juſtitiæ, apprehendet illam.* Eccli. 15. *Et timor Domini, eſt initium ſapientiæ.* Prov. 1. rationem dat S. Gregorius Paſtoral. p. 2. Cap. 2. quia, *dum conſideratur terror ejus, qui ſuper omnia præſidet, videlicet Judicis interioris, non ſine magno reguntur timore ſubjecti: qui nimirum timor, dum mentem rectoris humilitat, purgat: ne hanc, aut præſumptio ſpiritûs levet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum rerum cupiditatem importunis pulvereæ cogitationis obſcuret.*

Quartò, requiritur veritas, juxtà illud Eccli. 4. *Pro juſtitia agoniſare pro animâ tuâ, & uſque ad mortem certa pro juſtitia.* Ubi pro *juſtitia* juxtà Interpretes Græcè eſt *veritas.* Et Prov. 3. *Miſericordia, & veritas te non deſerat.* Unde Exodi 28. rationalis judicii formâ præſcriptâ verſu 30. concluditur: *Pones autem in rationale judicii, doctrinam, & veritatem.* Excluditur hîc in Judice omnis fraus, & dolus; nam *virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus.* Pſ. 5.

Quintò, condemnatur in omni Judice avaritia. Hinc Exodi 23. *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes.* Deut. 27. *Maledictus, qui accipit munera.* Ex dictis conditionibus variæ quæſtiones oriuntur, quas breviter diſcutiam.

Judex judicans in peccato mortali non peccat mortaliter.

Quæres ergo 1. an peccet Judex judicans in ſtatu peccati mortalis, ſine juſtitiâ gratiæ. Reſp. Wiclet, & Hus damnati in Concilio Conſtant. ſeſ. 8. docebant Epiſcopos, & Principes ſæculares in peccato mortali non remanere Epiſcopos, aut Principes. Aliud tamen nos docet Apoſtolus, qui Rom. 13. præcipit, ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita. Et Petrus 1. Cap. 2. jubet ſervis obedire Dominis, etiam diſcolis. Teſte Salonio q. 60. art. 2 communis erat tempore S. Thomæ opinio, quod Judex Eccleſiaſticus in peccato mortali judicans, peccaret mortaliter; eò quòd illis cenſerent dari gratiam peculiarem ad judicandum. Verius tamen Dominicus Soto,

cen-

Digitized by Google

cenſet eum peccare venialiter, quia eſt quædam indecentia, quod miniſter Dei exiſtens in peccato mortali exerceat ſuum officium.

Objiciunt hîc primò, quod Apoſtolus Rom. 2. agens de Judice peccatore dicat, *Inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui judicas : in quo enim alium judicas, te ipſum condemnas.* Nemo autem condemnatur, niſi ob peccatum mortale : ergo talis Judex peccat mortaliter. Reſp. Agit Apoſtolus de Judice peccatore publico; ſubditur enim, *eadem enim facis, quæ judicas*, adeoque de eo, qui ratione ſcandali peccat mortaliter. Deindè, *condemnare* ibidem, non ſignificat novum actum peccati mortalis advenire, ob quod ille condemnetur; ſed ſignificat adeſſe actum, qui ſit condemnatione dignus, adeò ut condemnare idem ſit, quod eſſe condemnabilis.

Objiciunt 2. Sacerdotes in ſtatu peccati mortalis abſolventes, ſacrificantes, &c. peccant mortaliter : ergo & Judices ſaltem Eccleſiaſtici in peccato mortali judicantes peccant etiam mortaliter. Reſp. Verum eſt, ex Cap. *Quæſitum, de temp. ordin.* admonendos eſſe Sacerdotes ſub interminatione divini judicii, ne exiſtentes in peccato mortali miniſtrent in ordinibus, quia ita miniſtrare eſt peccatum mortale, dum in ſuâ conſecratione acceperunt gratiam ad dignè miniſtrandum : Judex verò, quando accepit juriſdictionem, non accepit talem gratiam ad dignè judicandum; adeoque, etſi ſit miniſter Dei, non debet ei conformare quoad gratiam, ſed benè in ratione officii judicandi, ut ſit Judex juſtus, fortis, & patiens. Nec etiam refert, quod ſanctè ſancta ſint tractanda, munus autem judicandi ſit ſanctum; quia non eſt ſanctum, quaſi ſit aliquâ ſanctitate conſecratum, propter quod ſit exercendum in gratiâ, etſi poſſet dici ſanctum, quia de ſe bonum eſt, & æquum.

SECTIO III.

An Judici liceat munus accipere.

Triplici titulo poteſt aliquid dari Judici : pro labore, pro ſtipendio, & ex donatione liberali. Solebant olim Judicibus à Republicâ ſtatui ſtipendia annua, dicta *ſportulas*; quo caſu iniquum erat pro actu judicandi aliquid accipere, cùm ſic quaſi bis idem venderent. Quando tamen tale ſtipendium à Republicâ non eſt ſtatutum, poterit Judex aliquid pro ratione laboris accipere, eò quòd opera Judicis ſit res pretio æſtimabilis, nec teneatur Judex partibus gratis inſervire, & dignus ſit operarius mercede ſuâ.

Generaliter tamen damnant leges, tam divinæ, quàm humanæ, omnem acceptionem munerum in Judicibus. Iſaiæ 1. *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributionem.* Deuter. 16. *Non accipies perſonam, nec munera : quia munera excæcant oculos ſapientium.* Hinc Samuel gloriatur 1. Reg. 12. *Ubi de manu cujuſquam munus accepi?* Prov. 17. *Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii.* Idem condemnatur

nat alibi lex divina. Et jure poſitivo idem prohibetur *L. Plebiſcito ff. de offic. Præſid. L. ſolet ff. de offic. Proconſ. Authent. novo jure C. de pœna Jud. Auth. de Judicibus* §. *nullo quoque.* Et de Eccleſiaſticis Judicibus illud condemnatur *Cap. cum ab omni, de vitâ, & honeſt. Cler. Cap. ſtatutum, de reſcript. in 6.* his advenit ipſa lex naturæ, cùm ſit moraliter impoſſibile, ut ille; qui munera à litigantibus accipiat, poſt in decurſu cauſæ, ac prolatione ſententiæ non judicet in favorem dantis, aut ſine debito reſpectu juſtitiæ & æquitatis. Hinc munerum receptionibus graviſſimæ ſtatutæ ſunt pœnæ; Jure Civili Cod. in cauſa pecuniaria pro promiſſo duplum imponitur, pro dato triplum: in criminali ſtatuitur confiſcatio omnium bonorum, & exilium. Olim apud Romanos ex *L.* 12. *Tab.* crimen hoc erat capitale. Variâ inſuper pœnâ in omnibus Regnis, ac Provinciis plectitur ſimilis corruptela. Leges Brabantiæ Joan. Ducis II. ſtatuunt pœnam dupli, illis, qui ad jus dicendum munus, aut ſervitium accipiunt; quam niſi reſtituerint, vitâ, & bonis puniuntur. 1312. Vide Zyp. *Not. Juris Belg. tit. de concuſſionibus.* Sunt, qui crimen hoc in Judice gravius aſſerant, quàm in ſimonia, uti Petrus Bleſ. Epiſt. 115. ubi ità ait: *Quidam ſunt, qui ſuper exhibitione, aut executione juſtitiæ litteras non indulgent, niſi ſub certâ promiſſione pecuniæ. Sed ſciat, quiſquis hujuſmodi litteras vendidit, quod Dei juſtitiam, cujus debitor eſt, & quam gratis exhibere tenetur, venalem exponit....... certè acceptior eſt apud Deum juſtitia, quàm præbenda. Ideoque, cùm in utroque poſſit ſimonia committi, damnabilior tamen eſt omnis venalitas in exhibitione juſtitiæ, quàm in venditione decimæ, vel præbendæ.*

Pœnæ Judicum accipientium munera.

Excipiunt aliqui dona conſanguineorum, ac amicorum, ut talium, quia ratio ſanguinis, & amicitiæ, tollit ſuſpicionem: verùm, cùm generaliter leges inhibeant receptionem munerum à quibuſcumque, ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Adde, quod ratio conſanguinitatis, & amicitiæ muneribus conjuncta vehementior ſit ad pervertendum judicium. Excipiunt inſuper alii munuſcula minoris pretii, quibus animus Judicis moveri efficaciter non ſolet, etſi alii etiam ab illis doceant eſſe abſtinendum, dum juſtitia comparatur oculo, cui nocet vel minimus pulviſculus.

Ex quibus omnibus apparet, nullâ conſuetudine licitum fieri, quod Judices alibi munera poſſint recipere; cùm conſuetudo derogare nequeat juri divino, aut naturali, quo utroque jure Judicibus inhibetur receptio munerum. Unde non placet, quod ſcribit Bonacina *in* 8. *Præcept. Decal. Diſp.* 10. *q.* 2. *puncto* 8. *prop.* 2. *num.* 5. *verum, quidquid ſit de jure communi, arbitror Judices ſæculares, tam ordinarios, quàm delegatos poſſe juxtà legitimam loci conſuetudinem munus accipere. Quamobrem, ſi alibi legitimâ conſuetudine receptum eſt, ut dentur, & accipiantur munera ultrò oblata: conſequenter non damnenter Judices aliquid moderatè accipientes juxtà conſuetudinem legitimè introductam.*

Variis inſuper caſibus volunt licere Judici aliquid à partibus accipere. 1. Poterit aliquid recipere pro labore, & ſumptu, quem in via tenetur facere: non

Digitized by Google

enim tenetur ad expenſas extraordinarias in utilitatem partium. Eccleſiaſticus tamen Judex id non poteſt, quia accipit beneficium pro officio, & fructus pro ſtipendio, niſi foret viſitatio Epiſcopi extrà Diœceſim, aut ad conſecrandam Eccleſiam, eò quòd hìc cenſeantur eſſe expenſæ extraordinariæ. 2. Docent licitum eſſe aliquid dare Judici, ut juſtè judicet, dum quis de iniquitate Judicis meritò præſumit, & litigans certò novit ſe habere jus, quia hoc nihil eſt aliud, quàm redimere injuſtam vexam, & uti malitiâ Judicis ob juſtam cauſam. Neque hìc objici poſſet, quod hìc ſit corruptela Judicii, quia non datur aliquid, ut pro me judicet, ſed ne contrà meum jus judicetur iniquè, quod nihil eſt aliud, quàm redimere injuſtam vexationem. 3. Poſt latam ſententiam, licitum eſt aliquid dare Judici ex gratitudine, modò nullum pactum interceſſerit. Alii tamen, etiam illis caſibus id non admittunt, dum variæ leges, tam communes, quàm particulares vetent Judicibus durante officio munus accipere; eò quòd etiam tali caſu eadem prohibitionis, ac ſuſpicionis ſit ratio. Vide Gabriëlem Alvarez de Velaſco de perfecto Judice *rubrica 9. annot.* 10.

An munera accepta à Judice ſint reſtituenda.

An verò id, quod à Judice acceptum ſit, ſit reſtituendum, & quomodo; non convenit inter Authores. Varii docent, generaliter pro opere malo accepta, eſſe reſtituenda, quod & nos amplexi ſumus agendo de reſtitutione Cap. 7. Sect. 6. tract. 1. ubi latiorem de receptis à Judice explanationem huc reſervavimus. Quod autem à Judice acceptum fuit pro dicenda vera ſententia, aut omittendâ iniquâ, reſtitui debeat, eſt in confeſſo; cùm ſic dupliciter quaſi venderet idem, quod eſt per ſe iniquum. An verò idem dicendum ſit de eo, quod Judici datum eſt ad ferendam ſententiam iniquam, non ità convenit. Aliqui cum Cajetano docent, jure naturæ reſtituendum id eſſe; eò quòd ſubverſio judicii ſit res invendibilis. Colligunt illud ex S. Auguſtino *Epiſt.* 54. *ad Macedon.* ubi ait: *Sceleratius accipi pecuniam pro ſententia injuſta, quàm pro juſta: pro teſtimonio falſo, quàm teſtimonio vero.* Cùm ergo pro juſta ſententia data ſint reſtituenda; potiori jure reſtituenda ſunt data pro ſententia injuſta. Verum, uti rectè etiam notat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 8. *num.* 55. non ideo, quia aliquid eſt ſceleratius, ideo magis obligat ad reſtitutionem, cùm hæc obligatio non oriatur ex magnitudine ſceleris, ſed ex damno per injuriam dato; ſed qui accipit aliquid pro ſententia injuſta, nullam infert injuriam danti. Unde infert dictus Author, quod jure naturæ illa non ſint reſtituenda. Idem negat de jure poſitivo, ſed non æquè fundatè. Pendet enim hoc ex eo, an leges, ſimiles donationes condemnantes, etiam ſimul eaſdem irritent, & invalident; quod verius exiſtimamus: tum, quod generaliter in jure ſtatuatur, turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti, nullius eſſe roboris, &c. tum, quod S. Auguſtinus ibi ſuprà addens, *Verumtamen, ſi juſtitia rectius conſulatur, juſtius dicitur Advocato; redde, quod accepiſti, quando contrà veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, Judicem fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Adeo ut Lugo, æquè ac Vaſquez, etſi contrarium amplectantur, fateantur tamen D. Auguſtinum ejuſdem nobiſcum eſſe ſententiæ. Hinc etiam Leſſius

ſuprà

ſupra num. 51. fatetur, hanc communem omnium Juris Doctorum eſſe ſententiam, quod quando aliquod crimen legibus punitur, pretium illius ſit reſtituendum. Ut ut ſit, conveniunt plerique in eo, quod Confeſſarius Judici pœnitenti, & de receptione munerum ſeſe accuſanti, teneatur imponere reſtitutionem eorumdem; ne alicui detur perfrui pretio nequitiæ, & de cætero auferatur corruptionis occaſio: maximè, cùm ipſe Juſtin. *Auth. Novo jure C. de pœna Jud. &c.* Judicem utcumque corruptum pretio damnari jubeat triplici reſtitutione. Hoc tamen diſcrimine facienda eſt dicta reſtitutio, ſi pretium datum ſit pro ferenda ſententia juſta, aut ab iniqua deſiſtendo, reddi id debeat illi, qui dedit; ſi verò datum ſit pro ſententiâ iniquâ ferendâ, reddi debeat, non illi, qui turpiter dedit, ſed pauperibus.

SECTIO IV.

An, & quomodo Judex judicare debeat juxtà leges.

IN primis, ſi lex aliqua in ſe contineat legem naturæ, tenetur neceſſariò illi inſiſtere Judex in judicando, cùm lex naturæ ſit inviolabilis, neque in eâ liceat umquam diſpenſare. Deindè, debet Judex judicare illud, quod eſt juſtum; nihil autem eſt juſtum, niſi dictæ legi conformetur. Secundò, etſi ſit lex merè poſitiva, etiam ſe debet Judex illi conformare in judicando. Ratio illius eſt, quod Judex non ſit Dominus, ſed executor legis, neque illius interpres, niſi urgenti de causâ, v.g. quod per epykiam judicare poſſet, eam legem tempori, vel loco non convenire. Probat illud Gregorius *Can. ſummopere* 11. *quæſt.* 3. *Summopere*, ait, *præcavendum eſt, ne Rectores Eccleſiæ, & qui publica judicia exercent, in dictandis ſententiis aliquâ levitate, aut furore ducti ſint præcipites, ſed cauſis diligenter ventilatis, tunc divina, & humana lex reſolvatur, & ſecundùm quod ibi conſtitutum eſt, definitiva proferatur ſententia.* Et rurſum *Cap. Canonum ſtat. Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus, vel judiciis Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur.* Cenſet interim Proſper Fagnanus ad dictum Canonem *num.* 108. Judices ex magna cauſa poſſe Canonum ſtatuta tranſgredi, mutando pœnas ratione ætatis, eaſdem ſubindè ob atrocitatem augendo, &c. quo tamen caſu Judex non tranſgreditur Canonum ſtatuta, ſed potius interpretatur mentem legis ad dictos caſus non extendi; & potius contrà eadem faceret, ſi poſthabitâ ratione, ſequerentur legem juxtà corticem verborum, quia non dubium eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. *L. non dubium C. de leg.* Quod dictum eſt de lege, itidem dicendum eſt de legitimâ conſuetudine, quæ habet vim legis, quam proindè ſæpè attendi oportet à Judice in judicando. Hinc teſte Caniſio *tit.* 4. *de conſuetudine num.* 4. Aſſeſſores Cameræ Imperialis, quando in numerum Aſſeſſorum recipiuntur, jurare tenentur, quod ſecundùm Imperii Conſtitutiones, ſecundùm jus Cameræ, & laudabiles locorum conſuetudines velint judicare. Addit ille numero ſeq.

Judex quando poſſit legem interpretari.

Digitized by Google

quod ſi conſuetudo jus ſcriptum præceſſerit, magis ſtandum ſit conſuetudini, non quaſi conſuetudo rationabilior ſit ipſâ lege, ſed quod Princeps condendo legem generalem non cenſeatur comprehendiſſe particulares locorum conſuetudines. Denique num. ſeq. tradit, quod communiter Judex in ordine judicandi debeat ſervare conſuetudinem loci, ubi lis intenditur; in decidendo verò conſuetudinem loci, ubi fuit facta conventio, quæ conſuetudo erit probanda.

An omnis Judex poſſit leges interpretari.

Quæret aliquis, an quilibet Judex poſſit in judicando interpretari leges. Reſp. In primis, dum jus eſt clarum, uti & clara eſt legiſlatoris intentio, tenetur juxtà prædicta, Judex judicare ſecundùm leges. Deindè, ſupremi Judices, ſæpè poſſunt leges tollere, & abrogare; adeoque non ſecundùm eas, ſed ex æquo, & bono aliter judicare, prout ſtatuitur *L. leges ſacratiſſimæ C. de legibus*. Id verò Judicibus non ſupremis illicitum eſt, juxta id, quod ibid. ait Imperator: *Inter æquitatem, ejuſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis, & oportet, & licet inſpicere*. Ubi Rubrica: *Judex non debet recedere à jure ſcripto propter æquitatem non ſcriptam, niſi authoritate Principis, ad quem hoc pertinet, ſcilicet, limitare jus ſcriptum*. Et ratio eſt, quòd Princeps ſolummodo det poteſtatem Judicibus inferioribus judicandi ſecundùm leges communes Patriæ, & particulares. Enimverò, ſi hoc cuique Judici liceret, jacebunt leges tantâ ſapientiâ, & auctoritate conſtitutæ, tam diuturno uſu roboratæ, ac comprobatæ. Hinc etiam dabitur Judicibus anſa, non ſecundùm æquitatem judicandi, ſed ſæpè pro proprio arbitrio, accipiendi perſonas, & juſtitiam violandi, ac diſſolvendi illud, quod pro ejuſdem conſervatione eſt inſtitutum. Aliud eſt, de interpretatione rationabili legis; quo caſu, interpretando cenſentur Judices legem ſequi; dum merito poſſunt judicare, nolle pro eo caſu Judices ſuperiores obligare. Vide mox ante dicta.

Porrò, docet D. Stockmans initio Deciſionum, à Principibus noſtris centies eſſe conſtitutum, ut deficiente jure proprio, id eſt conſuetudine patriâ, & conſtitutionibus Regiis, recurri deberet ad leges Romanas, quod etiam in particularibus locorum conſtitutionibus ſolet præſcribi. Idem docet obtinere in Gallia univerſa.

Quem uſum in judiciis habeat lex abrogata.

Quæres ulterius, an in judiciis aliquem uſum etiamnum habere poſſit lex abrogata. Reſp. Etſi ex lege abrogatâ nihil decidi, neque eam à quoquam adduci poſſe, ex jure communi, & lege Juliâ DD. colligant: ſubindè tamen lex abrogata in judiciis adſeri liceret, 1. Ut nihil authoritatis ignoretur: 2. Quamdiu durat ejus ratio. 3. Quando novo juri eſt conſentanea, id eſt, novo jure reducta. 4. Quod dubia conſuetudo lege antiquâ poſſit comprobari. Ita Groenwegen *Digeſt. lib. 48. tit. 10. L. ult.* Collige ex dictis, Judicis ſcopum, & finem eſſe juſtitiam, ad quam conſervandam collimare debet ad leges, quæ tamquam regulæ à ſuperiori authoritate ſunt ſtatutæ, ut juſtitia in ſuo vigore conſervetur. Collige inſuper, non eſſe à Judice neglectis legibus reſpiciendam carnem, aut ſanguinem, aut aliud motivum inordinatum, quo juſtitia ſolet potius violari, quàm conſervari.

S E-

Digitized by Google

SECTIO V.

Quomodo Judex procedere debeat in caſu dubii.

Diſtinguunt hìc communiter dubium juris, & dubium facti: ***Dubium juris*** eſt, quando dubitatur, an lex aliqua aliquid vetet, præcipiat, aut ad hunc, vel illum caſum poſſit extendi. ***Dubium facti*** eſt, quando dubitatur de aliquo facto; an Petrus fecerit homicidium, an rationis compos exiſtens confecerit teſtamentum, &c. Deindè, diſcernenda eſt cauſa criminalis à causâ civili. Denique dubium ſubindè poteſt eſſe æquale, ſubindè difforme, & inæquale. Quid dubium juris, & facti.

His poſitis, cenſent plurimi, in controverſiis juris poſſe Judicem ſequi quamcumque ſententiam verè probabilem, etſi etiam ſit minus probabilis, quàm ſit oppoſita. Ratio illorum eſt, quod nec temerè, nec imprudenter agat, qui ratio probabili ducitur. Ita Joan. Sanchez in ſelect. *diſp.* 44. *num.* 50. plurimos hujus ſententiæ Patronos adducens, addenſque circà finem *num.* 54. Quod credat obſequium præſtare Deo illos, qui dictis probabilitatibus favent, cùm inde peccatorum copiam minuant. Alii docent cum Maldero, & aliis, quod quando partium jura ſunt æqualiter probabilia, poſſit Judex illam, quam voluerit, eligere. Si verò ſint inæqualiter probabilia, debeat ſequi probabiliorem. Alii denique docent, quod quando illa jura ſunt æqualiter probabilia, non poſſit Judex pro alterutrâ parte judicare; ſed debeat partes componere, vel rem dividere; vel ſi ſit indiviſibilis, debeat dividere fructus rei, vel aliundè compenſare. An, & quomodo Judex poſſit ſequi ſententiam probabilem.

Dicendum tamen, quod Judex, tam in controverſiis juris, quàm facti, teneatur illud ſequi, quod omnibus conſideratis apparet illi eſſe probabilius. Docet illud S. Thomas 2.2. q.60. art. 2. ubi ait: ***Ad hoc, quod judicium ſit actus juſtitiæ, tria requiruntur: primò, ut procedat ex inclinatione juſtitiæ. 2. Ut procedat ex authoritate. 3. Quod proferatur ſecundùm rectam rationem prudentiæ; & tunc deeſt hæc tertia conditio, quando deeſt certitudo rationis; puta, cùm aliquis judicat de his, quæ ſunt dubia.*** Quando autem Judex procedit ſecundùm minus probabile, deeſt certitudo rationis, & judicat de eo, quod eſt dubium: ergo. Deindè, Reſpublica conſtituit Judicem, ut inter partes ſententiam ferat juxtà veritatem: undè *Nov.* 8. *de* 3. proponitur juramentum à Judicibus præſtandum, quod nulli parti citrà quàm juſtum eſt, præſtabunt, & omnem æqualitatem ſervabunt, ſecundùm quod illis viſum fuerit juſtum. Inſuper, aliàs videtur eſſe perſonarum acceptio, dum non ſecundùm merita cauſæ dijudicat; ſicuti eſt acceptor perſonarum, qui digniori poſthabito confert beneficium minus digno. Adde, quod aliàs magis agendum eſſet apud Judicem pecuniis, quàm rationibus; quo caſu Judicia faverent ſolis divitibus cum oppreſſione pauperum. Denique, teſte Julio Mercoro *p.* 2. *art.* 16. judicare in favorem minus probabilis, eſt contra

Digitized by Google

trà communem ſtylum omnium Tribunalium, tam curiæ Eccleſiaſticæ, quàm ſæcularis, ut patet ex Deciſionibus, quæ vulgantur. Et rectè Proſper Fagnanus in Cap. *ne imitaris num.* 300. obſervit, quod, illi ipſi Authores, qui docent Judicem judicare poſſe in favorem minus probabilis, nollent ità judicari in cauſâ ſuâ, & de injuſtitiâ conquererentur: unde nec velle debent in cauſâ aliorum, contrà præceptum juris naturalis, ac divini. Hinc meritò hæc propoſitio condemnata eſt ab Innoc. num. 2. XI. ***Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxtà opinionem, etiam minus probabilem.***

Unde & Dominicus Soto lib. 3. q. 6. art. 5. in fine ita de hâc re ſcribit: ***In primis neceſſarium ſemper eſt ſententiam ſecundùm probabiliorem opinionem ſemper ſubſcribere, etiamſi altera ſit probabilis. In ſpeculabilibus namque ſcholarum diſputationibus, nullum inde conflatur periculum, quod quiſpiam minus probabilia, ingenii gratiâ defendat. In practicis verò, quæ aliena jura reſpiciunt, nefas eſt Judici infirmiorem opinionem ſectari: ſicuti & Medico in practicâ, ex quâ ſalus pendet infirmi, ac multò magis Theologo in his, quæ ſunt fidei. Quin verò Judex aliter faciens, reſtitutioni fieret obnoxius. Ex quo fit, peſſimè ſibi, communique bono conſulere Judices atque etiam Medicos, qui poſtquam ſemel unam opinionem imbiberint, nullâ ratione poſſunt ab illa dimoveri: cùm tamen, ne injuriam aliis intentarent, poſthabere tenerentur honorem proprium: & ad alteram, cùm primùm probabilior appareret, commigrare.***

In cauſis autem criminalibus, ſi res non patiatur moram, in dubio juris æqualiter probabilis, poterit Judex ſequi eam, quam maluerit; cùm enim Judex habeat neceſſitatem judicandi, & utrimque eſt æquale errandi periculum; ſi erret, ei error non poterit imputari, juxtà Reg. Juris in 6. 41. ***Imputari non debet ei per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*** Ità Julius Mercorus *ibid. art.* 17. Addens tamen, & quidem rectè, hîc ſervandam etiam eſſe Regulam 59. ***In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.*** Si verò caſus patiatur moram, debet adhiberi debita juris conſultatio; qua non obſtante, ſi dubium perſeveret, conſuetudo omnium Tribunalium inferiorum habet, conſulere ſupremum Tribunal Regni, ac juxtà illius opinionem disjudicare.

Quando autem in tali cauſâ dubium eſſet in facto, v. g. an probationes ſint ſufficientes ad Reum condemnandum, etſi Judex crederet probabilius ea ſufficere; non poſſet tamen Reum condemnare ſequendo opinionem probabiliorem; dum ad condemnandum Reum requiruntur probationes luce clariores; adeoque rationes etiam probabiliores non poſſunt dici claræ, & evidentes, quales hîc jura requirunt. Et ratio illius eſt, quod unuſquiſque præſumendus ſit bonus, donec oppoſitum evidenter probetur; adeoque in dubiis ſit potius favendum Reo.

Si verò ſit dubium in cauſâ civili & dubium ſit de jure, conſulendum erit ſupremum Tribunal, cui nihil indeciſum in jure præſumitur. Si dubium

ſit

Digitized by Google

ſit de facto, favendum eſt poſſeſſori, quia *in pari cauſâ melior eſt conditio poſſidentis.* Reg. 65. in 6. Poſſeſſor enim magnum in jure habet commodum, & in adverſarium rejicit onus probandi. Si verò ſit quæſtio facti, & neutri litigantium poſſeſſio faveat, v. g. ſi in adeundâ hæreditate diſputaretur, quis eſſet legitimus conſaguineus, ſive proximior; juxtà alios eſt ineunda amicabilis compoſitio inter partes: quam tamen non vult Lugo hîc eſſe adhibendam, ſed rem totam uni parti eſſe adjudicandam, eò quòd in dubiis debeat Judex eligere minus malum; eſt autem minus malum in dubio defraudare forſan verum dominum in toto, applicando rem uni partium, quam certò defraudare verum dominum medietate, componendo partes. Ut ut ſit, aliorum opinio, eſt frequentior in uſu. Addunt tamen alii, quod compoſitio fieri debeat, ſalvis juribus utriuſque partis: deindè, ſi res ſit indiviſibilis; ſortiantur, quis alteri pro ratâ teneatur ſolvere; proteſtando, quod ſi pro hâc parte, quam non poſſidet, effulgeret certa ratio veri dominii, poſſeſſio alteri nihil prodeſſet, ſalvis tamen regulis præſcriptionis. Et hoc pacto non eſt majus malum facere compoſitionem, dum quivis litigans in re obſcurâ mallet medietatem certò obtinere ſalvis ſuis juribus, quàm ſeſe exponere periculo amittendi totum.

Quæ cauſa ſit probabilior.

Quæri hîc poſſet, quænam cauſa hîc dicenda ſit probabilior. Reſp. cum Laymanno *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3 *num.* 16. Primò, cui lex eo loco recepta aſſiſtit: ubi ſimul alii notant, quod ſi à litigantibus, eorumve Advocatis minus dictum fuerit, poſſit Judex ſupplere, quod ſcit legibus, ac publico juri convenire, juxtà *C. ut quæ deſunt*, *Advoc.* quæ tamen ad factum pertinent, non debet Judex proferre, niſi quorum notitiam publicam ex actis, vel inſtrumentis accepit. Secundò, illa cauſa eſt probabilior, quam tuetur loci conſuetudo: in dubio enim optima interpres eſt conſuetudo *L. ſi de interprat. ff. de leg.* Tertiò, illa, quam Doctores eo cauſarum genere periti communiter ſequuntur: ubi rectè notat dictus Author, quod communis opinio, non ſit æſtimanda ex numero opinantium, *cùm*, inquit, *fieri ſoleat, ut unius ductum plures eodem tramite, nullâ novâ ratione moti, velut avis avem, ovis ovem ſequantur.* Quartò, illa cauſa dici debet probabilior, quam urgentiores rationes ſtabiliunt; adeo ut, ſi ratio urgentior ſtabiliat minus communem, illa ſæpè ſit amplectanda. Denique, ſi cætera ſint paria, debeant præferri benigniora: dum enim partium jura ſunt obſcura, Reo potius favendum eſt, quàm Actori: & Actore non probante Reus abſolvi debet; non quaſi declaretur, eum eſſe innocentem, ſed crimen ejus non fuiſſe demonſtratum.

SECTIO VI.

An, & quomodo Judex judicare poſſit juxtà propriam ſcientiam, & conſcientiam.

An Judex poſſit condemnare eum quem ſcit privatâ ſcientiâ eſſe innocentem.

QUæritur 1. an liceat Judici condemnare eum, qui juxtà probata, & allegata eſt Reus, quem tamen ſcit Judex privatâ ſcientiâ eſſe innocentem. Variæ hîc ſunt ſententiæ: alii volunt, non poſſe eum in criminalibus; benè tamen poſſe in civilibus, ità Adrianus; quam ſententiam vult Salonius habere minus veritatis, & ideo à Doctoribus minus eſſe receptam. Et ratio eſt, quod Reſpublica non poſſit diſponere de re aliqua, niſi ſit illius rei domina; ſed eſt domina bonorum, non verò vitæ; ergo. Secunda ſententia docet, Judicem id poſſe in criminalibus minoribus, ubi agitur de mulctâ v.g. non verò id poſſe in majoribus. Et hanc ait Layman *lib. tract. 6. cap.* 2. *num.* 8. eſſe communem. Tertia opinio tradit, Judicem debere judicare ſecundùm allegata, & probata, & illa dicitur S. Thomæ, & plerorumque Thomiſtarum, non tamen Sylvii. Quarta tenet, non poſſe Judicem eo caſu judicare ſecundùm allegata, & probata, ſed debere judicare ſecundùm propriam ſcientiam, & conſcientiam; adeoque quod debeat, vel Reum omni modo poſſibili abſolvere, vel officium ſuum potius dimittere, quàm eum condemnare. Et ſententia hæc videtur verior: tum, quod numquam liceat agere contra propriam conſcientiam, dum omne, quod non eſt ex fide peccatum ſit: tum, quod *Clem.* 1. *de heret.* jubeatur Judici, ut judicet juxtà propriam ſcientiam: tum, quod videatur perniciosè aliàs mentiri, dum aliter dicit, quàm ſciat; ubi tamen dicitur Deuteron. 17. quod Judex judicare debeat juxtà veritatem, quæ non eſt deſumenda ex falſa accuſatione, ſed ex veritate rei. Hinc etiam dicitur, *Non ſuſcipies vocem mendacii, neque in judicio multorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Exodi 23. & ſtatim ſubditur, *Innocentem, & juſtum non occides.* Deindè, illud ipſum hîc fieret: ille enim non fit nocens falſis aliorum accuſationibus, ut patuit in Suſannâ *Dan.* 13. Naboth 3. *Reg.* 21. inſuper, quod juxtà S. Auguſtinum, neminem occidere liceat, niſi quem lex juſta generalis, aut ſpecialis Dei authoritas occidi permittit; cùm leges illæ ſolummodo permittant occidi nocentes, & jubeant innocentes abſolvi; adeoque deëſt hîc legitima authoritas. Præterea, ſolummodo eſt præſumptio credendo teſtibus, quæ debet cedere veritati. Ad hæc, lex divina, & naturalis vult, ut Judex reddat unicuique ſuum jus; puta hîc, ut innocens ſervetur. Neque etiam Judex judicare poteſt ſecundùm leges, quas novit eſſe falſas: ergo neque ſecundùm teſtes, quos novit eſſe falſos. Et certè, aliàs non deliquiſſet Pilatus, ſecundùm allegata, & probata adjudicans Chriſtum morti. Ubi tamen Judici dicitur Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*: id eſt, innocentes. Et quamquam ſit lex generalis, quod Judex judicare debeat juxtà allegata, & probata; tamen in hoc caſu debet habere locum Epyckia, quæ eſt virtus juſtitiæ generalior, quæ dictam legem hîc debet moderari. Ob-

Digitized by Google

Objicit 1. in contrarium Bannez *quaſt.* 67. *art.* 2. dicens, contrarium eſſe veritatem moraliter demonſtratam, quod Judex ſit perſona publica, qui proindè ſecundùm ſcientiam publicam debet judicare. Hinc etiam ante dictum eſt, quod Judex debeat judicare ſecundùm leges, ut etiam jubetur *Deuter.* 17. & 18. & Chriſtus ipſe aſſerat, quod in ore duorum, vel trium teſtium ſtare debeat omne verbum. Idem quoque docent S. Ambroſius & S. Auguſtinus in Pſ. 57. Reſp. ad prius, id quidem eſſe verum, ſi Judex ſententiam proferat judicando: ſed dico, non poſſe hoc caſu judicare innocentem occidendo: urget enim lex naturæ de non occidendo, in judicando, & condemnando; non tamen urget lex judicandi, aut abſolvendi. Ad aliud Reſp. id quidem regulariter eſſe verum, ſed non ſemper in caſu extraordinario, ubi obſtat lex naturæ, inſontem, & juſtum non occidendi. Idem dic de ſententia Chriſti: aut etiam intelligi id poteſt negativè, q. d. *non occides*, niſi cum duobus, aut tribus teſtibus. Argumenta contraria.

Objiciunt 2. non poteſt Judex condemnare eum, quem ſcit privatâ ſcientiâ eſſe reum, ſi talis non ſit probatus: ergo neque hîc liceat eum abſolvere. Reſp. Quod abſolvere nocentem non ſit intrinſecè malum, & poteſt ſæpè variis de cauſis fieri, ut ſi crimen ſit occultum, neque poſſit probari. Occidere autem innocentem eſt intrinſecè malum, quod nulla de cauſa poteſt juſtè fieri. Neque etiam objici poteſt, quod juxtà dictam opinionem dabitur Judicibus anſa nocentes abſolvendi; cùm hoc ſit admodum rarum, quod nocentem contrà teſtes abſolvat ſine aperto mendacio, & læſione famæ. Deindè, melius eſſet 100. nocentes abſolvi, quàm unicum innocentem condemnari, & occidi.

Objicies 3. *Cap. Paſtoralis, de offic. & poteſt. Jud. deleg.* dicitur, quod Judex ordinarius teneatur exequi ſententiam, etſi ſciat eam eſſe injuſtam. Deindè, *L. illicitas ff. de offic. Præſidis* dicitur: *Præſes Provinciæ id ſequatur, quod convenit eum ex fide eorum, quæ probantur.* Reſp. Jura loqui de eo, quod ordinariè fieri debeat: deindè, agit in priori Cap. Pontifex de re merè Eccleſiaſticâ, quæ ſubeſt diſpoſitioni Eccleſiæ; non verò de cauſa criminali. Denique, agitur de ſolo executore, ad quem non pertinet cognitio cauſæ. Sic quoque Juriſconſ. agit de cauſa civili, & de ea re, quæ ſubeſt diſpoſitioni Reipubl. uti ſunt bona fortunæ, quorum dominia poteſt Reſpublica juſtâ de causâ transferre, uti patet in præſcriptione: quamquam nec talem verè innocentem poſſit condemnare, niſi quando aliter ſententiam nequit ſubterfugere.

Objiciunt 4. poterit dari Euchariſtia peccatori occulto eam publicè petenti: ergo poterit ſententia ferri ergà illum, qui publico teſtimonio probatur nocens. Reſp. Neg. conſeq. Judex enim condemnando innocentem, directè concurrit occiſioni ejuſdem: Miniſter verò miniſtrando ponit actionem de ſe bonam, & ſacrilegium alterius juſtâ de cauſa permittit. Deindè, tali caſu Euchariſtiam adminiſtrandam eſſe, docet Pontifex *Cap. ſi Sacerdos, de offic. Jud. ordinarii*: idque ex facto Chriſti, qui corpus ſuum dedit Judæ proditori. Nihil autem adferri poteſt pro alio caſu, quin potius obſtant varia jam ante dicta.

Digitized by Google

Objiciunt 5. authoritatem S.Thomæ contrarium docentis. Reſp. Eximium D. Sylvium, fideliſſimum S. Thomæ interpretem, eâ non obſtante docere contrarium, uti & modò faciunt plerique ſalvâ illius S. Doctoris authoritate. Addit tamen dictus Author, quod S. Thomas non doceat, quod debeat judicare, dum quis ſecundùm allegata, & probata eſt reus; ſed quod ſolummodo poſſit judicare; dicit enim, *non peccat ſecundùm allegata ſententiam proferens*: dum autem in corpore dicit: *ſi non poſſit de jure repellere probationes, debet eas in judicando ſequi*: intelligendum eſt, *ſi judicet.*

Quærunt ergo, quid in eo caſu Judici agendum? Reſp. Alii volunt, quod Judex etiam cum juramento debeat teſtari ejus innocentiam, ex quo, ſi alii infamentur, id proveniet ex malitia teſtatorum: deindè, juxta alibi dicta, licet ob defenſionem vitæ revelare crimen alterius. Alii docent, quod eum abſolvere non poſſit, ſed debeat omni modo poſſibili teſtes avertere, litem protrahere, eam deferre ad Judicem ſuperiorem, carcerem aperire, & omni modo poſſibili innocentem liberare, ac denique potius officium dimittere, quàm talem innocentem occidere.

Sed quid, ſi Judex id ſciat ex Confeſſione Sacramentali? Reſp. Videndum eſt, an tali jam dicto procedendi modo confeſſio ſit revelanda, etſi indirectè, nec ne: ſi enim, vel ſolùm indirectè ex eo ſit revelanda confeſſio, nec poſſit alio modo illud inconveniens præcavere; cenſent alii, quod Judex deberet condemnare innocentem in favorem ſigilli confeſſionis; adeo ut hoc caſu cenſeatur ſpecialis Dei authoritas conceſſa in vitam innocentis; adeoque nec faciet contra legem de non occidendo. Sic etiam docent, quod, ſi Sacerdos ex confeſſione ſciret venenatum eſſe Calicem conſecratum, teneatur Calicem ſumere, ne ſigillum revelet, neque faciat ob eamdem cauſam contra legem de ſe non occidendo. Quod tamen Judex poſſit hoc caſu condemnare innocentem, non ſit ideo, quod ſit probatus reus: ſed ob favorem ſigilli, cujus violationi vita illius cenſetur poſtponenda ex permiſſione divinâ.

An Judex poſſit condemnare eum, quem privata ſcientia ſcit eſſe reum.

Quæritur ulterius, an Judex ſine teſtium depoſitione poſſit ex privata ſcientia aliquem condemnare, qui nec citatus ſit, nec aditus. Reſp. Negativè: cùm enim Judex ſit juſtitiæ declarator, & juſtitia ſit ad alterum, debet eam adminiſtrare, & edicere inter diverſos; puta, inter Accuſatorem, & Reum: idque juxtà Salonium, non tantùm eſt ex jure humano, ſed juri naturali maximè conforme, & ex eo deductum. Hinc & Feſtus ait Actor. 25. *Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat Accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Eamdem ſententiam docet dictus Author eſſe communem ſanctorum Patrum, docentium, neque Deum ſubvertiſſe Sodomam, & Gomorram, niſi prius per fideles teſtes eorum ſcelera didiciſſet; quod exemplum quoque affertur *Can. Deus* 2. *q.*1. ubi quoque dicitur: *Nullum ante veram, juſtamque probationem judicare, aut damnare debemus.* Hinc, etſi Judex ſuis oculis vidiſſet crimen ab alio perpetratum, non poſſet de eo Reum condemnare, etſi

ex

ex eo poſſet abſque denuntiatione præviâ ſibi factâ, ex officio ſuo inquirere, & informationes accipere. Unde ſaltem id non poterit Judex inferior, qui debet judicare, prout illi leges præſcribunt. Imo, neque ſuperior id poterit, cùm ille non habeat ampliorem poteſtatem, quàm illi dederit Reſpublica, qualem hîc non dedit ad ita judicandum. Hinc rectè Poëta:

Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ;
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Qualis verò accuſatio præceſſiſſe debeat, dicam in decurſu.

SECTIO VII.

De modis, quibus Judex procedere debeat contra crimina.

Quid accuſatio, an licita, &c.

TRiplici potiſſimum viâ ſolet procedere Judex contra crimina; ſcilicet viâ accuſationis, denuntiationis, & inquiſitionis. Singularum notitiam primò indagabimus. *Accuſatio* autem eſt delatio rei de crimine ad vindictam facto libello ob bonum commune: quod accuſatio ſit licita, colligitur ex facto Joſephi, qui *Geneſ.* 37. accuſavit fratres de crimine peſſimo, quod factum laudant SS. Patres. *Levitici.* 5. qui audiviſſet jurantem, eumque non accuſaſſet, portabat iniquitatem ſuam. In omnibus quoque Conciliis Accuſatores admittuntur, & audiuntur in omni jure. Variæ verò ſolemnitates olim ad accuſationem erant requiſitæ: 1. Debebat Accuſator præſtare juramentum de calumniâ; ſive, jurare ſe non accuſare animo calumniandi. 2. Scribi debebat nomen accuſatoris, & accuſati, ſpecies delicti, locus, & tempus ejuſdem. 3. Debebat Accuſator ſubſcribere ſuum nomen, & ſe obligare ad probandum crimen ſub pœna talionis. 4. Tenebatur ſeſe carceri mancipare, ne dicta obligatio foret inutilis. Et quamquam antiquitùs promiſcuè admittebant eos Tribunalia, qui vellent ità accuſare; hodie tamen ad accuſandum criminaliter, particulares non admittuntur; etſi admitti ſoleant ad denuntiandum, ſed eorum vices perſonis publicis ad accuſandum deputatis ſolent concedi; ne aliàs ſcelera multorum manerent impunita. Tales perſonæ in Tribunalibus ſunt Fiſcus, & Procurator generalis, ejuſque miniſtri. In Tribunali Eccleſiaſtico, Promotor, ſeu Procurator officii: in Civitatibus, & Pagis, ſunt Ballivi, Sculteti, eorumque Officiales. Hi tamen neque ſubſcribere tenentur, neque pœnæ talionis tenentur ſeſe ſubjicere, cùm neceſſario munere fungantur; neque niſi præviis indiciis, & mandato Magiſtratûs, accuſationem inſtituant. Et juramentum calumniæ in Galliis non obſervari, tradit cum aliis *Bugnion de leg. abrog. lib. 1. ſat. 3.* moribus noſtris, quamvis in judiciis non ſoleat frequentari; ejus tamen uſus non planè exolevit: *Gudelin. juris noviſ. lib. 4. cap. 8.* idem de Geldriæ, & Zutphaniæ moribus tradit *Sande ad Conſuet. feud. Geld. tract. 3. tit. 1. cap. 4. num. 30.* Advocati verò, & Procuratores id non præſtant in ſingulis cauſis, ſed cùm ad poſtulandum pro aliis admittuntur: illud tamen in Hollandiâ quot

Qui poſſint accuſare.

Juramentum calumniæ ubi obſervetur.

Digitized by Google

annis, ſtatis temporibus tenentur renovare, teſte *Groenweg. Inſtit. lib.* 4. *tit.* 16. imo non deſunt, qui credunt, juramentum illud eſſe magis frequentandum, ne falſis accuſationibus pateat aditus.

Aliquando accuſatio eſt præcepta.

Neque ſolùm accuſatio eſt licita, ſed & ſubindè eſt præcepta, ut ſi crimen noceat bono communi, uti eſt hæreſis, proditio, &c. debet enim unuſquiſque avertere malum temporale, ac ſpirituale à corpore illo, cujus eſt membrum: aliàs peccabit ille, & contra charitatem, & contra juſtitiam legalem: Imò, ſi ad accuſandum teneantur ex officio, aut contractu, ut Fiſcus, Cuſtodes viarum, &c. tenentur etiam non accuſando, dum poſſunt, ad reſtitutionem, juxta ante dicta de coöperantibus non obſtando. Si autem crimen ſit privatum, ait S. Thomas *q.*73. *art.*4. in noſtro arbitrio eſt accuſare, vel non accuſare; & in hoc maximè commendari patientiam noſtram. Quod enim lex Evangelica jubeat dimitti debitoribus noſtris, intelligi id ſolùm debet de dimiſſione quoad odium, & livorem animi; non verò etiam quantùm ad vindictam, & punitionem criminis, quæ zelo juſtitiæ petitur, adeoque etiam ſæpè eſt actus charitatis, ac juſtitiæ, ut mox dictum eſt.

Neque etiam, ſi peccatum ſit in damnum publicum, requiritur prævie correptio fraterna ante accuſationem; quia accuſatio non tendit de ſe ad emendationem fratris, ſed ad ejus punitionem, adeo ut Judex etiam emendatum per pœnitentiam plectat. De Caſtillo tamen, ait eſſe piam Soti ſententiam, quam tradit *lib.*5. *quæſt.*5. *art.*1. docetque, etiam hìc prævie requiri correptionem fraternam, eò quòd Chriſtus etiam hoc exigat in denuntiatione ad punitionem, quam conjungit emendationi. Si tamen frater ſecretâ admonitione emendandus, nec Reipublicæ multum interſit crimen aperiri, deberet abſolutè ex charitate prævie corripi fraternè. Sic etiam, etſi quis ſecretâ monitione poſſit recuperare damnum ſibi illatum; poteſt tamen ob illud idem eumdem accuſare, eſtque actus juſtitiæ vindicativæ, & alter utitur ſuo jure. Ex opinione Soti colligunt alii, quod quando ſuperiores in viſitationibus imponunt accuſationem mutuam, non debeant ſubditi obedire illi præcepto ſine correptione præviâ, quæ eſt de lege naturæ, cui proinde lex poſitiva humana nequit præjudicare.

Notabile.

Qui accuſare non poſſint.

Non poſſunt autem accuſare Proditores, excommunicati, infames, filii ſuos parentes, ſervi dominos, Clerici in causâ ſanguinis. Alii tamen, de quibus ante, hodie accuſant vi officii, ac alii eorumdem opera uti poſſunt in accuſando. An verò Fiſcus, ac alii ſupra dicti accuſare debeant, quando crimen ſolummodo vergit in damnum privatorum, Authores non conveniunt. Soto non audet aperire ſuam mentem, dicitque ſanctos Patres id dicere noluiſſe, cùm de jure communi id ſolùm competat parti læſæ, etſi contrarium uſus obtinuit. Hunc tamen uſum cum aliis probat Salonius, eò quòd ille, qui nocet membro, etiam noceat communitati, & ne crimina aliàs manerent occulta. Hinc, ait ille, optimam eſſe conſuetudinem, quæ in Tribunalibus Caſtellæ obſervatur, ut Judex ex his, quæ ad ipſum deferuntur, expendat,

an

an ſit talis delinquens dignus, qui juſtè accuſetur; & cùm illud conſtiterit, offert Fiſco ea, per quæ conſtat eum juſtè accuſari, & tunc, & non aliter accuſet.

Accuſationi incœptæ debet accuſator conſtanter inſiſtere, niſi fortè recognoſcat, ſe erraſſe in perſona: niſi res incipiat eſſe dubia: niſi videat ſe probare non poſſe illud, de quo alterum accuſat, quo caſu accuſare eſſet calumniari. Deſiſtere itidem poterit ab accuſatione, ſi Judex eam admittere nolit, eam reſcindat, aut libellus contineat defectum aliquem eſſentialem, aut ſi accuſatus non ſine Reipublicæ malo poſſit puniri. Quando poſſit accuſator deſiſtere ab accuſando.

Ut ergo ſciatur, quomodo Judex viâ accuſationis procedere debeat, debet adeſſe formalis accuſatio, de qua jam egimus, & eſt, quandò quis alterum actu accuſat. Alia enim dicitur *virtualis*, quæ adeſt per publicam infamiam, & clamoſam inſinuationem ſufficientem ad inquirendum, non tamen ad condemnandum: quando crimen eſt notorium facto, aut videt ipſe Judex crimen fieri, & alii cum ipſo: quando adeſt manifeſta rebellio contra ſuperiorem, &c. Deindè, ut viâ accuſationis teſtes interroget, ſufficit ipſa accuſatio: ut verò interroget ipſum Reum, requiritur ſemiplena probatio, qualem facit unus teſtis omni acceptione major. Quomodo Judex procedat viâ accuſationis.

Secundò, procedit Judex contra crimina viâ denuntiationis, quando quis crimen Judici denuntiat, non volens in ſe ſuſcipere onus probandi. Subindè adſertur teſtis à denuntiante, quo caſu Judex ex officio procedere poteſt ad capiendas informationes, & examinandos teſtes deſignatos à denuntiante, ac deindè accedit ad examen delinquentis. Si verò nullus teſtis ſit deſignatus, poterit fieri generalis inquiſitio, de quâ ſtatim; adeo ut nec ipſe Reus, nec alii de crimine ſpeciatim poſſint interrogari, niſi fortè loco accuſationis, occurrant indicia aliqua, ut infamia, aut alia ſufficientia ad ſpeciatim inquirendum. Differt verò denuntiatio ab accuſatione: 1. Quod denuntians non debeat crimen probare, uti debet accuſans: 2. Quod non offerat ſe pœnæ talionis, &c. Quomodo viâ denuntiationis.

Tertiò procedit Judex contra crimina, viâ inquiſitionis, quando ratione ſui officii inquirit, an ſe bene gerant ſibi ſubjecti. Inquiſitio autem alia eſt generalis; alia ſpecialis, alia mixta. *Generalis* eſt, quando Judex generaliter inquirit, an communitas ſe bene gerat. *Specialis* eſt, quando inquiritur de certo crimine, aut de certâ perſonâ. *Mixta* verò, quando ſolum crimen, aut ſola perſona eſt ſpecialis, v.g. quis fecerit homicidium, an Petrus ſervet leges. Judicium verò inquiſitionis variè differt à judicio accuſationis, & denuntiationis: primò, ut docet Proſper Fagnanus, *in c. qualiter, & quando, il ſecundo, de accuſator. num.*68. Quod in hoc judicio fama habeatur pro Accuſatore; in aliis verò nemo ſine Accuſatore, aut denuntiatore damnetur. 2. Quod in hoc judicio recipiantur teſtes lite non conteſtatâ, quod in aliis regulariter fieri non poteſt. 3. Quod quando fit inquiſitio, tam in capite, quàm in membris, etiam hîc recipi poſſint teſtes minus idonei. 4. Quod inquiſitio fiat de manifeſtis, ſaltem per famam: in aliis autem etiam agatur de occultis, dummodo probari poſſint. Quomodo viâ inquiſitionis

Por-

Digitized by Google

An, & quomodo ad inquirendum debeat præcedere infamia.

Porrò, ad generalem inquiſitionem non debet præcedere infamia, cùm illa fiat ad proſpiciendum bono communi, ad quod proindè Judex tenetur, etſi nemo illud poſtulet. Hoc tamen caſu, non poſſunt ſubditi declarare occulta aliorum crimina, etſi etiam per cenſuras ad illud compellantur, ſi nulla de illis præceſſerit infamia. Ratio hujus eſt, quod ſubditi hoc caſu non debeant reſpondere, niſi de illis, de quibus poſſunt legitimè interrogari, quod de occultis fieri non poteſt. Excipiunt tamen hîc Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ut hoc pacto melius proſpici poſſit bono Religionis. An verò Viſitatores debeant indicare, ſe ſolummodo inquirere de aliquo modo infamatis, ne fortè ſimpliciores deponant occulta, non ità convenit. Navarrus affirmat, & ait, ſe ità in viſitatione duorum Monaſteriorum obſervaſſe. Imo Innocentius III. Cap. *Qualiter, & quando, il primo*, dicit, quod debeant excipi occulta: Alii ſolummodo volunt id exprimendum, quando creditur, quod homines ſint ſimpliores; non verò, quando præſumitur hoc illis eſſe ſufficienter notum. Hinc ſequitur contrà Wiggers, & alios, quod, qui eo caſu occultum detegit, peccet, & contrà charitatem, & contrà juſtitiam; quia hoc caſu alter non habet jus, ad illud occultum crimen detegendum, quando interogatur ſolùm de aliis; adeoque alium verè infamet; niſi forte illud crimen vergeret in aliorum damnum, aut Reipublicæ.

Ad inquiſitionem tamen ſpecialem requiritur infamia, dum Judex neminem condemnare poteſt ſine Accuſatore ſaltem virtuali, qualis hîc eſt infamia; & quilibet habetur bonus, donec probetur malus, nec ſine causâ aliquis habeatur ſuſpectus. Imo, hoc etiam verum eſt in inquiſitione mixtâ, dum inquiritur de perſonâ in particulari, idque ob eamdem rationem. Militat enim hoc contrà legem charitatis, dum nemo ſine aliquo rumore vellet de ſe inquiri. Excipiunt tamen alii hîc caſum homicidii, invento cadavere, ut patet ex communi praxi: ſi enim in Authorem illius non inquirerent Judices, ſubditi ſcandaliſarentur, dum cernerent homicidia non curari, & hîc ſit evidentia facti pro Accuſatore. Unde dicitur *Cap. ad noſtram il terzo, de jure jur. Manifeſta delicta accuſatione non indigent, nec in eis eſt ordo judiciarius obſervandus.* Alii tamen volunt, hîc non poſſe inquiri ſimpliciter in perſonam, ſed indagandas eſſe omnes circumſtantias, ex quarum conſideratione haberi poſſit aliqualis infamia, & ſic eâ habitâ eſſe procedendum. Alii denique docent, requiri infamiam, quando eſt inquiſitio ex parte perſonæ, non verò quando ſolummodo eſt ex parte criminis. Si autem eo caſu contingat, rogari ipſum Reum; non tenetur ille ſe prodere eò quòd hîc juridicè non rogetur, cùm nulla de eo præceſſerit infamia, nec aliqua aliundè probatio, de quâ re poſteà. Porrò notat Zypæus *Juris Pont. l. 5. de accuſat.* non ad primam famæ inſinuationem mox eſſe procedendum ad inquiſitionem, nec trium, aut plurium depoſitiones audiendas contrà eum, qui infamiâ non laborat, maximè quoad perſonas Eccleſiaſticas: Unde, ait in Concord. Brab. disertè cautum eſſe, ne Judex Eccleſiaſticus cognoſcat, niſi de concubinatu,

Digitized by Google

binatu, & adulterio notorio, ne Promotores ſpe lucri ſtatim ad accuſandum proſilirent, ubi, vel rumuſculum aliquem inaudiſſent.

SECTIO VIII.

De Teſtibus, eorumque obligationibus.

IN omni causâ controversâ, tam criminali, quàm civili, eſt potiſſima probatio per teſtes, & in omnibus actis uſitatiſſima. Varias teſtium conditiones requirunt Jura, ut *Cap. placuit* 4. *q.* 3. Requiritur 1. ne pretio ſint conducti. 2. Ut ſint idonei, & fideles. 3. Ut jejuni teſtentur. Diſtinctius autem Gloſſa qualitates teſtium deſcribit his verſibus. Conditiones teſtium.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Conditio. Significat ſtatum teſtium, ſi ſervi ſint, aut liberi; nam ſervus à teſtando arcetur, niſi fortè in ſubſidium, aliâ probatione deficiente. *Sexus*, quia jure communi arcetur mulier, quæ ſemper varium, & mutabile teſtimonium ſolet producere: *Cap. Forus.* Feminas tamen ad teſtimonium praxis admittit, tam in criminalibus, quàm civilibus: tam in foro Eccleſiaſtico, quàm civili, tametſi Jus Civile, & Canonicum nonnihil diſſonet: ſed Judex æſtimet, quantum fidei tribuat. *Zyp. Notit. Belg. tit. de teſtib. ætas*, ſignificat pubertatem; propter imbecillitatem enim judicii repellitur teſtimonium impuberis in cauſa civili; quia in criminali requiritur ætas 20. annorum propter majus periculum. *L. in teſtimon.* 20. *de teſt. diſcretio* excludit furioſos, amentes, ebrios, & alios ſine judicio diſcretionis teſtimonium ferentes. *Fama* excludit infames: unde olim Adrianus Imp. dicere ſolebat, teſtibus ſe, non teſtimoniis crediturum, id eſt, non nudis teſtimoniis, niſi etiam forent probatarum perſonarum. *Fortuna*, ne eà paupertate laboret teſtis, ut facilè ob lucrum teſtimonium ferat, quamquam honeſti pauperes à teſtimonio dicendo arceri non debeant, cujus proinde diſcretio ſpectat ad arbitrium Judicis. *Fides*, ut ſit fidelis, non Judæus, non hæreticus; etſi hæretici teſtimonium etiam veleat in teſtamentis, & aliquando alibi. Addi poſſunt adhuc alii, qui à teſtimoniis repelluntur, ut ſunt illi, qui à producente teſtes poſſunt imperari, ut ſervi, filii, &c. Parentes in causâ filiorum, niſi in causâ matrimonii. Denique aperti juris eſt, neminem in propria causâ poſſe eſſe teſtem; nec ſocium in causâ ſocii, in quâ eſt ſocius. An mulier teſtari poſſit.

Per ſe loquendo, nemo debet ſe offerre ad dicendum teſtimonium contrà alium, niſi aliunde id eſſet neceſſarium, v.g. ſi ſuo teſtimonio poſſet alium liberare à morte, dum unicuique mandatum eſt de proximo ſuo, & charitas obliget; ut proximo extremè indigenti ſuccurram, dum poſſum ſuccurrere. Qui tamen à Judice legitimè rogatur, debet aperire veritatem, quam noſcit. Ratio eſt, quod aliàs eſſet gravis inobedientia, & defraudatio juris in An, & quando quis teneatur teſtari.

Judice

Judice in re gravi : deindè, talis interret Reipubl. gravem injuriam, cui maximè utile eſt, ac neceſſarium, ne crimina maneant occulta. Adde, quod ſæpè, niſi teſtetur, condemnabitur Accuſator; denique, ipſe Reus legitimè rogatus, tenetur aperire crimen, de quo poſtea : ergo multò magis ipſe teſtis ad hoc tenebitur. Unde S. Thom. q. 69. art. 1. in corp. ità ait : *Quicumque facit contrà debitum juſtitiæ, mortaliter peccat : pertinet autem ad debitum juſtitiæ, quod aliquis obediat ſuo ſuperiori in his, ad quæ jus prælationis ſe extendit. Judex autem ſuperior eſt, reſpectu ejus, qui judicatur : & ideo ex debito tenetur accuſatus, Judici veritatem exponere, quam ab eo ſecundùm formam juris exigit, & ideo ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.*

Sed quid, ſi quis habeat crimen ſub ſecreto ſibi commiſſum aut ſub juramento illud non revelandi? Reſp. Si crimen illud cedat in perniciem Reipubl. debet illud etiam non rogatus teſtari; cùm juramentum non poſſit eſſe vinculum iniquitatis, neque in iis obliget data ſecreti fides : *in malè promiſſis reſcinde fidem.* Si verò crimen in nullius damnum cedat, ſi habeat illud ſub ſecreto, vel juramento; non poterit etiam vocatus id teſtari. Ratio eſt, quod eo caſu de jure naturæ obliget ſecreti fides, cui lex ſuperioris nequit præjudicare. Eſt enim hìc promiſſio in re gravi, quæ poteſt obſervari, ergo & debet. Idem locum habet in Medico, viro docto, Obſtetrice, &c. qui aliquid ſub ſecreto virtuali habent ſibi commiſſum. Qui verò viâ Confeſſionis Sacramentalis aliquid ſciunt, non poſſunt id teſtari, etſi etiam id vergeret in damnum totius mundi, ut ait Salonius.

An debeat teſtari teſtis unicus.

An verò teſtis unicus, qui in cauſa criminali deponere poſſet, teneatur rogatus veritatem aperire, non conſentiunt Authores. Affirmat Soto cum aliis, quia ſuppeditabit ille ſemiplenam probationem, ex quâ poterit Reus juridicè interrogari, incarcerari, torqueri; unde tandem haberi poterit plena criminis probatio. Deindè, aliàs crimina remanerent impunita, & pullularent in perniciem ſocietatis humanæ. Varii tamen, docent cum Reginaldo *lib.* 24. *ſect.* 5. *num.* 47. teneri talem teſtem ad tacendum. Ratio ejus eſt, quod eo caſu cenſeatur teſtis eſſe exemptus à juriſdictione inquirentis, per defectum nimirum ſcientiæ publicæ ad juridicam ſententiam ferendam neceſſariæ.

Quando quis teſtari non debeat.

Teſtari tamen etiam rogati non debent, qui ex dicendo teſtimonio timent meritò ſibi, ſuiſve grave damnum, aut oriturum eſſe aliquod ſcandalum. Excipiuntur inſuper illi, qui crimen probare non poterunt; ut ſi videant defuturos teſtes alios. Item jure communi excipiuntur ſenes, valetudinarii, debiles, mulieres, Doctores, ac Profeſſores, conſanguinei accuſati, &c. Si tamen aliundè veritas haberi nequeat, poſſent in teſtimonium vocari omnes perſonæ privilegiatæ. Vide Chriſtyn *ad Bugn. lib.* 1. *Sat.* 159.

Quot poſſint ſimul teſtari.

Et quamvis ſuper uno, eodemque facto tot olim teſtes produci potuerint, quot Actor, vel Reus voluiſſent, dummodo eorum multitudo non foret effræ-

effrænata, ſive excurrens in magnam multitudinem, quam Judex poterat moderari: in Galliis tamen in ſingula capita, non ultra decem recipi poſſunt, quod & in Statutis Curiæ Eccl. Mechlinienſis *tit. de modo proced. art.* 54. præſcribitur: niſi fortè probanda eſſet conſuetudo, aut Judex aliter decerneret. *Zyp. Not. tit. de teſtibus.*

Tenentur inſuper teſtes præſtare juramentum, cujuſque ſit dignitatis, aut probitatis, *Cap. nuper* 5. *de teſt.* niſi fortè pars adverſa id remiſerit, excepta cauſa matrimonii, ubi agitur de matrimonio conjungendo, aut ſeparando, ubi propter rei neceſſitatem juramentum remitti non poteſt. In Bohemiâ tamen, Auſtriâ, & Bavariâ, teſte Gail. *lib.* 1. *Obſerv.* 110. conſuetudine introductum eſt, ut Nobiles ſine corporali juramento per ſcripturam conſignatum teſtimonium ferant; de illo more ita apud nos ſcribit Zypæus ſupra: *Teſtes corporale juramentum præſtare jubentur, id eſt, ad librum Evangeliorum, aut imaginem Crucifixi: ſed pleriſque locis, elevatis prioribus tantùm digitis manûs dextræ duobus: hodie ſolent jurare Sacerdotes manu pectori appoſita,* IN VERBO SACERDOTIS. *Qui Regi juramento obſtricti ſunt, & dignitate, aut officio majori aliquo conſtituti, deponunt,* SUB OBLIGATIONE JURAMENTI REGI PRÆSTITI. *Monachi* SUB OBLIGATIONE VOTORUM. Mennoniſtæ omnia juramenta illicita cenſentes, deponunt ſub verbo *eſt, eſt: non, non.* Judæi, ubi tolerantur, non admittuntur ad jurandum, niſi manu admotâ ad Legem Moyſis: aliàs enim non credunt ſe teneri juramento. Imo, neque tali juramento ita firmiter obſtringuntur; cùm in feſto expiationis facilè recipiant à ſuis Rabinis abſolutionem à juramentis malitiosè factis, maximè in præjudicium Chriſtianorum. Varioram juramentorum formæ.

An verò juramentum illud à teſtibus præſtandum ſit ante depoſitionem, non verò præſtari poſt illam, non eſt adeo definitum. Felinus *in C. de teſt.* 29. *num.* 5. ait communiter doceri, quod præſtari debeat ante depoſitionem teſtimonii, tum, quod id poſtulat ordo, & natura judiciorum; puta, ut teſtes primò jurent, ac deindè deponant: tum, quia prius jurans, rectius præſumitur dicturus veritatem ob Religionem juramenti, quod non ita habet locum, ſi poſt depoſitionem juramentum emittat. Alii è contra cenſent ſatis eſſe, ſi ſtatim poſt depoſitionem teſtis juret, & ita in Camerâ Imperiali uſu receptum eſſe tradit Gail *lib.* 1. *Obſerv.* 101. *num.* 9. & idem de moribus noſtris tradit Groenwegen *Cod. lib.* 4. *tit.* 20. *L.* 9. *de teſt.* & ratio eſt, quod, quæ ex incontinenti fiunt, cenſeantur ineſſe ipſi actui, *L. juris gentium* 7. §. *quin imo D. de pactis.* Neque etiam obſtat prædicta ratio, quia cùm teſtis probè ſciat, ſe ad juramentum eſſe compellendum, præſumitur vi juramenti ſtatim emittendi, teſtimonium dixiſſe. An juramentum faciendum ſit ante depoſitionem teſtimonii.

Porrò, in cogendis teſtibus diverſimodè procedit Jus Civile ab Eccleſiaſtico. Jure enim Civili indiſtinctè compelluntur teſtes ad teſtandum *L. ſi quando C. de teſt.* & alibi niſi fortè eſſent perſonæ exemptæ; jure Canonico verò in cauſâ civili teſtes primò monentur, & ſi requiſiti tergiverſentur; cogi poſſunt per cen- Teſtes an cogendi.

cenſuras, adeo ut, etiamſi juraſſent ſe non teſtaturos, non obſtante tali juramento cogi poſſint, *Cap. Conſtitutus* 45. *de teſt. cog.* eò quòd tale juramentum ſit nullum, cùm peccatum contineat ſupprimendi veritatem in alterius præjudicium, & inobedientiam: neque juramentum poſſit eſſe vinculum iniquitatis: ob cautelam tamen ſolet ab ejuſmodi juramento dari abſolutio, ne fortè ſcandaliſarentur ignari. In causâ criminali verò, non compelluntur teſtes *Cap. Dilecti*, niſi aliundè veritas haberi non poſſet, aut niſi dolo, aut metu partis adverſæ teſtari recuſent. Alia de teſtibus videri poſſunt apud Gudelinum *Juris noviſſ. lib.* 4. *cap.* 10.

Quomodo teſtis obligetur ad reſtitutionem.

Quiſquis autem ſuo teſtimonio eſt injuſta cauſa damni, debet illud reſtituere; qualis eſt, qui falſo ſuo teſtimonio, calumniâ, contra ordinem juris cum damno alterius teſtatur. Item ille, qui ex craſsa ignorantia, aut latâ culpâ teſtatur falſum. Si verò bona fide putans ſe teſtari verum, teſtetur illud, quod eſt omninò falſum, ad nihil obligatur, quia nulla eſt culpa. Non enim tenetur ex parte rei acceptæ, nec ex contractu, nec ex injuſta acceptione, cùm non fecerit injuſtitiam. Si verò aliqualis hîc negligentia interceſſerit, pro modulo culpæ, docet Soto reſtituendam eſſe partem damni ſecuti. Vide dicta de reſtitutione.

An verò ille, qui legitimè vocatus ad teſtimonium ferendum, recuſat venire, peccet quoque contra juſtitiam; non ita generaliter admittunt omnes. Quod peccet contra obedientiam, eſt in confeſſo. Quod etiam peccet contra charitatem, ſi teſtimonio illius proximus indigeat, & ſine ſuo incommodo dicere queat, eſt itidem manifeſtum. Sylvius probabilius ait, eum non peccare contra juſtitiam; ſicuti, ſi quis à Magiſtratu citatus ad ſuſcipiendam curatelam, recuſaret venire, peccaret ſolummodo contra obedientiam, & charitatem. Et ſicuti ante mandatum non tenetur ad illud ex juſtitia; ita nec poſt mandatum, per quod ſolummodo inducitur obligatio obedientiæ. Alii è contra docent, eum peccare quoque contra juſtitiam; eò quòd per fraudem privet proximum jure ſuo, quod habet ad teſtimonium ferendum pro ſe; adeoque privando proximum ſuo jure peccet contra juſtitiam. Sic qui ex lege Judicis deberet proferre aliquod inſtrumentum, quo aliqua forent probanda, & illud occultaret, peccaret contra juſtitiam; ergo & teſtis ille, de quo in caſu. Deindè, dum alicui legitimè injungitur teſtimonium, eo ipſo ex officio videtur ad illud obligari, quod poterit Reſpublica pro ſuâ authoritate; adeoque non manifeſtando peccaret contra juſtitiam. Ut ut ſit, tenetur tamen pœnâ falſi, qui veritatem occultat, quando obligatur eam aperire. Unde ex S. Auguſtino, aut, ut alii, ex S. Iſidoro, dicitur *Cap. falſidicus, de crimine falſi: uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.* Hoc tamen paſſim reſtringi ſolet ſecundùm Abbatem, quando rogatus reſpondet ſe nil ſcire, vel quando juravit ſe dicturum eſſe veritatem, & multa ſubticet, aut aliàs malitioſè veritatem occultat; non itidem de eo, qui necdum ad accuſandum ſeſe ſiſtit, quo caſu vera eſſe poſſet ſententia

Sylvii;

Digitized by Google

Sylvii; etſi Navarrus in Manuali *cap.*25. *num.*42. etiam ad reſtitutionem obliget eum, qui occultat ſe, ne neceſſariam veritatem dicat; imo & illum, qui ſe eo caſu ad id offert. Quod intellige de eo, qui ad teſtificandum eſſet legitimè citatus quia, ut docet dictus Author *num.*44.*ſeq.* qui non citatus ſe ultro non offerret ad dicendum neceſſarium teſtimonium, peccaret ſolummodo contra charitatem, cujus violatio non inducit obligationem reſtitutionis. Et rationem addit, quod per citationem amittat ſuum jus, & lex juſtitiæ, quâ juſtè juſſus tenetur teſtificari, obligat ad reſtitutionem.

Si verò jam falſum eſſet teſtificatus, ubi id advertit, tenetur partem, pro quâ dixit teſtimonium, admonere, ut reſtituat, ſi inde aliquod damnum alteri ſit ſecutum. Quod ſi pars illa id negligat, aut certò neglectura prævideatur, debet teſtimonium ſuum coram Judice revocare in incontinenti, id eſt, nullo interpoſito intervallo, quia aliàs cenſetur retractans eſſe ſeductus ab eâ parte, cujus intereſt; quando autem fit in incontinenti retractatio, nullum tum errorem commiſſum eſſe, jura præſumunt. Et quamvis altera pars litigantium uſque ad ſententiam liceat errorem ſuum corrigere *L. error C. de juris, & facti ignor.* id tamen non licet teſti. Porrò, ex incontinenti cenſetur fieri, juxta aliquos retractatio, quando fit, antequam Notarius reſponſionem teſtis ſcripſerit: alii tamen indiſtinctè id cenſent eſſe relinquendum judicio, & diſcretioni Judicis, qui attentâ qualitate teſtis, aliiſque circumſtantiis conſideratis, correctionem teſtis admittere poteſt, aut reprobare. Ex intervallo tamen ejus correctio etiam admitti poteſt, ſi errorem ſuum probaverit.

Quando autem teſtis malitioſè falſum dixiſſet, tenetur etiam cum periculo vitæ omne damnum inde ſecutum reparare: adeo ut, ſi ex tali falſo teſtimonio verſetur proximus in vitæ periculo, teneatur talis teſtis calumniam ſuam patefacere, etſi idem periculum ipſe incurreret. In pari enim diſcrimine potior eſt conditio innocentis, quàm calumniatoris, qui innocentem ſuâ calumniâ conjecit in tale periculum. Hinc alii deducunt, quod ille qui alterum injuſtè occidit, & alius ejus loco ob tale crimen condemnaretur morti, teneretur ille homicida ſeſe ſiſtere juſtitiæ, & innocentem illum è periculo liberare: maximè, cùm ea hîc cautio adhiberi poſſet, ut omnibus ad fugam præparatis coram Notario, ac teſtibus ſuum crimen prodat, & ita innocentem liberet, & ſeſe à tali periculo ſubducat.

SECTIO IX.

An Teſtis, item Reus legitimè rogati poſſint uti reſtrictione mentali, æquivocatione, &c.

TAmburinus *lib.* 3. *cap.* 4. *parag.* 2. rogato, an in judiciis æquivocare cum juramento aliis à Reo liceat: ita reſpondet: *Teſtis interrogatus à Judice de occulto crimine alicujus, vel de crimine, de quo non tenetur teſtificare, ut quia v.g. notabile damnum ſequeretur, poteſt jurare, ſe rem neſcire, intelligendo, ita ut, teneatur illi judicio ſubdere, vel quid ſi-*

mile. Et *num.*4. addit aliquando teſtem ad illud obligari. Et Eſcobar *Tract.6. exam.6. cap.*3. quærens de Reo, ac teſte, an ſi legitimè à Judice interrogentur, teneantur ad ejus mentem reſpondere: reſpondet, *non obligari, etiamſi Judex ſub pœnâ excommunicationis præcipiat. Ratio eſt, quia Reus, & teſtis ſunt in poſſeſſione ſuæ libertatis valendi æquivocare ex cauſa. Ergo ab hâc non poſſunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis.* P. Matth. Moya, *Tract.* 2. *de Relig. Diſp.*1. *q.*6. §.4. *de voto, & juramento*, ait, *licitum eſſe ex juſtà causà veritatem occultare mentali reſtrictione additâ, etiamſi verba, neque ex ſuà ſignificatione, nec ratione circumſtantiarum ſenſum verum admittant, ſed ratione tantùm additi, quod mente proferentis omninò retinetur, etſi, nec implicitè ſigno aliquo exteriori ſignificetur, ut ſi quis v.g. juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra ſe, non faciſſe anno præterito.* Idem docent & alii.

Ex hoc principio deducunt in omni ferè materiâ concluſiones varias, quas allatis Authoribus allegat Fagnanus in *Cap. Falſidicus, de crimine falſi, num.* 36. Primò, quod rogatus de re, quam expedit ſub ſecreto tegere, poſſit jurare, ſe neſcire: puta, *ut tibi reveletur.* 2. Si extorqueatur promiſſio de ſolvendâ aliquâ ſummâ, poſſit jurare ſe ſoluturum, ſubintelligendo, *ſi tibi debuero.* 3. Si quis rogatus mutuum, quo ipſe indiget, poſſit jurare ſe illud non habere, ſubintelligendo *ad mutuandum.* 4. Si mulier rogata de adulterio à viro, poſſit jurare ſe illud non feciſſe, ſubintelligendo, *tali die, tali loco.* 5. Quod Clericus rogatus à Cuſtodibus, an apud ſe habeat bona gabellis obſtricta, poſſit id negare, ſubintelligendo, *ex quo debeatur gabella, &c.* His tamen non obſtantibus, docet dictus Author *num.*56. implicitas illas ſubauditiones non excuſare à peccato mortali ſic jurantes, & hanc pernicioſam eſſe cautelam ad mentiendum, & pejerandum in ſtragem animarum.

Merè mentaliter reſtringere, eſt mentiri.

Dico ergo 1. generaliter, quod qui merè mentaliter reſtringit, mentiatur, niſi quando reſtrictio aliquo modo exterius, vel ex modo dicendi, vel ex circumſtantiis, vel ex ſenſu, quod debeat fieri interrogatio, manifeſtetur. Ita Malderus *de abuſu reſtrictionum mentalium cap.*4. pro cujus pleniori intelligentiâ notari poteſt, ſubindè reſtrictionem illam merè eſſe internam, ut nullo modo exterius manifeſtetur: aliquando autem exterius manifeſtari, uti ſubindè manifeſtat modus dicendi, Jocosè v.g. Ironicè, &c. ſubindè idem indicat circumſtantia perſonæ, ut eſt Confeſſarii, Advocati, Medici, &c. Subindè ex modo interrogandi, ut ſi interrogatio fiat in Judicio, in quo ad interrogandum legitimè varia ſunt prærequiſita. Deindè notandum eſt, ſignificationes verborum provenire ex inſtitutione verborum, & eà tantum parte de ſe generare ſenſum, neutiquam verò ſecundùm id, quod ſolâ mente retinetur. Denique, advenire poſſent dictæ circumſtantiæ, quæ vocibus conſignificarent, & ſenſum verborum ampliarent, diminuerent, aut ad alium ſenſum detorquerent.

His poſitis probatur dicta concluſio; quia, qui mentaliter reſtringit, falſum ſcienter dicit; dum totum illud, quâ parte ſignificat, eſt falſum; adeoque

que ſcienter it contrà mentem, & conſequenter mentitur. Per talem enim reſtrictionem, neque vox, neque res ſignificata mutatur: adeoque, ſi falſa ſit illa vox ante reſtrictionem, etiam falſa erit poſt illam. 2. Si ea, quæ ſcribas, ſimul loquaris, nemo dixerit te vera ſcripſiſſe, eò quòd fortè aliquid ſcribendo ſubintellexeris, quo conjuncto, vera ſunt, quæ ſcripſiſti.

Tenetur teſtis reſpondere ad mentem interrogantis.

Dico 2. teſtis legitimè rogatus non poteſt reſtringere mentaliter, ſed tenetur ad mentem interrogantis, id quod novit, reſpondere; maximè, ſi (ut aſſolet) juramentum emittat. Si enim alio modo perverſo, aut inordinato liceret reſpondere, fruſtranea eſſet Judicis poteſtas, & omni eluſioni expoſita, cum ſubverſione Judicii. Hinc meritò hæc propoſitio à S. Sede eſt condemnata: *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propriâ ſponte, ſive recreationis causâ, ſive quocumque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intrà ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum, verum reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Quod mentiatur ille, mox eſt oſtenſum: quod ſit perjurus, patet ex eo, quod abſolutè juret falſum.

Dicet aliquis, juramenti ſignificatio accipienda eſt, juxtà intentionem proferentis, quæ intentio verum facit illud, quod jurat. Et probatur ex *Cap. Humanæ aures* 22. q. 5. ubi dicitur: *Humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant: divina verò judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur..... non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.* Ad quod Gratianus: *Patet, quod Deus non accipit ſic juramentum, ſicut ille, cui juratur, ſed potius, ſicut qui jurat, intelligit.* Reſp. cum Proſpero Fagnano num. 76. ad dictum Cap. quod, quando ab utroque interponitur dolus in juramento, debeat illud accipi ſecundùm communem ſignificationem verborum: ſi à neutro, debeat accipi ſecundùm interpretationem utriuſque ſi verba poſſint utrique adaptari: ſi denique ex parte unius dolus interveniat, intelligi debeat juxtà illum, qui rectè intelligit. Unde S. Thomas 2. 2. q. 79. art. 7. ad 4. *Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat; ſi hoc procedat ex dolo jurantis; debet juramentum ſervari, ſecundùm ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur.* Cùm ergò hîc ſit juramentum doloſum, juramentum intelligi debet juxtà ſanum ſenſum illius, cui juramentum præſtatur, juxtà quem ſenſum, falſum eſt, quod juratur. Unde magis hîc adduci poſſet *Cap. Quâcumque arte*, ex Iſidoro, ubi dicitur: *Quâcumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen qui conſcientiæ teſtis eſt ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Quomodo autem Reus interrogatus debeat edicere veritatem, mox patebit.

SE-

Digitized by Google

SECTIO X.

De Reo, ejuſque obligatione in Judicio.

IMperitum vulgus, ait Salonius, putat numquam debere confiteri crimen, niſi quis ita jam ſit convictus, ut ſive fateatur, ſive non, equidem ſit condemnandus. Imo & hoc, ait, docent imperiti Confeſſarii. Pro quo notandum eſt, quod juxtà aliquos Reus legitimè interrogatus, etiam cum periculo vitæ teneatur ſuum crimen confiteri. Ratio eſt, quod quilibet teneatur obedire ſuo legitimo Superiori, legitimè præcipienti. Deindè, Judex habet jus ad eliciendam veritatem in bonum commune; ergo Reus reſpondendo non obediens agit contra illud jus. Denique. Accuſatori, & teſtibus imponit calumniam ſuâ negatione, quod eſt graviter contra charitatem, æquè ac contra juſtitiam. Ad hoc etiam obligatur Reus, etſi ſine juramento interrogetur, idque ex natura rei, & præcepto Superioris. Docent alii, quod ſi Reus à Judice interrogetur de aliquâ criminis circumſtantiâ, quæ ad cauſam principalem non multum attinet, ſepoſito juramento non peccet mortaliter non fatendo: eò quòd non contraveniat præcepto Superioris ſui in materiâ adeo gravi, quod ſecluſo omni alio non eſt grave.

Reus legitimè rogatus debet fateri ſuum crimen, etiam cum periculo vitæ.

Statuendum tamen ſatis probabiliter ab aliquibus ſuſtineri, quod Reus tacere poſſit veritatem in caſu, quo eſſet periculum vitæ ex confeſſione criminis, & tacendo ſit ſpes evadendi, neque de cætero ſit periculum boni communis, etiamſi à Judice legitimè interrogetur; modò non ſit crimen plenè probatum. Ratio illorum eſt, quod quamdiu crimen non eſt plenè probatum, & adeſt ſpes evadendi, videatur eſſe ſupra humanam infirmitatem illa lex qua crimen illud eſt confitendum, ubi tamen leges debent eſſe conformes conditioni humanæ. Deindè, quod leges humanæ non obligent cum periculo vitæ, niſi ob magnum bonum: inſuper, quod nemo debeat teſtari contra ſanguine junctum; nemo autem ſit magis conjunctus alicui, quàm ipſe ſibi ipſi. Prætereà, quod non obſtante lege Judicis poſſit fugere è carcere; ergo neque debeat fateri ſuum crimen non obſtante eâ lege. Ad hæc, etſi Judex ob ſolam infamiam poſſit Reum juridicè rogare; non poteſt tamen ad ſolam infamiam Reo imponere juramentum; eò quòd ad hoc tantùm requiratur, quantum ad torturam; quia juramentum eſt tortura animæ, & ſpiritualis: ergo neque ad infamiam poteſt Reo imponere præceptum ſub peccato mortali edicendi veritatem, non magis quàm imponere poſſit obligationem jurandi. Sic etiam *Cap. Clericos* 3. *de cohabit. Cler.* &c. Statuunt Jura ob periculum perjurii, ne juramentum exigatur à Concubinariis, quod deſerent Concubinam: adeoque ob periculum inobedientiæ non poterit imponi Reo, obligatio in caput ſuum veritatem edicendi. Denique, quod abſolutum jus propriæ vitæ tuendæ videatur excludere poteſtatem illud præcipiendi, & contra naturam eſſe appareat, quod quis debeat ſervare vitam, & illam ſponte peri-

periculo manifeſto offerre. Et hanc ſententiam fatetur Sylvius non improbabilem.

Objiciunt tamen contrariæ ſententiæ Authores : 1. Quod juxtà jam dicta, poteſtas Judicum futura ſit nulla. 2. Quod Judex ad ſemiplenam probationem habeat jus addicendi Reum torturæ : ergo etiam habeat jus imponendi tale præceptum. 3. Quod quando adſunt indicia ſufficientia, poſſit Judex à Reo exigere juramentum calumniæ; atqui juramentum illud non eſt medium magis opportunum, ad habendam veritatem, quàm ſit dictum præceptum, neque etiam juramentum illud eſt minus periculoſum. *Reſp.* ad 1. negando, inde ſequi poteſtatem Judicis futuram eſſe nullam, quia dicta interrogatio ſerviet, ut oſtendat Judex ſe invigilare bono communi; & ſæpè fieri poſſit, quod Reus per ingenuitatem, aut inconſtantiam edicat veritatem. Ad 2. *Reſp.* cum Wiggers, quod quidem Judex habeat jus illud agendi, ſed per media opportuna, quale medium non eſt obligatio conſcientiæ, quam homines rudes, vel non apprehendunt, vel non timent; adeo ut illud ſit potius injicere animabus laqueum. Adde, quod etſi Judici ſit tale jus, etiam ab alia parte ſit jus Reo ad tuendam ſuam vitam, & jura illa ſint quidem diverſa, non autem adverſa, uti & Judex habet jus ſervandi Reum in carcere, & Reus habet jus è carcere fugiendi. Ad 3. *Reſp.* quod juramentum ſit medium minus opportunum, quàm ſit præceptum ad eruendam veritatem, cùm homines naturaliter magis abhorreant à falſitate juramenti, quàm à violatione præcepti, cùm perjurium ſæpè ſit punitum à Deo. Addi poteſt ex Gomeſio, quod in cauſa capitali, Principi non ſit conſulendum, ut à Reo juramentum exigat, idque ob periculum perjurii, niſi fortè pars inſtet, & juramentum urgeat. Imò, alii generaliter negant, quod eo caſu poſſit Judex exigere juramentum, & ſolummodo textus juris id velit, quod illud juramentum ſolummodo importet, quod Reus putet ſe bonam cauſam tueri, bonâ fide procedat, & nihil Judicibus dederit ad eos corrumpendum : in quali bonâ fide Reus exiſtit, quando procedit hîc juxtà ſententiam mox dictam, quæ verè fundata eſt, & probabilis. Argumenta contraria.

Juxtà hanc, aut contrariam ſententiam diverſimodè procedere oportet Confeſſarium in adigendo Reo ad dicendam veritatem. Si enim illi certum moraliter ſit, Reum in hoc caſu non obligari ad dicendam veritatem : non debet eumdem ad illud urgere, prouti neque in cauſa æquivalenti cauſæ ſanguinis, v. g. exilii, confiſcationis bonorum, &c. idem eſt, ſi de ea ſententia dubitet, dum in dubio favendum eſt Reo. Si verò ſententia noſtræ oppoſita foret alicui Confeſſario certa, non poſſet Reum abſolvere, niſi veritatem candidè fateatur, ad quod ſub mortali juxtà hanc opinionem eſt obligatus. Interim in dubio, an Reus rogetur à Judice juridicè, non tenetur Reus reſpondere, quamdiu de eo rationabiliter dubitat; eò quòd in dubio ſit melior conditio poſſidentis, Reus autem ſit in poſſeſſione vitæ, famæ, honoris, &c. Si verò Judici ſit dubium, an poſſit Reum rogare; vel ſequetur Notabile.

quetur

quætur ex omiſſione rogationis malum aliquod Reipublicæ, quo caſu debet dubium deponere, & Reum rogare; eò quòd bonum publicum præponderet privato, & Judex ex officio debeat bono communi providere: vel tale malum non timetur à Judice, & ſolummodo proceditur ad Reum puniendum, quo caſu non poterit eum interrogare. Ità Sylvius.

Qualiter peccet Reus non edicens veritatem

Quale verò peccatum ſit, ſi Reus in hoc caſu neget ſe feciſſe, non adeo apparet. Reſp. Volunt aliqui eſſe peccatum mortale omne mendacium in judicio commiſſum, prouti eſt omne mendacium juramento firmatum: verum non eſt eadem ratio de utroque mendacio: in hoc enim mendacio tota deformitas, & malitia redundat in Deum, qui adhibetur in teſtem mendacii, quod eſt graviſſimum, adeoque Deo maximè injurioſum: in illo verò caſu, dum agitur de conſervatione vitæ, videtur ſolummodo eſſe mendacium officioſum, & nulli pernicioſum, adeoque non eſſe niſi veniale. Imo Wiggers putat, quod eo caſu Reus poſſit dicere accuſatorem mentiri, eò quòd Accuſator, dum crimen probare non poteſt, cenſeatur calumniari, & mentiri practicè, dum illud in judicio allegat tamquam ab eo probandum, quod tamen probare non poteſt. Bannez tamen, & Sylvius illud negant, & docent id eſſe excedere moderamen inculpatæ tutelæ, neque verum dicunt, quod ille bonâ fide procedens mentiatur. Addunt alii, quod hic Reus aliâ viâ poſſit evadere, dicendo v.g. *non feci*, ſed an eo caſu virtualiter non dicat Reus Accuſatorem mentiri, judicent alii.

Quæret aliquis, quid ergo Reo agendum, dum nullo boni finis intuitu poterit mentiri, vel venialiter. Reſp. Poterit tacere, loqui ambiguè, interrogationem eludere: imo, ſi Judex urgeat, ut cathegoricè reſpondeat, poterit abſolutè dicere, *non feci*: neque hîc erit mendacium, aut reſtrictio mentalis, ut vult Soto; ſed ex conſignificantibus circumſtantiis illud ſignificat, *non probatur me id feciſſe: ſive, non feci, ut poſſit probari: non feci, ut huc ſpectat.*

Quæ requirantur ut Reus dicatur legitimè interrogari.

Ut autem Reus legitimè interrogetur, tria cum S. Thoma paſſim requirunt Authores, quorum aliquid ſit neceſſarium. 1. Eſt infamia de crimine. 2. Expreſſa ejuſdem indicia. 3. Semiplena probatio. Ad infamiam verò requiritur fama plurimorum hominum proborum; nam perditorum clamor, atque hominum infimæ Claſſis, legitimam infamiam non conflat, ait Soto. Debet quoque eſſe plurimorum clamor; quia, ut ait *Cap. inquiſit.* propter dicta paucorum, nemo debet reputari infamatus, ſi apud bonos, & graves læſa non exiſtat ejus opinio. Talis infamia ſubindè ſignificatur per inſinuationem clamoſam, ſive publicum rumorem ſparſum. Indicia verò ſunt ejuſmodi ſigna, quæ rationabiliter oſtendunt, alium eſſe Reum, v.g. quo quis coram occiſo inveniatur cum gladio evaginato, &c. Semiplena probatio eſt teſtimonium unius teſtis omni exceptione majoris, ſi ſit ſcilicet vir probus, nullo vitio infectus, unde debeat dici ſuſpectus, qui & affirmet ſe vidiſſe. Quicumque Judex ſine tali ordine juris Reum interrogat, vel de Reo ipſo, vel de ſociis

Digitized by Google

ſociis criminis, graviter peccat, quia injuſtè dat cauſam notabilis infamiæ proximi, dum extrà ſuam poteſtatem inquirit. Ita Navarrus *Manualis cap.* 18. *num.* 59.

SECTIO XI.

Quomodo Judex poſſit Reum adjudicare Torturæ.

EX uſu omnium Regnorum conſtat in defectum probationum à Judice adhiberi poſſe torturam. Non poteſt tamen huic Reum ſubjicere, niſi adſit ſemiplena probatio, & ſit talis, qui poſſit torturæ ſubjici. Subindè tamen talis probatio non requiritur, ut ſi ſit fama publica de Authore criminis, vel ſi Reus extrà Judicium crimen confeſſus ſit, aut coram Judice non competente: ſi quis crimine commiſſo fugiat: ſi ſocii criminis id aſſerant: aut denique ſint talia indicia, quæ probabiliter oſtendunt Reum eſſe nocentem. S. Ludovicus in Gallia ad unius teſtis etiam maximæ fidei, noluit quemquam ſubjici torturæ. Idem hîc in Belgio multarum urbium habent privilegia. Zypæus *Not. juris Belg. tit. de quæſtionibus*: niſi alia indicia concurrant, aut alia juris adminicula. Sequitur ex dictis, quod quando tantùm adeſt plena probatio, tortura adhiberi nequeat, cùm jam omnia adſint ad condemnationem; niſi fortè Reus appellaret ad ſuperius tribunal, prouti alibi habet conſuetudo, & de Italia id refert Navarrus. Vel etiam, niſi eam adhibere neceſſe ſit ad manifeſtandos complices, aut de aliis criminibus Reum interrogandum, ad quæ tamen adeſſe quoque debeat ſemiplena probatio. In civilibus cauſis, ac pecuniariis mores noſtri torturam non adhibent. Zypæus ibid. *Quando Reus poſſit ſubjici torturæ.*

Porrò, torturæ olim ſubjici non poterant milites, & viri illuſtres: moribus tamen noſtris, & milites ſubjici illi poſſunt, æquè ac viri illuſtres; cùm reatus omnem honorem excludat. Zipæus ibidem. Clericos quoque veroſimiliter torturæ mitiori ſubjici poſſe tradit idem in *Conſultat. Can. lib.* 5. *de purgatione Canon.* Teſtes quoque moribus noſtris, neque in civilibus, neque in criminalibus per torturam examinari ſolent, niſi de ſe confeſſi ſint, quando etiam hodie in aliorum caput poſſent torqueri. Idem obtinet, ſi teſtes varii ſint, ac vacillent. Groenwegen *D. lib.* 48. *tit.* 18. *de quæſtionibus.* *Qui poſſint torturæ ſubjici.*

Varia inſuper de quæſtione torturæ habent mores noſtri. 1. Quod vagabundi apprehenſi, & examinati, nec potentes reſpondere, etiam ſine ulterioribus indiciis poſſint torqueri. 2. Quod nemo poſſit torqueri, niſi præviâ informatione, & ſententiâ. 3. Ut non poſſit adhiberi, niſi in cauſis à jure permiſſis, & ubi cauſa tam clara eſt, ut nihil reſtare videatur præter confeſſionem Rei: ubi autem deëſt ſemiplena probatio, aut adeſt plena, tortura interdicitur. 4. Quod à ſententia torturæ nulla detur appellatio. *Codex Belgicus V. Torturæ.* Conſuetudines Antverp. *tit.* 15. *art.* 6. Bruxellenſ. *art.* 64. decernunt adhibendam eſſe torturam in præſentia Scabinorum. Reo quoque ſemel torto, ſi conſtanter negaverit crimen, repeti tortura non poteſt, niſi nova adveniant indicia; cùm *Mores Belgii quoad torturam.*

Digitized by Google

per torturam cenſeantur indicia priora eſſe diluta : contrarium tamen ſæpè fit in criminibus atrocioribus, intermiſsâ aliquando torturâ cum proteſtatione eam repetendi. Et licet moribus noſtris nemo condemnari ſoleat, niſi proprio ore crimen confeſſus ſit, ne poſtea detur appellatio; ſæpè tamen in notoriis delictis, etiam ſine tali confeſſione procedi ſolet ad condemnationem, in quibus non datur hîc appellatio, uti aſſerit Groenwegen *Cod. lib.* 9. *tit.* 47. *L.* 16. referens, quomodo quidam homicida ebrius in flagranti delicto comprehenſus, quamvis commiſſum crimen ignorare ſe aſſeveraret, apertiſſimis teſtimoniis convictus à Scabinis Delpho-batavis eo præſente 1651. 13. Maii capitis damnatus fuerit, neque ab Hollandiæ Curia recepta fuerit ejus appellatio.

Mortaliter peccat, qui ad evadenda tormenta imponit ſibi falſum crimen.

Graviſſimè verò peccat, qui ad evadenda tormenta imponit ſibi falsò aliquod crimen. Ratio eſt, quod ille perniciosiſſimè mentiatur in caput ſuum, & ſeipſum falſo ſuo teſtimonio occidat : hinc alibi à S. Hieronymo taxatur juvenis ille, qui ad evadenda tormenta confeſſus erat falſum adulterium, ob quod adultera ſepties icta fuit, quemque ait S. Doctor, mentitum fuiſſe in ſuum ſanguinem.

Objiciunt hîc aliqui cum Leſſio *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 7. non tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri : non enim (ait ille) eſt tanto digna dolore ſalus. 2. Si hoc eſſet peccatum mortale, vel eſſet ideo, quod ſit mendacium perniciosum, vel quod ſit perverſio judicii : atqui neutrum dici poteſt. 3. Quod quis eo caſu poſſit fateri crimen verum, ergo etiam falſum. Denique, quod videatur nimis durum tantas moleſtias injuſtè ſuſtinere cum periculo deſperationis. Reſp. ad primum, quod quidem inde ſequatur, quod quis poſſit permittere ſeſe occidi; non verò, quod eâ de cauſâ poſſit ſeipſum occidere, aut ſuæ occiſioni coöperari. Idem eſt de illo, qui ob vim morbi poteſt permittere ſibi abſcindi tibiam, & ex eâ abſciſſione ſuam mortem; non tamen poteſt ille ſeipſum interficere, neque alium inducere, ut ſe occidat. Ad 2. patet reſponſio ex dictis : eſt enim mendacium perniciosum in ſanguinem proprium. Ad 3. neganda eſt conſequentia; prior enim non dat cauſam ſuæ mortis, ſed tantùm detegit veritatem, quam ante occultabat, ad quam non amplius occultandam jus habet, & cauſam ſufficientem; puta, ut à tormentis liberetur : unde eo caſu ſolummodo ponit occaſionem ſuæ mortis, non verò cauſam, qualem alter verè, & efficaciter ponit. Ad ultimum dicendum eſt, quod mendacium ſit intrinſecè malum uti & occiſio ſui, nullo fine, aut reſpectu, illud eſſe admittendum : Unde etiam S. Auguſtinus *lib.* 10. *Civit. cap.* 26. docet, quod ille incurrat moleſtias perpetuas, qui, ut evadat temporales, ſemetipſum occidit. Hinc patet, quanto fundamento dicat ibidem Leſſius, opinionem ſuam favere miſeris, quibus potius obeſt, dum illis proponitur ut licitum, quod de ſe eſt illicitum, & quo ad evadenda tormenta temporalia, incidunt in æterna. Sequitur ulterius ex dictis, quod Reus, qui metu tormentorum falsò ſibi crimen aliquod impoſuit, teneatur confeſſionem factam revocare, etſi tormenta forent repetenda, quando

per

Digitized by Google

per revocationem cauſa mortis poſſet tolli; aliàs cenſeretur cauſam illam voluntariè poſitam continuare. Sequitur denique, quod teneatur potius quidvis pati, quam atteſtari falſum : quo caſu, ſi ſequatur mors; erit quoddam martyrii genus pro veritate mortem ſuſtinere.

Quæri hìc poſſet, an loco torturæ liceret Judici aliquem inebriare, ut veritas alicujus eruatur ab inebriato; maximè, ſi agatur de crimine, quod vergit in perniciem Reipublicæ. *Reſp.* Aliqui juxta Fagnanum *in Cap. audivimus, de Reliq. & ven. SS.* docent id licere; quia, etſi ad eruendam à Reo veritatem certi modi à legibus ſint præſcripti : tamen urgenti de cauſa eaſdem licet Judicibus prætergredi; maximè pro bono communi, pro cujus conſervatione licet recedere à jure communi. Veriùs tamen id negatur; quia, vel extant contra Reum legitima indicia, vel non extant : ſi extent, debent adhiberi media â Jure præſcripta, puta tortura, quam ſi ſuſtinuerit, jam purgavit indicia; unde iniquum eſſet eum punire ebrietate, cùm ebrietas ſit ſpecies torturæ, juxta illud : An liceat Reum inebriare ad habendam veritatem.

Commiſſus leges, & vino tortus, & ira.

Si verò talia indicia non extent, neque eo caſu licitum eſt Reum inebriare, imo multò minus id licet, quàm eum ſine indiciis ſubjicere torturæ, cùm tortura ſolummodo affligat corpus, ebrietas verò affligat corpus, & animam. Deindè, revelatio ſecreti facta in ebrietate, nullius eſſet momenti, cùm ebrii teſtimonium non valeat, *Cap. ſanè, & Cap. inebriaverunt.* Denique, quod ebrietas per ſe, & intrinſecè mala ſit; adeoque non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Videri poteſt dictus Author ibid.

SECTIO XII.

An Reus poſſit rogari de aliis criminibus, & de complicibus.

QUæſtio eſt de criminibus occultis, & complicibus nullatenus infamatis; cùm de aliis indubiè rogari poſſet. Alii volunt id licere, quia ſi id non poſſet à Judice fieri, eſſet ideo, quod rogando de tali crimine infamaret perſonam : ſed quando Reus judicialiter eſt convictus, non infamabitur de cætero. Verius tamen alii docent, illud fieri non poſſe : tum, quod ſpecialis inquiſitio fieri nequeat ſine infamia delicti, & delinquentis; tum, quod ejuſmodi inquiſitio eſſet judicium temerarium, dum nullum ſuppetit motivum, tale crimen præſumendi, cùm ſupponatur eſſe occultum. Etſi enim Reus convictus, quoad unum crimen amiſerit jus ad famam quoad illud crimen; retinet tamen famam, & jus ad eam quoad alia crimina occulta. Eâdem ratione non poterit Judex rogare Reum de complicibus nullatenus infamatis. Aliud eſſet, ſi crimen aliquod eſſet conjunctum crimini, de quo fuiſſet convictus; v.g. ſi cadaver reperiatur ſpoliatum, poterit indagare homicidam, ſi ipſe ſpoliaverit, &c. ſimiliter, ſi aliqui laborent infamiâ, poterit Judex de iis particulariter in- De quibus criminibus poſſit Reus interrogari.

 quire-

Digitized by Google

quirere: imo & generaliter ſine ullâ infamia inquirere poterit, ſi talia ſint crimina, quæ cum aliis ſoleant perpetrari. Idem eſt, ſi crimen ſit bono communi nocivum; quo caſu poterit de eo Reus inquiri, & tenetur ille alios patefacere, ut conſulat bono communi, & ſi ſit fundata præſumptio ſocios adfuiſſe, etiam per torturam poterit ad illud compelli. Generaliter tamen hîc notant Authores, accuſationem Rei, non adeo æſtimari in jure; quia, ut dicitur *L.* 1. §. *D. Antoninus ff. de quæſt.* quod Reus aliquando ad ſe vindicandum de ſuis inimicis, vel de his, quorum opem imploravit, nec ipſi faverunt, accuſet eos falſo, tamquam ſui delicti complices. Adde, quod & ſæpè potentiores accuſent, ut per illos, & cum illis facilius liberentur.

Quæ crimina poſſit Reus patefacere

Poterit tamen Reus, uti & ejus Advocatus patefacere occulta crimina accuſatoris, ad fidem ejus enervandam; Primò, ſi non ſuppetat alius modus Reum defendendi; 2. Si ſerviant ad accuſationem ejus infirmandam, quo caſu non peccat contra juſtitiam, dum nemo tenetur cum ſuo tanto damno retinere alterius ſecretum, & quiſque ſe poteſt defendere eo armorum genere de ſe licito, ſicuti eſt accuſatio, & de ſe loquendo, quo oppugnatur; cùm ergo oppugnatur criminis objectu, poterit eodem ſeſe defendere. 3. Quia ille utitur ſuo jure, neque facit contra jus alterius, cùm teſtis huic ſe periculo voluntariè objecit, & cenſeatur hîc tamquam invaſor, contra quem proindè poterit ſe Reus defendere. Ad hoc tamen requirit Soto quaſdam conditiones, primò, quod vincendæ liti neceſſaria ſit ejuſmodi criminis objectio; ſi enim aliter ſe Reus poſſet defendere, excederet moderamen inculpatæ tutelæ, & magis eſſet diffamatio, quam juſta defenſio, adeoque peccaret contra juſtitiam. Idem eſt, ſi aliâ viâ ſeſe facilè poſſet expedire; uti ille, qui minitando invaſorem poſſet eum repellere, non poſſet citra injuſtitiam eumdem occidere. Sæpè quoque hîc poſſet Reus peccare contra charitatem, v.g. ſi teſtis non ſponte teſtetur, ſed coäctè; quo caſu, ait idem Author, periculoſum eſt eum infamare; cùm hoc fieri videatur ex vindictâ magis, quàm ex neceſſitate: quæ culpa eò erit major, quò crimen patefactum eſſet gravius, v.g. ob quod plectendus alter eſſet morte, nec de cætero cauſa Rei eſſet tanti momenti.

Mortale eſt imponere ei falſum crimen ad ejus fidem enervandam.

Sed quale peccatum erit imponere alteri falſum crimen ad enervandam alterius fidem, Dicaſtillo *de jure lib.* 2. *tr.* 2. *diſp.* 12. *p.* 4. *dub.* 2. ait, citra injuſtitiam eſſe veniale, ratione cujus ſententiæ ait ſe paſſum eſſe multa obloquia à quodam cucullato Gymnopodâ in Hungariâ. Hinc repetit hanc aſſertionem 4. falſum teſtimonium ſecluſâ injuſtitiâ, & perjurio, ex illa præcisè parte, quâ mendacium eſt, etſi ſit ſemper illicitum, non tamen eſt ex ſe peccatum mortale, ſive mendacium de ſe mortale. Etſi enim hîc ſit mendacium pernicioſum, & peccatum mortale: hoc tamen ſolummodo habet ratione nocumenti, & conſequenter injuriæ, quam hîc ſeponit, non ex ratione mendacii. Addit ille aſſertione 7. quod, qui alteri falsè calumnianti, etiam viciſſim falſum crimen objicit, quod ſervit ad fidem ejus enervandam, ſolummodo committat peccatum veniale; cùm damnum, quod hîc infertur, ſit ſolum-

Digitized by Google

ſolummodo auferre, vel infringere alterius fidem, per quam nocebat, atqui quando alter prius ſimile damnum intulit, videntur compenſari delicta, & manere ſolummodo malitiam peccati venialis; ſicuti, etſi occidere ſit peccatum mortale: ſi tamen occidere ſit neceſſarium ad ſui defenſionem, non erit peccatum, neque ita erit vindicta, quam defenſio. Ita ferè ille. Quidquid autem abſtractionibus hîc vacet, dicendum eſt abſolutè talem mortaliter peccare peccato detractionis imponendo alteri crimen falſum. Nec refert, quod impoſitio illa neceſſaria ſit ad infirmandam ejus fidem: quid enim, ſi ad eam infirmandam neceſſaria eſſet mutilatio, occiſio, &c. Cuique quidem licet ſemetipſum defendere; ſed modo, & medio ordinato, quale eſſe non poteſt impoſitio falſi criminis.

SECTIO XIII.

De ſententia Judicis injuſta, qualiter obliget.

Variè poteſt ſententia Judicis eſſe injuſta: 1. Culpâ, & malitiâ Judicis, quando non obſtantibus allegatis, & probatis pro unâ parte, vult favere alteri parti. 2. Sine culpâ Judicis, ſed culpâ teſtium, quorum falſis teſtimoniis Judex bona fide credit. Utrovis modo ſententia injuſta Judicis eſt plane nulla, neque ille, cui per talem ſententiam aliquid adjudicatum eſt, v. g. hæreditas, poteſt tutus eſſe in conſcientiâ. Eâ ratione aſſerit S. Thomas *q.* 70. *art.* 4. *ad* 2. Quod injuſtum judicium non ſit judicium. Et ratio eſt, quod ſententia Judicis eatenus obliget, quatenus habet rationem judicii, ſive determinationis juſti, ſive juris: judicium verò injuſtum non eſt determinatio juſti, ſed potius injuſti. Deindè, ſententia, & quolibet judicium, eſt quaſi lex particularis, quæ fertur in illo particulari caſu: atqui lex injuſta non obligat in conſcientia. Præterea commune axioma eſt inter Theologos, quod ſententia in foro exteriori lata obliget in conſcientia, niſi fundetur in falsâ præſumptione: ſed hæc ſententia fundatur in falſa præſumptione; quia etſi Judex juridicè procedat, innititur tamen falſis teſtimoniis. Diſcrepant verò hîc Theologi, & Juriſperiti. Hi, cùm ſolummodo reſpiciant forum exterius, eam ſententiam dicunt eſſe nullam, quæ continet manifeſtum, & intolerabilem errorem: illi autem, cum attendant præcipuè forum animæ, dicunt injuſtam omnem ſententiam, quæ adverſatur juſtitiæ, ac veritati à parte rei, ſive error manifeſtus ſit, aut intolerabilis, ſive non. Hinc etiam in foro externo non ſolet attendi ad veritatem facti, ſed ad probationes juridicas. Hoc tamen addunt omnes, ut ſententia injuſta in conſcientia non obliget, debere certò conſtare, quod ſententia à parte rei ſit verè injuſta; ſi enim de eo ſit ſolùm dubitatio, præſumendum eſt pro Judice, eum juſtè judicaſſe.

Injuſta ſententia eſt nulla.

Quæ ſententia ſit nulla apud Juriſtas, quæ apud Theologos.

Ex dictis inferunt, 1. Quod, quando Judex ſententiam tulit contrà leges juſtas, invalidam eſſe, nec obligare in conſcientia. 2. Quod teneatur Joannes, cui per injuſtam ſententiam res Petri eſt adjudicata, eamdem in conſcien-

ſcientiâ reſtituere : quod ſi renuat, poſſit Petrus rem ſuam citra ſcandalum ſibi recuperare : 3. Quod Joannes ſciens rem ſibi per injuſtam ſententiam eſſe adjudicatam, non poſſit rem illam præſcribere, quia poſſeſſor malæ fidei numquam præſcribit.

Dicta etiam extendunt alii cum Sylvio *q.70. art.5. concl.2.* ad cauſas Eccleſiaſticas quorumcumque beneficiorum, ſive ſententia illa declarativa ſit, ſive privata; puta, quod non habeat vim in foro conſcientiæ, neque verè per eam tranſferatur beneficium in eum, cui adjudicatur, teneturque ille beneficium reſignare : omnes enim rationes antea datæ pro cauſis civilibus, militant etiam pro Eccleſiaſticis, quæ quoque terminandæ ſunt ſecundùm leges, & in illis etiam injuſtum judicium non ſit judicium. Neque hìc quidquam obeſt illud D. Gregorii *Can. ſententia* 11. *q.* 3. *ſententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta, timenda eſt.* Agit enim Gregorius, quando dubium eſt, ſitnè juſta, an injuſta; quo caſu præſumi debet de juſtitiâ. Deindè, agit ille de ſententiâ excommunicationis, cui in foro externo obediendum eſt, ſi lata ſit juxta ordinem juris, etſi forte ille contra quem eſt lata, ſit innocens.

Quando Judex teneatur ad reſtitutionem.

Judex, qui condemnat non ſubditum, in crimine excepto, per privatam ſententiam, cognitione per injuriam extortâ, tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quod quamvis ille eſſet etiam reus, faciat tamen illi injuriam, ſine legitima authoritate eum condemnando. Sic facit Judex alteri injuriam, ſine infamiâ prævià inquirendo ſpecialiter, aut ſine denuntiatione : ſi metu, vi, fraude, tormentis, ſine indiciis ſufficientibus confeſſionem extorqueat : ſi talis ſit perſona, quæ torqueri non poſſit : ſi Reum extraxerit de loco ſacro, &c. Si tamen in crimine exempto, aut non ſubdito id factum ſit, & data ſententia à legitimo ſuperiore ratificetur, liberabitur alter à reſtitutione; quia tunc cenſetur condemnatio ejus nomine facta.

Si poſt latam juſtam ſententiam Judex remittat pœnam pecuniariam alteri parti, ſive Fiſco debitam : tenetur eam ipſe Judex illis reſtituere. Pars enim illa, uti & Fiſcus, per datam ſententiam habent jus acquiſitum in pecuniam, & ſunt veri illius domini : adeoque Judex illam remittens, exſpoliat illos re ſuâ, in quam habebant jus, quod verè eſt furari, ac proinde tenetur ad reſtitutionem. Imò, ſi Judex omittat malitiosè ſententiam dictam, aut impediat, tenetur ipſe Judex pœnam juſtè ferendam parti alteri reſtituere. Ratio eſt, quod Judex ex officio, & proinde ex juſtitia commutativa teneatur ferre ſententiam juſtam, & pœnam applicare, cui juxtà juſtitiam applicari debet; quod ſi non faciat, nocet illi contra juſtitiam, ac proindè debet illis reſtitutionem.

S E-

Digitized by Google

SECTIO XIV.

Quomodo Reus debeat ſententiæ obedire.

Reus juſtè damnatus non poteſt ſe per vim defendere: qui enim tali poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, *Rom.* 13. aliàs quoque inutilis eſſet vis coactiva Judicis, ſi non deberet Reus obedire, & poſſet ſeſe per vim defendere. Si verò injuſtè damnatus ſit, poterit etiam per vim ſe defendere, ſi id fieri poſſit ſine ſcandalo, aut perturbatione Reipublicæ. Ratio eſt, quod Judex in hoc caſu, ſit injuſtus vitæ aggreſſor, neque agat ut Judex, etſi ſpeciem Judicis præ ſe ferat. Si autem inde ſequatur Reipublicæ turbatio, præferendum eſt bonum commune privato. Deindè, ſententia eſt quaſi lex, ſed lex non eſt ſervanda, quando ex obſervantia legis ſequuntur contraria fini legis: finis autem ſententiæ, eſt dare cuique ſuum, quod hîc non fieret. Defenſio hæc ità intelligenda eſt, ut non poſſit ſeſe defendere contrà ipſum Judicem, aut Miniſtros Juſtitiæ, ſed poſſit ſeſe defendere fugiendo, & cum aliquali vi ſeſe illorum manibus eripiendo; aliàs enim reſiſteret debitæ ſuperioritati, cum ſcandalo aliorum. Si verò Reus dubitaret de juſtitia ſententiæ, poſſet Reus Judicem monere de cauſis dubii, ut rem maturius conſideret, & demum ſententiam retractet: quod ſi Judex nollet, poſſet Reus citrà ſcandalum ſeſe defendere; eò quòd in dubio ſit melior conditio poſſidentis, & non ſit certum, quod juridicè procedatur.

Reus juſtè damnatus non poteſt ſeſe per vim defendere: ſecus ſi injuſtè ſit condemnatus.

Deindè, quiſquis juſtè, ſive injuſtè incarceratus eſt, poteſt ante ſententiam fugere. Nemo enim ante condemnationem debet in conſcientia ſolvere pœnam, ſed manere in carcere eſt pœna. Ad hæc, Reus non eſt in carcere, ut ibi ſpontè maneat, ſed ut ibidem detineatur. Neque refert, quod fortè inde obveniet aliquod damnum Cuſtodi carceris, quia illud non provenit ex culpa Rei, ſed ex negligentia illius, cùm Reus utatur jure ſuo. Excipiunt alii, quod Reus exire non poſſet, ſi juraſſet, ſe non exiturum, quod proindè tenetur obſervare. Neque Reus aget hoc caſu contrà obedientiam à Judice datam, quia utens jure à natura ſibi dato non eſt inobediens.

Reus ante ſententiam poteſt fugere.

Prætereà, qui ad mortem, mutilationem, vel flagra condemnatus eſt, idque ſive juſtè, ſive injuſtè, poteſt è carcere fugere, etiam poſt ſententiam. Idem eſt, ſi condemnetur ad triremes, ad carcerem perpetuum; non verò, ſi ſolùm damnaretur ad carcerem temporalem. Ratio eſt, quod ille utatur ſuo jure à natura ſibi conceſſo ad ſui conſervationem, cui nulla lex poſitiva præjudicare poteſt: neque Reus facere tenetur illud, unde ſequitur mors, quod eſt manere in carcere. Si verò cum ſententia mortis unà accepiſſet ſententiam manendi in carcere, cenſet *Sylvius* cum aliis, Reum teneri ad manendum. Si verò quis objiciat, juxtà S. Thomam, neminem id poſſe facere, unde ſequitur mors: reſpondet idem Author, quod regulariter ex vi ſententiæ datæ, non debeat illud Reus facere, quia ſolummodo per illam

Si ad mortem, vel quid grave damnatus ſit, poteſt etiam poſt ſententiam.

condemnatur ad patiendam mortem, quando infertur. Ordinariè autem non condemnatur ad aliquid agendum, unde mors ſequatur: quod, an fieri poſſit, D. Thomas non exponit. Ita ferè Sylvius. Contradicit tamen his Henricus Gand. *quodlibeto 9. art. 26.* negans Judici eſſe jus, ut Reo præcipere poſſit, ne fugiat. Majorem enim poteſtatem aſſerit à Deo eſſe datam hominibus ad tuendam vitam, quàm Judici ad eam auferendam. Deindè, ſicuti Reus damnatus, ut fame pereat, poteſt, imo etiam tenetur cibum clam oblatum ſumere, ne ſe interimat: Sic Reus à Judice damnatus, non poteſt obligari, ne fugâ ſuæ vitæ poſſit conſulere.

Aliud eſt, ſi Reus damnatus eſſet ad carcerem temporalem, quæ pœna non cenſetur eſſe tam gravis, quin ad eam damnatus, debeat eam ſpontè ſubire. Idem eſt de eo, qui ob æs alienum eſt incarceratus; niſi fortè adeo eſſet pauper, ut neque per ſe, neque per alium probabiliter ſolvere poſſet. Ita Navarrus *Manualis cap. 17. num. 101.* Addit idem Cajetanus 69. *art. 4.* de Religioſo incarcerato.

Poteſt Reus damnatus carcerem effringere.

An verò Reus, uti poteſt fugâ ſuæ vitæ conſulere, ita etiam id facere poſſit rumpendo vincula, effringendo carcerem, &c. non adeo convenit inter Doctores. Et videtur idem conſequenter affirmandum; cùm talis effringens utatur ſuo jure, nec de cætero ulli faciat injuriam. Cùm enim licitum ſit fugere, etiam erit licitum illud agere, quod ad illud eſt neceſſarium, nec de cætero alicui eſt injurioſum, quale eſt effringere carcerem. Deinde, ſi quando Reus capitur, effringeret compedes, & fugeret, non faceret alicui injuriam: ergo neque ſi id faciat in carcere jam damnatus. Adde, quod Reus vi ſententiæ debeat ſuſtinere mortem; Judex verò, debeat curare, ut ad eam rectè cuſtodiatur.

Argumenta contraria.

Objiciunt tamen alterius ſententiæ Authores, quod juſtè damnatus non poſſit reſiſtere juſtitiæ, quod fit in hoc caſu. Reſp. Nulla vis infertur Judici, aut juſtitiæ, neque carceri, qui omnis injuriæ eſt incapax. Neque vis illata carceri debet dici redundare in Dominum Carceris; quia qui infringit carcerem Eccleſiaſticum, non infert injuriam Judici Eccleſiaſtico; aliàs eſſet ille, qui infringit, excommunicatus. Idem eſſet, ſi quis ad beſtias damnatus, illas occideret, non inferret ille vim Judici. Deindè, ratione juris, quod habet Reus ad conſervationem vitæ, effractio carceris non cenſetur Reo imputanda moraliter judicando, neque etiam Juſtitiæ eſſe injurioſa. Sæpè tamen moraliter loquendo effractio carceris cenſetur inferri juſtitiæ; puta, ſi de foris ab aliis, quibus non eſt tale jus, carcer effringatur.

Dices, ſi id Reo liceat, ad quid ergo adeo ſeveræ leges latæ in effractores carcerum? Reſp. Legiſlatores fortè fuiſſe ſecutos contrariam ſententiam, quæ ſuâ gaudet probabilitate: vel quod ſimul aliquando vis inferatur Cuſtodi, Miniſtris, &c. vel denique, id rectè ſtatutum eſt in terrorem, ut Rei ſecurius poſſent cuſtodiri.

Inſtabis, ſic dabitur anſa aliis captivis etiam exeundi, & conſequenter effringens

gens erit cauſa damni ſecuti. Reſp. Reus ſolummodo utitur jure ſuo, quod habet ad conſervandam vitam, à quo utendo non debet abſtinere ob damnum aliorum, quod evenit præter ejus intentionem, dum aliorum cura illi non incumbit. Alii volunt, quod Reus equidem teneatur de damno carceris, non quidem ratione injuriæ, ſed ratione damnificationis; prout ille, qui à latrone invaſus, fugiendo conculcat ſegetes alterius.

Pœna autem effractorum carceris, eſt capitalis *L.* 1. *ff. de effract. & expilat. L. penult. ff. de cuſtodia, & exhibit. Reorum.* An verò innocens fugiens effrigendo carcerem, puniri debeat pœnâ ſceleri conſtitutâ, ob quod in carcerem conjectus fuerat, non ità convenit: Bartolus in legem ult. affirmat, quam legem Bugnion *lib.* 4. *lem.* 45. vocat *ferream*, juri, & æquitati difformem. Neque enim ille fugiendo fit criminis reus, nec ſufficientem inde dat Reus confeſſionem criminis; cùm ſæpè fugiat ob ſqualorem carceris, aut aliam rationem. Hinc, qui innocens invenitur, in Galliis, uti moribus noſtris non plectitur ut Author criminis; ſed ſolummodo, quod abſque mandato, & decreto Judicis eruperit. Pœna effringentis carcerem.

Quæri hic ulterius ſolet, an etiam Reo liceat Cuſtodem corrumpere, ut poſſit fugere. Item, an ſicuti licitum eſt Reo fugere etiam effringendo carcerem, ita etiam licitum ſit id Reo conſulere, & ad illud Reo auxiliari. Reſp. Ad prius, id minimè licere; eò quòd hoc nihil aliud ſit, quàm inducere ad peccatum, & coöperari peccato Cuſtodis. Si quis tamen ea agat, unde Cuſtos ex inſcitia, vel negligentia decipiatur, non eſt illicitum; quia Reus eo pacto tantùm utitur ſuo jure, & Cuſtos decipitur ex ſua ignorantia. Ità Sylvius.

Ad alterum Reſp. in primis id non licet Miniſtris juſtitiæ, quorum obligatio eſt procurare, ne Reus fugiat: aliàs peccant contrà fidelitatem, & juſtitiam; cum ad illud ex quaſi contractu obligentur. Deindè alii, qui non ſunt miniſtri, poſſunt id conſulere: ſi enim Reo liceat illud agere; cur aliis non licebit illud conſulere? Imo eâdem ratione poſſent alii conſulere effractionem carceris. Major eſt quæſtio, an etiam illis liceat præbere Reo inſtrumenta, quibus carcerem effringat. Wiggers cum aliis id negat; eò quòd hoc nihil ſit aliud, quàm armare manus alterius contrà publicam poteſtatem, & coöperari violentiis Reorum. Verum, an conſequenter hîc loquatur hic Author, dum antea docuit Reos effringere poſſe carcerem ſine violentiâ, ipſe viderit. Melius alii cum Sylvio, & Leſſio docent id eſſe licitum, tam bene, quàm conſulere effracturam carceris, cùm æquè conſulens, ac dans inſtrumenta coöperentur. Si enim liceat conſulere finem, quare non licebit porrigere media ad talem finem? hinc tamen non ſequitur, quod illis liceat de foris in effringendo adjuvare Reos, cùm ad illud ſolus Reus habeat jus: & aliàs nihil juſtitiæ foret ſatis tutum ad cuſtodiam cum maximo damno Reipublicæ.

SECTIO XV.

De Advocatis, eorumque obligationibus.

Qui poſſint eſſe Advocati.

OLim certus erat Advocatorum numerus, quem præterire non poterant, eorumque ampla erant privilegia. Hodie omnes indiſtinctè ad hoc munus admittuntur, qui in aliqua Univerſitate Doctoris, aut Licentiati laureâ ſunt decorati. Varii tamen ab hoc officio arcendi ſunt, qui ob impotentiam, neque pro ſe, neque pro aliis poſſunt edicere cauſam, aut agere Patronum: item, quos dedecet huic officio applicari, ut ſunt infames, infideles, damnati de gravi delicto. Excluduntur quoque indocti in Jure, de quibus ità Anſelmo Trib. Cap. 101. §. 3. *Irrepunt in forum aliquando vaniſſimi rabulæ, cauſam acturi, qui quando is quæſtus eſt uberrimus, ex litibus lites ſerunt, Clientes deglutiunt, Reſpublicas depeculantur, indoctum Judicem novis ſubindè cavillationibus ludificantur, & quod primo loco dicere debuiſſem, leges non curant; jura, rituſque patrios aſpernantur: Edictis Principum cereum, & flexilem naſum affingunt, novam Juriſprudentiam in capite; & ad libitum ſtatuunt, & ex metu proprio, & affectione omnia in judiciis proferunt, unde & omnis authoritas ab illis recedit. Cauſam quæris? indocti, ſtupidi, bardi, & legum ignari nonnunquam ad gradus Licentiæ, ſeu Doctoratus admittuntur. Ad forum ubi pervenerint, otioſi incedunt, & addiſcere erubeſcunt.*

Eamdem cauſam, quod privilegia, ac dignitatem priſtinam amiſerint Advocati, ait Groenwegen. *Cod. lib. 2. tit. 7. L. 7.* & quod regnante alibi avaritiâ, obvios quoſque præſtitis nummis ad Doctoratum, vel Licentiam aſſumant.

Tenentur pauperibus patrocinari gratis.

Varia eſt Advocatorum obligatio: 1. Tenentur ex charitate pauperibus gratis patrocinari; quod, cùm ſit præceptum miſericordiæ affirmativum, non obligat ad ſemper, ſed occurrente occaſione. Hinc 1. ſi proximus ſit in extremâ neceſſitate, qualiter eſt, ſi ſit damnandus morte, niſi tuo patrocinio ſuccurras; teneris illi gratis ſub mortali patrocinari. 2. Si proximus ſit in gravi neceſſitate conſtitutus, qualiter eſt, qui ſine tuo patrocinio gravi carceri, exilio, aut alio gravi periculo mulctabitur, tenetur etiam Advocatus illi gratis patrocinari; qui enim viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua, quomodo charitas Dei manet in illo? 1. *Joan.* 3. Atqui Advocatus hîc habet conſilium ſuperfluum; ergo eo debet ſuccurrere graviter indigenti. 3. Non ſolùm in extrema neceſſitate conſtitutis, & gravi, ſed & communi neceſſitate preſſis, v.g. ſi ſine eorum patrocinio proximus incurret aliquod damnum, tenentur illi ſuccurrere gratis, ſi ſine eorum detrimento poſſint: ſicuti enim in his caſibus divites hujus ſæculi tenentur facilè tribuere: ita & Advocati; neque, ait Sylvius, poteſt Advocatus dici diligere proximum ſuum ſicut ſeipſum, ſi tunc non adjuvet. Qui & ad gravem neceſſitatem ait pertinere, ſi artifex vendere deberet inſtrumenta artis; auriga equos, quibus victitat, &c. Hinc illud etiam Judex poteſt imponere Advocatis, prouti illis imponunt plerarumque

Curia-

Curiarum Inſtituta; & ſi à Judice juſſi contumaciter id recuſaverint, ex albo Advocatorum poſſint expungi. Non malè etiam pleriſque in locis ſenior aliquis Advocatus pauperibus, præſertim in criminalibus, officium impendit, & honorarium aliquod de publico percipit. Ità Zypæus *Not. Belg. tit. de poſtulando.* Dictam obligationem generaliter adſtruit D. Thomas 2. 2. q. 71. art. 1. dicens. *Ubi pauperum cauſis aliter ſubveniri non poteſt, tenentur Advocati eorum ſuſcipere cauſas, & illis patrocinari.* Alios incuſat Innocentius III. lib. 1. de contemptu mundi cap. 4. dicens: *Si fortè pauperum cauſam ſuſcipitis, illos remiſſe fovetis: cùm autem divitum cauſam aſſumitis, illos pertinaciter adjuvatis: pauperes deſpicitis, divites honoratis: iſtis reverenter aſſurgitis, illos deſpicabiliter conculcatis.* Et quamvis extrà caſum neceſſitatis non ſit obligatorium patrocinari gratis: plus tamen exigere videtur zelus charitatis ergà proximum, quoad Viduas, Orphanos, Pupillos, & alias perſonas humano auxilio deſtitutas, prout feciſſe, & exemplum dediſſe legimus S. Ivonem Advocatorum Patronum; & S. Chryſoſtomum, & S. Ambroſium ante Clericatum egiſſe, eſt veroſimile. Sic S. Auguſtinus in componendis litibus non raro totam diem jejunus inſumpſit, ut narrat ejus vita.

Hoc tamen non omnibus exhibendum eſſe ab Advocatis, eſt manifeſtum; Poſſunt
unde poterunt laborem ſuum, & ſtudium pro ſtipendio elocare, prouti elo- Advocati
cant operas ſuas medici, aliique artifices. Hinc S. Auguſtinus Epiſt. 54. ad exigere
Macedonium: *Non debet Judex vendere juſtum judicium, aut teſtis verum* ſtipendium ab
teſtimonium, quia vendit Advocatus juſtum patrocinium, & Juriſperitus ve- aliis, ſed
rum conſilium. Si quid tamen per improbitatem accipiat, peccat contrà juſtitiam, juſtum.
& tenetur ad reſtitutionem. Hinc ſemper ſervanda eſt æqualitas inter pretium, & operas; adeoque attendenda cauſæ qualitas, labor, ſtudium, & maximè conſuetudo Patriæ. Quamquam enim olim pro Advocati facundiâ taxari ſolerent eorumdem ſalaria; hodie tamen taxantur pro fori, & judicii conſuetudine. Quod ſi Clientes ſolvere negligant, aut recuſent; non placet Advocatis nec Medicis, quod quidam aſſerunt, quod ſcilicet, nec Advocato, nec Medico competat ulla actio: idque ob excellentiam ſuæ profeſſionis: cujus contrarium quotidie vident Tribunalia, dum nemo militat ſuis ſtipendis umquam. Prohibetur tamen illis inſtrumenta litis prætextu ſalarii non ſoluti retinere; ſed ſolummodo in prima inſtantia poſſunt debitores in Jus vocare. Ità Groenwegen *Cod. lib. 4. tit.* Advocatorum
35. meritò quoque notantur illi, qui ſcripturas ſine aliquâ neceſſitate dilatant, peccata.
inutilibus diſpendiis Clientes onerant, quos ad reſtitutionem exceſſuum obligatos eſſe, per ſe patet. Rectè Judex abjectis ejuſmodi hominibus talem reſtitutionem injunget, ut noverint juſto ſalario eſſe contenti, nec juſtitiam violare illi, quorum profeſſio eſt juſtitiam procurare. Non poteſt quoque Advocatus paciſci de aliquotâ parte litis cum Cliente, ſi vincat: quod etſi ſecundùm ſe malum non ſit, juſtè tamen interdictum eſt *L. ſumptus ff. de pactis*, ne Advocati, dum ſua res agitur, modum legitimum patrocinandi pervertant, ait Toletus. Poſſunt tamen ab initio paciſci de certo ſalario, ſive vincant, ſive non;

eo pacto, ut cauſam ad finem abſolutè deducant: quo caſu patrocinari etiam debent, etſi adveniat appellatio, dum manet eadem cauſa.

In quâ cauſâ poſſit Advocatus patrocinari.

Ante omnia quoque requiritur in Advocato inſpectio cauſæ, cui patrocinatur. Poteſt verò illa eſſe quadruplex: Juſta, injuſta; ex utrâque parte dubia, ſed non probabilior. Qui ſcienter agit cauſam injuſtam, tenetur de omni damno, quod exindè ſentit pars adverſa, uti & omnium damnorum Clienti obvenientium, ſi non monuerit Clientem de injuſtiâ cauſæ; quia aliàs ſcienti, & conſentienti nulla fit injuria. Quod ſi putet cauſam eſſe juſtam, ubi reverà eſt injuſta, in tantum excuſabitur, in quantum excuſat ignorantia unde excuſatur per invincibilem, non verò per craſſam, aut affectatam. Si autem in decurſu litis deprehendat injuſtitiam cauſæ, debet eam Clienti indicare, & eumdem inducere, ut deſiſtat. Peccant ergo graviſſimè, ac ſunt in ſtatu damnationis illi, qui ſine aliquo delectu cauſas quaſlibet ſuſcipiunt, ad eaſdem quoſlibet inſtigant, *qui*, ut ait P. Herinx diſp. 6. q. 4. num. 64. *injuſtas omninò cauſas defendunt, vel ſi aliquam probabilitatis ſpeciem habeant, ſuis falſitatibus, fallaciis, verborum, & eloquentiæ lenociniis, & meris decipulis ità veſtiunt, ut nonnumquam juſta cauſa periclitetur, imo & injuſtæ ſuccumbant. Perverſitas enim Advocatorum nonnullorum talis eſt; ut & verbis, & garrulitatibus ità ſaporem quantumvis juſtæ cauſæ obtundant, vel tot ſcriptis, & ſcripturarum ambagibus fallacibus Judices circumveniant, ut vel tædio fracti, vel caligine quâdam circumdati juſtitiam videre nequeant, & tales Cauſidici Cicadæ, vel etiam Rabulæ ab antiquis nuncupabantur.* Ita ille. Neque hîc objici poteſt, quod Medicus ſerviat ægro jam deſperato, imo in tali curando maximè eluceat ejus induſtria: quia Medicus ille nemini nocet, neque ægro, neque alicui tertio: ubi Advocatus nocet parti adverſæ, vel Clienti. Unde tali Advocato illud inſcribi poteſt, quod dicitur 2. Paralip. 19. *Impio prabes auxilium, & idcircò iram Domini merebaris.* Rectè S. Gregorius Homiliâ 7. ſuper Ezech. *Juſtus Advocatus cauſas injuſtas nullo modo ſuſcipit, nec verba durè pro injuſtitiâ defendit.* Et Hugo Card. ſuper Proverb. cap. 9. *Advocati, Rhetores ſunt Diaboli, qui cauſas iniquas fovent Potentum.*

Non poſſunt patrocinari in cauſâ injuſtâ.

Quomodo in dubiâ.

Peccat itidem Advocatus, & ad reſtitutionem damnorum obligatur, qui cauſam dubiam, aſſerit Clienti eſſe certam, & indubitatam, cùm ſit cauſa efficax litis, ac conſequenter damnorum, quæ ex lite ſequuntur; & Cliens à lite fortè abſtineret, ſi veritatem illi indicaſſet. Si verò cauſam dubiam, ut dubiam Clienti propoſuerit, poterit eo caſu tutâ conſcientiâ patrocinari *L. Advocati C. de Advoc. diverſ.* ubi laudantur Advocati, quod ambiguas cauſas dirimant. Deindè, niſi liceret Advocatis patrocinari in cauſa dubia, ſupprimi poſſent univerſa orbis Tribunalia, dum plerumque lites ſint de cauſis dubiis.

Quomodo in probabili.

An verò quando altera pars litigantium eſt probabilior, poſſit Advocatus ſequi minus probabile, non convenit inter Authores. Affirmant plurimi, eò quòd Advocati officium ſolummodo ſit Clienti aſſiſtere, quod rectè facit in cauſâ probabili, etſi alia ſit probabilior. Quotieſcumque enim cauſa dubia eſt,

ſeu

Digitized by Google

ſeu controverſa, permittitur parti litem cum adverſario conteſtari, & propoſitis rationibus ſententiam Judicis poſtulare: poteſt autem quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum. Ad hoc tamen ſolent requirere, ne cauſa ſit ferè injuſta; ut ſincerè aperiat Clienti cauſam eſſe minus probabilem, ut paratus ſit deſiſtere, ubi in proceſſu invenerit iniquam. Addunt alii, quod cùm Advocatorum ſolummodo ſit proponere rationes Judici, ſæpè cauſa minus probabilis appareat Judici magis probabilis. Soto tamen docet id non procedere, quando Cliens eſt Actor, & eſſe contrà charitatem, quando ex illâ tutelâ parum commodi obveniret Clienti Actori, & econtrà Reo obveniret magnum detrimentum. Idem excipit in causâ ſanguinis, quia hoc itidem eſt graviter contrà charitatem.

Fagnanus tamen in *Cap. Ne imitaris num.* 387. melius tenet, quod, quando una opinio eſt probabilis, & altera probabilior, Advocatus non poſſit conſulere, nec patrocinari pro parte minus probabili. Ratio eſt, quod nemo alteri poſſit conſulere, quod ille ſine peccato exequi non poteſt; atqui Cliens non poteſt agere cauſam minus probabilem, neque Judex pro eo ferre ſententiam, ſed uterque tenetur ſequi partem probabiliorem. Idem ſentit Navarrus *lib.* 25. *num.* 28. dicens peccare Advocatum, qui patrocinatur in cauſa, quam licet neſciat eſſe omninò injuſtam; magis tamen reputat eſſe injuſtam, quàm juſtam. Et illud ait *Fagnanus*: Vendicat etiam ſibi locum, etſi Advocatus Clienti pandat rationes adverſarii eſſe probabiliores; quia equidem Clienti id ſcienti, & conſentienti non licet patrocinari. Imo, ſi initio litis credat rationes Clienti eſſe probabiliores, & in progreſſu litis comperiat eſſe minus probabiles, tenetur Advocatus cauſam deſerere, & Clientem ad deſiſtendum inducere. Denique illud non tantùm obtinet in cauſa ſanguinis, vel omnium bonorum, aut ſimili graviore; ſed generaliter, & in omni prorſus causâ eſt obſervandum.

Objiciunt alii, quod Advocatorum officium ſit ſolummodo defendere Clientem, & proponere ejus rationes, & motiva; Judicis verò ſit judicare, & juxtà id, quod apparet verius, & probabilius ſententiam ferre. Reſp. Similem objectionem ſibi ab Advocato factam diluit Cardinalis Bellarminus lib. 2. c. 11. de arte moriendi: *Ego nolo mihi fidem habeas, ſed S. Thomæ Aquinati Doctori ſummo, & ſanctiſſimo. Is enim 2. 2. q. 71. art. 3. in Corp. ſic loquitur: Reſpondeo dicendum, quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum, ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo; quia conſilians, & coadjuvans, quodammodo eſt faciens. Et Apoſtolus Rom. 1. dicit, quod digni ſunt morte, non ſolùm, qui faciunt peccatum; ſed etiam, qui conſentiunt facientibus. Unde, ut ſuppà dictum eſt, omnes tales tenentur ad reſtitutionem. Manifeſtum eſt autem, quod Advocatus auxilium, & conſilium præſtet ei, cujus cauſa patrocinatur.* Cùm ergo non liceat Clienti ſequi ſententiam minus probabilem in conflictu probabilioris, quod latè alibi confirmavimus: ſequitur, nec Advocatum poſſe eidem in tali cauſa patrocinari.

Si

Si verò Advocatus cauſam, quam i. juſtam jam advertit, deſerat; non poterit contrariæ parti rationes cauſæ manifeſtare, neque etiam ſuſcipere alterius patrocinium; quia, ut dicitur *Cap. ſi quem pœniteat* 2. q. 3. *prævaricator dicitur, qui adverſam partem adjuvat, proditâ causâ ſuâ.* Excipiunt aliqui cauſam ſanguinis, aut ſimilem graviorem, quando erit obligatio neceſſitatis ſubveniendi proximo indigenti. Eo tamen caſu requiritur, 1. Gravis proximi neceſſitas. 2. Ut Advocatus certò noſcat cauſam eſſe injuſtam. 3. Ut nullum ſcandalum timeatur. 4. Ut Accuſator præviè moneatur fraternè ad deſiſtendum: qui, ſi nolit, debet ſibi imputare periculum, cui exponitur, dum in tali periculo melior eſt conditio innocentis. 5. Ut Advocatus credat innocentem eſſe condemnandum, & ſperet ſuâ authoritate, ac tutelâ illum liberare. Videri poterit Reginaldus *prax. lib.* 25. *cap.* 55. *ſect.* 3. *num.* 674.

An poſſit aliquando patrocinari contrariæ parti.

Peccat itidem Advocatus, ſi quando deprehendit cauſæ injuſtitiam, aut inſufficientiam, ſuæ parti conſulit tranſactionem, ſeu compoſitionem, quæ ſolummodo locum habet in re dubiâ, ubi tamen videt ille, cauſam ſuæ partis habere victoriam: adeoque mentitur, ac partem fallit. Peccat itidem, qui arcanas ſui Clientis rationes aperit parti adverſæ, & eſt, ut ante Jus dixit, *proditor*, & *prævaricator*. Peccat ulterius, qui Clientem docet artem fallendi, falſa reſpondere, falſa inſtrumenta ſupponere, ac tenetur de omni damno, quod ſimilibus technis advenit adverſæ parti. Peccat itidem, qui adverſam partem injurioſis verbis, aut ſcriptis infamat, ac tenetur ad reparationem honoris. Similem forenſem eloquentiam vocabant antiqui *Caninam*, ait Iſidorus Hiſpalenſis lib. 3. de ſummo bono cap. 25. ſent. 2. *Eò quòd Cauſidici in certaminibus cauſarum omiſſis, quæ agunt, veluti canes alterutrum ſeſe lacerant, jurgiaque cauſarum ad injurias ſuas commutant.* Peccant denique, qui unicè nummis ſtudent, & veritatem vendunt, de quibus argutè S. Antoninus parte 3. tit. 3. cap. 1. §. 9. *Apud inferos tantùm Cerberus (ut aiunt) unus eſt; ſed quot ſunt diverticula Curiarum, tot Cerberi. Tota Advocati familia, aut mordet, aut latrat. Manus vacua, temeraria petitio eſt apud Advocatos: & ipſum ſilentium venale eſt. Cauſidicorum lingua damnifica eſt, niſi eam funibus argenteis vincias.*

Quando poſſit conſulere ſuæ parti tranſactionem.

Fraudes Advocatorum.

SECTIO XVI.

De Procuratoribus, ac Notariis, eorumque obligatione.

Quis Procurator.

Procurator generaliter ille eſt, qui negotia ex mandato Domini adminiſtrat. Preſſius hìc ſumitur pro illo, qui litem proſequendam, aut defendendam ſuſcipit. Antiquitùs quidem alieno nomine, nec agere licebat, nec excipere, paucis cauſis exceptis: poſtea verò utiliter introductum eſt per Procuratores litigare, dum omnibus, neque convenit, neque vacat rebus forenſibus intereſſe. Refert Cardinalis Tuſcus ex Baldo, & aliis, V. *Procurator*

rator concluſ. 809. Procuratoris officium, uti & Notarii olim vile fuiſſe, imo viliſſimum; non ex publico, ſed privatum, niſi eſſet Procurator Principis, vel Fiſci: aut Notarius ad acta deputatus à Principe. Hodie tamen dicta officia ſunt publica, cùm in quoquo foro certæ perſonæ ſeligantur, juramentoque alligentur, quæ dicta munia profiteantur: Gudelinus *de Jure noviſ. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 24. Requiritur in Procuratoribus in primis authoritas, ut habeant qualitates à jure, vel conſuetudine requiſitas, & ut ad munus tamquam habiles ſint admiſſi. Ab eo enim munere arcentur iidem, qui arcentur ab officio Advocati, ut ſunt pueri, amentes, infames, indocti, &c. Requiritur quoque, ut habeant mandatum ab illis, quorum nomine agunt in judicio, quod mandatum habere cenſentur perſonæ aliquæ, ratione conjunctionis cum aliâ, pro quâ agit; uti ſunt Pater, filius, frater, affinis, &c. Et apud nos Maritus, qui nomine Uxoris agere poteſt, liteſque ejus proſequi, quia plena rerum uxoriarum adminiſtratio ei competit, eſtque uxoris tutor. Requiſita ad Procuratorem.

Requiritur inſuper in Procuratore ſcientia, & diligentia. Scientia quidem, quod illa noſcat, quæ ad officium ſuum ritè præſtandum ſunt ſcitu neceſſaria. Hinc, ſi ex ignorantia ejus Clientes perdant litem, aut aliud damnum incurrant, tenetur illis ad reſtitutionem. Diligentia verò illius in eo eſt ſita, quod debeat neceſſarios terminos petere in judicio: quod debeat appellare, dum appellandum eſt; probare, quod probandum; reſpondere, cùm reſpondendum; nec poſſit in aliis neceſſariis deëſſe: adeo ut, ſi quid ex negligentia culpabili prætermittat de neceſſariis, teneatur ad reſtitutionem damnorum inde Clientibus obvenientium; & multò magis, ſi illud damnum contigerit ex illorum malitiâ. Scientia, & diligentia.

Requiritur inſuper in eo veritas, & juſtitia. Veritas, ut in judiciis vera proferant, non falſa, neque dubia pro certis. Hinc graviter ii peccant, qui in judicio nomine ſuorum Clientum reſpondent affirmativè, quod tamen ignorant, aut negativè: & ſi quando vident imminere periculum cauſæ, ſi Cliens juridicè rogetur, & illud fateatur; ſuadent Clienti illud effractè pernegare, illuſoriè dicentes; *præſtat eſſe Martyrem, quàm Confeſſorem.* Ità Toletus lib. 5. cap. 63. Veritas, & juſtitia.

Juſtitia in illis exigit, quod in Advocato, ne ſuſcipiant injuſtam cauſam, & ut talem aſſumptam deſerant, cognitâ ejus injuſtitiâ. Deindè, ne accipiant ſtipendia laboribus ampliora. Ne inducant partes ad iniquam compoſitionem: ne Judicem pervertant: ne litem protrahant de induſtriâ, ut majus ſalarium recipiant: ne Advocati munus ſibi uſurpent in præjudicium, tum illius, capiendo lucrum Advocato debitum: tum Clientum, quibus obeſſe poſſent defectu ſcientiæ ad hoc requiſitæ. Sæpè enim Procuratores aliqui, ait Toletus ibid. volunt facere inſtrumenta Notariorum, & defenſiones Advocatorum, rogantes Notarios, & Advocatos, ut ſubſcribant, ac ſi ſua eſſent, & modicum ſolvunt pro ſubſcriptione, iſtis hoc acceptantibus; quia melius eſt modi-

Digitized by Google

modicum lucrari, quàm nihil; & quia aliàs Procuratores non deferrent negotia ad ipſos; hoc autem injurioſum ſæpè eſſe Clientibus, aſſerit idem Author, unde & tenentur ad reſtitutionem. Inſuper juſtitia exigit, ut cauſas, quas primò acceperint promovendas, primò abſolvant: ſolent enim multarum litium patrocinia ſuſcipere, & unam, aut aliam litem proſequi, dilatis aliis, ut majus pretium ab ipſis exigant, cùm tamen non poſſent ſuſcipere, niſi quas commodè poſſent promovere, abſque detrimento Clientum, quod ſæpè ob moram patiuntur, cujus ejuſmodi Procuratores ſunt in cauſa. Deinde exigit juſtitia, ne petant terminos impertinentes, facientes merè ad dilationem cauſæ, ut quandoque partes contrarias deſiſtere faciant à causâ juſtâ, aut facere pactum injuſtum, aut aliunde illis noceant. Addit dictus Author in fine, non poſſe etiam illos peractâ causâ, & obtentâ victoriâ, ultrà ſalaria exigere à Clientibus auctaria, Italicè *mancia*, vulgò *drinck-penninck*, ſeu bibalia, quæ non niſi coäctè dant Clientes, etſi dicant ſe dare libentiſſimè; cujus rei ſignum eſſe ait, quod lite peractâ, illi frequenter dicant, tales Procuratores eſſe rapaces, & (ut invidia verbo abſit) *latrones*. Varia utiliter quoad illorum officium ſtatuunt mores noſtri, & conſuetudines litigandi, tum Antverp. tum Bruxel. & aliæ. 1. Debent eſſe jurati. 2. Quod nequeant ſcripturas componere. 3. Nulla acta ab Advocato non ſubſignata poterunt offerre. 4. Debeant eſſe cives. 5. Debeant eſſe 24. annorum. 6. Poſſunt ſolummodo eſſe 36. numero Antverpiæ, Bruxellis tantummodo 30. 7. Ut ægroti alium juratum ſubſtituant. 8. Abſtineant à ſcribendis injuriis. 9. Ne inſtrumenta prætextu non ſoluti ſalarii retineant. 10. Ut junior Procurator pauperibus ſerviat pro Deo, ſive gratis.

Mores Belgii circa eoſdem.

Requiſita ad Notarios. Scientia.

Varia quoque eſt Notariorum, ſeu Tabellionum obligatio. Ad illam exequendam requiritur ſcientia, fidelitas, & juſtitia. Scientia, ut illa ſciat, quæ ad exercendum officium ſuum, ſunt ſcitu neceſſaria, adeo ut ſuper illius ignorantiam, aut negligentiam in inſtrumento aliquid omittat, unde alter damnum patitur, teneatur illud reſtituendo reſarcire: ut ſi omiſerit neceſſarium numerum teſtium, non ſignaverit annum, & diem: ſi illius, qui cerebro turbatus eſt, teſtamentum ſcribat: ſi ſuâ negligentiâ amittat protocollum, &c. Debet ergo ſcire clauſulas ad inſtrumenta neceſſarias, cùm imperitiâ illorum innumeræ lites, & damna ſoleant obvenire, & unde multorum conſcientiæ in diſcrimine conſtituuntur, ut habet Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 10. *Reform.* decernens ſimul, ut Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ Legati, poſſint privari, & ad tempus ſuſpendere quoſcumque Notarios imperitos, vel in officio delinquentes. Idem incurrunt illi, qui in teſtamentis, aut contractibus apponunt clauſulas obſcuras, ambiguas, &c. unde moraliter loquendo ſunt ſecuturæ lites, & contentiones, quibus cùm illi dent cauſam, tenentur ad reſtitutionem damnorum inde obvenientium. Hinc etiam ſæpenumero audivimus à Doctoribus Legiſtis, majorem litium copiam à notariorum imperitiâ eſſe exortam: juxtà illud, quod vulgò dici ſolet: *Ignorantia Notariorum, eſt meſſis Advocatorum.*

Fide.

Digitized by Google

Fidelitas Notarii importat, ut exactè ſervet juramentum in admiſſione præſtitum, quod juxtà Navarrum *Cap.* 25. *num.* 52. eſt 1. quod conficiet inſtrumenta, de quibus fuerit rogatus, nil veritatis tacendo, nec falſitatis miſcendo. 2. Quod non revelabit, id quod ipſi ſub ſecreto commiſſum fuerit, niſi juſtâ de causâ. 3. Quod non conficiet ſcienter aliquod inſtrumentum de contractu uſurario, nec de alio quovis illicito. 4. Quod de omnibus inſtrumentis retinebit, quæ dederit, protocollum, aut regiſtrum. 5. Quod erit fidelis illi, à quo creatus fuit Notarius, & admonebit, ſi quid noverit, quod vergeret in damnum illius. 6. Quod nullo amore, odio, timore, aut ſpe, ſuo officio abutetur. Alibi aliud illorum eſt juramentum, cui ſi contraveniat, perjurus erit, æquè ac injuſtus. Fidelitas.

Peccant ergo inſuper Notarii, ſi quid falſi in inſtrumento apponant, ut ſi dicant, ſe præſentibus pecuniam eſſe numeratam, quæ tamen numerata non eſt & de quâ dubitare poſſunt, an numerata ſit. Peccat inſuper qui legitimè rogatus dare aliquod inſtrumentum, illud denegat, ne noceat parti adverſæ, aut amicis ejus diſpliceat, aut id renuat donis corruptus: qui partem non informat, quæ per ignorantiam renuntiare cupit alicui ſuo juri: qui acta ſolummodo in brevi, ſeu protocollo conſcribunt, ſine eadem regiſtrando: ſolent enim Notarii, ait *Toletus ibi ſuprà num.* 4. non extendere inſtrumenta, quia prolixa ſunt, neque poſſent uno die multa conficere, unde ſumunt ſolummodo rei ſubſtantiam in quâdam chartulâ, quæ dicitur protocollum, ut poſtea, cùm eis vacat, in regiſtro extendant. Scias autem, illam chartulam nullam vim dare inſtrumento, niſi in regiſtro ſit extenſum totum inſtrumentum juxtà formam juris. Unde Clientes ſunt in maximo periculo, quod ſua acta legitimè probare non poterunt, cujus cauſa eſt negligentia Notarii, ejuſque infidelitas. Unde, ſi indè illi aliquod damnum poſtea adveniat, tenebitur Notarius ille ad reſtitutionem, prouti in aliis caſibus mox antedictis. Peccant ulterius graviter contrà charitatem, qui nolunt pauperis inſtrumenta conficere, ſi id ſine incommodo poſſint, aut aliàs confecta illi tradere recuſant, quia non valet ſolvere ſua jura; eo enim caſu ſolummodo peccat contrà charitatem, quia etſi Notarius teneatur cuique exhibere ſua inſtrumenta, ex juſtitiâ; tamen non tenetur ea exhibere gratis, niſi fortè aliundè accipiat juſtum ſalarium. Peccant quoque contrà Religionem, qui diebus feſtivis quævis inſtrumenta ſine ſufficienti neceſſitate conficiunt, quæque commodè in aliud tempus transferre potuiſſent. Peccata Notariorum.

Juſtitia Notarii conſiſtit præcipuè in duobus, ſcilicet in inſtrumento juſto & juſto ſalario. Primum eſt, ne de re injuſtâ, aut illicitâ faciat inſtrumentum, v.g. de ſimoniâ, de uſurâ, &c. ubi notandum eſt, quod ſi inſtrumentum exprimat manifeſtè uſuram, non teneatur Notarius ad reſtitutionem, licet peccet; eò quòd illud inſtrumentum nullam vim tribuat uſurario repetendi uſuras, niſi fortè foret in locis, ubi uſuræ juberentur ſolvi. Si verò inſtrumentum illud ſub ſpecie legitimi contractûs uſuram palliet, tenetur Notarius ad reſtitutionem tale inſtrumentum conſcribendo, cùm vi talis inſtrumenti teneatur mu- Juſtitia.

tuatarius in foro externo ſolvere uſuras, niſi fortè tale inſtrumentum factum eſſet in gratiam mutuatarii, v. g. ſi illud à Notario efflagitaſſet; quo caſu, etſi Notarius peccaſſet, liber equidem erit à reſtitutione. Alia inſuper inſtrumenta ſunt prohibita, ut quæ ſunt contrà immunitatem Eccleſiaſticam, aut aliàs de re jure prohibita.

Juſtitia ſalarii in eo conſiſtit, ne excedat juſtum pretium inſtrumenti, quod, vel à lege, vel à legitima fori conſuetudine ſolet taxari, quod ſeſe ſolummodo exacturos jurant Notarii. Deindè, hæc juſtitia exigit, ne aliquid accipiatur pro eo, pro quo nihil accipi poteſt, uti Conc. Trid. *ſeſ.* 21. *cap.* 1. præcipit, ne pro negotio Ordinis, pro dimiſſoriis, aut teſtimonialibus litteris Notarius aliquid accipiat, ſi habeat ſalarium ſufficiens ab Epiſcopo: aliàs pro illis litteris ſolummodo accipere poſſit decimam partem aurei.

SECTIO XVII.

An Clerici, ac Religioſi poſſint obire officia Advocati, Procuratoris, aut Notarii.

ADvocati officium omni Sacerdoti interdictum eſt *Cap. Cùm Sacerdotis, de poſtulando.* Ubi illud etiam habet locum in foro Eccleſiaſtico, ut habet Fagnanus in dictum Cap. ratio illius data eſt à S. Ambroſio, quod Sacerdotum ſit, nulli nocere, & prodeſſe omnibus. Diſtinguit tamen dictus Author inter Sacerdotes, & Clericos, etiam in Sacris conſtitutos, quod hi in foro Eccleſiaſtico poſſint ſubindè eſſe Advocati pro laïco, exceptâ causâ ſanguinis; Sacerdotibus verò id non liceat, niſi in 4. caſibus: Primus caſus eſt pro ſeipſo: 2. Pro Eccleſia ſua: 3. Pro perſonis conſanguineis ſuis uſque ad 4. gradum, uti & pro affinibus ex copulâ licita uſque ad talem gradum, & ex licita uſque ad ſecundum. Quam conjunctionem alii etiam extendunt ad confratres ejuſdem Eccleſiæ, ac etiam ſingulares Clerici amicos. 4. Caſus eſt, pro miſerabilibus perſonis, viduis, pupillis, orphanis, & non poteſt tamen Clericus eſſe Advocatus, aut Procurator pro extraneo contra ſuam Eccleſiam, aut in qua obtinet beneficium; aliàs tamquam ingratus privatur beneficio.

Quibus caſibus poſſint Sacerdotes patrocinari.

Quando Clerici.

Clericus verò beneficiatus in ſacris, vel minoribus conſtitutus in foro ſæculari poſtulare non debet, niſi pro ſe, ſua Eccleſia, aut miſerabilibus perſonis: *Cap. Clerici, de poſtulando.* Opprobrium enim eſt Clericis, ſi ſe peritos diſceptationum forenſium oſtendere voluerint, *L. repetita C. de Epiſ. & Cleric.* Hoc tamen non habet locum in Clericis minorum Ordinum non beneficiatis; quia, cùm ſolummodo ii prohibeantur, qui Eccleſiaſticis beneficiis ſuſtentantur: à contrario, ſi talibus ſtipendiis non ſuſtententur, & beneficium non habeant, non prohibentur: idque etiam pro perſona ſæculari coram Judice ſæculari. Si verò hi non habeant ſufficientia media, quibus ſeſe poſſint ſuſtentare, ut quia tenue habent beneficium, tenet Hoſtienſis in dict. Cap. quod Clerici ſacrorum Ordinum, qui de facto egent, poſſint exercere officium Advocati,

&

& illo ſibi quærere victum. Si enim in tali neceſſitate liceat Clericis negotiari, & opificio victum quærere: quid ni, in ſimili neceſſitate licebit illis id exequi exercitio Advocati, quod minus officit ſtatui, ac dignitati Clericali, & dicuntur in jure Advocati, ut Milites defendere Rempublicam?

Si verò Clericus in minoribus conſtitutus, neque beneficium obtinens, habeat media ad vivendum ſufficientia, verius putat Fagnanus ibi ſuprà *num.* 5. quod ejuſmodi Clericus officium Advocati exercere non poſſit; cùm neque ii debeant ſeſe ſæcularibus negotiis immiſcere, & Advocationis officium ſit unum ex 14. ſæcularibus negotiis, quæ Concilium Moguntin. interdicit Clericis. Videri poteſt dictus Author, addens Doctores, quando dicunt Clericos non beneficiatos poſſe poſtulare, intelligendos eſſe de Clericis ob defectum tituli pauperibus; non itidem de illis, qui habent, unde aliundè commodè vivant. De cætero, Clericis interdicitur patrocinari in negotiis ſæcularibus; unde in negotiis Eccleſiaſticis Clerici etiam in ſacris, & beneficiati non prohibentur patrocinari coram Judice ſæculari. Dicitur autem negotium Eccleſiaſticum, vel ratione perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ agit contrà laicum; vel ratione criminis, quod eſt mixti fori; unde Clericus poteſt pro Clerico poſtulare in foro ſæculari, uti etiam, ſi pro ſacrilegio v. g. voluit convenire laicum coram Judice ſæculari. Denique, dicitur Eccleſiaſticum ratione rei ſpectantis ad Eccleſiam.

Quæ ſit cauſa Eccleſiaſtica.

Notandum hîc inſuper, quod quamvis regulariter Clericis prohibitum ſit poſtulare; non tamen illis prohibeatur domi conficere allegationes, & conſilium dare illud petentibus, etiam in ſcriptis: quia poſtulare eſt alterius deſiderium in Jure exponere, & alterius deſiderio contradicere. Deindè, ex tolerantiâ Papæ, ait dictam regulam deficere in Curiâ Romanâ, ubi Clerici Advocati, ac Procuratoris officium publicè exercent, contrà juris regulas. Generaliter tamen Clerici nequeunt ejuſmodi munia obire in causâ ſanguinis, etiam pro Reo; idque ob periculum irregularitatis, ſi fortè ex Clerici imperitiâ accuſatus ſuccumbat.

Similiter Monachis forenſe officium (niſi quod expoſcit Monaſterii utilitas, & Abbate imperante) interdicunt Jura, & ſignanter *Cap. Monachi* 15. *q.* 1. addit tamen Navarrus de Regularib. *Commentario* 2. *num.* 66. quod Monachus de Prælati ſui juſtâ licentiâ, etiam coram Judice ſæculari poſtulare poſſit pro aliis; qualis tunc cenſebitur, cùm vel miſeria perſonæ, vel gratitudo ei debita, vel magna Monaſterii neceſſitas, aut commoditas, id poſtulaverit; non verò ſi id ſuadeat avaritia, aut ambitio. Quando autem illa interveniant, ait prudenti judicio eſſe determinandum. Notat Pelliſarius *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 12. *de Regularibus.* quod hîc debeat concurrere ſimul utilitas, vel commoditas magna Monaſterii, & licentia Abbatis: item, jus non ſolùm illud inhibere Monachis ſtrictè ſumptis, ſed Religioſis quibuſcumque; cùm prohibitio non dirigatur ad ordinem Monachalem, ſed ad Religionem, prouti colligitur ex *Cap.* 2. *de poſtulando.*

Quando Monachi.

Quod verò ad officium Notarii attinet, generaliter illud interdicit Clericis

An Eccleſiaſtici poſſint eſſe Notarii.

in ſacris Conſtitutis Cap. *ſicut te, ne Clerici, vel Monachi*: etiam ſub privatione beneficiorum. Rationes dat Hoſtienſis ibid. 1. Quia metuendum eſſet, ne etiam id facerent in causâ ſanguinis: 2. Quod exercitium Notariatûs, ſit ſpecies negotiationis. 3. Quod ob multitudinem punctorum, ſuper quæ jurare debet, incurreret ſæpè periculum perjurii. 4. Quod Notarius jurare debeat fidelitatem illi, à quo conſtituitur, quam Clericus non poteſt laico jurare. Alii addunt pro ratione, quod officium illud ſit vile, & ſæculare, quod proindè dedecet ſtatum Clericalem.

Et quamquam Decretalis expreſsè agat de Clerico in ſacris Ordinibus conſtituto, & de beneficiato, videatur id ſolum innuere; tamen alii generaliter id interdictum volunt omnibus omninò Clericis in ſacris conſtitutis, ſive habeant beneficium, ſive non habeant, dummodo aliundè habent, unde honeſtè vivant: ratio Fagnani ad dictum Cap. *num.* 25. eſt illa, quod ſi poſſit talis Clericus de patrimonialibus commodè ſuſtentari, non liceret ei negotiari, ac proindè nec officium gerere Notariatûs quòd eſt negotiationis ſpecies.: adeoque, etſi illis non poſſit illud officium interdici per ſubſtractionem beneficii, quod non habet, & de quâ pœnâ ſolummodo meminit dicta Decretalis: tamem illis etiam illud officium ſufficienter interdicitur aliis pœnis negotiatoribus à jure conſtitutis. Imo idem Author id extendit *num.* 26. ad alios Clericos in minoribus conſtitutos, dummodò ex beneficio, aut patrimonio habeant, unde honeſtè vivant; eò quòd officium illud ſit vile, ac ſæculare, & nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Ob dictas rationes potiori jure officium illud interdicitur Regularibus, uti & declaraſſe Interpres Concilii Trid. tradit *num.* 30. niſi fortè de ſpeciali licentiâ S.Sedis, aut ſi ante Religionis ingreſſum cauſam inceperint, quam factus Religioſus complere poteſt & authentiſare. Idem eſt de facto Clerico. Addit Pelliſarius.de Regularib. *tract.* 6. *cap.* 12. *num.* 20. quod Religioſus Notarius poſſit validè conficere inſtrumenta de bonis ad Monaſterium pertinentibus; & in caſu neceſſitatis poſſit conficere teſtamenta, ut tempore peſtis, in defectu Notarii, ubi eſt in morâ periculum. Illud tamen obtinet hîc in Belgio, quoad Paſtores, & Vice-Paſtores, de quibus egimus de teſtamentis.

Quæret aliquis, an ſaltem Clericus poſſit in causâ Eccleſiaſticâ coram Judice Eccleſiaſtico tale munus exercere. Reſp. Cenſet Fagnanus ibid. *num.* 61. abſolutè non poſſe; probatque ex eo, quod ſolummodo concedatur illis officium Notarii in causâ hæreſis; adeoque exceptio illa firmat regulam in contrarium. Ad quid enim illis indulgere, quod illis competit de jure communi? & quamvis Epiſcopus in ſuâ Diœceſi poſſit creare Notarios; non debet id tamen neceſſariò intelligi de Eccleſiaſticis, ſed de ſæcularibus perſonis, quas creare tales poteſt, eas examinare, & ex causâ ſuſpendere juxtà Conc. Trid. *ſeſ.* 22. *cap.* 10. Videri plenius poterit Fagnanus dictis locis, & Pelliſarius *tract.* 6. *cap.* 12. *de Regul.* ubi agit de cauſis forenſibus Regularibus prohibitis, aut permiſſis. Vide etiam dicenda de vitâ, & honeſtate Clericorum, in materiâ de beneficiis.

SE-

Digitized by Google

SECTIO XVIII.

Quomodo Confeſſarius ſeſe gerere debeat cum Reo.

IN primis conſultum non eſt, ut Reus ante judiciale examen abſolutum, admittatur ad Confeſſionem; ne timore delationis crimen reticeat, aut ſpe evadendi illud neget. Nihil tamen oberit, etiam ante tale examen, Confeſſarium adire Reum, qui eundem ad pœnitentiam ſeriam, & obedientiam Magiſtratui debitam cohortetur. Deindè, caveat, ne modum procedendi Reo ſubminiſtret, aut etiam proceſſus juſtitiam in dubium vocet; dum officium Confeſſarii non ſit ea disjudicare, ſed Reum ad veram pœnitentiam diſponere, & ad pœnas perferendas adjuvare.

Si Reus veritatem neget, debet juxtà prædicta attendi, an ſit ſpes evadendi, nec crimen poſſit ſufficienter probari; quo caſu probabiliter multi tenent, poſſe Reum crimen negare; adeoque & Confeſſarius hujus opinionis, non debet Reum hoc caſu adigere ad confeſſionem criminis, aut ob ejus negationem negare abſolutionem. Quod ſi reverà dubium ſit, ſitnè Reus, ſitnè ſufficienter probatum crimen, ſitnè legitima authoritas, &c. potius inclinandum erit in favorem Rei, ut rectè monet Soto de jure & juſt. lib. 5. q. 6. art. 2. ita ſubdens: *Et ideo, niſi meridie clarius lex illos cogat, non ſunt miſeri cogendi, maximè in cauſâ capitali, honoris, aut famæ; dum ex alterâ parte non agitur de tanto periculo alterius perſonæ tertiæ; ſed debent prius rimari, an Judex legitimus ſit, aut Reus ſit aliquo privilegio exemptus; puta, quia Clericus, an denique planè conſtet cuncta legis merita eſſe ſervata.* Expediet quoque, quod Confeſſarius præviè cognoſcat probationes, & indicia, quibus Reus eſt convictus; ut ſi fortè poſtea in Confeſſione crimen neget, poſſit eundem illis convincere. Si tamen Reus in Confeſſione dicat, ſe metu tormentorum crimen confeſſum fuiſſe, nec de cætero Confeſſario conſtet de contrario, debet Reum abſolvere, ac deindè hortari, ut confeſſionem revocet coram Judice, ſi ſpes ſit, quod Judex illum ſit auditurus. Solent enim alibi Judices ſtare confeſſioni ſemel legitimè factæ, niſi manifeſta extent indicia de falſitate. Si autem ob crimen illud confeſſum vi tormentorum, Reus plectendus ſit morte, debet Confeſſarius injungere revocationem criminis, etſi etiam tormenta forent repetenda, neque eum ante retractionem abſolvere poteſt; eò quòd ille confitendo dederit cauſam ſuæ mortis, quam tenetur tollere, alias foret ſui occiſor. Vide dicta Sect. 10.

Addunt tamen alii, non eſſe conſultum, quod confeſſarius ex confeſſione Sacramentali cognoſcens Rei innocentiam in dicto caſu, intercedat pro Reo apud Judicem, & teſtetur eundem vi tormentorum crimen eſſe confeſſum: tum, quod Judex deferre non debeat tali extrajudiciali teſtimonio: tum, quod alii Rei videntes Confeſſarium pro Reis intercedere, occaſionem ſumant crimina in Confeſſione pernegandi.

Com-

Cognito crimine, debet Confeſſarius juxtà criminis qualitatem diligenter examinare Reum quoad circumſtantias tali, vel tali crimini annecti ſolitas. Deindè, interrogare, an ſocios criminis, & alia, de quibus legitimè rogatus fuit, manifeſtaverit: an innocentem ex invidiâ fortè, aut alio motivo denuntiaverit: quo caſu urgere eum debet Confeſſarius, ut falſam denuntiationem coram Judice revocet, etſi timeat, quod ob inconſtantiam debebit ſuſtinere nova tormenta. Imo, ad illud conſtringi debet ſub ipſo patibulo, ſi illud ibi Reus manifeſtet, cui æquum etiam eſt à Judice deferri, dum inſtanti morte nemo ſalutis ſuæ immemor eſſe præſumatur.

Præcipuum interim erit Confeſſarii munus, Reos excitare ad veram, & ſeriam pœnitentiam, proponendo criminis gravitatem, juſtitiam, ac miſericordiam Divinam; brevitatem vitæ; certitudinem mortis; ſummam Dei erga illum clementiam, quod Reo dederit ſpatium pœnitentiæ, quod innumeris denegavit: proponat itidem, mortem ſubeundam eſſe opportunum ſatisfactionis remedium, ſcandali dati reparationem; & generaliter, quæcumque ad pœnitentiam diſponendum, ac ad confortandum Reum ſunt neceſſaria.

Caveat tamen, ne in ipſo mortis articulo officio ſuo deſit: provideat, ne Rei jentaculum excedat modum, & Reus ſemipotus ad ſupplicium tendat: caveat, ne ſeſe ſententiæ executioni quoquo modo immiſceat, ne irregularitatem incurrat, qualiter procedunt illi, qui Miniſtro juſtitiæ hæc, aut ſimilia ingerunt, *eia age, quid moraris? jam Reus eſt ritè diſpoſitus, funem ritè perungite, ne nimium crucietur; ſecurim bene exacue, &c.* Qui plura hac de re deſiderat, legat Polanci Directorium de modo adjuvandi moribundos Cap. 18

SECTIO XIX.

De Judiciis Eccleſiaſticis.

DUo *ſunt*, inquit Gelaſius Papa, *quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas*; ſive juriſdictio Eccleſiaſtica, & Civilis. Nec ſecùs, ac tota Orbis machina duobus luminaribus Solis, ac Lunæ regitur; gubernatur etiam dictis juriſdictionibus omne humanum genus, & in ſuo ordine detinetur. Grandis autem inter utramque juriſdictionem eſt differentia, tum ratione originis, tum ratione objecti, & finis. Eccleſiaſtica enim immediatè à Deo inſtituta eſt. Civilis verò immediatè provenit ab hominibus. Eccleſiaſtica verſatur circà res ſpirituales ad ſalutem animarum; Civilis verò per ſe dirigitur ad temporalem Reipublicæ commoditatem, & pacem. Suo tamen modo, & Eccleſiaſtica juriſdictio concernit res temporales, & Civilis res ſpirituales, dum Eccleſiaſtica hæreticorum bona confiſcat, & alia crimina excommunicationis gladio feriuntur, & variis temporalibus pœnis delinquentes mulctat. Sic è contra Civilis juriſ-

Differentia Eccleſiaſticæ, & Civilis Juriſdictionis.

dictio

dictio res Eccleſiaſticas juvat, protegit, & ſua authoritate defendit. Suis interim limitibus oportet, ut utraque juriſdictio ſeſe contineat, ne univerſa confundat, non ſecùs, ac Sole, & Luna ſuis orbibus egreſſis, totum terræ, & Cæli ordinem diſturbarent. Eorum verò ordinem breviter proponit Innocentius III. *Cap. Solitæ, de major, & obed.* ità dicens: *Pontifex in ſpiritualibus antecellit, quæ tantò ſunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori.* Et Bonifacius VIII. in Extrav. *Unam ſanctam: oportet*, ait, *gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati, cùm dicat Apoſtolus, non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt: non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tamquam inferior reduceretur per alium ad ſuprema.*

Juriſdictio hæc Eccleſiaſtica ſemper à ſæculari fuit diſtincta, tam in L. V. quàm in L. N. prouti eam olim diſtinxit Rex Joſaphat 2. Paralip. 19. dicens: *Azarias Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: Porrò, Zabadias filius Iſmaël, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Et in L. N. Paulus excommunicavit Incæſtuoſum 1. Cor. 5. & Thimoteum inſtruit, ne accuſationem contrà Præsbyteros admittat, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus, 1. Tim. 5. Eamdem Eccleſiæ poteſtatem confirmavit Conſtantinus Patribus Nicænis, dicens: *Deus conſtituit vos Sacerdotes, & poteſtatem dedit vobis de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus judicari.* Unde & Concilium Trid. ſeſ. 23. Can. 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina inſtitutione ordinatam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.* Huic autem Eccleſiæ Juriſdictioni ſubſunt omnes Eccleſiæ fideles, eo ipſo, quo illi per Baptiſma ſunt incorporati; & ſubeſſe debent in illis, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam, & æternam ſalutem ſpectant, Eccleſiæ directioni, præcipiente omnibus Apoſtolo ad Heb. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Ab hâc divina lege, nulla datur exceptio, nulla diſpenſatio, aut præſcriptio; ſed quicumque hanc conantur infringere, damnationem ſibi certam acquirunt, & Deum ipſum, ejuſque authoritatem pervertere conantur, juxtà illud Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.*

Duplex autem eſt hæc Eccleſiæ poteſtas, ſcilicet Ordinis, & Juriſdictionis. Poteſtas Ordinis refertur ad Sacramentorum adminiſtrationem: poteſtas Juriſdictionis refertur ad Judicia Eccleſiaſtica, tam in foro interno, ſive conſcientiæ; quàm in foro externo, ſive contentioſo agitanda. De priori poteſtate agere ſolent Theologi in materia de Sacramentis. Juriſdictio fori externi ad varia ſeſe extendit, ut ſunt viſitare ſubditos, in eorum mores inquirere, eos punire, excommunicare, & ab excommunicatione abſolvere, peccata reſervare, indulgentias elargiri, in voto, & juramento diſpenſare, hære- Eccleſiæ poteſtas duplex.

hæreticos errores condemnare, ſcripta examinare, ritus Eccleſiæ ordinare, Eccleſiæ miniſtros deputare, beneficia Eccleſiaſtica diſtribuere, bona Eccleſiaſtica diſpenſare, &c.

Differunt inſuper dictæ poteſtates Juriſdictionis, quod juriſdictio fori interni requirat characterem, quem in ſua ordinatione Sacerdos accipit, dum illi datur non ſolùm poteſtas in verum Chriſti Corpus, ſed & in corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, quæ quidem poteſtas in Sacerdote ordinato eſt quaſi habitualis, & ut aiunt, in actu primo, donec per ordinariam, aut delegatam poteſtatem traditam compleatur, & in actum deducatur. Exterioris verò fori Juriſdictio characterem Ordinis non requirit; adeo ut Epiſcopus à Pontifice electus, & confirmatus, etſi necdum conſecratus, poſſit in exteriori tribunali ſuæ Eccleſiæ judicare, excommunicare, ſuſpendere, abſolvere, &c.

Forum Eccleſiæ duplex.

Duplicem quoque juriſdictionis modum habet forum externum, ſcilicet gratioſum, ſeu voluntarium, qui eſt circà gratias abſolutionum, diſpenſationum, conceſſionum, &c. Et contentioſum, dum inter partes oppoſitas litigatur. Alia inſuper eſt juriſdictio ordinaria, alia eſt delegata. Ordinaria competit omnibus, quibus per ſe, & ratione ſui officii juriſdictio competit, ut Papa, Epiſcopus, ejuſque Vicarii, & Officialis, qui eſt ordinarius Epiſcopi Judex, idem tribunal cum Epiſcopo faciens; adeo ut non detur appellatio ab Officiali ad Epiſcopum, de quo videri poteſt *Cap. fin. diſt.* 93. delegata autem illis competit, quibus Ordinarius eam commiſerit.

Cumque ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, uſque adeo haberi non poſſit, & inde Judicibus aliquando inidoneis cauſæ delegentur: ſtatuit S. Tridentina Synodus *ſeſ.* 25. *cap.* 10. ut in ſingulis Conciliis Provincialibus, ac Diœceſanis perſonæ aliquot ad judicandum idoneæ præter Ordinarios delegentur, quorum nomina ad S. Sedem tranſmittantur, & quibus res Eccleſiaſticæ, & quæcumque ad Eccleſiaſticum forum pertinentia poſſint committi. Si verò aliquem intereà mori contigerit ex perſonis deſignatis, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad Synodum proximè futuram: adeo ut habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem, aut plures perſonas probatas, & ad illud munus qualificatas, quibus dictæ cauſæ committantur; adeo ut delegationes quæcumque aliis Judicibus factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Solent hujuſmodi delegati vocari *Judices Synodales.*

Judex Synodalis.

Porrò, Judicibus Eccleſiaſticis præ aliis ineſſe debent illæ qualitates, quas ad bonum Judicem requiſivimus Sect. 2. dum illi propriiſſimè, & immediatius Dei vices ſuſtinent, & in rebus ſublimioribus judicium debent exercere. Hinc Eccleſiaſtico Judici eſt maximè indignum, munus accipere, dum avaritia ne nominari quidem decet inter illos: ſed more Samuelis, & Apoſtoli gloriari debent de munerum neglectu. Debet etiam Eccleſiaſticus Judex magis

magis clementiæ intendere, quàm Civilis; dum Eccleſia eſt pia mater, quam lenitas decet, & pia ſeveritas. Eapropter monet in primis Synodus Trid. *ſeſ.* 25. *cap.*3. ut Eccleſiaſticæ cenſuræ ſobriè, & cum magnâ circumſpectione ferantur.

Requiritur inſuper in Judicio Eccleſiaſtico, ut ab omni ſanguinis caveat effuſione, à quâ abhorret Eccleſia; ſed in cauſis capitalibus Judicem ſæcularem accerſere oportet, eum deprecando, ut cum Reo mitius, & citra ſanguinis effuſionem procedat, juxta *Cap. novimus, de verb. ſignific.* Infligit interim Eccleſiaſticus Judex, pœnas, tam ſpirituales, ut eſt excommunicatio, & aliæ cenſuræ; quàm corporales, ut carceres, *Cap. quamvis in 6.* jejunia in pane, & aquâ, *Cap. novimus, in fine de verb. ſignifi.* imo & flagellationes adhibere poteſt, *Cap. Univerſitatis, de ſent. excommunic.* imo etiam damnare poteſt ad triremes, teſte Zerola verbum *Triremes*, addens verbum *Excommunicatio*, quod Clerici ad triremes damnati, poſſint à Trierarcha moderatè verberari, etſi necdum fuerint degradati. Sed quia per Tribunalia juriſdictionis Regiæ non permittitur Ordinariis habere uſum territorium in Galliâ; ideo ſimilis proſcriptio, aut damnatio in exilium illis non competit. Idem habet locum in Belgio. Inſuper communis Eccleſiæ pœna erat olim detruſio in Monaſterium, *Auth. ſi quis, Auth. interdicimus C. de Epiſ. & Cler.* Præterea frequens pœna hîc eſſe ſolet pecuniaria, ſive parti læſæ, ſive loco pio applicanda; non verò Eccleſiæ Fiſco, aut ejus Officialibus, ad omnem avaritiæ ſuſpicionem hîc declinandam: *Cap. licet, de pœnis.* Denique, poſſe Judicem Eccleſiaſticum procedere ad torturam Clerici manu laicâ adhibendam, docet Navarrus in *Cap. nullum* 18. *q.*2. & *Conſilio* 5. *de fero comp. Conſil.* 29. *de ſent. excommunic.* addens eam eſſe Galliæ praxim, & in ipsâ Urbe obſervari. Et Zerola verbum *Tortura* aſſerit ſeſe in ſuo Epiſcopatu id decreviſſe. Quæ autem cauſæ ſint Eccleſiaſticæ, & quæ mixtæ, dicam Sec. 3. de Immunit. Eccl. Pœnæ Eccleſiaſticæ

Demum Eccleſiaſtici Judices diligentiſſimè providere debent, ne juſtitia ullo modo per Officiarios ſui Tribunalis violetur; ne id locum habeat aliquando, quod ſcribit de eâ re S. Bernardus libro 1. de conſid. ad Eugen. ne cavillationes ſubvertentes judicium Tribunal Eccleſiæ commaculent, quæ magis ad ſubverſionem pertinent, quàm ad inventionem veritatis. Singulariter quoque invigilandum eſt Exploratoribus criminum, ſeu Promotoribus, de quibus ita ſcribit Gerſon à Dyoniſio Carth. citatus de reg. & vitâ Epiſcop. art. 36. *Dici non poteſt, quanta mala faciunt illi ſcelerati exploratores criminum, quos* PROMOTORES *appellant, qui ſimplices & agreſtes pauperculos vitam ſatis innocuam agentes, & fraudis urbanæ ignaros, ſæpè in jus pro nihilo vocant cauſas, & crimina contra eos confingunt, eoſque vexant, terrent, irritant, & ita eos, per talia ſecum componere, & paciſci compellunt: quod ſi facere renuerint; crebris, & quotidiè repetitis citationibus eos ſupra modum infeſtant. Quod ſi qualibet occupatione præpediti comparere deſierint, cenſurâ anathematis tamquam rebelles feriunt: ſi verò perſeveraverint comparere, audientias eorum apud*

Digitized by Google

Judicum Tribunalia impediunt; moraſque, & ſubterfugia dilationum, & interlocutionem captant, quæ perfacilè in foris Eccleſiaſticis obtinentur, quatenus ſimplices longo tædio fatigati cogantur redimere pactione pecuniæ futuram vexationem, atque impenſam: ſicque pro levi, vel nullo delicto, pro exiguo debito ſit infinitarum cumulus expenſarum. Singulariter quoque præſcribit Concilium Trid. *ſeſ.*24. *cap.*20. ut omnes cauſæ ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in primâ inſtantiâ coram Ordinario locorum dumtaxat cognoſcantur, atque omninò, ſaltem infra biennium à die motæ litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium, liberum ſit partibus, vel alteri illarum Judices ſuperiores, aliàs tamen competentes, adire. Idem ſtatuit in hoc Epiſcopatu Malderus *de modo procedendi in Curia Eccl. num.*67. & *num.ſeq.* litium citius terminandarum gratiâ addit, ne ulla impoſterum feſta Curiæ, præter feſta in populo celebrentur. Alia hanc rem concernentia exactè ibid. præſcribuntur, in Curiâ Eccleſiaſticâ neceſſariò obſervanda.

CAPUT II.

De Juſtitia diſtributiva.

SECTIO I.

De perſonarum acceptione; quot modis fieri ſoleat.

Quid acceptio perſonarum.

RECollectis iis, quæ de juſtitia diſtributiva dicta ſunt initio Sect. 2. definit rectè acceptionem perſonarum in hunc modum S. Antoninus *p.* 2. *tit.*1. *cap.*20. *Eſt vitium, quo id, quod ex debito juſtitiæ eſt alteri conferendum, exhibetur perſonæ, non ob meritum ejus ad ipſam rem; ſed ob conditionem ipſius non congruentem ad ipſam rem.* Hinc alibi dicitur *reſpectus perſonarum*, ut Matthæi 22. *non reſpicis perſonam hominum.* Generaliter ergo eſt, quando non debita cauſa reſpicitur, ſed perſona. Eſt etiam peccatum proprium injuſtitiæ, dum juſtitia reddit cuique, quod ſuum eſt, ſeu, prout illi debetur, quod acceptio perſonarum negligit. Ex quo ſequitur primò, quod non ſit acceptio perſonarum, dum quis non vult alicui pauperi dare eleëmoſynam, quia eam vult dare pauperi amico, vicino, &c. etſi non ità indigenti; poſito quod eleëmoſyna debeatur ex ſola charitate. Secundò, non eſt perſonarum acceptio in Deo, ut ait Apoſtolus *Rom.*9. dum cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat; eò quòd illa non habeat locum in gratuitis, ſed ſolùm in debitis ex juſtitia, ſaltem diſtributivâ.

Quale peccatum.

Eſt autem perſonarum acceptio de ſe peccatum mortale. Quod juxta S. Thomam eſt de fide, cùm tam acriter in Scripturâ ſacrâ paſſim reprehendatur: Deuteron. 1. *Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis, ut magnum,*

gnum, nec accipies cujuſquam perſonam. Et Cap. 16. *Non accipies perſonam, nec munera.* Eccli.4. *Ne accipias perſonam, ne delinquas.* Jacobi 2. *Nolite in acceptione perſonarum habere fidem, &c.* & infra: *Si perſonam accipitis, peccatum operamini.* Ad quod S. Auguſtinus Epiſt.29. ad Hieron. *Non ſane putandum eſt leve eſſe peccatum, in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* JESU-CHRISTI. In Eccleſiaſticis illud crimen aſſerit majus S. Hieronymus in Malach. Cap.2. ita ſcribens: *Inter omnia peccata Sacerdotum, illud ultimum, & maximum ponitur, quod non cauſas, ſed perſonas conſiderent.* Idem probat & ratio. Opponitur enim illa directè juſtitiæ diſtributivæ, quâ violatur charitas, & proximo nocetur, adeoque de ſe eſt peccatum mortale. Deindè, ex eâ oriuntur directè graviſſima mala in omni communitate. 1. Enim invertitur ordo contra rectam rationem, qui exigit, ut digni præferantur indignis: ſic inverteretur ordo univerſi, ſi gravia ſurſum eſſent, levia deorſum, ſi oculi in pedibus, &c. hinc Eccleſiaſtes Cap.10. *Eſt malum, quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis, poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum, & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos.* 2. Cedit in damnum, & injuriam ſubditorum: dum enim beneficia dantur indignis, ſpoliantur quaſi ſuo jure: quod deinde alii obſervantes, inducuntur ad neglectum virtutis, ad adulationes, detractiones, ſuſurrationes, fraudes, pecunias, &c. quæ omnia vident virtutibus prævalere. 3. Hinc ulterius graſſantur peccata, dum contingit regnare indignos, qui nec vitia emendare norunt, nec virtutes edocere, qui & ipſi pecunia, adulatione, & aliis inordinatis modis corrumpuntur; unde Reos abſolvunt, innocentes condemnant, bonum commune negligunt; ex quo finaliter ruina communitatis. Hinc verè dicitur, perſonarum acceptionem eſſe peſtem communitatum.

Intervenit verò illa potiſſimum in exhibitione honoris, v.g. dum quis in publicâ menſâ dat locum digniorem illi, qui nec ratione virtutis, ſcientiæ, aut ſuperioritatis eum meretur. Debetur enim honor præcipuè illis, qui digniùs participant de naturâ rationali, uti ſunt boni, docti, ſuperiores, & etiam divites quatenus illi poſſunt dare inſtrumenta bonorum. Ut tamen hîc interveniat culpa, requiritur, ut id fiat dolo, aut latâ culpâ, quia aliàs nulla cenſebitur in dicta exhibitione honoris eſſe injuria. Deindè, invenitur ſæpiſſimè in diſtributione officiorum ſæcularium, quæ ſunt quaſi quædam bona inſtituta ad communem profectum, & utilitatem, unde & pro meritis ſunt diſpenſanda. Prætereà, ſolet illa reperiri in impoſitione onerum, vectigalium, & tributorum, quæ etiam cum æquâ proportione ſunt imponenda. Inſuper ſæpè adeſt in diſtributione beneficiorum Eccleſiaſticorum, præſentatione, poſtulatione, electione. Illa enim perfectiſſimè conferri debent pro merito, non pro perſonâ. Ultimò, frequens eſſe ſolet in Judiciis, dum non pro æquitate cauſæ jus dicitur, ſed pro perſona. Jus enim quoque eſt aliquod bonum communitati debitum, ſive parti debitum, quæ habet jus, ſeu, pro qua ſtat juſtitia. Hinc Levitici 19. *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis.* Eâ

Ubi ſit acceptio perſonarum.

Digitized by Google

ratione Athenienſes judicabante nocte : & Socrates nolebat uxores, aut pueros Rei admittere in judicio. Huc etiam ſpectat, dum citius expediuntur cauſæ divitum, quàm pauperum : quando in pari cauſa datur alicui longior terminus ad reſpondendum : etſi enim Judici relinquatur liberum aſſignare terminum talem, hoc intelligendum eſt ità, quod particulari lege ad illud non conſtringatur, ſed quod eum aſſignare debeat pro æquitate, & diſcretione.

SECTIO II.

Quomodo ſit acceptio perſonarum in diſtributione Officiorum ſæcularium.

Ante omnia notari hîc poteſt, eſſe quædam officia, quæ habent juriſdictionem in Republica, ut ſunt Prætor, Judex, Senator, &c. alia ſunt hujuſmodi inſtrumenta, eaque mediata, vel immediata : mediata, ut Satellites, Lictores, &c. immediata, ut Tabellio. Ad horum officia requiritur ſcientia illorum, quæ ad executionem officii ſunt requiſita. Hinc ſequitur, quod ad aliqua illorum officiorum aſſumere indignum, ſit peccatum mortale; cùm illa aſſumptio ſæpè ſit in damnum aliorum. Deindè, eligens ille, ſive aſſumens peccat contrà charitatem, dum debet quilibet diligere bonum commune, qua ratione etiam peccat contrà juſtitiam legalem. Peccat inſuper contrà juſtitiam commutativam : quia ſi eligens ſit perſona publica; ſequitur, quod ex officio, & quaſi contractu debeat providere bono communi, adeoque idoneos procurare miniſtros. Si verò eligens ſit perſona privata, etiam ad hoc tenetur, ſicuti ad hoc tenetur ille, à quo cômmiſſionem habet eligendi. Sicuti enim debet dignum eligere, ſi ad tempus eum vellet aſſumere ad officium ; ita ad hoc magis obligatur, ſi eum aſſumat ad ſemper. Ad hæc; Oeconomus debet providere de bonis miniſtris domûs, idque ex officio : quævis autem perſona privata eſt quaſi Oeconoma communitatis. Neque hîc ſatis eſt aliquem eligere, quem neſcimus eſſe indignum, ſed debet poſitivè conſtare, eum eſſe dignum ; quia aliàs exponimus nos periculo, & conſequenter delinquimus.

In Officiis ſæcularibus eligendus eſt dignior.

Neque ſolùm peccant, qui indignos eligunt, ſed etiam illi, qui relictis dignioribus eligunt minus dignos, & quidem ſæpè mortaliter : tum, quod injuriam faciant magis digno, quamvis ea injuria non ſit contrà juſtitiam commutativam, undè nec inducit obligationem reſtitutionis : tum, quod peccent contra fidelitatem debitam communitati, quâ debent illi providere de bonis miniſtris : tum, quod ſint in cauſa, quare Reſpublica ſenſim repleatur miniſtris improbis, avaris, politicis, &c. unde ultimatè Reipublicæ everſio. Pro quibus omnibus recolligi poteſt, quod, qui adminiſtrationem ſuſcipit, tacitè ſe obliget, primò ad avertendum omne damnum communitati obveniens; adeo ut, ſi ſuâ culpâ id eveniat, teneatur ad reſtitutionem damni, & conſequenter peccet contrà juſtitiam commutativam : ſecundò obligat ſe ad promovenda Reipublicæ bona, ad quod tenentur ex fidelitate, niſi adſit culpa, unde ſequatur Reipublicæ damnum.

Quæ-

Digitized by Google

Quæret aliquis, an ergo officia ſæcularia non poſſint vendi? Pendet hæc quæſtio ex eo, an Principes ſæcularium officiorum ſint abſoluti Domini, quod Adrianus abſolutè negat; tum quod Pontifex non ſit abſolutus Dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum, ergo multò minus Principes officiorum; cùm Pontifex non minorem habeat auctoritatem in beneficia, quàm Principes habent in officia: tum, quod aliàs non videretur eſſe acceptor perſonarum, quando Princeps officia dat minus dignis, quia illa non habet locum in bonis propriis, quorum quis eſt Dominus, ubi tamen conſtat contrarium. Alii volunt Reges, ac Imperatores eſſe eorumdem Dominos, non verò Magnates; eò quòd Reſpublica tranſtulerit in Reges, & Imperatores omne jus, & dominium, quod ipſa habebat; quod etiam ſe extendebat ad officia: quâ ratione Reges vendentes officia, ſunt tuti in conſcientia, nec inde arguuntur. Magnatibus verò tranſlatum eſt quidem dominium Patriæ, ac Juriſdictio à Regibus; non tamen tranſlatum eſt illis dominium & poteſtas officia vendendi. Alii inſuper docent, Reges habere dominium gubernativum officiorum, non verò dominativum, ſive jus ad omnes uſus licitos pro libitu, etiam particulares. Gubernativum verò vocant jus gubernandi, ac debitè de re aliqua diſponendi, quale habet Pater in filios, Prælati in ſubditos, & quod jus reſpicit bonum commune. Dominativum tradunt Reipublicæ quoad reditus, opes, &c. non verò quoad officia. Quamvis ergo à Republica tranſlatum ſit in Reges dominium aliquod officiorum, illud tamen non eſt abſolutum, ſed reſtrictum, & cum ea conditione, quod eadem conferent dignioribus. Alii denique, dominium officiorum attribuunt Ducibus, eò quòd illi liberè vendant officia; ex quo patet, eos eſſe illorum Dominos: deinde, quod illi à Rege acceperint ſuas ditiones cum officiis, adeoque ſint illorum Domini, uti particularis quilibet, qui officia illa emit à Rege.

An Principes ſint domini officiorum, eaque poſſint vendere.

S. Thomas tamen Opuſculo 21. eâ de re ſcripto ad Aleidem Brabantiæ Duciſſam, docet id quidem abſolutè licere, ſed non expedire. Soto ait, id quidem eſſe licitum ſpeculativè loquendo, cùm officia ſint æſtimabilia pretio, adeoque & vendibilia: non tamen practicè, quia ſolet creare damnum communitatis. Adrianus, ut mox eſt dictum, docet, quod ea vendi non poſſint, quia contractus venditionis debet fieri ab eo, qui eſt rei Dominus; atqui Rex non eſt Dominus officiorum, ergo. Pro cujus rei definitione notari poteſt, in officiis plura poſſe conſiderari. 1. Facultas exercendi quaſdam functiones. 2. Quædam eminentia, & dignitas. 3. Juſtum officii ſtipendium, eique commenſuratum. 4. Occaſio faciendi quoſdam quæſtus extraordinarios ratione officii. Hoc poſito, dicendum videtur, quod ratione primi conſiderati, officia vendi non poſſint; quia facultas illa dicit potius onus aliquod, & obligationem, quam proindè potius redimere quis deberet, quàm emere. Ratione ſtipendii juſti etiam emi non poſſunt, quia ſtipendium juſtum debetur officio ex juſtitia. Ratione dignitatis, videtur quod vendi

vendi poſſint, cùm dignitas illa ſit pretio æſtimabilis, adeoque etiam vendi. Idem dic, de ſtipendio extraordinario, ratione cujus vendi poſſet, ſicuti ratione majoris negotiationis domus negotiatoris pluris poteſt vendi ob majorem commoditatem lucrandi.

Vendere officia non eſt per ſe malum, eſt tamen occaſio multorum malorum.

Quidquid interim ſit de ſimilibus abſtractis, & conſiderationibus factis, abſolutè dicendum eſt cum S. Thoma, quod etſi officia ſecularia vendere non ſit per ſe malum, tamen habeat ſpeciem mali, & indecentiæ, & ſit cauſa plurimorum malorum. Quod de ſe malum non ſit, patet ex eo, quod Reſpublica, quæ foret in egeſtate, etiam vendere poſſet Regiam dignitatem: deindè, quod de ſe eſt illicitum, id numquam licet, ubi tamen juxtà D. Thomam id licitum eſt ſub certis conditionibus. Quod tamen habeat ſpeciem mali, & ſit cauſa plurimorum malorum, probatur 1. Quia, dum officia ſunt vendibilia, plerumque ſolent obtineri ab indignis, dum digni per ſe merentur promoveri, qui proinde nummos nolunt offerre. 2. Sic deinceps ſtudia intereunt, & quiſque pecuniæ ſtudet, dum vident eiſdem obtineri dignitates. 3. Hoc facto officia obeuntur in proprium quæſtum, non in bonum commune, ut ex officio recipiant, quod pro officio obtulerunt. 4. Plurima præſtanda gratis ex officio, non niſi pretio præſtantur, aut certè pretio, quàm ſit taxatum, ampliori. 5. Cum pauperes nummos offerre nequeant, eorumdem cauſa vix ingreditur ad illos, & ſola divitum cauſa promovetur. 6. Exindè finaliter ruina Reipublicæ: quâ ratione notant, quod quamdiu Roma pro meritis officia contulit, in ſuo ſplendore permanſerit; at quando meritis præpoſuit nummos, ab eo exciderit: adeo ut Senator quiſpiam incorruptus, & in exilium relegatus, quod ſeſe venalitati officiorum oppoſuiſſet, abiens, & Urbem reſpiciens exclamaverit:

O venalem urbem, cui citò ruina paratur!

Eâ de re doctè ſcribit D. Stockmans in fine Deciſ. conſultatione facta Archiduci Leopoldo de venalitate officiorum in hunc modum: *Non ſunt ignota incommoda, quæ ex hujuſmodi nundinationibus neceſſe eſt in Rempublicam dimanare: præterquam enim, quod exiſtimatio totius ordinis deturpatur, in quo cum aliis ſedent ambitioſi honorum Aucupes, & authoritas labaſcit jus dicentium, detractâ integritatis opinione, quam conciliant potiſſimum incorrupti mores, fiet quoque hâc ratione, ut ſpretis melioribus, prævaleant paſſim deteriores, quorum ingenia, & in commercia hæc proniora ſunt, & pravis artibus exercendis magis idonea; cùm è contrario modeſtia, & honorum fuga, ſoror eſſe ſoleat bonarum mentium: nemo etiam exiſtimabit virtuti, aut eruditioni amplius ſupereſſe locum, cùm conſpiciet id, quod bonis artibus fieri debebat, peragi pecuniâ, & accedi ad honorum inſignia, non probatæ vitæ teſtimonio, ſed ambitione, & pretio: denique verendum erit invaleſcente ambitu, ne venalia fiant & ipſa judicia, & hoc novo concuſſionis genere ſpolientur Provinciæ*, ac nummarium tribunal (quod olim querebatur Seneca) auditâ utrimque

que licitatione, alteri licitantium addicatur; *nam animadverſum eſt eos, qui per largitionem Magiſtratûs adepti ſunt, dare protinus operam, ut ita poteſtatem gerant, ut illam lacunam rei familiaris explere poſſint: Quodque his conſequens eſt, non poterunt honorum iſti emptores, ob acceptam in judicando pecuniam, bono jure coërceri, cùm jus gentium permittat, ut quod emerit, vendere queas, & univerſim, ac uno pretio comparatum, deindè ſigillatim, ut diſtrahas.*

Quam rem gravi ſententiâ Imperator Severus in hunc modum exprimebat: Neceſſe eſt, ut qui emit, vendat; ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſim; erubeſco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit: *Lampridius in ejus vitâ.*

Inter leges Juſtiniani eminet illa, quam diximus, Conſtitutio, Novellâ octavâ, cujus inſcriptio eſt, ut Judices ſine quoquo ſuffragio fiant, *hoc eſt, ut ab his, qui adſcribendi ſunt in numerum Judicum, neque ſuffragatoribus Aulicis pecunia detur, neque etiam in rationes publicas aliquid eo nomine inferatur; cùm enim duplex eſſet ſuffragium, privatum & dominicum, & hoc poſtremum non aliud, quàm ſumma Ærario publico pro obtenti Magiſtratûs ratione, inferenda, utrumque aboleri Imperator mandat, additâ ratione,* quod accipere ſuffragium, ſeu pecuniam à Judicibus, ſit totius nequitiæ principium, & terminus.

Hæc in corruptelam illius ævi dicta, non eo animo à nobis repræſentantur, quaſi hoc noſtrum ſæculum, aut ullius actiones ſugillare ſtudeamus; ſed dumtaxat, ut ob oculos Celſitudinis veſtræ poſitis Brabantiæ legibus, & qui eis ſpretis, pravi mores ſuccreſcere nati ſunt, eidem quàm humillimè ſupplicemus, ut velit hoc ſuum Elogium apud nos eſſe perpetuum, quod olim bonis Principibus ad perennem gloriam tributum eſt:

Non dominantur opes, non corrumpentia ſenſus,
Dona valent, emitur ſolâ virtute poteſtas.

Hactenus vir ille Clariſſimus.

Hinc etiam S. Thomas à Villâ Novâ diſſuaſit Carolo V. vendere Prætorias Caſtellæ, quod multi ſuadebant, ob proprium quæſtum. Eâ quoque ratione toties inhibita fuit in Belgio noſtro officiorum venalitas, aut elocatio, niſi ob ſenectutem, morbum, aut quid ſimile, quæ Edicta refert Anſelmo in Cod. Belgico V. *Officien.* Videri etiam poterit Zypæus *Notit. Belg. lib.* 4. *de ſuffragiis.*

Si tamen ſubindè officiorum venalitas juſtificetur, requiruntur aliquot conditiones: 1. Ut vendantur, quantum fieri poſſit, digniori. 2. Ut vendantur pretio moderatiſſimo, ut ex communibus ſtipendiis facilè poſſit pretium recuperari. 3. Ut fiat in neceſſitate Reipublicæ, cui non poſſit aliâ viâ ſubveniri. Et quamquam Pius V. anno 1571. ſeverè inhibuerit vendere officia, quæ habent juriſdictionem annexam; id tamen, ait Sylvius, intel- Requiſita ad debitam venalitatem.

ligi

ligi debet de terris Pontifici ſubjectis, aut certè, illam inhibitionem hîc uſu non eſſe receptam.

An privatus poſſit ſuum officium vendere.

Denique, quantùm eſt de jure naturæ, poſſent perſonæ privatæ vendere ſua officia moderato pretio, ſicuti etiam eodem jure poſſent alium ſuo loco ſubſtituere parte pretii ſibi reſervatâ; ſunt enim illæ ſui officii Domini. Imo, neque privatus debet quærere digniorem, ſed ſatis eſt, quod habeat ſibi æqualem: quamvis enim Rex ad hoc teneatur, non tamen ad hoc tenetur privatus; dum Rex ex officio tenetur quantum poteſt, conſulere bono communi, non verò ad illud tenetur privatus ex officio. Ex quo inferunt ulterius, quod eo caſu privatus habeat plus libertatis, v.g. beneficiatus in reſignando, quàm Epiſcopus in conferendo beneficio. Privatis interim etiam jure merito inhibetur promiſcuè officiorum venalitas, uti habet Codex Belg. dicto verbo, *Officien.*

SECTIO III.

De impoſitione Tributorum, & Vectigalium.

Quid Vectigal, Tributum, Gabella.

SOlent ſæpè confundi *Vectigal*, *Tributum*, & *Gabella*; & nihil eſt aliud, quàm tributum publicum ad communem utilitatem à Principe exactum. Ita *Toletus.* Dicitur *tributum*, eò quòd quidpiam tribuatur in commune bonum, ſive id ſit pecunia, ſive quid aliud pretio æſtimabile. Additur *publicum*, quia non ab uno, vel altero, ſed à communitate exigitur. Exigitur verò à Principe, eò quòd non ſit privatæ authoritatis imponere tributa. Additur denique, *ad communem utilitatem*, quia illa debet eſſe finis juſti tributi. Tributorum variæ ſunt ſpecies: ſi ſolvebantur ex prædialibus, dicebatur *tributum rei.* Aliud erat *capitatio*, ſive tributum capitis, quod pro quolibet familiæ capite ſolvebatur. Propriè tamen *tributum* eſt penſio à ſubditis præſtanda juxta cujuſque facultates ad Principem ſuſtentandum.

Tallia, & munera quid ſint.

Vectigal autem ſignificat penſionem ſolvi ſolitam pro rebus, quæ aſportantur, & efferuntur in patriam, aut urbem, & ſolet ſolvi in portu, portâ, &c. hinc nuncupatur à vehendo, & ſolet confundi cum gabellâ. Vectigal aliud eſt portitorium, aliud guidagium. *Portitorium*, quod & *padagium* nominatur, ſolebat ſolvi pro tranſvectione mercium, & vocatur Italicè *doana*. *Guidagium* eſt, quod ſolvitur pro ducatu viæ, ut res, vel perſonæ ſint à latronibus liberæ, unde & derivatur à *guider*, quod ſignificat gallicè *ducere*, vulgò nobis *leyden*. Alia tributa dicuntur *Tallia*, quæ pro communibus neceſſitatibus à communitate ſuſtinendis, ab ejuſdem membris ſolent præſtari. His affinia ſunt alia in jure onera, quæ vocantur *munera*, & dividuntur in realia, perſonalia, & mixta. Realia ſunt, quæ in re familiari Principi præſtanda ſunt, v.g. Equo, Curru, Canibus. Perſonalia, quæ in perſonâ, ut quando certo tempore Principem debet quis comitari, ſervire, &c. mixta, quando & ſimul in re, & in perſona Principi eſt ſerviendum.

Ad

Ad juſtitiam Tributorum omnium, quinque potiſſimum ſunt requiſita. 1. Legitima authoritas. 2. Juſta imponendi cauſa. 3. Debita proportio impoſitionis. 4. Ne tributum excedat neceſſitatem illud imponendi, nec diutius continuetur, quàm ſit neceſſe continuari. 5. Ut ſuper res debitas imponatur. Addi poteſt & aliud, ne tributum expendatur in alios uſus, quam in communem utilitatem. Requiſita ad juſtitiam Tributorum.

Quod attinet ad legitimam authoritatem, debet illa eſſe ſuprema in ſtatu politico, uti eſt in illis, qui ſuperiorem in temporalibus non agnoſcunt, ut ſunt Reges, Imperatores, Reſpublicæ liberæ, ut Venetiæ, Genuæ, &c. item Papa, Concilium generale, Dux Florentiæ, Parmæ, Mantuæ, &c. & ratio eſt, quod illi ſeſe obligaverint Reipublicæ, ad eam omni modo protegendam: & è contrà Reſpublica ſeſe obligavit ad ea contribuenda, quæ ſpectant ad illorum ſtatum conſervandum, & alia onera ſuſtinenda, contribuendo id, quod à Principe ad illa judicabitur eſſe neceſſarium. Aliud eſt de Dominis inferioribus, qui non accipiunt ſuam poteſtatem à Republicâ, ſed à ſuperiore, v.g. à Rege: adeo ut populus non debeat contribuere pro illorum ſuſtentatione, ſed potius Rex de eo debeat illis providere. Alii tamen jure extraordinario habent hanc poteſtatem; puta illi, qui à tempore immemoriali per præſcriptionem eam habuerunt cum titulo 40. annorum. Poſſunt autem & Civitates Principibus ſubjectæ pro neceſſitate imponere collectas, v.g. pro reparatione murorum, aut ſimili neceſſitate: ita tamen, ut non fiant contrà Civium voluntatem, neque illis nimium graventur: unde etiam ſæpè Princeps in illis vult agnoſci, ne detur vexandi periculum. Epiſcopi verò, cùm non habeant juriſdictionem temporalem in Clerum, non poſſunt illi imponere tributa, etſi in neceſſitate urgenti poſſint imponere collectas, uti fecit ipſe Apoſtolus. Qui poſſint imponere tributa.

Juſta inſuper cauſa imponendi tributa, eſt in primis debita Principis ſuſtentatio: cùm enim Princeps pro communitate laborat, dignum, & juſtum eſt, quod ab eâdem debitè ſuſtentetur; nemo enim militat ſuis ſtipendiis umquam. Alia hîc cauſa eſt communis neceſſitas, cùm ad contribuendum pro neceſſitate ſeſe ſubditi obligarint. Ex eo infert Joannes Driedo Doctor Lovan. *de libert. Chriſt. lib. 2. cap. 2.* quod, ſicuti Clerici raptores ſunt, niſi ſuperflua dent pauperibus, ſi perditè vivant, ſi Altario non ſerviant, & tamen lucrentur fructus, atque illa debeant reſtituere: *ita & Reges, & Principes*, inquit, *exigentes tributa, vectigalia, cæteraque temporalia tamquam miniſtri, & defenſores Reipublicæ, jure naturali, & divino obligantur Rempublicam tueri, & defendere: & ideo, ſi ſub prætextu tutelæ, ac ſupervenientis defenſionis Reipublicæ exigant, & extorqueant à populo alia onera, & tributa extraordinaria, non propter tuendam Rempublicam, ſed propter privata ſua, aut ſuorum commoda; ad ditandum eos, qui nihil, aut parum admodum de Republica ſunt meriti, tenentur reſtituere: tales namque extorſiones, ſunt oppreſſiones, injuriæ, & violentiæ. Neque enim Imperatori, neque Papæ ſubjiciuntur homines, perinde atque ſervi dominis ſuis carnalibus ſubjecti ſunt: alioqui lex Chri-* Quæ ſit juſta cauſa imponendi.

ſtiana eſſet ſecundùm temporalia bona majoris ſervitutis, quàm lex Moyſi, per quam Judæi nequaquam fiebant ſervi hominum. Et paucis intejectis ſubinfert idem Author dicens: *Ex his igitur manifeſtum eſt, neque Papam, neque ſæcularem poteſtatem poſſe pro ſuo lucro, aut commodo temporalia ſubditorum bona ſibi uſurpare, aut alienare, aut decimare, ſeu onerare, niſi eatenus ſolum, quatenus eſt in neceſſitatem, aut utilitatem Eccleſiæ, aut communis Reipublicæ, vel ex alia cauſa, propter quam populus quiſpiam, aut tenetur dare, aut meretur privari rebus ſuis temporalibus.* Hæc Driedo.

Jus Regium ergo extendit quidem ſe ad tributorum impoſitionem, ſed quando adeſt juſta imponendi cauſa; unde ait S. Auguſtinus lib. 4. de Civit. Dei Cap. 4. *Remotâ juſtitiâ, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?* Et Ezechiel Cap. 22. de illis, qui pro libidine ſuâ, & luxu tributa imponunt, ita ſcribit: *Principes ejus in medio ejus, quaſi lupi rapientes prædam.* De quibus quoque S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 8. ad 3. *tales Reges*, ait, *& Principes ad reſtitutionem tenentur, ſicut & latrones: & tantò gravius peccant, quàm latrones, quantò periculoſius, & communius contra publicam juſtitiam agunt, cujus cuſtodes ſunt poſiti.*

Qualis in imponendo proportio ſit ſervanda.

Requiritur 3. ad juſtitiam tributorum debita impoſitionis proportio. Ad hanc ſpectat, ut ſi trubutum imponatur ob communem cauſam, & neceſſitatem ad omnes omninò pertinentem; ditiores eo caſu plus contribuant, quàm egeni, aliàs enim eſſet ſumma inæqualitas; ac ſi viro, & puero æqualia onera imponantur. Quod ſi tributa imponantur non ob communem cauſam, debeant ii plus gravari, quos cauſa illa magis concernit. v. g. Imponitur ob graſſatores pedagium, ut ſecurior poſſit eſſe negotiatio; quo caſu magis gravandi ſunt mercatores, quàm cæteri. Hanc inæqualitatem varii violari docent, dum tributa imponuntur eſculentis, & poculentis, & rebus ad quotidianum victum neceſſariis; puta, pani, ſali, vino, cereviſiæ, &c. uti etiam rebus illis, quæ ad excolendum rus ſunt neceſſariæ; eò quòd illo caſu pauperiores (qui ſolent ſæpè familiâ eſſe numeroſiores) plus graventur ſimili tributorum impoſitione. Addunt alii *L. Univerſi C. de vectig.* ubi ſub pœnâ capitis vetatur, exigere tributum de rebus ad proprium uſum neceſſariis. Denique, quod æquè ibi graventur Peregrini, ac incolæ, cùm tamen cauſa tributi ad Peregrinos non pertineat. Malderus tamen *Tractatu 5. Cap. 6. Dub. 5.* docet cum Molina poſſe excuſari hanc praxim. 1. Quod alia via commodior haberi non poſſit, dum in æſtimando cujuſque patrimonio multum odii, & multum depravati judicii ſoleat intervenire. 2. Quod aliàs oporteret eſſe multi Officiales, & Cenſores, quorum ſtipendia multum augent tributa. 3. Quod contrà ſimilia tributa eſculentis impoſita, minora ſint murmura, quàm ſint contrà cenſum patrimonii, aut capitis. 4. Quod quando ſubſidium ſolvitur per minuta, inſenſibile quaſi ſit ſolventium detrimentum: & ideo, ait, publicæ commoditatis gratiâ meritò iſte modus toleratur.

An poſſunt tributa imponi rebus ad victum neceſſariis.

Dictis alii addunt, ejuſmodi tributa culpanda non eſſe, ſi ſint de conſenſu popu-

populi impoſita, ad levandas communes neceſſitates; aut etiam, ſi tempore immemoriali talia fuerint obſervata. Neque enim ſimiles gabellæ ſunt contrà jus naturæ, aut divinum, neque etiam ideo pauperes magis gravantur, quod alia ſententia opponit: dum illi paucioribus ſunt contenti, & modicè vivunt, & conſequenter pro iis pauca ſolvunt. Peregrini verò id quoque meritò contribuunt, cùm vix commodè hîc exprimi poſſint; & viciſſim incolæ hujus communitatis apud illos peregrini, ſimiliter ſoleant tractari. His omnibus addo, quod videatur contrariâ conſuetudine jus poſitivum contrarium ubivis eſſe abrogatum.

Hoc tamen omnes hîc exigunt, ut ejuſmodi vectigalia ſint moderata, & major vectigalium pars imponatur ſuper merces, & ſunda; aliàs enim apertè pauperiores magis gravarentur. Hâc de cauſâ rectè notat Zypæus *Notit. Belg. tit. de vectigalibus*, quod gravior onerum pars hodie impoſita ſit apud nos cereviſiis; quo fit, ut ditiores non ſolvant tot onera, ac mechanici, qui debent plures proles de ſuo ſtipendio diurno alere. Melius, ait, ex ſundis, & aliis onera haberentur, ac plus ſolverent, quorum plus intereſt Rempublicam eſſe ſalvam. Vanum autem eſt, & longè quæſitum, quod hîc aliqui reſpondere aſſolent, ſcilicet moraliter eſſe impoſſibile, quod æqualiter omnes graventur; dum non eſt moraliter impoſſibile, quod major onerum pars imponatur ditioribus. Et quidem rectè hîc Wiggers affirmat, quod ſi potentiores, quibus incumbit onera imponere, ſentirent ſe plus juſtò eſſe gravatos; facilè ſcirent adinvenire modos ſeſe expediendi: quare ergo non poſſunt adinvenire modos plus juſtò non onerandi pauperiores? Certè Molanus in Comp. Theol. *lib.* 2. *cap.* 36. ante omnia aſſerit non expedire, ut illi eximantur, à quibus tributorum conſenſus dependet. Nam ut doctè Salvianus, *de gubern. cap.* 5. *Eſtote primi in conferendo, qui eſtis primi in decernendo: eſtote primi in largitate rerum, qui eſtis primi in liberalitate verborum: qui das de meo, da & de tuo: quod pauci jubetis, ſolvamus omnes.* Vide ibi pauperum ſortem eum deplorantem, quod potentes tributa decernant ſolùm, & pauperes eadem ſolvant.

4. Ad juſtitiam tributi requiritur, ne tributum excedat neceſſitatis gravitatem, aut diutius continuetur, quàm duret neceſſitas, vel cauſa imponendi. Ratio eſt clara, quia ſolummodo ob cauſam juſtam poſſunt tributa imponi, ergo eâdem ceſſante, ceſſare oportet & tributa. Ubi rectè notat rurſum Driedo ibi ſuprà, quod onera olim ex neceſſitate impoſita, eâdem ceſſante, facta ſint quaſi patrimonialia Principis. Sed (addit ille) videat Princeps, ne illa, ut ſua patrimonialia pro libitu expendat, ſed ad communem utilitatem, ad quam ſunt conceſſa: *aliàs*, ait, *timeant ſuprà ſe judicium Dei, ne ſint in oculis Dei pauperum, & Reipublicæ oppreſſores, qui conſtituti ſunt tutores, ac defenſores.*

Sed, quid ſi Princeps ſuâ culpâ, ludis, conviviis, &c. ærarium exhauſiſſet, utrum urgente neceſſitate liceat ei nova tributa populo imponere? Reſp. Affirmat Leſſius cum aliis, ſi non poſſit aliâ viâ publicis neceſſitatibus ſubvenire. Addunt tamen, quod eo caſu teneatur Princeps alios ſumptus, qui ſuper-

flui ſunt, reprimere, & præterea, cùm primum res in ſtatum meliorem venerint, illud extraordinarium tributum non ſolùm ſupprimere, ſed etiam damnum ſuâ culpâ populo illatum, modo quo poterit, opportuniore, reparare, ſub obligatione juſtitiæ.

SECTIO IV.

An defraudantes vectigalia teneantur ad reſtitutionem.

QUæſtio eſt de vectigalibus juſtis, cùm injuſta à Rege percepta debeant reddi ex juſtitia. Aliqui cum Navarro *Manualis cap.* 17. *num.* 201. tenent, legem vectigalium eſſe purè pœnalem, adeoque eadem ante ſententiam, neque obligare, neque ſolvenda eſſe. Verius tamen habet communis aliorum opinio, quod vectigalia juſta in conſcientia ſint exſolvenda, & defraudantes peccent contrà juſtitiam, ac teneantur ad reſtitutionem eorumdem. Ratio eſt, quod qui tranſgreditur legem juſtam, qualis ſupponitur lex vectigalium, peccet. Deindè, quod juſtè exigitur, non poteſt ſine injuſtitiâ defraudari; ſed vectigalia juſtè exiguntur: ex violatione juſtitiæ autem, oritur reſtitutionis obligatio. Inſuper ratione virtualis contractûs obligantur ſubditi tributa elargiri, quando juſta cauſa id exigit: ergo eadem juſtè impoſita defraudando peccatur contrà obligationem juſtitiæ, & inducitur reſtituendi obligatio. Undè quærentibus Matthæi 22. an liceret cenſum dare Cæſari, dixit Salvator: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Et Apoſtolus Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Vectigalia juſta ſunt in conſcientia ſolvenda.

Neque inde ſequitur, ut prætendunt aliqui, quod ſaltem peregrini, & externi ſint liberi à ſolvendis gabellis alieno Principi, quia peregrini etiam ſubduntur legibus patriæ, dum illam tranſeunt, & Princeps pro eo tempore tranſeuntem habet in eos poteſtatem, quo ibidem demorantur, uti etiam gaudent communibus commodis patriæ, emendo, vendendo, negotiando, & quod à Principe protegantur. Addi poſſet, quod ſi ejuſmodi à vectigalibus eximerentur, ſæpiſſimè eadem defraudarentur, dum incolæ ſeſe mentirentur eſſe peregrinos.

Varii tamen Theologi excuſant defraudantes vectigalia eſculentis, & poculentis neceſſariis impoſita; tum, quod ità videatur uſu, & conſuetudine eſſe receptum: tum, quod videatur iiſdem tributis plus juſtò fraudari egenos, quâ ratione aliqui cenſent eadem eſſe iniqua, de quâ re Sectione præced. Et quamquam juxtà ante dicta ejuſmodi tributa juſta ſint, ſi ſint de cætero moderata; tamen varii, eo non obſtante, pauperes eadem defraudantes excuſant, ſaltem poſt factum, *ne nimium onus pœnitentibus imponamus*, ait Bonacina; *quamvis ante factum hæc ſententia non ſit conſulenda, cùm Principum Edicta, non ſint facilè reprehendenda.* Et Joannes Driedo lib. 2. cap. 5. de libert. Chriſt. ita ſcribit: *Cæterum, quia his noſtris ſæculis impoſitiones, & exactiones vectigalium, & pædagiorum, propter aliquam ex 4. ſupradictis cauſis contingit plerum-*

que

quæ eſſe illicitas : ideo non facile ingerendus eſt ſcrupulus hujuſcemodi vectigalia defraudantibus, præſertim pauperibus, dum coguntur æqualiter cum divitibus ſupportare Reipublicæ onera, ex rebus, quas pro neceſſitate ad uſum vitæ ſuæ, & prolium conſumunt : conſideratione etiam habitâ, quod utrumque jus humanum, tam Canonicum videlicet, quàm Civile reprobet ſtatuta, quatenus exiguntur vectigalia, aut alia onera perſolvi pro hujuſmodi rebus, quæ pro uſu propriæ indigentiæ advehuntur.

Et Lugo Diſp. 36. ſect. 4. num. 43. dicit ſibi ſemper placuiſſe conſilium P. Molinæ, ubi in primis dicit : *Monendum eſſe populum ad tributa ſolvenda, & ad bene, ac juſtè de illis judicandum, & præſumendum, & ante factum conſulendum eſſe, ne defraudentur : poſt factum verò, & poſt defraudatum tributum, ſi pœnitens certò, vel probabiliter ſibi perſuadeat, in tanta tributorum multitudine eſſe aliquid injuſtum, quod ipſe ſolvit, vel multitudinem ipſam eſſe nimiam, & exceſſivam, vel ſe attentâ qualitate ſuæ perſonæ, & negotiorum ex reliquis tributis, quæ non defraudavit, competenter contribuiſſe ad neceſſitates publicas, non eſſe cogendum à Confeſſario ad reſtitutionem: hâc tamen doctrinâ prudenter, & cum dexteritate magnâ utendum eſſe, ne Sacramentum Pœnitentiæ reddant minus grave, & ne viam ſalutis præcludant multis, qui eſto à Confeſſario obligentur, non reſtituent, & æternam damnationem incurrent. Cæterùm, curandum eſſe, ut ſemper populus ad obediendum Principibus inclinetur, ut & Reipublicæ pax, & obedientia, ac reverentia Principibus debita conſervetur.* Ita ille.

Et compendiosè P. Herinx in fine de Vectig. ait, quod, etſi certum ſit, in conſcientia omnes obligari ad tributa antiqua pro ſuſtentatione Principis : *Difficile tamen eſt obligare pœnitentes præſertim involuntarios ad reſtitutionem defraudatorum vectigalium ; qualia, & quo modo hodie jugiter imponuntur, præſertim his in locis : eò quòd varii graviſſimi DD. cenſeant ea ex mente Principis, aut Reipubl. de facto non obligare in conſcientia, ſed tantùm ad mulctam, quam & quidem graviſſimam, ſi deprehendantur, coguntur ſolvere. Quod etiam paſſim plebs apprehendere videtur, ipſique executores interdum indicant ſatis id ſibi eſſe. Huc etiam facit gravitas notabilis gabellarum modernarum, & quidem victualibus pro non modicâ parte impoſitarum, aliæque circumſtantiæ in imponendo & expendendo vectigalia ad juſtitiam requiſita, unde naſcitur fundatum dubium, aut probabile judicium de injuſtitiâ : quo caſu plures cenſent, non eſſe obligationem ſolvendi, aut certè non eſſe urgendam reſtitutionem. Interim ſuadenda ſunt ſemper populo (quantum fieri poteſt) quæ ad pacem ſunt boni publici, & ſecuritatem conſcientiarum. Aliundè conſiderent, quorum intereſt, num magis expedirent moderatiores exactiones, conſcientiarum obligationi relictæ, & fidelius ſolvendæ etiam urgentibus Confeſſariis, quàm graviores, quas populus ſatagit, frequentiſſimè defraudare.* Ita ille.

Sed quid ſi dubium ſit de juſtitiâ vectigalium ? Reſp. Aliqui generaliter docent, quamdiu non conſtat certò de juſtitiâ vectigalium, ea non eſſe ſolvenda. Quid ſi juſtitia tributi ſit dubia.

da in conſcientia. Unde Armilla V. *Gabella* num. 18. ***Quando gabellæ ſunt dubiæ, an ſint juſtæ, ſicut communiter hodie ſunt, Confeſſores non debent cogere confitentes ad reſtitutionem, quia exponerent ſe periculo ſurripiendi à pœnitente, quod ſuum eſt.*** Quare & Angelus V. *Pedagium* num. 6. monet Confeſſarios, ut Decreta, & leges inſpiciant vectigalium, ne in earum juſtitiâ, aut injuſtitiâ disjudicanda fallantur. Et ratio eſt, quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis libertatem.

Alii diſtinguunt inter dubium negativum, & dubium poſitivum: ſi ſit negativum, non habens pro aliquâ parte fundamenta, docent eo caſu eſſe ſolvendum; quia in tali dubio favendum eſt in favorem Principis, & poſſeſſio ſtat pro ſuperioritate; quibus ſtantibus debet ſubditus obedire, niſi de injuſtitiâ legis certò conſtet. Si verò ſit dubium poſitivum, & probabile, juxtà plurimos non tenetur illi ſolvere; tum, quod in dubio ſtet poſſeſſio pro libertate, & ſit melior conditio eam poſſidentis: tum, quod in poſitivis, poſſit quis ſeſe conformare ſententiæ verè probabili: quo caſu ulterius docent, quod quidem tributum poſſit juſtè exigi, & alter juſtè poſſit id negare, dum uterque poteſt ſe conformare opinioni probabili, & ſuo quiſque utitur jure. Hoc tamen alii, ut inſulſum explodunt. Alii ergo indiſcriminatim docent in hoc caſu, potius judicandum eſſe in favorem Principis, & Reipublicæ imponentis tributum, cùm generaliter tenendum ſit, quod in dubiis ſtet poſſeſſio pro ſuperioritate, & jure ſuperiorum, quibus præcipientibus tenentur ſubditi obedire, niſi de legis injuſtitiâ certò conſtet; aut certè, niſi tam gravis ſit præſumptio, ut pro certitudine haberi poſſit; ut ſi viri ſapientes, & rem communem intelligentes dicant tributum aliquod eſſe injuſtum. Enimverò, ſi ratione probabilitatis ſubditi non deberent obedire ſuperiori, vix ulla jam lex erit firma, dum ingruentibus quibuſvis probabilitatibus, facilis erit inventu in omni materia, ratio aliqua probabilis; maximè, dum quidvis vel minimâ ratione ſtabilitum, ſubinde recipiatur pro probabili.

Excuſat neceſſitas.

Verius eſt, quod quis in gravi neceſſitate conſtitutus non debeat ſolvere tributa: tum, quia *Cap. Licet, de cenſibus*, cœcus, & pauper à cenſibus eximuntur, *quia* (ut ait Pontifex) *quem cœcitas ſua gravat, inhumanum eſt nimis in collectione affligere, cui debebat ex collectis, ſi eſſet neceſſitas, miſereri*: tum, quia quiſque tenetur prius conſulere neceſſitati ſuæ, & ſuorum, quàm Regiæ: tum, quod reſpectu talis perſonæ tributum eſt immodicum, adeoque iniquum. Hinc infert Navarra, Pauperes vendentes ex propriis fructibus, vel ſupellectili nihil debere, cùm id faciant ad ſupplenda vitæ neceſſaria, ultrà quæ nihil, vel parum habent. Addunt alii, Miniſtros Regios hîc poſſe tributa remittere, imo & debere. Rectè tamen ex aliis addit Leſſius *dub.* 8. Quod, ſi alibi conſuetudo habeat, quod ejuſmodi modicum quid ſolvant, neque Princeps aliundè poſſit habere neceſſaria: illa conſuetudo ſit obſervanda: ſi tamen aliundè poſſet ſibi conſulere, conſuetudo illa cenſenda ſit corruptela.

Quæ-

Digitized by Google

Quæres 1. an vectigal ſit ſolvendum, antequam exigatur. Reſp. obſervandam eſſe legitimam loci conſuetudinem. Verum per ſe loquendo, debent tributa juſta ſolvi, etiam antequam exigantur; neque enim illa debentur eo ſolo, quod exigantur, ſed etiam ex eo, quod juſtè imponantur, & debeantur imponenti: juſtum verò debitum etiam ſolvendum eſt, etſi non exigatur; neque ideo ceſſat, quia non exigitur. Quando vectigal ſolvendum.

Quæres 2. an ſi quis rem aliquam à Mercatore emiſſet, quem emptor novit non ſolviſſe tributum de eâ re ſolvendum, debeat ipſe emptor illud ſolvere? Reſp. ſi tributum non ſit pars mercium, non erit ſolvendum; eò quòd tributum non ſit onus adhærens rei, quod ſimul cum re tranſit ad emptorem; ſed eſt onus venditoris: imo, etſi vectigal eſſet pars mercium, non tamen teneretur emptor in conſcientiâ; eò quòd onus ſolvendi tributum, pertineat ad eum, qui res vendit, modò emptor non ſit coöperans defraudationi venditoris. Deinde, venditor erat mercium Dominus, quarum dominium tranſtulit per traditionem in emptorem; ergo emptor non tenetur ad reſtitutionem partis illarum mercium, dum jam factus eſt illarum dominus. Hoc tamen ex Leſſio obſervandum eſt, quod Officiales poſſint facere executionem in illis mercibus, pro quibus non eſt ſolutum vectigal, eò quòd illæ merces contraxerint rationem hypothecæ, cum quo onere tranſeunt ad emptorem.

Quæres ultimò, an ſi Princeps alicui quidquam debeat, neque creditor poſſit ab eo accipere ſolutionem, poſſit vectigalia defraudando uti occultâ compenſatione. Reſp. ſi ipſe Princeps per ſe, vel per ſuos vectigalia colligat, poterit illâ uti, ſervatis tamen conditionibus ad compenſationem requiſitis, de quibus in ante dictis. Imo, etſi vectigal elocarit pro pretio ab aliis colligendum, volunt alii, etiam id eſſe licitum: quia conductores non habent majus jus, quàm habeat elocator, ſive principalis. Cum ergo liceat creditori uti compenſatione reſpectu Principis debitoris; etiam licebit id creditori reſpectu conductoris. Adde, quod ideo ſoleant vectigalium conductores ordinariè minoris conducere, quàm valerent vectigalia, ſi exactè ſolverentur, ſcientes ſimiles compenſationes, & alias defraudationes aliquando intervenire.

Generaliter tamen juxtà ante dicta eximuntur à ſolutione vectigalium pauperes immeritò, & injuſtè ab iiſdem alii eximuntur pro libitu Principis, quando ratione alicujus obſequii communitati præſtiti eam exemptionem non meruerint: aliàs enim foret acceptio perſonarum. Jure communi etiam Decurio, qui eſſet Pater 12. liberorum, excuſabitur à tributis, ut eò meliùs liberorum educationi operam dare poſſet: ſed hoc moribus noſtris denegat Groenwegen Cod. lib 10. tit. 31. L. 24. de exemptionibus Clericorum à gabellis, dicam in ſequentibus, agendo de immunitate Clericorum.

CA-

CAPUT III.

De Immunitate, ac Juriſdictione Eccleſiaſticâ.

SECTIO I.

Quid, quotuplex, & ex quo jure ſit immunitas Eccleſiaſtica.

VEriſſimè Cardinalis Bellarminus Controv. 7. ad Nepotem ſuum aſſerit, quod defenſio Eccleſiaſticæ immunitatis hoc tempore ſit lapis offenſionis, & petra ſcandali, & valdè difficile ſit, eam ſic defendere, ut indignationem aliorum non incurramus: vel ſic eam negligere, ut non incurramus in offenſionem Dei, ejuſque Vicarii. Provenit hoc juxtà alios ex nimia, vel libertatis, vel dominandi cupiditate, vel ex utroque ſimul; dum quilibet quærit, quæ ſua ſunt, conſervare, aut dilatare. Ut ut ſit, nos compendioſè immunitatem illam deſcribemus, magis particulares quæſtiones relinquentes Canoniſtis, quibus ſunt magis propriæ, ac ſingulares.

Quid ſit immunitas Eccleſiaſtica, & quotuplex.

Immunitas Eccleſiaſtica generaliter nihil eſt aliud, quàm jus quoddam, quo res, perſona, aut loca ſacra à communi aliquo onere ſunt exempta. Solet aliàs vocari *exemptio*, aut *libertas Eccleſiaſtica.* Patet ex datâ definitione immunitatem illam eſſe triplicem, ſcilicet realem, perſonalem, & localem, prout res ſacra, perſona ſacra, aut locus ſacer communi aliquo onere eſt immunis. De immunitate primò quærunt Theologi, æquè ac Canoniſtæ, ex quo jure proveniat, an ex jure poſitivo, an divino. Alii generaliter aſſerunt eſſe ex jure poſitivo: alii generaliter id aſſerunt de jure divino: alii diſtinguunt pro diverſitate bonorum Eccleſiaſticorum. Pro quo notari poteſt, quod aliæ res ſint propriè ſpirituales, aliæ politicæ, quæ Eccleſiaſticos concernunt. *Spirituales* ejuſmodi ſunt illæ, quæ ex natura ſua ſunt tales, aut ab Eccleſiaſticâ poteſtate ita dependent, & ad Eccleſiæ regimen ſpectant, prouti ſunt illa, quæ ad Ordines, Sacramenta, obſervationes Eccleſiaſticas, & beneficia, aut diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, & ad alia Eccleſiaſtica munia: aut etiam illa, quæ ex jure divino Eccleſiaſticæ poteſtati adjuncta ſunt, ut ordinare, adminiſtrare Sacramenta, excommunicare, viſitare, prædicare, &c.

Res politicæ dicuntur, quæ concernunt actiones humanas in rebus temporalibus, ut ſi à Principe ſtatuatur, ne noctu quis incedat cum armis, ne frumentum exſportet, tali pretio quid ematur, &c. Notandum 2. quod aliquid dupliciter dici poſſit eſſe de jure divino, ſemel propriè, prouti ſit, quando lex divina aliquid vetat, aut injungit. Semel impropriè, quando ſolummodo tali juri eſt conforme, aut ex eo deduci poteſt ex quadam æquitate. Hoc poſito.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondendum 1. quod Clerici in rebus propriè ſpiritualibus ſint exempti à poteſtate ſæculari ex jure divino. Probat illud Cardinalis Bellarm. cum aliis ex eo, quod poteſtas Eccleſiaſtica ſit diverſa à poteſtate ſæculari, & eâ ſuperior; adeoque non ſubjicitur ſæculari in iis, in quibus eſt ſuperior, & conſequenter in illis ab ea ſit exempta. Deinde, tota poteſtas Eccleſiam regendi à Chriſto data, & commiſſa eſt Apoſtolis, & maximè Petro, & ſucceſſoribus ejus; adeoque omnes laïci, quicumque ſint, ſunt ſubditi in rebus Eccleſiaſticis, non Judices, aut Superiores. Idem probant verba Conſtantini Imperatoris dicta Patribus Niceæ congregatis, & eidem libellos mutuæ accuſationis offerentibus, quam Hiſtoriam refert Ruffinus lib. 10. cap. 2. Eccl. Hiſt. *Deus*, ait, *vos conſtituit Sacerdotes, quibus & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi, & ideo nos à vobis rectè judicamur: vos autem judicari ab hominibus non poteſtis.* Quæ verba, utpote Imperatoris, etſi non habeant divinam authoritatem, ait Soto *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 2. eſt tamen veroſimillimum à Sylveſtro, & aliis SS. Patribus fuiſſe inſtincta. Denique, ut Bellarminus *de Clericis lib.* 1. *cap.* 28. Si Apoſtolus 1. *Cor.* 6. jubeat lites etiam civiles Chriſtianorum, non deferri ad judicium paganorum: quomodo permiſiſſet ad eos deferri lites Eccleſiaſticas? Idem aſſerit Juſtinianus *Novel.* 83. illud quoque aſſerunt Concilia, dum dicunt, Clericos non ſolo jure poſitivo, ſed & divino à poteſtate civili eximi; Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem eſſe ex Dei ordinatione, ut ait Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 20.

Reſponſio 2. Exemptio Eccleſiaſticorum in rebus politicis, & civilibus, non eſt ex jure divino. Ratio eſt, quod Clerici prætei quam quod Clerici ſunt, ſint etiam Cives, & partes Reipublicæ politicæ, adeoque ut tales tenentur ſeſe conformare legibus politicis, niſi à politicâ ſuperioritate ab illis eximerentur: aliàs enim eſſet magna in omni communitate politica perturbatio. Et patet ex eo, quod initio naſcentis Eccleſiæ, etiam Clerici ſubjecti fuerint Principibus ſæcularibus, ut probat Apoſtolus dicens Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Ubi Gloſſa: cùm dicitur *omnis anima*, nullus excipitur. Et S. Chryſoſtomus in illud dicit, quod Chriſti lex non tollat politicas leges, & ideo debeant eiſdem etiam obedire Monachi, & Sacerdotes. Et S. Thomas, quem ſequitur Major *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. in eumdem locum, dicit exemptionem Eccleſiaſticam à tributis habere æquitatem, non tamen eſſe ex neceſſitate, quaſi eſſet de jure divino. Hinc etiam olim SS. Patres Imperatoribus tributa ſolvebant, ut patet ex illis S. Ambroſii verbis relatis Cap. 26. *Si tributum* 11. q. 1. *Si tributum petit Imperator, non ei negamus: agri Eccleſiæ ſolvant tributum.* Adde, quod exemptio dicta ex jure divino naturali, aut divino non poſſit ſufficienter demonſtrari: nec enim character clericalis ex ſe, & de ſua natura eximit hîc Clericum, ſed ſolummodo hominem deputat ſacro Miniſterio, quod ſtare optimè poteſt cum ſubjectione poteſtati ſæculari, quamdiu non impeditur illud miniſterium, prouti diu conſtitit uſque ad Juſtinianum Imperatorem, qui primus omnium Clericis conceſſit privilegium fori

Digitized by Google

in civilibus tantùm Epiſcopo non impedito, & in criminalibus eoſdem reliquit poteſtati ſæculari ſubjectos. Idem etiamnum obtinet in Clerico non beneficiato in minoribus conſtituto, in materia feudi, in criminibus majoribus, quando Clerici ſubjecti remanent poteſtati ſæculari.

Deindè, nullum jus divinum poſitivum eam exemptionem ſatis confirmat; quidquid enim ex L. V. hîc adferri poteſt, de facto Joſephi, qui totam terram Egypti Regi ſubjiciens terram Sacerdotum excepit *Geneſis* 47. uti & factum Artacxarcis, Levitas, ac Sacerdotes à vectigalibus eximentis, &c. Reſponderi optimè poteſt, quod ejuſmodi in tantum obtineant, in quantum in jure naturali fundantur, & omnia ejuſmodi (exceptis moralibus) adventu Chriſti evanuerint. Quod autem adferri ſolet ex L. N. intelligi ſufficienter poteſt, quod ex eo habeatur ſolummodo, quod æquitas ſuadeat, & rationabile ſit, quod Clerici à poteſtate ſæculari ſint immunes: prouti etiam intelligi poſſunt Concilia, & alia Eccleſiæ Statuta, dicentia immunitatem *eſſe juris divini*, *eſſe ex Dei ordinatione*, *&c.* Addi poteſt ex Bellarmino ibi ſuprà, quod ideo SS. Patres ſubindè dicant, Eccleſiaſticos à tributis, & aliis eſſe immunes ex jure divino, ſignificando Principes ſæculares ob Dei gloriam, ſive reſpectu divino Eccleſiaſticos exemiſſe.

Quærunt hîc Authores, an exemptio illa primariò venerit ex jure Pontificio, an ex jure Civili Imperatorio: & varii volunt, quod Imperatores concedentes exemptionem Clericorum à poteſtate ſæculari non conceſſerint novum aliquod privilegium, ſed ſolummodo receſſerint à veteri errore legum, quodque ſimiles leges ſint ſolummodo declarativæ, confirmatoriæ, ac executoriæ exemptionis Clericorum jure Pontificio jam ante conceſſæ. Alii è contrà cenſent, Reges, ac Principes primò Clericos ità exemiſſe, exemptionem verè inſtituentes, non ſolùm inſtitutam declarantes. Alii utriſque eam exemptionem concedunt, inter quos ità Gudelinus lib. 6. cap. 5. Juris noviſſ. num. 8. *Ortus*, ait, *iſtius exemptionis*, *tum gratiæ*, *& pietati Principum*, *qui ſe ſuoſque Magiſtratus juriſdictione eatenus ultrò abdicaverunt*: *tum authoritati Summorum Pontificum*, *qui id juſſerunt*, *& Eccleſiæ utile*, *neceſſariumque id tandem cenſuerunt*, *tribuenda eſt........ certè*, *magna ratio fuit poſterioribus ſæculis*, *Monachos*, *& Clericos juriſdictione laïcorum eximendi*; *partim quia aliqui horum durius ſuo imperio contrà Eccleſiaſticas perſonas abutebantur*; *partim*, *quoniam indecorum*, *verecundumque erat*, *eos*, *qui divinis deputati erant officiis*, *promiſcuè cum aliis ad publica judicia pertrahi*: *atqui hanc exemptionem velut optimam*, *& juſtiſſimam conſuetudo*, *& conſenſus totius Chriſtiani Orbis jam firmavit.*

Ut ut ſit, certum eſt, immunitatem Eccleſiaſticam jure Pontificio eſſe roboratam, ratione cujus poteſtati ſæculari licitum non eſt, eam revocare, & Eccleſiaſticos communibus oneribus ſubjicere ſine eorumdem conſenſu. Ea propter rectè advertit Joannes Driedo Doctor Lovan. *de libertate Chriſti lib.* 1. *conſid.* 5. quod exemptio Clericorum à Principibus conceſſa, non ſit ita dicendum

dum eſſe aliquod privilegium, quàm donationem: dum privilegium revocari poteſt ab eo, qui id conceſſit; donatio verò non ſit ita ad nutum revocabilis.

Mirum tamen apparet, quod ſcribit Cardinalis Lugo ***tom.2. de jure, & juſt. diſp.*36*. Sect. VII. num.*100**. quod parum ad praxim ſpectet illa quæſtio, an exemptio ſit de jure divino, an poſitivo; cum ex eo varia in praxi veniant reſolvenda. Si enim ſit de jure divino; ſequitur, quod ſit immutabilis, & indiſpenſabilis, neque ulla conſuetudine contraria, aut præſcriptione poſſit convelli, aut labefactari. Si verò ſit juris poſitivi humani, poſſit contraria uſu aboleri, aut etiam juſtâ de causâ in eâ diſpenſari, quod & aliis legibus poſitivis humanis ſolet eſſe commune.

Porrò etſi exemptio illa latiſſimmè data ſit, ſive ab Eccleſiâ, ſive à ſæculari poteſtate; tamen potuit Eccleſia ex juſta cauſa remittere de privilegio exemptionis, & permittere ſæculari poteſtati, ut in Clericos aliquam juriſdictionem exerceant, tributa exigendo, de eorum criminibus cognoſcendo, &c. de quibus infra ſingulariter reſtat agendum. Sic & ipſi Paælati Eccleſiaſtici poſſunt aliquando aliqua permittere, quæ ſunt contra dictam immunitatem, ad avertendum majus malum, puta grave ſcandalum, Reipubl. perturbationem. His ergo ſuppoſitis, videndum reſtat de particularibus immunitatibus Eccleſiaſticis, unde ad alia ſingularia facilè erit deſcendendum.

SECTIO II.

De exemptione à Vectigalibus, & Tributis.

Exemptio hæc à vectigalibus ſuis quoque Sacerdotibus conceſſerunt Ethnici, ut notat Præpoſ. in Cap. ***ſi tributum num.*5**. & apertè id teſtatur Julius Cæſar ***lib.6. Comment.*** ubi ſcribit: ***Druydes*** (Sacerdotes) ***à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiæ vocationem, omniumquè rerum habent immunitatem.*** Idem fecit L. V. uti conſtat ex facto Joſephi, & Artacxarſis, de quo ſupra. Secuta eſt L. N. in variis Decretis Conciliorum, & adveniente Imperatorum privilegio, adeo ut nemo de eo poſſit dubitare. Alii eam exemptionem volunt eſſe juris divini; ſed rectius alii eam docent eſſe poſitivi humani, etſi in æquitate naturali fundetur, & exemplum habeat in jure divino, uti cum aliis docet Malderus ***tract.*5*. cap.*6*. dub.*7**. Rationes verò hujuſmodi æquitatis aſſignant 1. Quod ratione ſui ſtatûs Clerici ſint ſpecialiter Deo conſecrati, ejuſque miniſterio; & indignum ſit, quod Deo conſecrata tractentur ſicuti prophana. 2. Quod Laicorum ſint Patres, Paſtores, ac Judices in causâ Dei. 3. Quod Laicis præſtantiſſimas operas impendant, pro illis rogando, & intercedendo ad Deum, Sacramenta adminiſtrando, &c. 4. Quod Epiſcopi eos gravare aliquando poſſint; adeoque non videtur æquum, quod iterum graventur à poteſtate ſæculari. Hæc, & alia etiam ipſos Gentiles moverunt, ad Sacerdotes à tributis eximendos. Similiter hæc

exemptio habet fundamentum in jure divino, dum illius exemplum in S. Scriptura proponitur, & à ſummis Pontificibus, ac Conciliis, authoritate divinitùs datâ eſt approbata, & confirmata. Addunt alii, etiam aliquando vocari *jus divinum*, quod eſt juris Canonici, quod jus lato quodam ſignificandi modò, *jus divinum* nuncupari ſolet, ut patet ex *Cap. cùm de diverſis*, *de privileg. in 6.* Vide dicta Sectione præcedenti. Videndum nunc, quæ perſonæ hîc ſint exemptæ, à quibus oneribus, & quæ bona.

Qui Clerici à gabellis liberi. Quod ad primum attinet, jure communi hîc eximuntur omnes Eccleſiæ, earumque bona: Clerici, ac Religioſi omnes utriuſque ſexûs. Sub Eccl.ſiis comprehenduntur omnia loca pia, ut Hoſpitalia, Noſocomia, &c. Sub Clericis comprehenduntur etiam illi, qui minoribus Ordinibus ſunt initiati, niſi conſuetudine contraria ſolvant ut laïci, qualis conſuetudo legitimè introduci potuit, ob multitudinem Clericorum, dum plures aliquando acciperent tonſuram ad evadendas gabellas in præjudicium Reipublicæ. Et id videtur generali conſuetudine jam obtinere in pleriſque locis. Sub Religioſis comprehendit etiam Malderus *Tract.* 5. *Cap.* 6. *dub.* 8. Novitios, idque duplici de causâ. 1. Quod ſint verè de familiâ exemptâ: 2. Quod receptiſſimus uſus habeat, ut tributum merè perſonale Novitius non ſolvat, quia ejus perſona habetur verè Eccleſiaſtica: adeoque ut talis, etiam in patrimonialibus bonis eſt agnoſcendus.

Beginæ autem, etſi habeantur perſonæ Eccleſiaſticæ, juxtà Zypæum *lib.* 1. *cap.* 11. *de juriſd.* exemptæ non ſunt à lineâ, & foro laïcorum. Idem addit de Fratribus tertii Ordinis vota non emittentibus: de Eremitis, niſi alicui Eccleſiæ ſint adſcripti: de Oblatis, ſive Donatis, &c.

Quod ad Colonos attinet, variant DD. Varii cum Tamburino *de jure Abbatum tom.* 1. *diſp.* 15. *q.* 21. *num.* 6. cenſent, etiam eoſdem eſſe exemptos; eò quòd privilegium exemptionis ſit reale, & tranſeat cum re ipsâ, quæ eſt ſub dominio Religionis, aut Eccleſiæ; & Colonos ſub hâc exemptione comprehendi ſcribit Diana *de immunitate Eccl. tract.* 2. *reſolut.* 37. à Pio V. fuiſſe expreſſum. Et Zypæus *Juris Pontif. lib.* 3. *in fine* ſcribit Concilium Brabantiæ à precariis, & ſimilibus oneribus decimarum conductores à S. Bernardo ad ſchaldim exemiſſe, ne per horum latus Clerici transfigerentur: idemque pro locorum uſum dicendum eſſe ait, de conductoribus aliorum bonorum Eccleſiaſticorum ob eamdem rationem; etſi modò ratio neceſſitatis aliter ſtatuat, de quo poſtea.

Varii etiam Clerici hâc immunitate carent, ut ſunt conjugati, quia, ait Malderus, illi conquirendis divitiis, ut theſauriſent filiis ſuis, incumbere ſolent, quod fieret cum præjudicio Principum, niſi tributum penderent. Eadem eſt ratio de Clerico negotiatore; ut *Cap. fin. de vitâ, & honeſt. Cleric.* & alibi. Ad hoc requirunt, ut verè dici poſſit *negotiator*; qualis non eſt, qui ſemel, aut bis negotiatur; ſed qui profeſſionem facit negotiandi. Aliis etiam caſibus Clericos gabellas obligari, mox eſt dicendum.

Exi-

Eximuntur verò Clerici ab omnibus omninò oneribus à Republicâ impoſitis. Pro quo notandum eſt, alia hìc onera eſſe perſonalia, alia realia, alia mixta. Perſonalia ſunt, quæ perſonis ſubditis ſine comparatione ad rem aliquam imponuntur, inter quæ alia ſordida ſunt, alia honeſta, ut ſunt obſequia ſtabulorum, piſtrinæ, &c. Aut ut tutela, curatela, &c. Sub his etiam referunt capitationes civium, ſive tributum cuique civis capiti impoſitum. Merè realia ſunt, quæ ipſis rebus ſecundùm ſe inhærent, ſine ordine ad perſonam rem illam poſſidentem. Mixta ſunt, quæ perſonis imponuntur cum habitudine ad ejus bona. Ab his omnibus oneribus eximuntur jure communi Clerici, in bonis ſuis, etſi jure particulari contrarium aliquando eveniat, prout mox dicetur. *A quibus oneribus ſint Clerici exempti.*

Res verò Eccleſiaſticæ dicuntur hìc eſſe exempræ ab oneribus, cùm æquum ſit, ut res Deo dicatæ profanis uſibus non deputentur. Tales res cenſentur, quæ titulo ſpirituali, ſunt acquiſita, ut reditus beneficiorum, Miſſarum ſtipendia, &c. De patrimonialibus hìc diſſentiunt DD. Lugo ibi ſupra *num.* 108. ex Diana, ea quoque eximit, dum Canones omnia Eccleſiaſticorum bona eximunt, neque diſtinguunt inter patrimonialia, & alia; ſicuti bona Marchionis, Baronis, &c. exempta à Gabellis, non tantùm cenſentur bona talis Marchionatûs, aut Baroniæ; ſed omnia generaliter cenſentur eſſe exempta. Colligi poteſt id ex illo, quod quando illud intelligitur de exemptione bonorum aliquorum determinatorum quoad exemptionem, illud ſoleat expreſsè addi, uti ſolet in exemptionibus bonorum obvenientium ratione Commendæ. Ita Lugo, qui & addit, quod exemptio illa contrariâ conſuetudine reſtringi poſſit, quoad certa, & determinata Eccleſiaſticorum bona, prout habet conſuetudo Regni Neapolitani, ubi Clerici ſolvunt gabellas de bonis donatione acquiſitis.

Si tamen Clericorum bona habeant annexum onus reale, etiam illi oneri ſubjiciuntur, dum res tranſit cum ſuo onere. Unde Clericus ſuccedens in rem feudalem, debet præſtare id, quod in recognitionem dari antea debebat à Vaſallo, Domino feudi; eò quòd onus illud non ſit perſonale, ſed reale. Idem clarè patet habere locum eo caſu, quo in fundatione exprimitur obligatio aliquod onus à beneficiario ſolvendi.

Hactenus de jure communi diſſeruimus. Quod ad jus noſtrum ſpeciatim attinet, certum eſt in primis generaliter, Eccleſiaſticos hìc à Gabellis ſæpiſſimè fuiſſe exemptos à variis Belgii Principibus, ut ſcribit Codex Belg. V. *Gheeſtelyckheydt*, *num.* 20. Varia tamen hìc excipienda cenſent Edicta: 1. Quod & Eccleſiaſtici ſolvere debeant capitationes, ſive pecuniam capiti impoſitam, ut dicitur ibid. *num.* 21. 2. Quod teneantur ſolvere tributa de patrimonialibus, & acquiſitis per donationem. 3. Idem dicendum eſt de bonis à Religioſis acquiſitis, exceptis bonis primæ fundationis, & amortiſatis. Ibid. *num.* 22. 4. Tenentur etiam oneribus feudalibus, uti *Edict. perpet. art.* 37. 5. Tenentur Eccleſiaſtici ad precarias, ut vocant, vulgò *Beden*, quando formâ *Quid hìc juris Belgici.*

ma legitimâ exiguntur. De eâ re Zypæus *Conſultationum Canon. lib.*3. *de immunitate Eccleſ.* ſcribit, quod anno 1541. in Brabantia facta fuerit omnium focorum, jugerumque numeratio; quâ habitâ, cuique Prælato, Oppido, ac Pago ſua taxa ex Ordinum conſenſu fuit impoſita, quam flagitanti Principi Ordinis pro occurrente neceſſitate ſolent conſentire. In hoc caſu ſubjiciuntur quoque Precariis bona patrimonialia Eccleſiaſticorum, & recens Eccleſiis acquiſita, ſolaque amortiſata eximuntur. Addit etiam, onera in Belgio tunc frequentata maximè indicta fuiſſe ob neceſſitatem Bellicum Acatholicis, quæ cauſa cùm Clero populoque ſit communis, ei ſuſtinendæ communicare utroſque humeros, & in illis rebus neceſſariis ad victum contribuere æquè Clerum, ad populum ex Ordinum aſſenſu, uti & in illis, quæ rebus immobilibus ſolent indici, prouti ſuo tempore à focis, & caminis ait fuiſſe exactum, nemine privilegiato prorſus exempto, idque ex Ordinum aſſenſu, qui Rempublicam quidem repræſentant, etſi (ut ait) non omnem Clerum. Et quamquam hodie dicta cauſa belli contra Acatholicos ceſſet; eadem tamen Cleri contributio non deſinit, vel eo ſolo titulo, quod communes contributiones ad communia pacis, ac belli onera ſufferenda non ſufficiant, contractâ modo Hiſpanicâ ditione, & nuperis bellis exhauſtâ, ac penè emunctâ. Hinc etiam omnes Eccleſiaſtici in victualium gabellis fere contribuunt modò, ut populus, etiam contra *Cap. Non minus*, & *Cap. Adverſus* ꝗ *de immunitate Eccleſiæ*, neque ſemper Clero ex integro conſentiente, quod aliorum conſcientiæ, & ſententiæ à nobis eſt relinquendum.

Et quidem communis ſatis ſententia tenet, quod ſi cauſa tributi æquè tangat Eccleſiaſticos ac Sæculares; etiam contribuendum eſſe à Clericis; ut tempore belli, diluvii, aut ſimilis gravioris; maximè, ſi populi contributio moderata ſit inſufficiens. Quod addo, quia ut ex variis refert Lugo ſupra *ſect.*8. *num.*123. ſi communiter in ea cauſa, quæ etiam concernit Clericos, deberent illi contribuere, ferè ad nihilum reduceretur Clericorum exemptio, cùm communiter gabellæ ad ſimiles neceſſitates imponuntur, ex quibus redundat publica utilitas, & conſequenter in Clericos, qui ſunt partes communitatis, qualia recenſent eſſe contributiones pro reparandis muris, pontibus, fontibus, &c. quæ directè tendunt ad communem utilitatem. Si tamen etiam ejuſmodi directè tenderent ad bonum Eccleſiæ, v.g. ſi agger eſſet reparandus, aut aliàs Monaſterium ſimul, ac agri illius devaſtarentur, aut quid ſimile: quo caſu cauſa oneris æquè pertinet ad Clericos, aut Eccleſiam, ac ad communitatem ſæcularem. Et ſimilibus caſibus in Belgio contribuere Clerum, æquè ac populum, eſt in confeſſo.

Quid in Gallia. De Galliis, Deſpeiſſeus *tom.*4. *des tailles & autres impoſitions tit.*2. *art.*14. *ſect.*1 *num.*19. *& ſeq.* docet bona Eccleſiaſticorum, tam Regularium, quàm Sæcularium contribuere impoſitionibus Regiis non ſolùm, ſed & impoſitionibus municipalibus, & extraordinariis, qualiter aſſerit à Parlamento Pariſienſi eſſe judicatum. Addit tamen eoſdem non contribuere tributis municipalibus

Digitized by Google

cipalibus impoſitis loco, ubi eorum Eccleſia ſita eſt, aut Monaſterium; eò quòd illa non concernant niſi utilitatem habitatorum, ſeu incolarum loci illius, non etiam utilitatem foraneorum: uti eſſe aſſerit, quod contribuitur pro ſalario & veſtitu Conſulum, pro ſtipendio Magiſtrorum ſcholæ, ac Prædicatorum, pro horologio, pro reparatione fontium, &c. ſi tamen etiam concernant foraneorum utilitatem, contribuunt ad impoſitiones tales municipales, etiam juxtà dictum Authorem Eccleſiaſtici ſæculares; cùm enim conſiderentur, vel ut foranei, vel ut incolæ, & uterque contribuat; æquum eſt, ut & illi ad contribuendum obligentur. Religioſi tamen, eò quòd illi mundo mortui cenſeantur, hìc eximuntur. Vide plura de eadem re loco citato.

Cùm autem in contributione Eccleſiaſticorum requiratur eorumdem conſenſus; quæri poteſt, cujus in hac parte conſenſus ſit requiſitus. Alii volunt requirendum eſſe judicium Epiſcopi, & Capituli: alii ſolummodò Capituli Cathedralis: alii exigunt inſuper conſenſum aliquorum foraneorum: Lugo ibi ſuprà *num.* 127. docet, quod, etſi olim hìc ſuffecerit conſenſus Cleri, & Epiſcopi; modò tamen requiratur conſenſus Papæ, qui ob aliquorum imprudentiam id ſibi reſervavit, ut patet ex *Cap. Adverſus, de immunit. Eccl.* hoc interim intelligi debet de caſu, quo commodè conſenſus Papæ exquiri poteſt; aut etiam, niſi contrariâ conſuetudine aliter ſit introductum: poſſet enim ejuſmodi caſus repentinus obvenire, quo talis conſenſus non poſſet requiri ad contribuendum; deinde ex ea ratione in partibus Româ longiùs diſſitis aliud uſus obtinuit, uti hìc in Belgio, ubi ſufficit legitimus Ordinum conſenſus ex vetuſtiſſima conſuetudine, quod & alibi quoque viget. Undè credendum eſt, in hac parte attendendam eſſe cujuſque Regni conſuetudinem legitimam.

Quæri hìc poſſet de variis tributariis legibus, etiam Eccleſiaſticis impoſitis, de quibus latè agit Zypæus *de Juriſdictione Eccleſ. lib.* 2. de quarum omnium & ſingularum juſtitiâ, aut injuſtitia diſſerere illis, qui earum conditiones meliùs, quàm nos norunt, id delegamus, ut de ſimili caſu, ait Navarrus *in Manuali cap.* 17. *num.* 202.

De cæterò Principes, & alios tributa imponentes contra immunitatem Eccleſiaſticam quotannis excommunicat Pontifex in Bulla Cœnæ; & Navarrus ideo loco cit. miratur, quod cùm tot has cenſuras incurrant, tam pauci tamen Confeſſarii locorum, ubi hæc aguntur, eas pro dignitate æſtiment, & eas incurrentibus abſolutionem denegent; additque ſuo tempore multos Gubernatores, & Exactores Italiæ à ſummo Pœnitentiario, & S. D. N. abſolutionem à cenſuris petiiſſe, reſtitutione promiſsâ, paratâ, vel factâ; quod utinam, ait, aliorùm Regnorum populi imitarentur. Denique verendum inquit, ne Deus omnipotens indies magis, ac magis iratus Conſultores Principum, & Rempublicam de prædictis Canonibus parum curantes, & Principes, ac Reſpublicas nimium illis credentes, & exactores ſoli avaritiæ inhiantes,

tes, graviſſimè tandem caſtiget; quale exemplum ponit Binsfeldius in Cap. 7. *de Injuriis*, in Anglia, Gallia, Belgio, &c. in quibus locis ab infringenda Eccleſiaſtica libertate aſſerit omnes turbas, & calamitates ſumpſiſſe exordium: nam ut addit, *negare non poſſumus, ſi attentè conſideremus, violationem Jurium Eccleſiaſticorum, & impugnationem, ſeu læſionem poteſtatis, & libertatis Eccleſiaſticæ, maximam eſſe diſpoſitionem ad hæreſim, & præcipuè Calviniſmum.*

SECTIO III.

De Immunitate Eccleſiaſticorum à foro ſæculari.

PRæcipua Clericorum immunitas eſt exemptio à juriſdictione ſæculari, quâ coram Judice ſæculari nequeunt conveniri, de qua latiſſimè agunt Canoniſtæ variis locis, & ſignanter in titulo, *De foro competenti*; quamque præ cæteris Conſtantinus profeſſus eſt dicens Patribus Niceæ congregatis, *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: vos verò non poteſtis ab hominibus judicari.* Facultatem illam Deus dedit Eccleſiæ ſuæ, quâ valeat judicare de illis, quæ pertinent ad Dei cultum, diſciplinam Cleri, fidei integritatem, beneficiorum proviſionem, ſacrorum Rituum obſervantiam, & generaliter in omnibus illis, quæ ad internam, & externam animarum curam poſſunt ſpectare. In his habet Eccleſia poteſtatem directivam, & coërcitivam; externam, & internam, ſine qua recta Eccleſiæ gubernatio nequit obtineri, aut exerceri. Nec enim minoris authoritatis debet eſſe Eccleſiaſtica juriſdictio, quàm ſæcularis, prout latiùs dictum eſt agendo de Judiciis Eccleſiaſticis Sect. 19.

Quid Privilegium fori.

His poſitis, generaliter tenendum eſt, quod Clerici omnes ſint exempti à juriſdictione ſæculari, in omnibus cauſis, tam ſacris, quàm profanis: tam criminalibus, quàm civilibus; quam exemptionem vocant, *Privilegium fori*: adeo ut poteſtas ſæcularis, etiam per ſolam citationem trahens Clericum in tribunal ſæculare, violet immunitatem Eccleſiaſticam. Excipiuntur tamen in jure Canonico aliquot caſus: 1. In cauſa feudali, *Cap. Cæterum, de judiciis.* 2. Dum Clericus tamquam incorrigibilis traditur ſæculari. *Cap. Cùm non ab homine eod. tit.* 3. In cauſa reconventionis in cauſis civilibus 3. *q.* 8. *cap.* 1. 4. Quando ex authoritate Pontificis delegatur caſus Judici laïco. *Cap. Illud.* 10. *q.* 3. 5. Quando Clericus perdidit Privilegium fori. 6. Si Clericus inveniatur in flagranti delicto, v. g. in furto, poteſt eumdem poteſtas ſæcularis pro interim compeſcere tradendum poſtea foro competenti. 7. In caſu ſodomiæ, ut ſtatuit Leo X. in Bulla, *Supremæ*. 8. Si procuraverit abortum, Sixtus V. in Bulla, *Effrænatam*. 9. In caſu aſſaſinatûs *Cap.* 1. *De homicidio.* Quiſquis Judex ſæcularis Eccleſiaſticam perſonam in jus trahat exceptis dictis caſibus, excommunicatur in Bulla Cœnæ, uti & omnes huic operi coöperantes, tametſi etiam foret crimen graviſſimum, ac degradatione dignum: quo caſu ab

ab Eccleſiaſtico Judice tradi poſſet ſæculari, ſi fuerint incorrigibiles, juxtà *Cap. Cùm ab homine, de Judiciis.* Corrigibiles autem, ſtatuitur puniendos eſſe ab Eccleſiaſticâ poteſtate, etſi graviſſimum crimen commiſiſſent, prouti Sodomita olim ſtatuebatur detrudendus in Monaſterium *Cap. de Clericis, de exceſſ. Prælat.* Occiſor Cardinalis ſtatuitur ita vivere, ut vita mors ſit, &c. Cenſentur autem eſſe incorrigibiles, ſi ter ſub cenſuris moniti, non reſipiſcant; quo caſu declaratâ incorrigibilitate tradi poſſunt Judici ſæculari. Solet autem ante hanc traditionem præcedere degradatio, præcipuè in illis, qui ſacro Ordine ſunt inſigniti, quâ efficitur quaſi ſæcularis in ordine ad punitionem. Et quamquam Clericus ſimul cum Laico crimen aliquod commiſiſſet, non ideò poſſet à ſæculari Judice judicari; eò quòd exemptio ſit generalis, nec reſtricta ad caſum, quo Clericus ſe ſolo crimen committit. Prudenter tamen monet *Cap. Qualiter, de Judiciis*, ut Prælati laicis de Clericis conquerentibus jus dicant, ne fortè ex defectu juſtitiæ Clerici reperiantur ad forum ſæculare. Deficiente tamen Eccleſiaſtico Judice, non poteſt ſæcularis ſupplere negligentiam Eccleſiaſtici, quo eſt inferior ſæcularis; ſed recurrendum erit ad alium Eccleſiaſticum ſuperiorem.

In Civilibus quoque eximuntur Clerici à ſæculari foro, prouti utroque jure eſt notiſſimum. Hinc etiam eorum res non poſſunt exigi in foro ſæculari, cùm res ſoleant ſequi conditionem perſonæ, quæ ſi exempta ſit, eximetur & res ipſa. Et licet varii Juriſtæ cenſeant, quod Clerici in cauſis realibus conveniri poſſint coram Judice ſæculari, dum quiſque ſortitur forum in loco ubi res eſt ſita, vel contractus eſt celebratus *Cap. ult. de foro comp.* Hoc tamen intelligendum eſt, niſi fortè perſona ſit exempta, quomodo ſunt Clerici à foro ſæculari; quando & illud magis locum obtinet, quod Actor ſequi debeat forum Rei. Aliud eſt in causâ feudali; de feudalibus enim cognoſcit ipſe feudi Dominus; adeo ut res feudales habeant hîc obligationem propriam in ordine ad poteſtatem ſæcularem, & Laicus cenſeatur hoc caſu magis judicare de re ſuâ, quàm de Clerico. Idem dicendum eſt eo caſu, quo bona Eccleſiæ donata ſunt, cum reſervatione juriſdictionis laicæ, ſive ut de illis bonis ſemper laici poterunt judicare, cùm quilibet poſſit rem ſuam alteri donare ſub certâ modificatione.

Sed ubi ergo conveniri debet Eccleſiaſticus? Reſp. quiſque coram legitimo ſuperiore, ut Regularis coram Prælato ſuo Regulari: Clericus ſæcularis coram proprio Epiſcopo. Poteſt autem Clericus de conſenſu Epiſcopi conſentire in alium Judicem Eccleſiaſticum, quod in eo eſt ſingulare, cùm in laico non requiratur conſenſus ſui Judicis ſæcularis in prorogatione juriſdictionis alterius, ſed ſufficiat laicum conſentire. Cenſetur verè hîc eſſe Judex proprius aliquando ratione domicilii, aliquando ratione originis, delicti, contractûs, beneficii, & rei litigioſæ. Domicilii ratio attenditur, dum quis alibi commoratur cum animo ibidem permanendi, aut pro ſemper, aut pro majori anni parte. Quomodo autem Clericus ratione eorum conveniri poteſt, exponunt Capitula *de foro competenti.*

Ubi Clerici ſint conveniendi.

Digitized by Google

Exemptio jam dicta adeò propria eſt omni Eccleſiaſtico, ut non poſſit, etſi velit, dicto exemptionis privilegio renuntiare, etſi id juramento firmaverit. Et ratio eſt, quod ſit datum in favorem totius Cleri, cui privatorum voluntas derogare non poſſit; neque juramentum ſervandum ſit, dum vergit in diſpendium ſalutis, aut alterius detrimentum. Neque ulterius poterit dicta exemptio ullâ conſuetudine abrogari juxtà illos, qui docent eam exemptionem eſſe de jure divino. Enimverò, id verum eſt, de cauſis merè Eccleſiaſticis, juxtà ante dicta, uti ſunt illæ, quæ ſpectant ad fidem, Sacramenta, & generaliter ad cultum divinum, & animæ ſalutem, quod Malderus *Tract.* 6. *cap.* 1. *dub.* 8. vocat eſſe opinionem de fide, aut ſanè fidei proximam. Quoad alia verius eſt, dictam exemptionem eſſe de jure poſitivo humano, adeoque legitimâ conſuetudine poſſe exemptiones illas abrogari, uti mox patebit.

Quid hic ſtatuat Conc. Tridentinum. Et hæc de jure communi antiquo. Jure verò Tridentini *ſeſ.* 23. *cap.* 6. *Reform.* decernitur, ut is demum Clericus conjugatus gaudeat privilegio fori, qui habitum, & tonſuram deferens alicujus Eccleſiæ miniſterio ex deputatione Epiſcopi inſervit. Non conjugatus autem in minoribus tum demum, quando vel beneficium Eccleſiaſticum obtinet, aut habitum Clericalem, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ Epiſcopi mandato inſervit, aut de licentia ejus verſatur in ſtudiis, quibus ad majores Ordines diſponatur.

Quid jus Belgii. Quod autem ad jus Belgii hîc attinet, notandum eſt primò ex Zypæo *Juris Pontif. lib.* 2. *de foro competenti*, magnam in hoc fuiſſe authoritatem Tribunalium Eccleſiaſticorum, ad quæ Principes noſtri aliquando graviſſima Regni negotia detulerunt. Variæ autem hâc in parte ſunt exemptiones, & Privilegia Eccleſiaſticorum à Principibus noſtris conceſſa, quæ videri poſſunt in Concordatis inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem, ac Cameracenſem, qui majori Belgii parti ante erectionem novorum Epiſcopatuum præërant, & quibus etiamnum hodiè hîc utimur inter alia §. *Abbates*, *&* *Abbatiſſæ*, &c. Statuitur, ut Abbates, & aliæ dignitates, quæ ſunt de Statibus, activè, & paſſivè conveniri tantùm poſſint coram Duce Brabantiæ, ſive ejus Concilio ſupremo: quæ tamen juriſdictio non eſt excluſiva Juriſdictionis Eccleſiaſticæ; ſive non impedit, quo minus trahi poſſunt ad Judicia Eccleſiaſtica, quibus illi reſpectivè ſubſunt. Deindè ſpecialiter ſtatuitur, quod Eccleſiaſtici Judices in Brabantia ex privilegio cognoſcant de tribus materiis ſæcularibus, etſi quæſtio intercidat inter ſæculares; ſcilicet de validitate, & invaliditate teſtamentorum, contractuum antenuptialium, & de bonis amortiſatis; ita tamen, ut Judex Eccleſiaſticus de his judicando contravenire non poſſit aliis Patriæ, aut locorum Statutis, & Ordinationibus: aut etiam particularibus aliorum Concordatis.

Inſuper in Concordatis §. *Clerici*, Clerici ſimplicis tonſuræ, etſi cœlibes, vel conjugati cum unica, & habitum, & tonſuram deferentes, declarentur non gaviſuri Privilegio Clericali, ſi enormibus ſe immiſceant; puta Hæreticos, mandatis Principum contravenientes, raptores virginum, homi-

homicidas ex propoſito aut ex inſidiis, incendiarios, graſſatores, latrones, depopulatores agrorum, & ſimiles. De cæterò, cauſæ merè Eccleſiaſticæ in Brabantiâ recenſentur à Zypæo ibid. *num.* 48. 1. Hæreſis, ſalvâ Principi confiſcatione eorumdem, & punitione: 2. Schiſma ſapiens hæreſim. 3. Magiam, ſi fiat per abnegationem fidei, invocationem Dœmonis, irreverentiam rei ſacræ: 4. Crimen inſordicentiæ, non communicantis, aut confitentis ſemel in anno. 5. Invaſio, aut rapina bonorum notoriè ad Eccleſiam pertinentium, aut fraus circà eadem admiſſa. 6. Effractio, vel pollutio Eccleſiæ ſine vi. 7. Delicta Officiariorum Eccleſiaſticæ Curiæ, circà Officium ſuum delinquentium. 8. Participatio cum excommunicatis. 9. Matrimonium clandeſtinum, aut contrà legem Eccleſiæ contractum in gradibus prohibitis. 10. Sacrilegium ratione rei, aut loci quoad pœnam Canonicam. 11. Uſuræ notoriæ quoad cenſuras, non ſe immiſcendo cauſis Lombardorum à Principe permiſſorum. Cauſæ Eccleſiaſticæ in Belgio.

Cauſæ verò ſæcularis fori ab eodem recenſenter, Schiſma non ſapiens hæreſim, magia, ſortilegium, divinatio, maleficium, & conſulentium divinatores, blaſphemiæ, irreverentiæ in imagines Dei, & Sanctorum, vis, raptus, Sacrilegium quoad pœnam legalem, perjurium, niſi diſputetur de vi, vel obligatione juramenti. Denique, cauſæ mixti fori recenſentur Simonia, violatio juriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ, injectio manuum in perſonas Eccleſiaſticas, effractio, aut pollutio Eccleſiæ, violatio Feſtorum, falſitas litterarum Apoſtolicarum aut Ordinarii, ſalvâ Principi confiſcatione, diſſidium conjugum ſine authoritate Eccleſiæ divertentium, ſcilicet dum agitur de puniendo facto, non de causâ divortii, quod ſpectat ad Eccleſiaſticum; concubinatus, lænocinium, incontinentia cum Moniali, affini, conſanguineâ, ſeclusâ vi, & raptu, & adulterium notorium. Hiſce adde, conventicula, & Collegia illicita, incendiarios, pyratas, poſſeſſoria beneficiorum, de quibus etiam latiùs agit idem Author *lib.* 1. *de Juriſd.* Cauſæ ſæculares in Belgio, & mixtæ.

In Galliis quoque latè extenditur poteſtas ſæcularis verſus Eccleſiaſticos. Quamquam enim Chriſtianiſſimi Reges Clerum ſuum variis privilegiis, & exemptionibus decorârint: varia tamen ſibi cognoſcenda de cauſis Eccleſiaſticis ſibi reſervârunt, quam reſervationem extenſam ait in Gallia Zypæus *de foro competenti num.* 52. *Juris Pontif.* obnitentibus plerumque Regibus per contentionem cum Pontificibus Romanis. Hinc in Galliis Judex ſæcularis Regius punit Clericos portantes arma prohibita, Apoſtatas deprehenſos in habitu ſæculari per 4. menſes diſcurriſſe, uti Leo X. reſcripſit Regi Galliarum: item cognoſcunt Officiales Regni, non ſolùm de poſſeſſorio beneficiorum, ſed & de petitorio in illis beneficiis, quæ vacant in Regalia, uti ſtatuit Ludovicus XIV. 1667. tit. 14. art. 19. Eodem jure utitur Judex ſæcularis ibidem in caſibus privilegiatis, ut aiunt, de quibus ita ſcribit Guilielmus Benedicti, Conſiliarius in Senatu Burdig. *in repetit. ad Cap. Raynutius*, V. *& uxorem nomine Adela*, *num.* 432. *in hoc Regno Judices Regii in tribus caſibus* Quid in Galliis.

 contrà

contrà Clericos procedunt, & de exceſſibus eorum cognoſcunt, ac etiam corrigunt. Primùm, ubi crimen à Clerico commiſſum qualitatem habet attentati in odium litis pendentis civiliter coram Judice ſeculari, ubi cognitio civilis ad eum pertinet, ut in poſſeſſoriis omnibus. Pariter ſi contra Clericos in teſtes productos dentur objectus de crimine, poterit Judex cognoſcere, & ſi probentur, eos à teſtimonio repellere. Similiter eos punire, ſi falſum teſtimonium depoſuerint, aut alias ejus authoritatem, vel aures offenderint; pœnâ quidem pecuniariâ, non corporali. Secundò, de omni crimine privilegiato, ut ſunt leſæ Majeſtatis, falſæ monetæ, infractio ſalvæ gardiæ Regiæ, vel aſſecuramenti briſati, vel ſi Clerici manum Regiam appoſitam violaverint. Inter quæ crimina eſt portus armorum, quod intelligendum eſt de portu in turmâ, ſi in forma belli arma moveantur, & ex delicto ex eo ſecuto: aliter ſi eſſet privatus inſultus. Tertiò, ubi Clericus officium ſæculare gerens delinquitur officio, puniri poteſt per captionem temporalitatis, ac venditionem bonorum mobilium, & ſuſpendi aut privari officio. Inſuper, etſi in Galliis Clerici gaudeant privilegio fori in cauſis merè perſonalibus, juxtà id, quod habet Conſtitutio Philippi Pulchri anno 1303. *perſonæ Clericorum non compellantur in foro ſæculari ſuper actionibus merè perſonalibus litigare*: ex diuturno tamen uſu non gaudent eo privilegio in cauſis realibus, quales ſunt cauſæ civiles merè pecuniariæ, ac profanæ. Plura hanc rem concernentia habent authores Galli, ut Anfrecius, Joannes Faber, Guilielmus Benidicti, Charondas, Deſpeiſſ. &c. qui paſſim dictam authoritatem Judicum ſæcularium referre ſolent in conſuetudinem immemorialem, ac legitimam poſſeſſionem; adeoque quæ in jura Regia jam pertranſierit, de quo alii diſceptent. De cætero, Clerici, qui hîc cenſentur privilegiati, cenſentur eſſe illi, qui ſacro Ordine ſaltem Subdiconatûs ſunt inſigniti, itidem Clerici omnes tonſurati, qui habitum & tonſuram geſtant Clericalem, & Scholaſtici ſunt, aut beneficiati, aut Eccleſiæ alicujus obſequio mancipati.

Quid in Germania. Pro Germaniâ ſcribit quoque Andreas Gail, *lib.* 1. *obſerv.* 30. quod Eccleſiaſtici Principes Germaniæ immediatè ſubjecti ſint Imperio ratione Regalium, privilegiorum, & beneficiorum, ſeu bonorum feudalium, quæ ab Imperatore, & Imperio habent, & recognoſcunt; & proindè ab eorum ſententiis in civilibus cauſis, non ad Pontificem, ſed ad Imperatorem, vel Cameram Imperialem appellatur. Idem ait ibid. *num.* 20. de Clericorum poſſeſſoriis, in quibus Clerici ſortiuntur ibidem forum ſæculare, uti & etiam in cauſis feudalibus. De cætero, videtur ubique communi conſuetudine hodie obtentum, ut Judex ſæcularis de poſſeſſorio beneficii, aut alterius rei ſpiritualis, de cujus jure non niſi apud Judicem Eccleſiaſticum in petitorio agi poſſet, judicare queat, eò quòd cauſa poſſeſſoris in cauſa ſpirituali, etiam temporalis eſſe cenſeatur, & ad Principis laici curam pertinere. Et ita in Galliis obſervari tradunt communiter Galliæ Authores, & ex illis Barboſa *de jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 160. & ſeq. ubi idem aſſerit de Luſitaniâ, Hiſpaniâ, Galleciâ, Germaniâ, Mediolano, Pedemontio, Venetiis allatis omnium locorum authoritatibus id confirmantibus, etſi ipſe *num.* 173 contrarium ſuſtineat,

&

& doceat cauſam illam eſſe ſpiritualem, de quâ proindè ſolus Judex Eccleſiaſticus poſſit cognoſcere, niſi fortè id laicis à ſuperioritate Eccleſiaſtica eſſet conceſſum, uti de Gallia aliqui volunt, dictam facultatem Judicibus ſæcularibus Gallis conceſſam eſſe à Martino V.

Prætereà dolet dictus Author, & ingemiſcit, tam facili negotio res Eccleſiaſticas paſſim deduci ad forum ſæculare, ubi olim S. Martinus Turonenſis Epiſcopus maximo Imperatori in faciem dixit: novum eſſe, & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſæculi judicaret. Neque, ait, hîc obtendi poteſt conſuetudo immemorialis, quæ in hâc parte præſcriptionem non facit, cùm eam jura paſſim condemnent ut corruptelam, utpote immunitati Eccleſiæ, & SS. Patrum inſtitutis contrariam: quibus adde, quod præſumendum non ſit, quod Pontifices conſenſum ſuum hîc præſtiterint, dum, ait, quotidie reclament, conquerantur, prohibeant, pœnas conſtituant, & cenſuris afficiant Laicos, ut ipſe Romæ aſſerit ſe vidiſſe. Videſis dictum Authorem graviſſimè inſurgentem in adulatores Curiarum ſæcularium cum depreſſione Immunitatis Eccleſiaſticæ, exempla malè hîc pereuntium proponentem, & monentem, ne nimium deferant Scriptoribus parùm ſanis, & ſinceris Immunitatem Eccleſiaſticam deprimentibus.

Rectè interim varia Regnorum Statuta præſcribunt, & obſervant, ut in Curiis ſæcularibus adſint Conſiliarii Eccleſiaſtici, qui de cauſis Eccleſiaſticis ſincerè ibidem cognoſcant, & Eccleſiaſticum jus accuratius tanquam ſuum tueantur, prout in qualibet Sede Præſidiali fit in Galliis, teſte Choppin *Monaſt. lib. 2. tit. ult. num.* 10. Hinc & in aliis multis Regnis Cancellarii conſtituebantur olim Eccleſiaſtici, ut de pluribus docet Zypæus *Juris Pontif. de Foro compet. num.* 54.

Ad hanc verò immunitatem debitè tuendam, neceſſe eſt, ut in omni Eccleſiaſtico Tribunali, & Congregatione jus ſuum cuique pateat: dum defectu juſtitiæ, quam in proprio foro, Ordine, vel Congregatione aliqui obtinere nequeunt, ab omni remedio deſtituti, fugere ſubindè cogantur ad fora incompetentia, non ſine Eccleſiaſticæ immunitatis detrimento: & ex altera parte cuilibet concedenda ſit facultas ſeſe defendendi, quod jus cuilibet natura concedit, ne ſubindè opprimantur innocentes.

SECTIO IV.

De Immunitate Eccleſiarum, & locorum piorum.

Immunitas hæc importat generaliter, ne Eccleſiæ, aut loca ſacra Juriſdictioni ſæculari ullatenus ſubjiciantur; putà ne forenſibus actibus violentur, vi effringantur, aut occupentur, hoſpitio militari aggraventur, tributis ſubjiciantur, aut perſonæ aliquæ ad loca ſacra confugientes inde per poteſtatem ſæcularem extrahantur, quæ ultima vocatur *jus Aſyli*, de quo quædam hîc ſunt diſcutienda. Et in primis vetuſtiſſima eſt Aſyli conſtitutio, tam apud Gentiles, quàm Judæos, & Chriſtianos *Exodi cap.* 21. conſtituitur lo- (Quid ſit Immunitas Eccleſiarum.)

Digitized by Google

Quid Aſylum. locus refugii illis, qui per inſidias non occiderant proximum. 3. *Reg.* 2. Fugit Joab ad Tabernaculum Domini, & apprehendit cornu Altaris. *Deuteron.* 10. *num.* 35. *Joſuè* 20. Conſtituuntur maleficis civitates refugii. Gentiles etiam ſua Aſyla conſtituiſſe tradit S. Auguſtinus *lib.* 1. *cap.* 34. *de Civitate Dei*, aſſerens id de Romulo, & Remo, quorum plura exempla refert Covarruvias *lib.* 2. *variar. reſolut. cap.* 20. & alii Canoniſtæ de eadem re pertractantes. Idem privilegium datur in L.N. multiplicibus Pontificum, Conciliorum, ac Imperatorum Conſtitutionibus confirmatum. Quamquam autem in L.V. ut mox oſtenſum eſt, dicta immunitas aſyli habeat fundamentnm, & exemplum; tamen non ideò dicta immunitas dicenda eſt de jure divino; cùm L.V. per Chriſtum jam evanuerit, neque Chriſtus in N.L. ullas leges cæremoniales inſtituit, niſi circà ritus Sacrificii, & Sacramentorum, reliqua relinquens diſpoſitioni Eccleſiæ. Undè rectiùs docent cum Covarruvia, dictum immunitatis privilegium ſolummodo provenire ex jure poſitivo humano, juxtà illud *Cap. Id conſtituimus* 17. *q.* 4. *Id conſtituimus obſervandum, quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi Reos abſtrahere omninò non liceat.* Habet tamen dictum Privilegium exemplum in ſacra Scriptura notiſſimum, & cuidam æquitati innititur, quod ob reverentiam loci ſacri talis immunitas mereatur concedi. Si enim ſimili quàdam immunitate gaudeant domus Regum, Principum, & eorum Officialium, ratione eminentiæ temporalis: majori jure id concedendum fuit domui Dei, quæ eſt Eccleſia.

Quid hic ſit Eccleſia. Porrò, nomine Eccleſiæ hîc intelliguntur omnia loca ſacra, divinis Officiis ab Epiſcopo deputata, ut ſunt Sacella, & Oratoria, ad publicum cultum divinum deputata, Hoſpitale, Monaſteria, Palatium Epiſcopale, Sacriſtia, Porticus, ſeu atrium Templi, & loca quæcumque exiſtentia in circuitu 40. paſſuum in Eccleſiis majoribus, & 30. in minoribus. Idem docent de turri Eccleſiæ, tecto ejuſdem, aut ſuperiore parte fabricæ, etſi in illis locis Eccleſia non cenſeatur violari, eò quòd violatio Eccleſiæ ſit odioſa; hæc immunitas ſit favorabilis; adeoque à jure, ac conſuetudine poteſt meritò extendi. Imò Covarruvias *Cap.* 20. *num.* 18. cenſet eum etiam gaudere hâc immunitate, qui ad Eccleſiam confugiens, eam invenit clauſam, & vectes, ac portas Eccleſiæ manu tenet. De privatis Oratoriis id negat Sanchez *lib.* 9. *matrim. Diſp.* 15. *num.* 39. De dicto 40. aut 30. paſſuum circuitu, notat Navarrus *Cap.* 25. *num.* 18. pro iiſdem paſſibus hodie cenſeri Cœmeteria ab Epiſcopo deputata. Et Covarruvias *num.* 5. docet conſuetudine quoque dicto privilegio non gaudere Domum Epiſcopalem.

Alii inſuper dictam immunitatem extendunt ad caſum, quo quis confugit ad Sacerdotem portantem S. Euchariſtiam, quod licet in jure expreſſum non ſit, ratio tamen immunitatis id ſuadet, dum Corpus Chriſti eſt longè dignius, quàm Eccleſia materialis; imò Eccleſia propter illud dictâ immunitate gaudeat. Hinc S. Antoninus 3. *p. tit.* 12. *cap.* 3. §. 1. docet, quod quam-

vis

Digitized by Google

vis hoc jure cautum non ſit, tamen quilibet Catholicus debeat hoc fovere, ut talis ſit tutus. Covarruvias de eo merito dubitat, & alii cum Gloſſa contradicunt; maximè, cùm dicta immunitas ſit de jure poſitivo humano, & quod privilegium ad non expreſſa per conſequentiam trahi non debeat, ut ait Gloſſa *in Cap. Quæſitum.* Ad hoc tamen reſpondet Binsfeldius *in Cap.* 7. *de Injuriis concluſ.* 6. ex Hoſtienſi, quod etſi textus id clarè non exprimat, ſatis tamen data ratio id oſtendat: undè & Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *num.* 4. docet id in praxi eſſe obſervandum, dum rationabile eſt, ut qui ad Eccleſiam confugit, ut ab eâ liberetur, ab Eccleſiâ defendatur. Addit ille ex aliis, quod ſi Reus Cardinali obvius, ab eo accipiat pileum ſuum, à morte liberetur, ſi id alibi habeat conſuetudo; quod in hoc Cardinales comparentur Regibus. Cumque Privilegia ampliari oportet, docent Authores id locum habere in Eccleſiis necdum conſecratis, interdictis, violatis, imò & deſtructis. Vide latè Barboſam *de jure Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 2.

Cùm verò ſit generalis hîc regula, quod nullus criminoſus ad Eccleſiam confugiens ſit inde extrahendus, niſi in caſibus à jure, aut conſuetudine legitimâ exceptis: videndum hîc eſt, quæ perſonæ hâc immunitate gaudeant, & quæ crimina hîc cenſeantur eſſe excepta. Et in primis hâc immunitate gaudent omnes fideles laïci, etiam excommunicati, & interdicti, eò quòd cenſuræ illæ non habeant alios effectus, quam ſint in jure excepti, qualis non eſt privatio aſyli. 2. Etiam eâdem gaudent Egyptii, apud alios dicti *Cingari*. qui per Europam vagantur, furtis, & fraudulentiis viventes, & ideo meritò à Principibus Chriſtianis è ſuis ditionibus extirpandi. Ita Franciſc. Leo *Theſauri fori Eccleſ. p.* 1. *cap.* 14. *num.* 34. cujus ratio eſt, quod ſint paſſim per Baptiſmum Eccleſiæ incorporati, ac ſoleant parere juriſdictioni Eccleſiaſticæ, ut teſtatur ille ſibi contigiſſe. 3. Non gaudent eâ Judæi, cùm non debeat ab Eccleſiâ defendi, qui ejus fidei, & gremio ſeſe ſociare abnuit, imo eamdem perfidè oppugnat, Covarruvis *num.* 11. 4. Eadem eſt ratio de Hæreticis, Apoſtatis, Paganis, & aliis Infidelibus. 5. Non gaudent quoque dictæ immunitatis privilegio varii in jure excepti, quod Gregorius XIV. compendioſè exhibet in ſuâ Bullâ, *Cùm aliàs nonnulli, &c.* ubi revocatis in hâc materiâ cæteris privilegiis, excipit publicos latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, & publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quivè homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumvè Cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderunt, aut aſſaſinos, vel hæreſis, aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſius-met Principis reos; quos omnes ab hâc immunitate Pontifex excludit. Et ratio prædictorum eſt, quod publici latrones graviſſimè noceant, uti & depopulatores agrorum, per quos deperditur id, quo homines ſunt ſuſtentandi in Reipublicæ perniciem. Homicidæ quoque, & mutilatores in loco ſacro hîc excluduntur, quia non debent hujuſmodi perſonæ in venerabili loco munimen habere, quem ipſi per proprium ſcelus deſpexerunt. Neque hîc juvat, quod quis tale crimen

Qui gaudeant privilegio Aſyli.

in

in unâ Eccleſiâ committens, fugiat inde ad aliam, quaſi ex mutatione loci, mutaretur hîc dicta ratio; dum tamen ſit una & eadem per totum terrarum orbem Eccleſia; adeo ut, qui offendit unam, omnes offendiſſe cenſeatur. De proditorio quoque homicida id rectè decernitur ad normam legis datæ Exodi 21. ubi dicitur: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab Altari evellet eum, ut moriatur*: quod & Salomon juſſit in Joab, qui Abner, & Amaſam occiderat per inſidias, & fugerat ad Altare.

Variant tamen Authores, an idem dicendum ſit de homicida voluntario, & ſine paſſione occidente, ſed ex mera malitia: ubi relatis utrimque opinionibus cenſet negandum eſſe Binsfeld loco ibi ſupra. Occiſor tamen per venenum, cenſendus eſt homicida proditorius. Sub nocturno agrorum depopulatore ſolent comprehendere incendiarios.

An autem Clerici quoque hîc gaudeant eâdem immunitate, non ita convenit inter Doctores; Zypæus loco citato negat; eò quòd judicia Clericorum ſint ad correctionem, cui impediendæ non datur aſylum, ſed ſolummodo parcendo ſanguini; ad quod ſi Clericus foret reus, gauderet eadem immunitate. Alii volunt cum Navarro *Manualis cap.* 25. *num.* 22. quod Clerici gaudeant immunitate quoad Judicem ſæcularem, ſecus quoad Eccleſiaſticum. Alii denique volunt; etiam Clericos hoc privilegio gaudere, æquè ac laicos. dum Jura Canonica, & Civilia immunitatem hanc concedentia indiſtinctè hîc loquantur, proindeque tam Eccleſiaſticos comprehendant, quàm laicos, quam opinionem plurimorum Authorum teſtimonio latiſſimè probat Barboſa *Juris Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 3. adductis rationibus octo pro eâdem opinione confirmandâ, quem lector conſulat. Ultra hos caſus à Gregorio XIV. exceptos, adjungunt alios Edicta Belgii, de quibus agit Anſelmo *Tribon cap.* 10. §. 43. ac in primis excipiuntur hîc decoctores bonorum, eorumque fautores, incendiarii, vagabundi, prædones, ſacrilegi, ſeditioſi, &c. juxtà Edictum 1. Julii 1616. Art. 21. Edicto 1. Junii 1609. Art. 1. &c.

Quid in Belgio.

In dubio autem, an quis hâc immunitate gaudeat, cognoſcit Judex Eccleſiaſticus, prout diſertè ſtatuit Bulla Gregorii XIV. ante dicta, quam exactè in hoc obſervandam eſſe, tradit Chriſtyn *Vol.* 1. *Deciſ. Belg.* 55. & 57. Et ad evitandas multas difficultates, quæ ſæpè contingunt circà immunitatem præſtandam conſugientibus ad Eccleſiam, ſervari eam mandat Synodus Antv. habita *anno* 1610. *tit.* 22. *cap.* 13. Quâ ratione dictam Bullam in calce adjunctam exhibet idem Concilium. Et quamquam alibi eâ de re diſceptet Judex ſæcularis, & Eccleſiaſticus: tamen juxtà Anſelmo ibi ſupra *num.* 36. & Zypæus ibid. *num.* 7. & 8. res eſt expedita in Civitate noſtra Antverpienſi, ubi dicta cognitio ad Epiſcopum noſcitur pertinere ex Concordato inito inter Jacobum de Croy Epiſc. Camerac. & Magiſtratum Antverp. anno 1514. ubi diſponitur, ut, ſi quis fugeret ad locum ſacrum, veniat ad fugitivum Decanus Chriſtianitatis, qui informatione factâ nomine Epiſcopi, permittet Reum duci ad carcerem civitatis, qui Epiſcopo in eam rem commodetur, ſic ut

Digitized by Google

ut nihil intereà illi fieri poſſit, nec ullum jus, aut proceſſus contra eum formetur, donec per Officialem aut alium deputatum declaretur, an gaudeat immunitate loci, ſumptibus tamen Civitatis: & ſi eâ gaudeat, debeat reſtitui loco ſacro, unde deductus eſt, & liber ibidem relinqui: ſi verò illâ non gaudeat, reſtituendus quidem itidem erit, ſed juſtitiæ permittendus ſæculari, ut abducatur, rogando nihilominus pro gratiâ. Quod inconcuſſo uſu eâ in Urbe obſervari docet Anſelmo ibid. *num.* 36. qui in Curia Eccleſiaſticâ ibidem ultrà 40. annos geſſerat officium Advocati Fiſcalis. Addit idem obſervari in Galliis, teſte Rebuffo *tom.* 1. *Comment. ad Conſtitut. Reg. Præm. num.* 40. Bugnion tamen de *Leg. abrog. lib.* 1. *cap.* 16. docet ex ordinatione Franciſci I. *Rubr. de Immunitat. Eccl. art.* 166. abrogatam eſſe legem aſyli datam *Cod. de his*, *qui ad Eccleſ.* eò quòd periniquum ſit aſylo excipi eos, quorum ſcelera ſuos authores in exilium abegerunt. Unde & in Galliis delinquentes, ac debitores in Eccleſiis capi poſſe, tradit ex aliis D. Chriſtyn in dictum locum, quod & aſſerit obtinere in Italiâ. Acatholici etiam paſſim dictam immunitatem rejiciunt, quibus ferè nulla locis ſacris eſt reverentia, aut ſanctitas, ut ait Groenwegen ad dictam Cod. legem: unde illis placet illa practicæ Ferrarienſis opinio *tit.* 52. *gloſ.* 1. *num.* 47. ſatis temeraria, dicens ſimilem immunitatem Eccleſiæ eſſe contra jus divinum, quo cautum erat, domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpeluncam Latronum: unde ſi Chriſtus indè ejecerit ementes, & vendentes; quantò magis non vult receptari ibidem, aiunt, Latrones, homicidas, & ſimiles? Et hæc fortè ratio, quod conſuetudines Antverp. *tit.* 16. *art.* 9. ſtatuant, ne aliis inſuper delictis prodeſſe poſſit Eccleſiarum immunitas, dum, ut rectè notat Anſelmo ibid. *num.* 38. Conſuetudines illæ impreſſæ ſunt, & editæ ab Acatholicis ejecto Epiſcopo, ac omni Clero: & Urbe jam à ſæculo reductâ ſub obedientiâ Regis Catholici, Decreto Magiſtratûs vetitum eſt, eaſdem Conſuetudines allegari; præterquam, quod uſu inveterato ſunt abrogatæ.

Varii autem ſunt effectus dictæ immunitatis: Primò, quod liber ſit ibidem relinquendus. 2. Quod nulla illi ſententia poſſit interea imponi. 3. Quod prohiberi non poſſit, quominus ei de foris victus procuretur, aut amictus; etſi ſæcularis Judex providere poſſit, ne Reus effugiat. 4. Quod bonis, quæ ſecum detulit ad Eccleſiam, ſpoliari non poſſit, niſi circà eadem bona deliquiſſet, ut ſi eſſent furtiva, &c. 5. Si Judex ſæcularis vi Reum abſtrahere attentet, poteſt Eccleſiaſticus Judex vim vi repellere, & Eccleſiaſticam immunitatem tueri, claudendo foras Eccleſiæ, aut ſimilibus externis mediis ad violentiæ reſiſtendum opportunis. Et licet modus reſiſtendi hîc ſatis ordinarius ſit excommunicatio, quæ contrà impedientes immunitatem Eccleſiæ adhibenda eſt; ea tamen in Belgio non eſt hîc adhibenda, ut notat Zypæus *Jur. Pontif. de foro comp. num.* 26. ſed potius reſiſtendum eſt litteris requiſitoriis, poſt quas ſæculares Judices, ſi requiſitoriis non intendant obedire, Effectus dictæ immunitatis.

tenentur tamen ab omni ulteriori proceſſu ad menſem ſuperſedere, ut intereà Eccleſiaſtici ſibi de remedio juſtitiæ poſſint providere. Et quamquam Concilium Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. Magiſtratibus ſeverè prohibeat, ne executionem Eccleſiaſticæ poteſtatis impediant, aut factam revocent: id tamen in Belgio non ita exactè obſervari, docet ipſa praxis, ut mox patebit.

Ad dictam piorum locorum immunitatem notari debet, eam ſolummodo ſuffragari fugitivis necdum captis, aut condemnatis: unde deducunt communiter Doctores cum Binsfeldio *in Cap.* 7. *de injuriis q.* 2. *concluſ.* 5. Quod ſi Reus jam captus, aut ante, vel poſt ſententiam fortè ducatur ad carcerem, aut locum ſupplicii, aut ob aliquam aliam cauſam ad alium locum per locum ſacrum, v.g. Cœmeterium, Eccleſiæ circuitum, &c. dum jam eſt in eo loco ſacro, non poſſit ſe tueri dictâ immunitate, ſed poſſit etiam invitus abduci. Rationem addunt, quod ille captivus per locum ſacrum ità ductus, non fugiat liber ad locum ſacrum pro immunitate, ſed jam captus per eum ducitur: unde, nec violentè abſtrahitur à dicto loco, cùm non fuerit in ſua libertate, ſed detentus à Juſtitiæ Miniſtris, & ita tranſitus ille per locum ſacrum non cenſetur ibidem eſſe in conſideratione. Idem cenſent conformiter de illo, qui tali caſu curreret ad Sacerdotem ſibi obviantem cum Euchariſtiâ; quo caſu aiunt, Chriſtus jam captum, aut damnatum non vult liberare, ne videatur damnare juſtitiam, qui diligit judicium, & juſtitiam. Idem tenet Anſelmo *Tribon. ibi ſuprà.* Navarrus tamen in *Manuali Cap.* 25. *num.* 19. cenſet contrariam opinionem hîc eſſe communem; maximè, ſi è manibus Juſtitiæ elapſus in Eccleſiam fugiat. Et eo caſu vidimus non multis ab hinc annis quemdam in Belgio à patibulo eſſe liberatum. Eo enim caſu ceſſant rationes ab aliis anteà adductæ, dum ille cenſeatur eo caſu eſſe in ſua libertate. Idem dicendum eſt de illo, qui è carcere fugit ad Eccleſiam, prout conſentiunt plerique; & frequenter judicatum referunt Authores apud Binsfeldium dicto loco.

Loca ſacra ab hoſpitando milite ſunt exempta.

Ratione prædictæ Eccleſiaſticæ immunitatis eximuntur inſuper loca ſacra à militibus hoſpitandis, prout in *Cap. Prætereà, de jure patronatûs* præcipitur, ne quis ab Eccleſiis juriſpatronatus exigat, *Fodrum*, *Albergaria*, *Regium*: quod alii cum Zypæo in *Conſultat. Canonic. lib.* 3. *de immunitate Eccl.* derivant à vocibus Germanicis, *Foeder*, quod pabulum equorum; & à voce *Herberghen*, quæ ſignificat hoſpitium, ſive tabernam: & voce *Regium*, quæ ſignificat tributum Regi debitum. Hinc etiam varii Pontifices idem privilegium Monaſteriis variis conceſſerunt, & in his locis ſpecialia Ducum mandata ſunt, ne quis invitis Præfectis in Monaſteriis hoſpitetur, uti habet Edictum Caroli V. 15. Julii 1556. & ſpecialiter habent eâ de re varia Ducum Decreta Abbatiæ pleræque hîc in Belgio. Quia tamen Princeps ſolet eſſe tutor bonorum Abbatialium; ſolet ille pro beneplacito in Abbatiis hoſpitari. Nec refert, quod Apoſtolus in Prælatis exigat hoſpitalitatem: quia hoc procedit ex natura eorumdem officii, non verò ex vi legis laïcæ id imponentis. Aliud eſſet in caſu neceſſitatis, quando in Politicis tenentur ſeſe Eccleſiaſti-

ci

ci conformare. Idem obtinere in Galliis docet Faber *Cod. lib. 9. defin. 26.* Et Choppin, *Sacra Politia lib. 3. tit. 2. num. 3.* Referentes ibidem Eccleſiaſticos eſſe liberos ab hoſpitando milite; dempto, ait, illo caſu, quo obſidione cincta mœnia proponerentur: aut ſummum aliud patriæ periculum impenderet. Et Deſpeiſſ. *tit. 2. des tailles, &c. Articulo 7. num. 24.* notat, Eccleſiaſticorum domus ab hoſpitando milite eſſe exemptas, quæ actualiter ab illis inhabitantur; non itidem illas, quæ aliis elocantur, etſi ad eos illæ pertineant.

. Inſuper ad hanc immunitatem Eccleſiæ pertinet, ne Officiales laïci prætextu collectionis gabellarum ex focis, vino, &c. intrare audeant ſacra loca, Monaſteriorum caveas, & Monialium clauſuram violare, qualem abuſum cum amaritudine cordis vidiſſe ſe teſtatur Marchantius Minorita in ſuo Tribunali *tract. 2. tit. 3. q. 2.* Hiſce adde alias ſacrilegas Templorum, & aliorum ſacrorum locorum effractiones, prophanationes, & violationes, quibus ira Dei provocari ſolet, ut in Antiocho, Balthaſare, Nabuchodonoſore, & aliis S. Paginæ atteſtantur. Et quia pluribus in locis ſæcularis poteſtas eſt ſatis ampla, hinc Synodus Provincialis Cameracenſis tit. 22. ſollicitè ſupplicavit Regiæ Majeſtati, *ut utriuſque fori, & Eccleſiaſtici, & civilis indemnitati; & Judicum omnium quieti, & ſecuritati conſulens, quod ſuum eſt, cuique tribuere, & ne ſeinvicem turbent, aut impediant, ſuâ authoritate Regiâ impedire dignetur. In primis verò, quod indigniſſimum eſt, ne in ipſas perſonas Eccleſiaſticas aliquid juris, aut de eorumdem exceſſibus cognitionis Judices laïci uſurpent, aut prætendant: aut eoſdem coram ſe pro actionibus perſonalibus etiam civilibus pertrahant, ſive ſint ſæculares Clerici, ſive Capitula, aut Monaſteria dictis Judicibus Eccleſiaſticis ſubjecta: ne Epiſcopos, eorumvè Officiales ullo pacto impediant, ne Clericos ſibi ſubjectos criminoſos liberè capere, ſeu apprehendere, & incarcerare, & prout ſacri Canones dictaverint, pro modo culpæ eos punire poſſint.* Et Cap. ſeq. *Quod ſi ipſi Epiſcopi, aut alii Judices Eccleſiaſtici petant auxilium Judicum Laïcorum ad dictam apprehenſionem in locis juriſdictiones eorumdem faciendam, ne exigant viſionem reformationis præparatoriæ, aut ipſi de cauſa apprehenſionis cognoſcant, ne cùm ipſi Judices Eccleſiaſtici aliquos citaverint, qui ſe prætendant exemptos, dummodo notoriè tales non ſunt, Laïci Judices cognitionem declinatoriæ exceptionis coram Judicibus Eccleſiaſticis propoſitæ eiſdem inhibeant, aut eam ſibi uſurpent contra apertiſſimam utriuſque juris diſpoſitionem, quâ cautum eſt, ut qui ad aliquod judicium evocatus, ſe aliquo privilegio eximere vult, teneatur nihilominus comparere, & ibidem dictum ſuum privilegium allegare, & de eo fidem facere.* Et iterum, *ne dicti Judices Laïci Judicibus Eccleſiaſticis præcipere audeant, ut revocent ſuas ſententiàs ſuſpenſionis à divinis, aut excommunicationis, aut alia Decreta per ipſos lata, & ne eo prætextu arreſtare præſumant bona temporalia dictorum Judicum Eccleſiaſticorum; quin potius, ſi dictos Judices Eccleſiaſticos prætendant exceſſiſſe in ſuis ſententiis, aut decretis, ad Epiſcopos, aut eo-*

rum Superiores, ii quorum intereſt, recurrant. Ipſas verò ſententias Judicum Eccleſiaſticorum, cùm requiſiti fuerint, ſine novâ cauſæ cognitione exequantur per captionem pignorum, & alias: maximè cùm hodie Concilium Trid. vetet, ne frequens ſit uſus excommunicationis, quandocumque executio realis, aut perſonalis fieri poteſt, à cenſuris Eccleſiaſticis abſtineatur. Denique, *ut Magiſtratus, & Præfecti ſæculares non cogant Clericos, maximè in ſacris Ordinibus conſtitutos, qui Chriſto militare debent, ad excubias diurnas, aut nocturnas, nec eorumdem bona ſine conſenſu Ordinum Eccleſiaſticorum ad aliquas contributiones obligare, & taxare præſumant, in grave detrimentum animarum ſuarum, & immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium.*

Hactenus Synodus Cameracenſis pro Eccleſiaſticorum exemptione à gabellis, à foro ſæculari, & aliâ ſubjectione ergà ſæculares: quæ quam exactè obſerventur, ab experientia eſt colligendum. Hoc interim certum eſt, quod Principes Chriſtiani teneantur in conſcientia Eccleſiaſticorum immunitatem tueri, & promovere, prout eoſdem admonet S. Tridentina Synodus *Seſ.*25. *Cap.*20. ne juriſdictione ſæculari, & Eccleſiaſticâ inter ſe confusâ, imo aliquando adversâ, totus Eccleſiæ ſtatus deformetur. Majori obligatione pro tuendâ Eccleſiæ immunitate ſudare oportet Eccleſiaſticos quoſcumque, maximè Eccleſiæ Prælatos, & rectores, quorum conſcientiâ convenitur ex juramento Eccleſiæ præſtito de tuenda ejus immunitate. Pudeat eos ſæcularibus hâc in parte eſſe ſegniores, quorum ſollicitudo præcipuè eminet, erga defenſionem, & ampliationem ſæcularis juriſdictionis. Obligatio illorum eò quoque debet eſſe urgentior, quòd Laicos oppidò infenſos eſſe Eccleſiaſticis, doceat Antiquitas, ut dicitur à Bonifacio VIII. neque temporibus noſtris ita ſit ſpes plures exemptiones acquirendi, quàm timor acquiſitas deperdendi. Conſiderent illud Petri Bleſenſis Epiſtolâ 20. *Non poteſt eſſe præclarior famæ titulus in Prælato, quàm ſi viriliter tueatur ſtatum Eccleſiaſticæ libertatis. Si quid perperam fecit, ſi quid vitam ejus aliquo tempore offuſcaverit, totum reformat, & redimit zelus Domûs Dei, & juſtitiæ amor. Hæc duo faciunt, ut fama hominis mortua reviviſcat: & qui prius obnoxius erat accuſantibus linguis, poſtea in libertatem publici favoris, & gratiæ, odorem ſuavitatis effundat.* Et hæc de Eccleſiaſticâ immunitate. Qui plura deſiderat, adeat opus Thomæ del Bene, Clerici Reg. per 2. tomos diviſum, in quibus latiſſimè de ea materia diſputat, & ſummoperè eamdem dilatare contendit.

Digitized by Google

TRACTATUS QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit Beneficium Eccleſiaſticum, & quotuplex.

Quid Beneficium ſignificet.

BEneficium generaliter ſignificat grati animi actum, & quodlibet munus ex eo alteri collatum: hinc alter dicitur *beneficus*: & hoc generali ſignificandi modo comprehendit, tam laicale beneficium, quàm Eccleſiaſticum. Antiquitùs verò aſſignabantur militibus benè meritis de Republicâ certi reditus ex fundis, vectigalibus, aut aliis Reipublicæ bonis, unde & dicebantur *beneficiarii milites.* Uti ex Synodo Nicenâ Can.12. & ex Cæſare de Bello civili lib.3. refert Lotherius de re benefic. q.1. num.30. & ad hunc modum inſtituta volunt beneficia Eccleſiaſtica pro militiâ ſpirituali, ſeu Clericali; ex quo jam indè colligi poteſt, ea danda eſſe de Eccleſia benè meritis, & dignioribus.

Origo Beneficiorum.

Beneficia verò ortum ducunt ex portione Canonicâ, quæ antiquitùs dabatur Clericis ad ſuſtentationem. Pro quo notandum eſt, variè diverſis ſæculis de Eccleſiaſticis bonis Clericos participaſſe. Primitùs enim Chriſtiani res ſuas ferebant ante pedes Apoſtolorum, & ex eis venditis diſtribuebatur ſingulis, ſicut cuique opus erat. Conſtat ex Actorum cap.4. & 5. poſtea expedientius judicatum, ut bona immobilia Eccleſiæ donarentur, & ex illorum annuis reditibus Eccleſiæ Miniſtri poſſent ſuſtentari in perpetuum: dignum namque viſum

Digitized by Google

viſum fuit antiquis Eccleſiæ Patribus, ut qui Altario inſervirent, de Altario viverent, dum dignus eſt operarius ſuâ mercede, nec quiſquam militat ſuis ſtipendiis umquam. Et quidem, quamdiu Clerici vivebant in communi, Epiſcopi arbitrio cuique Clerico ſua portio ſolebat aſſignari, donec tandem charitate refrigeſcente pars illa Clericis debita, erecta fuerit in beneficia; dum, vel ob majorem libertatem, vel ob avaritiam, communem vitam Clerici abjicerent, de quo videri poteſt Petrus Damianus de Canonicis. Cœpit autem illa diviſio circà tempora S. Auguſtini ſub Symmacho Papa, circà annum 502. uti ad eum annum refert Baronius ità ſcribens: *Etenim, cùm ſolerent Clerici ab Eccleſiâ per Epiſcopum menſibus ſingulis victûs causâ meritam ſtipem accipere....... poſtea verò factum, ut aliquibus ex his Eccleſiæ poſſeſſiones quoad viverent, ab Epiſcopo concederentur, quæ beneficia dici cœperunt, eò quòd, ut habet Symmachus in Epiſtola, bene meritis tantummodo concedi libeat.* Quod tamen Symmachum, primùm non feciſſe colligi poteſt ex Epiſt. 2. Dyoniſii Papæ ad Severum Epiſc. relatâ *Cap. Unic.* 13. *q.* 1. ubi ait: *Eccleſias ſingulas ſingulis Præsbyteris dedimus, Parochias, & Cœmeterias eis diviſimus, & unicuique jus proprium habere ſtatuimus. Ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat, ſed ſit unuſquiſque ſuis terminis contentus, & taliter Eccleſiam, & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, ut ante tribunal æterni Judicis, ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddat, & non judicium, ſed gloriam pro ſuis actibus accipiat.* Hinc colligunt paſſim, S. Dyoniſium primitùs diviſiſſe, ac diſtinxiſſe terminos Eccleſiarum, ac Parochiarum; adeoque beneficia Eccleſiaſtica jure poſitivo eſſe inducta. Poſſunt autem tria potiſſimum in beneficiis conſiderari: 1. Obligatio exercendi functionem ſpiritualem, v.g. baptiſandi, prædicandi, &c. 2. Jus exigendi fructus aliquos ob illam functionem. 3. Ipſi fructus, ut ſunt grana, pecunia, &c.

Definitio Beneficii. Solent ergo beneficium Eccleſiaſticum definire, quod ſit *jus quoddam perpetuum, authoritate Eccleſiæ inſtitutum, percipiendi certos fructus ad ſuſtentationem, habens ſibi annexum officium ſpirituale.* Ita Wiggers. Brevius Toletus lib. 5. cap. 76. *Eſt jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico propter divinum officium competens.* Dicitur 1. *jus perpetuum*, quia beneficium eſt quaſi reditus perpetuus, qui cum perſona non extinguitur, ſed illa mortua manet penes Eccleſiam; adeo ut, ſi Papa daret alicui tale jus ad vitam, non foret ſtrictè beneficium. Porrò, dicitur *perpetuum*, id eſt, de ſe irrevocabile, quando ſemel legitimè eſt collatum; quâ ratione Vicariæ manuales non ſunt beneficia ſtrictè dicta, quia ad nutum conferentis poſſunt revocari. Sic quoque & penſio non eſt beneficium, quia extinguitur morte Penſionarii. Perpetuitas hæc ſeſe neceſſariò tenet ex parte accipientium, qui quantum eſt de ſe, illud perpetuum conſequuntur: unde notat cum aliis Auguſtinus Barboſa *de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. ex parte dantium poſſe beneficium eſſe temporale. Idem fallit in beneficiis Regularibus ad nutum Superiorum amovibilibus, quæ tamen ex ſua inſtitutione ſunt perpetua, non tamen ex parte perſonæ eadem obtinentis, quæ per omnia ſubjacet voluntati ſuperiorum, de quo poſtea latius.

Addi-

Additur etiam ***authoritate Eccleſiæ inſtitutum*** : quia, ſi quis ſæcularis ex ſuo prædio alteri conſtitueret, etiam pro Miſſis faciendis jus percipiendi fructus aliquos, non dicetur ***beneficium***, donec accedat Eccleſiæ authoritas, & ſolummodò dicenda erit *pia donatio*, *pium legatum*, *&c.* Ratio eſt, quod beneficium ſit actus ſpiritualis functionis, quem proindè ſæcularis poteſtas nequit inſtituere. Dicitur percipiendi fructus ***ad ſuſtentationem***, cùm fructus non ſint propriè merces officii, quæ expectanda eſt in Cælis; ſed ſolummodo ſtipendium ſuſtentationis, juxtà illud Apoſtoli 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Denique dicitur, quod jus illud annexum habeat officium ſpirituale : eſt namque regula generalis, beneficium dari propter officium, quod in divinis laudibus, & aliis Eccleſiaſticis exercitiis conſiſtit.

Nec abs re, nobilius definire conatur beneficium D. Wiggers; putà, fundamentaliter ab officio Eccleſiaſtico, ut ſit jus perpetuum miniſtrandi in Eccleſia, habens annexum jus illud percipiendi fructus ad ſuſtentationem : tum quod ità melius intelligatur, quomodo inſtitutio beneficii, neque conſuetudine, neque præſcriptione aliquâ poſſit competere Laico; eò quòd poteſtatis ſpiritualis collatio, eſſentialiter ſit aliena à poteſtate Laicali : tum, quòd ſic melius intelligatur, quomodo nullus ſæcularis inſtituere poſſit beneficium aliquod, niſi Eccleſia id confirmet : tum, quòd quamvis homines carnales magis ſoleant attendere ad proventus temporales, & in ordine ad illos beneficium definire; tamen aliud omninò innuant ipſa beneficiorum nomina, ut *Abbatia*, *Paſtoratus*, *Epiſcopatus*; quæ propriè officium, *Patris*, *Paſtoris*, ac *Speculatoris* ſuper gregem illis commiſſum ſignificant, non verò jus ad proventus : tum denique, quòd eo modo rectiùs excludentur penſiones ſtatutæ ſuper bonis Monaſterii in perpetuum, ut defuncto uno Penſionario deferretur alteri, etiam impoſito onere legendi aliquod Officium Pſalmorum v.g. quæ propriæ non ſunt beneficia, eò quòd non habeant annexam poteſtatem exercitii ſpiritualis in Eccleſia : & ſimiles penſiones vocari ſolent *Preſtimonia*, de quibus poſteà. Nobilior definitio beneficii Eccleſ.

Interim clarè patet ex dictis, quod patrimonium, ſuper quod quis ordinatur, non ſit beneficium; quia ſpectat ad bona temporalia, neque vacat morte Clerici, ſed ut cætera patrimonialia tranſit ad hæredes; nec denique confertur ab habente authoritatem Eccleſiaſticam, ſed jure hæreditario pertinet ad ordinatum, etſi ſine licentia Epiſcopi alienari non poſſit, donec Clericus nactus ſit beneficium ad vitam ſufficiens.

Dividitur autem beneficium generaliter in Sæculare, & Regulare. Sæculare latè ſumptum, eſt varium : 1. Aliud eſt duplex, aliud ſimplex. Aliud curatum, aliud non curatum : alia ſunt dignitates, perſonatus, & officia : alia ſunt manualia, alia non manualia : alia electiva, alia collativa. Sub illis particulariter comprehenduntur, Papatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Cardinalatus, beneficia Cathedralium, Diviſiones Beneficiorum.

Digitized by Google

dralium, ut Decanatus, Archidiaconatus, Archipræsbyteratus, officium Primicerii, Theſaurarii, Cantoris, Præcentoris, Præpoſiti, &c. Item Rectoria, Plebanatus, Vicaria perpetua, Canonicatus, Cappellania, Præſtimonia, Hoſpitalia Eccleſiaſtica. De ſingulis quædam dicemus.

SECTIO II.
De Beneficiis Regularibus.

Quid ſit Beneficium Regulare, & quibus conferatur.

BEneficium Regulare eſt, quod Regularibus debetur, v.g. Abbatia Regularis, Prioratus Conventualis, & generaliter illud, quod fundatione, donatione, inſtitutione, jure, privilegio, ac conſuetudine pro Regularibus eſt inſtitutum, aut ita illis annexum, ut per eos debeat adminiſtrari. Ità Rebuſ. *p.*1. *cap.*5. *in Cap. Cùm de beneficio, de præb. in* 6. Ex fundatione verò optimè colligitur aliquod beneficium eſſe regulare, ut ſi fundatum ſit determinatæ Religioni. Deindè, etiam id dignoſci poteſt jure, privilegio, & conſuetudine; cùm jure præſcriptionis 40. annorum beneficium ſæculare poſſit fieri regulare, & è contrà, Deſpeiſſæus de Beneficiis *tit.*3. *num.*31. & 37. Porrò, Regularia beneficia ſolent dari Regularibus jure tituli, ſive ſecundùm primævam ſuam fundationem, tametſi ſecundùm ſtatum paupertatis Religioſæ poſſint etiam dici dari illis titulo adminiſtrationis; eò quòd non ſint tam abſoluti fructuum Domini. Quando autem beneficia Regularia dantur Sæcularibus, dari dicuntur *jure adminiſtrationis, aut Commendæ*, non tituli; eò quòd illis non dentur vi primævæ Inſtitutionis, dum ex illo titulo debentur ſolis Regularibus. Hoc tamen notandum ex Rebuffo *de pacif. poſſeſ. q.* 20. *num.*139. & 259. Quod ſi Clericus ſæcularis beneficium regulare per triennium poſſederit ut ſæculare, præſumatur diſpenſatus ad illud durante vitâ, tamquam ad ſæculare.

An Beneficium Regulare poſſit dari Novitio.

An verò Regulare beneficium dari poſſit Novitio, controvertitur; negantibus aliis, quod Novitius necdum cenſeatur plenè Religioſus, ſed ſolummodò in viâ ad illum ſtatum: aliis affirmantibus cum Gloſſa in C. beneficium de Reg. 5. *conferendum.* Quidquid hîc ſit de jure communi, conſtat ex jure novo Concilii Trid. *ſeſ.*14. *Reform. Cap.*10. Quod beneficium Regulare necdum profeſſis, imò nedum veſtitis habitu religioſo poſſit conferri, modò habitum ſuſcipere, & Profeſſionem emittere teneantur. Excipiunt hîc beneficia, quæ adminiſtrationem habent annexam, ad quæ nemo eligendus eſt, niſi profeſſionem emiſerit; quia, ut habetur in Cap. *Cùm in Magiſtrum, de elect.* in Magiſtrum aſſumi non debet, qui formam Diſcipuli non aſſumpſit; nec ſit præficiendus, qui ſubeſſe non novit.

In defectum tamen Religioſorum poterunt beneficia regularia dari ſæcularibus; & è contrà, ſecularia in defectu Clericorum ſæcularium, dari poſſunt Regularibus. Patet ex *Cap. Inter quatuor, de Religioſ. domibus*, ubi decernitur, quod ſi Eccleſia Regularis ita deficiat, ut omnibus attentis per Re-

Digitized by Google

Regulares reformari non poſſit, poſſit Epiſcopus ibidem collocare Clericos ſæculares. Hunc tamen ordinem hîc ſervandum ex Abbate docent Authores, ut primò reformanda ſit per Regulares ejuſdem Ordinis : deindè, per Religioſos alterius Ordinis : demum in defectu horum, per Clericos ſæculares. Vide Tamburinum *de jure Abb. Tom.* 3. *Diſp.* 9. *q.*92. *num.* 5.

Quale Beneficium præſumitur in dubio.

In dubio autem omne beneficium præſumitur eſſe ſæculare, niſi ex adverſo probetur eſſe regulare; cujus præſumptionis ea eſt juxtà varios ratio, quod Dionyſius Papa omnium beneficiorum titulos primò inſtituerit, & ipſe fuerit ſæcularis : undè talia præſumuntur beneficia, prouti fuit eorumdem Author. Ità ex variis Barboſa *de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.*42. Verùm ſalvâ authoritate Barboſæ, & omnium, quos adfert ibidem, dico, rationem illam eſſe parum firmam, ſi Baronio credimus, qui de Dionyſio ità ſcribit tom. 2. Annalium pag. 403. *Ceſſit Epiſcopatus Sixti die* 35. *ſubſtituitur in locum ejus die* 12. *Septembris Dionyſius ex Monacho, ſolitariam enim vitam aliquando egit.* Alii dictam præſumptionem probant ex eo, quod omnia beneficia in dubio præſumantur eſſe libera, niſi aliud obſtet. An verò per hoc lædatur libertas Epiſcoporum, quod beneficia ſint regularia, non adeo conſtat; maximè, cùm Epiſcopi etiam teneantur beneficia ſua dare dignis à ſæcularibus præſentatis.

Diviſio Beneficii regularis.

Dividuntur autem regularia beneficia in ſimplicia, & duplicia : *Simplicia* ſunt, quæ ſuo ſimplici onere funguntur, uti eſt Monachatus, & Canonicatus regularis. *Duplicia* ſunt, quæ non ſimplici onere funguntur, ſed inſuper habent juriſdictionem in perſonas, v. g. Abbatia, Prioratus Conventualis, & Clauſtralis, qui eſt primus poſt Abbatem : inter quos tamen illud eſt diſcrimen, quod Conventualis ſit dignitas, cùm ſit ſuperior Cœnobii; Clauſtralis verò non ſit talis; eò quòd Superior Monaſterii ſit Abbas, & Prior ſit ſub Abbate tamquam ejus Vicarius, & ut ait Azorius *Cap.* 20. *q.* 2. ad hoc ab Abbate ſtatuitur, ut habeat curam diſciplinæ Monaſticæ. Hinc etiam ſtatuta noſtra expreſsè inhibent, ne Priores noſtri aliquod munus Paſtorale exerceant; puta prædicare, Confeſſiones audire, &c. Imò, ſi quid tale habeant, ſtatuunt, ut id illis penitus auferatur, ut melius Monaſterii curæ poſſint inhærere. Solet etiam beneficium regulare dici *manuale*, & eſt illud; quod ad nutum conferentis poteſt revocari. Eſt tamen perpetuum, eò quòd non extinguatur morte, aut privatione Beneficiarii, ſed alteri confertur, & eſt perpetuum ex parte poteſtatis, ut ante dictum eſt.

Quid Beneficium manuale.

A quo corrigi debeat Parochus Regularis.

Quæri hîc poſſet, à quo Parochi Regulares corrigendi ſint, & amovendi, an ab Abbate, an verò ab Ordinario. Reſp. Diſtinguenda hîc ſunt in Parocho Regulari ea, quæ pertinent ad adminiſtrationem Sacramentorum Eccleſiæ, & generaliter ad Officium Parochiale : & illa, quæ pertinent ad obſervationem votorum, cùm per ſuſceptionem beneficii nequaquam abſolvatur ab obligatione diſciplinæ Religioſæ. Et quidem apertè patet ex Concilio Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 11. quoad priora, Regulares Ordinario eſſe ſub-

jectos : ait enim : *In Monaſteriis , ſeu domibus Virorum , ac Mulierum , quibus imminet cura animarum perſonarum ſæcularium , præter eas , quæ ſunt de illorum Monaſteriorum , ſeu locorum familiâ , perſonæ , tam ſæculares , quàm regulares hujuſmodi curam exercentes , ſubſint immediatè in his , quæ ad dictam curam , & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent , juriſdictioni , viſitationi , & correctioni Epiſcopi , in cujus Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui , etiam ad nutum amovibiles deputentur , niſi de ejus conſenſu , ac prævio examine per Epiſcopum , aut ejus Vicarium faciendo.* Idem expreſsè tenet cum aliis multis Tamburinus de jure Abb. *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 11. *num.* 45. Referens unà Conſtitutionem Gregorii XV. de exempt. Privileg. ubi ita dicitur : *Hâc generali , ac perpetuò valiturâ Conſtitutione decernimus , ſtatuimus , & declaramus , ut deinceps , tam Regulares , quàm ſæculares quomodolibet exempti , ſive animarum curam perſonarum ſæcularium Monaſteriis , ſeu domibus Regularibus , aut quibuſvis aliis Eccleſiis , vel beneficiis , ſeu Regularibus , ſeu ſæcularibus incumbentem exerceant , ſive aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta , aut unum ex illis miniſtrent , præviâ Epiſcopi approbatione , ſive quoquo modo in dictæ curæ exercitio , aut in eorumdem Sacramentorum , vel alterius ex illis adminiſtratione de facto abſque ullâ authoritate ſe ingerant in his , quæ hujuſmodi curam , ſeu adminiſtrationem concernunt , omnimodè viſitationi , juriſdictioni , & correctioni Diœceſani Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato plenè in omnibus ſubjiciantur.* Conformia ſunt illa juri communi , quod Eccleſias omnes Monaſteriis annexas viſitationi , ac authoritati Ordinarii ſubjicit , ut in tit. *de Capel. Monach.* & Cap. *ex ore , de Privileg.* Undè & Religioſi , qui eiſdem Eccleſiis deſerviunt, poſſunt ab Ordinariis ſuſpendi , interdici , &c. uti ſtatuit Innoc. IV. in Conc. Lugd. *Cap.* 1. §. *inter eos , de Privileg. in* 6. Et ita in Galliis obſervari noviſſimè ſcribit Cabaſſutius *theor. & prax. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Prout ibidem variis Senatuſconſultis refert judicatum , & adhuc anno 1668. à ſupremâ Curiâ Pariſienſi pro Epiſcopo Aquiſextienſi. Addit Barboſa de Offic. & poteſt. Epiſcopi *parte* 3. *alleg.* 74. *num.* 21. Quod conſequenter ad Ordinarium ſpectet inquirere, quomodo conſervetur Sanctiſſimum Sacramentum , & Eccleſiaſtica ornamenta , quomodo per S. Congregationem deciſum fuiſſe refert Seraphin. *Deciſ.* 1067. *in fine.* Ex quibus patet , Regulares Parochos in his , quæ concernunt adminiſtrationem Sacramentorum , & alia ſupra dicta , ſoli Ordinariorum authoritati eſſe ſubjectos , neque quoad illa ingerere ſeſe poſſint Abbates, aut alii Regularium Parochorum ſuperiores.

Imò , Regulares Parochos Eccleſiæ ſæcularis , plenè ab obedientiâ ſuorum Prælatorum eximit noſter Lantmeter in Reg. S. Auguſtini *cap.* 6. *num.* 7. cum ſententiâ communi , niſi ex privilegio, aut conſuetudine maneat membrum Eccleſiæ , prouti in Ordine Præmonſtratenſi obtinere, ait noſter Larvelz : juxtà id , quod ait Zypæus , quod curis inſervientes, vix extrà Monaſterium eſſe videamur. Imò *num. ſeq.* addit probabiliter dici, quod quando

do Regularis præficitur beneficio, quod quidem Monaſterio annexum eſt, illud tamen Abbas non conferat, etiam ab obedientiâ Prælati eximatur: aliud dicit obtinere, ſi præficiatur curæ Monaſterio incorporatæ, ſeu (ut jura loquuntur) pleno jure ſubjectæ, quo caſu remanent ſub obedientiâ Prælatorum.

Conformiter ad dicta concludi poteſt, à quo Regulares Parochi ſint deponendi. Si enim ab obedientia Prælatorum eximantur in dictis caſibus, etiam ab eodem deponi nequeunt. Aliud habet in Ordine noſtro conſuetudo, ubi ante ſuſceptionem Paſtoratûs præficiendus jurare debet Prælato, quod quotieſcumque Prælato viſum fuerit, revertetur ad Monaſterium. Extant inſuper eâdem de re duo Diplomata Julii II. unum datum Præmonſtratenſi Abbati, aliud Averbodienſi; quibus conceditur dictis Abbatibus facultas, Parochos ſuos, dum placuerit, revocandi. Hoc tamen negat Zypæus, eis eſſe conceſſum pro ſuâ libidine, ſed ad arbitrium boni viri; neque id eis licitum ait facere ex causâ infamante, niſi cognitâ, & probatâ; quia non habet Abbas in Monachos poteſtatem vitæ, ac necis, quâ gravior eſt infamia, præterquam, quod totius Ordinis, ac Cleri opprobrium verſatur. Ita ille. Addit, ex Navarro, & aliis Lantmeter dicto loco *num.* 9. peccare Prælatum mortaliter, qui deſtituit ſuum Monachum ſine juſtâ causâ. Notent hoc illi, qui non niſi in ſubditos dominando, & eoſdem infamando ſtabiliri putant ſuam authoritatem, contrà illud S. Auguſtini in Regulâ: *Non poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente.*

Advertendum quoque, quod addit Zypæus in Conſultationibus Canon. *lib.* 3. *conſult.* 1. *tit. de inſtitut.* quod aliquando viderit, quod, cùm nimis feſtinanter à Prælato Regularis Parochus revocaretur, ab Ordinario loci fuerit in Officio manutentus: & quod quidam cenſuerint, quod quando Prælati eos Epiſcopo præſentant, renuntient juri ſuo, quod habent ad revocationem ſuorum Parochorum; cùm aliàs eos præſentare debuiſſent, ut Vicarios ad nutum amovibiles; quod eos non facere, eſt in confeſſo. Addi poteſt ex eodem ibid. quod Diploma Julii ſolummodo agat de curis *per Regulares teneri ſolitas*, ſive *ad Monaſterium pertinentibus*, ut habet Averbod. Adeoque in vim dicti Diplomatis, non poſſe Abbates revocare pro ſuo nutu ſuos Regulares promotos ad curas per ſæculares regi ſolitas, ſive ad Monaſterium non pertinentes. Videri poteſt dictus Author ibid. hinc etiam quoad Beneficium Monaſterio non annexum expreſsè Synodus Mechlinienſis anno 1609. tit. 22. Cap. 4. ità ſtatuit: *Religioſus promotus ad Beneficium curatum Monaſterio non ſubjectum, invitus, & nobis non conſentientibus per Prælatum ſuum Regularem Beneficio illo privari, domumque revocari non poſſit: niſi Prælatus contrarium tentans legitimo Privilegio fulciatur.*

Digitized by Google

SECTIO III.

De Beneficiis Sæcularibus in particulari.

Papatus. EMinentiſſimum omnium beneficiorum eſt *Papatus*, ut communiter omnes notant in Cap. 1. *de maledic.* reſpectu cujus etiam locum obtinet illa regula Juris, quod beneficium Eccleſiaſticum ſine Canonicâ inſtitutione obtinere non poſſit. *Reg.* 1. *de reg. juris in* 6. Requiritur enim ad Papatum, ut ſit Papa legitimè electus, & à Concilio inſtitutus. Strictè tamen nolunt aliqui Papatum eſſe beneficium; eò quòd Papa non poſſit dici *beneficiatus ab aliquo*, cui ſubjectionem debeat, niſi ſoli Deo. Ita Barboſa de jure Eccleſ. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 83. Deinde Papatus, uti & Epiſcopatus in pœnalibus, & aliis, in quibus ſtrictè beneficia accipienda ſint, non habentur beneficia, ſed dicuntur eſſe *culmina beneficiorum*, *ac dignitatum*, uti dicitur *Cap. penult. de prabend.* Eſt autem Papatus de jure divino prout à Chriſto, Petro eſt collatus; quod autem ſit in hâc, vel illa perſona, exceptâ perſonâ Petri, eſt de humana electione. Idem Author ibid. *lib.* 1. *num.* 21. *&* 22. poteſtatem ejus deſcribit S. Bernardus de Conſideratione lib. 2. ad Eugenium Papam in hunc modum: *Indagemus adhuc diligentius, quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam, in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex: tu Princeps Epiſcoporum, tu Hæres Apoſtolorum, tu Primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aäron, Authoritate Moyſes, Judicatu Samuël, Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus: tu es, cui claves traditæ, cui Oves creditæ ſunt.* Nec ſolùm plenariam in omnes fideles habet poteſtatem ſpiritualem, ſed & temporalem obtinet, prout diſertè aſſerit extrav. *Unam ſanctam.* Huic ergo omnes omninò fideles plenariè ſubjiciuntur. De ejus plenitudine poteſtatis vide Barboſam loco proximè citato *Cap.* 2. neque hujus loci eſt, eam exactè deſcribere.

Cardinalatus. *Cardinalatus* quoque ſublimis, & eminentiſſima eſt in Eccleſia dignitas: vocantur autem Cardinales ſubindè *Conſultores*, *Fratres*, & *Coadjutores Rom. Epiſcopi*, uti dicuntur Cap. *fundamenta* §. *decet*, *de elect. in* 6. originem illorum volunt aliqui deſcendere à Sacerdotibus Levitici generis: alii verò à Chriſto, & Apoſtolis: alii denique ex inſtitutione Summorum Pontificum, uti dicitur primitùs S. Petrum inſtituiſſe Cletum, Linum, Clementem. Sic & Marcellus Papa in urbe 15. titulos dicitur inſtituiſſe. S. Antoninus tamen p. 3. tit. 21. Cap. 1. cum aliis cenſet, Cardinalatum quoad primordialem originem eſſe juris divini: adeoque collegerunt alii, quod Pontifex non poſſit abrogare Cardinales, cujus tamen contrarium tenet communis opinio. Cardinalium ordo eſt triplex, Epiſcoporum, Præsbyterorum, & Diaconorum. Epiſcopis aſſignabantur Eccleſiæ Romanæ principaliores: Præsbyteris Parochias alias, ac Cœmeteria: Diaconis verò aſſignabantur Hoſpitalia, & cura Pauperum, Viduarum, Orphanorum, uti & Capellæ Hoſpitalibus unitæ, dictæ

Digitized by Google

dictæ *Diaconia.* Videri poterit Onuphrius Opuſculo de Cardinalibus conſcripto.

Quadripartitus eſt Epiſcoporum ordo, Patriarchatus, Primatus, Metropolitanus, ſive Archiëpiſcopatus, & Epiſcopatus. In primitiva Eccleſia tres fuêre Patriarchales Eccleſiæ à S.Petro fundatæ juxtà vetuſtiſſimam traditionem, videlicet *Romana*, *Alexandrina*, & *Anthiochena*, uti patet ex S.Gregorio *lib.6. Indict.15. Epiſt.37. ad Euloq.* Hinc, initio ſeſe ſemper oppoſuit Eccleſia Græcis, volentibus addere *Conſtantinopolitanam*, ob urbis dignitatem, & authoritatem Sedis Imperatoriæ; donec tandem Juſtinianus Imperator poſt annum Chriſti 500. non ſecundùm Canones (ut ipſe ait novellâ 131. c.2.) ſed propriâ fretus potentiâ, Conſtantinopolitanam Eccleſiam voluit ſecundo loco inter Patriarchales numerari. Idem fuit de Hieroſolymitana, cui deinde acquiêvere Pontifices Romani. Vide Bellarminum *lib.1. de Pontif. cap.24.* *Patriarcha* verò ſignificat Græcâ voce *Summum*, ſeu *Principem Patrum*, ut ait Caſtaldus in praxi *lib.1. ſect.10. cap.11. num.1.* Sunt autem Patriarchæ cæteris Eccleſiæ Prælatis, tum poteſtate, tum juriſdictione ſuperiores; dum ad ipſos omnium Epiſcoporum, ac Archiëpiſcoporum negotia ſunt deferenda, ſalvâ tamen S. Sedis authoritate. Hinc & ordine primi ſunt poſt Pontificem in ordine Epiſcoporum; primi poſt eumdem incedunt ante Cardinales, etſi hoc privilegium hodie ab Aulâ receſſerit, teſte Barboſa de jure Eccl. *lib.1. cap.4. num.25.* cùm hodie Cardinales de conſuetudine, & ratione juris, eis præſint ratione officii, cùm ſint unum corpus cum Romano Pontifice. Poſſunt deinde Metropolitanos ex causâ deponere, quod quoque evanuiſſe, tradit idem ibid. ubi plurima eorumdem privilegia recenſet idem Author; dicit idem *num.10.* latioi i vocabulo nomen *Patriarchæ* confundi cum *Primatibus*, etſi propriè non omnes Primates ſint Patriarchæ, neque eamdem cum Patriarchis habeant authoritatem. In unâquaque Provinciâ ſuus eſt Primas: in Hiſpania Primas eſt Bracharenſis: in Galliæ Provinciis Primates ſe appellant, Archiëpiſcopi Bituricenſis, Remenſis, Lugdunenſis, Arelatenſis, & Viennenſis. In Hibernia, Armacanus: in Anglia Cantuarienſis: in Scotia Archiëpiſcopus S.Andreæ: Germaniæ, olim Magdeburgenſis, uti fuit S.Norbertus; modò eſt Salſeburgenſis: Hungariæ Strigonienſis; Poloniæ, Gneſnenſis, &c.

Patriarchatus. Primatus.

Metropolitanus verò dicitur à Matricæ Civitate; unde & *Metropolis* dicitur urbs, quæ ſit caput Provinciæ; & eſt idem, quod Archiëpiſcopus; ſic dictus, quaſi Princeps Epiſcoporum Provinciæ. Etſi autem Archiëpiſcopus vi Ordinis non ſit major Epiſcopis; vi tamen executionis, ac juriſdictionis illis eſt præſtantior, quâ etiam uti poteſt erga Suffraganeos ſuos, eoſque punire. Hinc etiam à Suffraganei ſententiâ appellari poteſt ad Metropolitanum. Eorum ornamentum proprium eſt Pallium, ac ante ſe deferre Crucem D. N. J. C.

Metropolitanatus.

Epiſcoporum verò nomen ſignificat *Superintendentem* omnibus Sacerdotibus, Clericis, ac ſæcularibus ſuæ Diœceſis in ſpiritualibus. De eorum poteſtate, & autho-

Epiſcopatus.

authoritate varia ſparſim habet Synodus Trident. tam quoad ſæculares, quàm Regulares. Officium illorum proprium Seſ. 5. cap. 2. dicit illis eſſe prædicare, juxtà illud, quod Tito Epiſcopo injunxit Apoſtolus dicens: *Prædica verbum.* Quia verò Epiſcoporum officium eſt latiſſimum, & maximè oneroſum, hinc illis alii concedi ſolent, qui Epiſcopo in officio ſublevando aſſiſtant, ut ſunt Vicarii, ſeu Officiales, Coadjutores, & Suffraganei. Olim erant & Chorepiſcopi, qui Presbyteris ſuperiores, ſed Epiſcopo inferiores, quædam officia Epiſcopo propria exequebantur, qui ob eorumdem inſolentiam, quod Epiſcopalem juriſdictionem uſurpabant, ab Eccleſia ſunt interdicti. Variè autem differunt Vicarii, Coadjutores, & ſuffraganei, etſi in eodem modo adjuvandi Epiſcopum conveniant. Suffraganeos deſcribit Barboſa, *Juris Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 7. qui in Epiſcopali Ordine conſtitutus ad Pontificalia exercenda Coadjutor aſſumitur. Coadjutor autem, is propriè dicitur, qui Epiſcopo infirmo, ſenio confecto, aut iniquo adminiſtratori, adjungitur, ut in officio ejus, & adminiſtratione coadjuvet. Vicarius denique eſt, qui ad omnia juriſdictionis negotia ab Epiſcopo aſſumitur, eſtque qui in illis vicem gerit Epiſcopi. Alii eorum aſſumuntur ad cauſas civiles, alii ad criminales, qui propriè *Officiales* dici ſolent, aut etiam *Auditores.* Alii ſunt Vicarii generales, quibus omnia, quæ ſunt voluntariæ juriſdictionis & contentioſæ committuntur. Eligitur autem Vicarius, vel Officialis ab ipſo Epiſcopo ſine conſenſu Capituli; ſede vacante ab illo eligi debet. Neque obligatur Epiſcopus abſolutè Vicarium eligere. Cætera illorum officia, & poteſtatem concernentia videri plenius poſſunt apud Barboſam loco ſuprà citato, & Zerolam in praxi verbum *Vicarius.*

Suffraganeus, Coadjutor, Vicarius Epiſc.

Coadjutor.

De Coadjutoribus ita ſtatuit S. Tridentina Synodus Seſ. 25. cap. 7. Reform. *In Coadjutoriis quoque cum futurâ ſucceſſione idem poſt hac obſervetur, ut nemini in quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis permittantur. Quod, ſi quando Eccleſiæ Cathedralis, aut Monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulet, Prælati dari Coadjutorem: is non alias cum futurâ ſucceſſione detur, quam hac cauſa prius diligenter à ſanctiſſimo Rom. Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ à jure, & decretis hujus S. Synodi in Epiſcopis, & Prælatis requiruntur. Alias conceſſiones ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur.* Addit jus Belgii, uti & Galliæ, ne ſimiles Coadjutoriæ præjudicent juri nominationis Regiæ. Porrò, cauſæ adjungendi Epiſcopis Coadjutores, eſt Eccleſiæ urgens neceſſitas, aut evidens utilitas, ad quas reduci ſolet, Epiſcopi ſenectus, ægritudo, inſcitia, mala adminiſtratio, &c. Notat tamen rectè Barboſa ibi ſuprà num. 53. quod conceſſio Coadjutoris non liberet coadjutum à reſidendo, prout refert cenſuiſſe ſacram Congregationem.

Præpoſiti.

Ultrà dictos Epiſcopi adjutores olim fuère Præpoſiti, à Præpoſitis noſtri temporis longè diverſi, ut mox dicam. Sæpius per Præpoſiti nomen Epiſcopos deſignari notat ex S. Cypriano Molanus *de Canonicis lib.* 2. *cap.* 4. Propriè tamen Præpoſiti ab Epiſcopis aſſumebantur, ut tamquam eorumdem Vicarii

Digitized by Google

carii Clericos regerent in communi viventes, & in aliis occupationibus Epiſcopis ſubſervirent. Similes quoque ab Abbatibus conſtitutos fuiſſe olim in Monaſteriis, patet ex Regula SS. Auguſtini, & Benedicti, qui eoſdem ob nimiam arrogantiam, dum ſeſe ſecundos Abbates exiſtimarent, pro bono pacis commutavit in Decanos, de quo mox infrà. Grandis interim eſt differentia inter Præpoſitos veteres, & modernos. Olim Præpoſitura erat officium, ait Molanus, nunc beneficium : olim erat obedientia, nunc dignitas : olim erat magiſterium, & miniſterium; nunc eſt nudi ferè nominis Prælatura. Olim in pervigili fratrum cura erat aſſiduus, nunc pauciſſimi reſident; adeo ut, ſi noſtros Præpoſitos ad priſcos illos conferamus, nihil ferè aliud videamur reſervaſſe, quàm umbram quamdam veteris Præpoſituræ, quæ adhuc relucet in prima ſeſſione, in optimis fructibus, &c. Plura habet Molanus ibi.

Quoad dignitatem Abbatialem, notandum, quod alii ſint Abbates ſæculares, alii regulares. Abbates. Sæculares ſunt, qui in Eccleſia obtinent beneficia cum titulo Abbatiæ, quorum varia genera dat Barboſa *de Abbatibus num.* 19. Aliqui ſæculares ſuperſunt in Belgio, de quibus agit Molanus *lib.* 2. *cap.* 5. Varii quoque reſident in Portugallia, ait Barboſa, unde ii originem habeant, non ita liquidò conſtat. Fama eſt, quod Eccleſiæ, in quibus ſunt Abbates, primitùs fuerint Monaſticæ, antequam Canonicæ; adeoque ad memoriam inſtitutionis primœvæ remanſiſſe apud Canonicos dignitatem, ſeu titulum Abbatialem. Verum hoc idem de variis Eccleſiis oſtendere, foret difficillimum. Inter hos recenſet Molanus Abbates Laïcos, quando Reges, Comites, & alii hujus ſæculi Principes, Abbatias pro ſe, aut pro ſuis Nobilibus, & Militibus occuparunt. Iiſdem adjungit idem Author Eccleſiaſticos illos, qui cùm regularem vitam nec profeſſi ſunt, nec profiteri intendunt, Abbatias tamen comedunt, aut ut alii honeſtius, habent Abbatias in Commendam. De quibus latè agendum Sect. 5. Famoſiores Abbates ſunt regulares, quorum alii ſub ſe populum habent, ac territorium, & juriſdictionem in illos Epiſcopalem : alii ſolis Religioſis ſunt Præfecti : alii ſunt Monachales, alii Canonicales : alii habent uſum Pontificalium, alii eodem carent. Olim Epiſcopis erant ſubjecti, quorum exemptionem à Summis Pontificibus non ſine plurimorum obloquio obtinuêre, ac eam alii vehementer incuſant, dum per eamdem exemptionem, unà exempti remanent aliquando ab omni juriſdictione; Unde Petrus Bleſenſis Epiſtolâ 68. *Deteſtantur*, ait, *Abbates, habere ſuorum exceſſuum correctorem, vagam impunitatis licentiam amplectuntur, Clauſtraliſque militia jugum, relaxant in omnem deſiderii libertatem. Hinc eſt, quod Monaſteriorum ferè omnium facultates data ſint in direptionem, & prædam.* Et S. Bernardus lib. 3. de conſid. cap. 10. *Quod ſi dicat, Epiſcopus, nolo eſſe ſub Archiepiſcopo; aut Abbas, nolo obedire Epiſcopo; hoc de Cœlo non eſt, niſi tu fortè Angelorum quempiam dicentem audiſti, nolo ſub Archangelis eſſe.* Vide plura de hac eâdem re apud eumdem S. Doctorem eod. lib. cap.

cap. 8. 9. & 10. & Alvarum Pelagium de planctu Eccleſiæ lib. 2. cap. 13.

De dignitatibus. Beneficia alia ſunt media, ut videre eſt apud Abbatem. *Cap. Majoribus, de præbendis*; & ſunt reliquæ dignitates, perſonatus, & officia. Dignitates ſunt in Cathedralibus maximè inſtitutæ ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam. Aliæ ſunt collativæ, aliæ electivæ; prout electorum ſuffragiis, aut abſolutâ ſuperioris authoritate conferuntur. De jure communi reputantur dignitates eſſe Archidiaconatus, & Archipresbyteratus, & quotieſcumque beneficium habet annexam adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione. Ita Abbas *in Cap. de multa, de præbend.* Item, qui habet nomen dignitatis, & prærogativæ ſedendi ante alios in Choro, aut Capitulo, etſi non habeat adminiſtrationem; Tamburinus de jure Abb. *Tom.* 3. *Deciſ.* 5. *num.* 9. Denique, omnia illa officia ſunt dignitates, quæ conſuetudo, vel Eccleſiæ inſtitutio tales effecit, ut ſunt Præpoſitura, Decanatus, Cantoratus, Scolaſteria, Theſauraria, &c. Solent tamen diſtinguere Dignitatem, Perſonatum, & Officium; eò quòd dignitas annexum habeat officium, vel adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione: Perſonatus verò ſit quædam prærogativa in Eccleſia poſt eos, qui ſunt in dignitate, uti eſt habere locum honorabiliorem in Choro, in Proceſſionibus, Capitulis, & aliis reſpectu aliorum de tali communitate; minus tamen, & infrà eos, qui habent Dignitates, eſtque ſine officio, & juriſdictione. Joannes Andreas in dict. *Cap. de multa*, docet Perſonatum, originem traxiſſe ab Anglis, qui eos *Perſonas* dicunt, quos nos *Parochos*, aut *Curatos* nuncupamus. Plures in Belgio ſimul cum Paſtoratu habent & Perſonatum. Officium denique à Dignitate, & Perſonatu diſtinguitur, eò quòd non habeat annexam præeminentiam.

Decanatus. *Decanatus*, juxtà Molanum *de Canonicis lib.* 2. *cap.* 6. celebre eſt nomen inter Eccleſiaſticas Dignitates; cùm Decanus ſit primus Capituli. Antiquitùs, quando Canonicorum Collegia ab Epiſcopo regebantur, erat incognitum. Poſtea verò ad mores Monachorum, qui Decanos habebant, ſeu denis Monachis Præpoſitos, vulgò *Tiende-man*, (de quibus agit S. Benedictus *in Regula cap.* 21.) Inter Canonicos quoque aſſumptus eſt Decanus, qui cæteris Canonicis, & cætero Clero inferiori intenderet; pro quibus Deo redditurus erit rationem. Ad hoc ſanè, ait dictus Author, multâ opus eſt prudentia, authoritate, eruditione, & morum probitate, ut Decanus dignitatem ſuam tueatur.

Archidiaconatus. Sequitur in Capitulis Cathed. *Archidiaconus*; cùm enim Epiſcopus ob nimiam negotiorum molem per ſe omnibus intendere nequeat, conſtituitur Archidiaconus, qui partem ſolicitudinis Epiſcopalis in ſe ſuſcipiat; unde & in jure vocantur *oculi Epiſcoporum*. Ad eum deferri ſolent fidelium jurgia, quæ corrigere debet, & emendare: graviora, ſolet ad Epiſcopum deferre. Ad eumdem ſpectat inſtituere Beneficiatos in beneficiis, & dignitatibus, etſi committere curam animarum ſpectet ad Epiſcopum. Concilium Trident. *Seſ.*

Digitized by Google

Seſ. 24. *cap.* 12. præcipit, ut Archidiaconi in omnibus Eccleſiis, ubi fieri poteſt, ſint Magiſtri in Theologia, ſeu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico. Ubi amplior eſt Diœceſis, ſolent Archidiaconi multiplicari, unde in Leodienſi Eccleſia, teſte Molano, propter ſuam amplitudinem erant ſeptem. Alia eorum officia habet dictus Author loco ibi ante *Cap.* 7.

Archipresbyteri, quaſi Presbyterorum Princeps, ſubindè *Presbyterorum Decanus* nuncupatur, & *Paſtor Paſtorum*. Alii ſunt Civitatenſes, alii Rurales: Civitatenſes ſunt, qui in urbe reſidentes, habent alios Paſtores Civitatis ſibi ſubjectos, etſi ſubindè eorum officium latius extendatur. Rurales, qui & *Decani Chriſtianitatis* dicuntur, ſolent aliis Paſtoribus Ruralibus præeſſe. Illius officium eſt curare, ut alii Sacerdotes divina Officia, & Miſſas ritè celebrent, & eorum vitæ, ac moribus præſunt poſt Epiſcopum: Miſſas inter Canonicos diſtribuit, Epiſcopo ſolemniter celebranti aſſiſtit, Epiſcopo abſente, ſeu infirmo ipſe Miſſas cantat, etſi id ſoleant facere Decani, ubi habentur. Paſtores ſibi ſubjectos ſubindè viſitat; & jurgia inter Sacerdotes orta amicabiliter componit, etſi non per viam Juris. Latius de eo agit Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 25. Dicta de Archidiacono, & Archipresbytero raro obſervant mores noſtri. Archipresbyteri.

Archipresbyterum ſequitur *Pœnitentiarius*, qui à caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvat. De eo ſic ſtatuit Synodus Tridentina *Seſ.* 24. *cap.* 8. *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis, ubi id fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, & annorum* 40. *ſeu aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum Confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in Choro cenſeatur.* Inſtituti ſunt illi ad normam Pœnitentiariorum Romanorum, qui à Caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ Domini abſolvere poſſunt, inter quos unus de Cardinalibus eminet, qui dicitur *Major Pœnitentiarius.* Pœnitentiarius.

In Cathedralibus inſuper eſt *Scholaſticus*, ſive *Magiſter ſcholæ*, aliis *Scholarchus* dictus, qui Clericos inferiores cantum, ſermonem latinum, & alias artes, ac diſciplinas edoceret. De eo ità ſtatuit Synodus Tridentina *Seſ.* 23. in fine. *De cætero verò, officia, vel dignitates iſtæ, quæ Scholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in S. Pagina, aut in Jure Canonico, & aliis perſonis idoneis, conferantur: & aliter facta proviſio nulla ſit, & invalida, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, & conſuetudinibus, etiam immemorialibus.* Conſiſtit autem munus Scholaſtici, ait Molanus *de Canonicis lib.* 2. *cap.* 10. potiſſimum in duobus; primò, ut ipſe per ſe, vel per idoneos ſubſtitutos ſcholæ præſit; deindè, ut ſi in ſchola ſua ipſe per ſe non doceat, frequenter tamen eam viſitet, & de moribus, tam docentis, quàm diſcipulorum diligentem curam habeat: inſuper, ne quempiam in locis juriſdictioni ſuæ ſubjectis permittat pueros docere, niſi prius de eorum probitate, ac ſufficienti doctrinâ conſtiterit, & profeſſionem fidei juxtà for- Scholaſticus.

Digitized by Google

mam à Pio IV. præſcriptam, emiſerit. In locis autem hæreticis vicinis ſollicitè ab eo curandum eſt, ne aliquæ ſuſpectæ fidei perſonæ, aut libri admittantur; dum hæreſis, ut cancer ſerpit, & ſemper ſe ipſam, & per malos libros, & per malos Magiſtros, atque Magiſtras diffundere conatur. Et quidem in Synodo Antverpienſi ſub D. Mi æſ *tit.* 1 . *cap.* 2. expreſsè ſtatuitur, ut Ludimagiſter in manibus Decani ruralis faciat profeſſionem fidei, juretque ſe non docturum, aut permiſſurum ab Hypodidaſcalo, vel Diſcipulis in ſcholâ ſuâ haberi libros hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos, aut quâcumque ratione in honeſtatem peccantes, aliàſque prohibitos.

Cantoratus. Sicuti autem in Eccleſiâ erat Magiſter ſcholæ; ita erat in eâdem Magiſter cantûs, qui aliis *Cantor* dicitur, aliis *Primicerius*. Hujus officium eſt providere, ut in cantu Eccleſiaſtico nihil ſit inconcinnum; diſtribuere Lectiones, Antiphonas, Prophetias, Chorum regere, &c. Moribus noſtris Cantor ob dignitatem ſui officii, digniorem obtinet locum; etſi id, quod in Choro, & alibi laborioſum eſt, ſoleat fieri per alium ſubſtitutum, qui dicitur alibi *Succentor*, alibi *Magiſter ceremoniarum*, alibi *Magiſter cantûs.* Notat ex aliis Barboſa de Jure Eccleſ. *lib.* 1. *cap.* 29. *num.* 13. de conſuetudine ſaltem Cantorias in Hiſpaniâ eſſe de principalibus dignitatibus: idem obtinet in Belgio.

Theſaurarius. *Theſaurarius* quoque, etſi antiquitùs nullam haberet dignitatem, aut beneficium, ſed ſolummodo officium: ex conſuetudine tamen, & omnium ferè Eccleſiarum Cathedralium uſu inter Dignitates locum habet, uti ex variis refert Barboſa de Canonicis, & Dignitatibus *cap.* 8. quod & ibidem probat *num.* 6. Hujus officium eſt cuſtodire theſauros Eccleſiæ, ſacra Vaſa, Reliquias, &c. unde & dicitur *Theſaurarius*: dicitur aliquando *Sacellarius* à parvo ſacculo, quem penes ſe habere, & geſtare conſueverat, ut notat idem Author ibid. *num.* 2. De aliis Eccleſiarum Miniſtris agit idem latius *ibid.* & Molanus exactiſſimè. Reſtat agendum de Parochis, Canonicis, & aliis, quæ ſpecialem exigunt diſcuſſionem.

SECTIO IV.

De Paſtoribus, & Canonicis.

IN *multis Collegiatis Eccleſiis poſt omnes Canonicos, Paſtor demum ſuum locum habet: verum, ſi ex meo voto ageretur*, ait Molanus de Canonicis lib. 2. cap. 12. *in Capitularibus Eccleſiis, quæ ſimul ſunt Parochiales, ſuprà Canonicos ſimplices, ſive nullâ Dignitate præfulgentes, Paſtori locus tribueretur. Cùm enim longè digniores ſint Parochi, quam Canonici, & expediat, ut populus Paſtores animarum ſuarum omni honore proſequatur; multum convenit, ut in hâc parte Canonici populo præluceant, ſuiſque exemplis declarent, ſeſe Paſtores, quia Paſtores ſunt, plurimum revereri, & honorare.* Ità Molanus. Hinc de iiſdem agemus, antequam agamus de Canonicis.

Vario

Digitized by Google

Vario nomine vocari ſolent : 1. *Paſtores*, quia animas ſuorum ſubditorum paſcunt verbo, Sacramentis, & exemplo, juxtà illud Joan. ult. *Paſce Agnos meos...... paſce Oves meas.* 2. Dicuntur *Parochi* à Parochia, ſive Paræciâ, quæ eſt locus, in quo degit populus alicui Eccleſiæ deputatus, certis finibus limitatus : undè Sacerdos tali loco præſidens, dicitur eſſe *Parochus.* 3. Dicuntur *Rectores*, & *Curatores*, quia populum ſibi commiſſum cum cura regunt. 4. Dici ſolet *Sacerdos proprius*, tamquam cui propriè, & ex officio aliorum cura incumbit. Aliqui eorum dicuntur *Plebani*, qui videlicet curam exercent animarum in Plebania habente ſub ſe plures Eccleſias, vel Capellas, ſic dicti à *plebe*, quæ eorum curæ ſubeſt : hinc Plebanus habet ſe cum cæteris Parochis unius plebis, ſicuti Archiepiſcopus cum Suffraganeis Provinciæ ſuæ; & Eccleſia Plebani appellatur *Matrix Eccleſia*, ſeu Mater Eccleſiarum, quas ſub ſe continet. Paſtoratus.

Officium Parochiale cæterorum omnium officiorum eſt maximè arduum & difficillimum; dum ars eſt artium regimen animarum; in quo exigitur eximia vitæ innocentia, magna doctrinæ ſacræ ſcientia, & maxima proximorum dilectio. Debet enim Parochus prælucere verbo, & exemplo, dum non ſolùm ſibi vivit, ſed omnibus ſubditis; & meminiſſe oportet, quod in Epitaphio Nepotiani ſcripſit S. Hieronymus : *In te omnium oculi diriguntur : domus tua, & converſatio, quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ. Quidquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant.* Debet inſuper pollere ſacrarum Litterarum ſcientiâ, quâ poſſit populum docere verba vitæ, & diſciplinæ; & in Doctrina ſana inſtruere, ne cæcus cæco ducatum præſtet, & ambo in foveam cadant. Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent. Hinc ſæpè compertum eſt, quod dicitur in Cap. *Ignorantia* Diſt. 36. *Ignorantia Clericorum, omnium errorum eſt mater.* Oportet denique intenſo proximorum zelo accendi, ne Mercenariorum more videns Lupum venientem fugiat, & Oves dimittat; ſed ut bonus Paſtor ponat animam ſuam pro ovibus ſuis, dicendo cum Apoſtolo 2. Cor. 2. *Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Exactiores Parochorum qualitates, & obligationes adſert Barboſa toto opere de *Parochorum obligat.* Idem ſolidè fecit P. Mantelius Ord. S. Aug. de officio Paſtorali : Poſſevinus de officio Curati : & omnium præſtantiſſimè S. Gregorius de cura Paſtorali. Parochi munus eſt maximè arduum.

Canonici primitùs *Clerici* dicti, ac *Fratres*, ut notat Molanus, dicti ſunt à *Canone*, ſeu *Regula*, juxtà id, quod ſcribit S. Ivo epiſt 203. *Canonici appellati eſtis, quod Canonicas regulas vos velle obſervare cæteris arctius devoviſtis.* Undè malè alii cum Azorio, Canonicos à *Canone*, ſive *annonâ*, aut portione pro ſtipendio ſtatuta conantur derivare. Originem habent ab ipſis Apoſtolis, ad quorum exemplum primitùs in communi vivebant; undè & Canonicorum Collegia, dicta ſunt *Monaſteria*, & varia deindè Concilia communem vitam Canonicis præceperunt; adeò ut paulatim charitate decreſ- Canonicatus.

creſcente, dum aliqui Clericorum privatim vivere cœperunt, apud illos tantùm Canonicorum nomen remanſerit, qui ſimul ſub Epiſcopo communem ducebant vitam, eodem utentes refectorio, eodemque dormitorio, ut expreſsè ſcribit Molanus *lib.* 1. *Cap.* 6. ibidem addens, non mirari oportere, Ordinem Canonicorum modernorum, qui tantopere à primævo ſtatu declinavit, non amplius *Apoſtolicum* dici. Hinc etiam tantopere allaborarunt varii Antiſtites, ut Canonicos ad communem vitam reformarent, prout fecit S. Auguſtinus, S. Norbertus, &c.

Alii ſunt Canonici ſæculares, alii Canonici Regulares. *Sæculares* ſunt, qui hâbent jus Canoniæ, & præbendæ in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiatâ, *Cap. Dilectus fil. de præbendis.* Originem illorum derivat Barboſa de Canonicis, *Cap.* 1. *num.* 46. à Clericis illis in minoribus conſtitutis, Sacerdotibus ſubditis, certa in Templo miniſteria obeuntibus, pſallentibus, & ab Epiſcopo victum accipientibus, & veſtitum : quibus poſtmodum honoris causâ Ordo ſacer adjunctus eſt, ac certæ præbendæ ex Eccleſiæ fructibus aſſignatæ, ut cum Epiſcopo unum Corpus efficerent, & illi eſſent auxilio, & conſilio in tractandis rebus Eccleſiæ, undè & olim dicebatur illud Canonicorum Collegium, eſſe *Conſilium Epiſcopi*; hodiè verò dicitur *Capitulum.* Ita ferè dictus Author.

Canonici Regulares illi dicuntur, qui Regularem vitam profeſſi in Monaſterio vivunt, ſolemnia Religioſorum vota emittentes. Hoc nomen, ait ille, ſibi non præſumpſerunt illi, ut aliqui perperam arbitrantur, ſed Concilia œcumenica, & Pontifices Maximi ſic eos appellarunt, *Cap. Nullus, cap. Mandamus* 19. *q.* 3. & alibi. Porrò, ita appellantur Canonici Regulares, quaſi duplici obligatione vitæ Canonicali ſint adſtricti; undè etiam propriè Canonicos eſſe cum aliis tradit ille ibidem.

Canonicis addi poſſunt *Canoniſſæ*, in Germania utraque frequentatæ. Vocat eas Concil. Viennenſe *Beguinas Clem. II. de ſtatu Monach.* Præcipitque, ut aliquam vivendi formam, & Regulam Monachalem deligant. Vivunt, ut Canonici ſæculares de fructibus Eccleſiæ, nullumque votum emittere tenentur, ſed libertatem habent ineundi Matrimonii, quod ineunt plurimæ; habentque interim plenam diſponendi de bonis ſuis libertatem. Solent earum præbendæ aſſignari feminis, non niſi Nobiliori ſtirpe progenitis.

Canoniſſæ.

Capellani.

Canonicos ſequuntur *Capellani*, ſive *Sacellani*, ſic dicti à Sacello, ſive ab Altari ſimplici, cui deſerviunt. Olim, dum adhuc vigebat vetus Canonicorum diſciplina, non diſcernebantur à Canonicis; imò nec nomen Sacellani uſpiam audiebatur, ait Molanus de Canonicis *lib.* 2. *cap.* 34. eorum Capellaniæ authoritate Epiſcopi inſtitutæ, ſunt veri nominis beneficia. Dividi etiam poteſt Capellania in ſæcularem, & Regularem, prouti, vel ſæcularibus debetur, vel Regularibus. In dubio autem; ſitnè Capellania Regularis, an ſæcularis, & ſit fundata in Eccleſia Regulari, docet cum aliis Barboſa de Jure Eccleſiaſtico *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. præſumendam eſſe

Regularem, niſi conſtet in eadem Eccleſia pro ſæcularibus eſſe inſtitutam. Hortatur rectè Molanus ibi ſuprà, ne refractariè agant Sacellani, contrà Canonicos; nec Canonici viciſſim iiſdem, ut ſuis famulis abutantur; ſed meminiſſe debeant eos eſſe Sacerdotes Chriſti.

Addi hìc poſſunt *Vicarii*, qui in beneficiis alii ſunt perpetui, alii temporales. *Perpetui* dicuntur, qui ab Epiſcopo inveſtiuntur, congruâ illis portione redituum conſtitutâ; ita ut amoveri non poſſint, niſi per privationem, depoſitionem, aut aliam cauſam in Jure expreſſam. Tales ſtatuuntur, ſi dignitati, aut Canonicatui Eccleſiæ Cathedralis annexa ſit Eccleſia Parochialis, quo caſu oportet Beneficiatum in majori Eccleſia deſervire, & in Parochiali Eccleſia habere idoneum, & perpetuum Vicarium Canonicè inſtitutum: *Cap. extirpandæ §. qui verò, de præbend.* Deinde, talis conſtitui debet, ſi Eccleſia Parochialis ſæcularis annexa ſit Monaſterio; quo caſu ei debet præfici Clericus ſæcularis, cujus inſtitutio, ac depoſitio ſpectat ad Epiſcopum, non verò ad Monaſterium. Quando etiam permittit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 7. *cap.* 7. Epiſcopo conſtituere Vicarios manuales, ſive ad nutum amovibiles. addit Layman *Tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 8. quod conſuetudo multis in locis obtinuerit, ut Monachi, multoque magis Canonici Regulares, cùm ab Epiſcopo approbati ſunt, ejuſmodi Eccleſiis præficiantur, & pro voluntate Abbatis, alteriuſvè Regularis Præpoſiti revocentur; quare & *obedientiarii Vicarii* vocari ſolent. Neque talis conſuetudo improbatur, ſed potius permittitur *Cap. ult. de Capell. Monach.* ità tamen, ut Monachi ſibi ſocium adjunctum habeant ſui Ordinis. Idem obtinet in Belgio paſſim. Vicarii.

Vicarii temporales ſunt, qui ad tempus ſolent conſtitui; puta, tempore abſentiæ; infirmitatis, negotiorum, ſuſpenſionis, ingreſſus Religionis beneficiati: ceſſat hæc Vicaria, ceſſante cauſâ, ob quam eſt data. Neque hæc Vicaria eſt beneficium, neque titulis beneficialis; ſed eſt ſimplex ſalarium, ſeu ſtipendium; unde nec comprehenditur in reſervationibus; nec in ejus titulum poteſt quis ordinari ſacris Ordinibus, neque conſequenter Vicarii temporales gaudent iis privilegiis, quibus gaudent Vicarii perpetui; neque etiam obligantur ad Horas Canonicas, de quo infrà.

His addi poſſunt *Præſtimonia*, quæ nihil ſunt aliud, quàm quædam ſtipendia pro ſtudioſis inſtituta, aut etiam pro militantibus pro Fide Chriſtianâ: unde Præſtimonium dicitur quaſi *præſtans munium*, id eſt, officium, ſeu obſequium juxtà aliquos. Non poſſunt Præſtimonia verè, ac propriè dici beneficia Eccleſiaſtica, dum ex ſe nullum ſpirituale officium continent; cujus contrarium plures tenent, & docent, eadem eſſe beneficia, & ſub beneficiis Eccleſiaſticis comprehendi: tum, quod in Jure ſæpiſſimè Præſtimonia aliis beneficiis ſoleant annumerari: tum, quod Conc. Trid. *Seſſ.* 14. *Reform. cap.* 9. & *Seſſ.* 23. *Reform. cap.* 28. etiam Præſtimonia beneficiis aliis Eccleſiaſticis annumeret, & illis adjungat. Alii denique duas opiniones conciliant, & docent, quod Præſtimonia illa, quæ dantur Laicis ſine ullo onere ſpirituali, Præſtimonia.

&

& merè in temporalibus conſiſtunt, non ſint beneficia : illa verò, quæ dantur Clericis in titulum perpetui beneficii, & habent annexum aliquod officium ſpirituale (prouti in Hiſpania frequenter inveniri tradit Barboſa *de Jure Eccl. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 5.) eſſe vera beneficia. Et hujuſmodi Præſtimonia obtinentes, poſſunt in eorumdem titulum ordinari; tenenturque illi ad Horas Canonicas; neque illa abſque ſimoniâ vendi poſſunt, gaudentque privilegio Canonis, ut cæteri Beneficiati.

Commendariæ.

His adjungi poſſunt Præceptoriæ, ſeu Commendæ Ordinum militarium, quas eſſe vera beneficia, & titulos cenſent alii apud dictum Aut. *cap.* 7. *num.* 3. neque hîc obeſt, quod ad nutum magni Magiſtri ſint amovibiles, eò quòd illud non oriatur ex naturâ Commendæ, ſed ex parte perſonæ, quæ ſub illius obedientiâ remanet, prouti idem diximus de beneficiis Regularibus. Alii tamen cenſent, non eſſe beneficia, cùm non dentur ob aliquod officium Eccleſiaſticum, ſeu ſpirituale, ſed temporale; puta ob militiam ſtrenuam pro Fide exercendam : deinde, nullo ſacro Ordine debent inſigniri, neque etiam primâ tonſurâ, nec ad Officium divinum obligantur, ſed ſolummodò ad certas preces, non ex vi Commendæ, ſed ex vi ſuæ profeſſionis, & regulæ. Et quamquam dictæ Commendæ non dentur, niſi Religioſis, adeoque videri poſſet, quod ſint annexæ ſtatui ſpirituali; tamen non dantur illis ob profeſſionem tamquam ob titulum, ſed ſolùm tamquam ob conditionem, ſine quâ non poſſunt conferri. Et hinc varia deduci poſſunt : 1. Quod ſint abſoluti Domini omnium bonorum : 2. Quod dictæ Commendæ non ſint materia ſimoniæ : 3. Quod de illis liberè poſſint diſponere teſtamento : 4. Quod poſſint obtinere Beneficia ſæcularia, &c.

Ut ut ſit, dicuntur ſæpè beneficia Ordinum militarium, ut S. Joannis in Hieruſalem, & aliorum ſimilium. In eo autem Ordine conveniunt Milites ex omnibus Europæ partibus, conſtatque Equitibus, Sacellanis, ac Militibus inſervientibus armaturæ. Alii deſerviunt Hoſpitali, ex quo cœpit hic Ordo. Unicum habent ſui Ordinis Caput, quem vocant *Magnum Magiſtrum*, qui in exordio erat Magiſter Hoſpitalis, habetque ille ſub ſe Officiales alios, ut Admiraldum, Mareſchallum, &c. Officiales Ordinis, duplicis ſunt generis : Conventuales, quos vocant Majores Priores, uti eſt Prior Eccleſiæ Melitenſis, qui & præëſt aliis Eccleſiaſticis ejuſdem Ordinis. Officiales Provinciarum ſunt meri Commendatores, Ballivi, & majores Provinciarum Priores, qui in ſuâ quique Provincia Capitulo Provinciali præſident, cui præſentandi ſunt novi milites, & ab eo approbandi. Magnus Magiſter eſt electivus : ab eo alii Officiales ſtatuuntur cum conſilio ſuorum Officialium, puta Priorum Conventualium. Quiſque Prior major jus habet viſitandi Commendarias ſuæ Provinciæ, uti & alia Provinciæ membra. De cætero, Equites non poſſunt diſcedere de ſuis Commendariis, aut Provinciis ſine licentia ſui reſpectivi Superioris. *Vide D. Bonel Inſtitut. du Droit Eccl. de France cap.* 20.

SE-

Digitized by Google

S E C T I O V.

De Commendis.

Beneficiis adjungi, & ab aliquibus cum illis confundi ſolent Commendæ perpetuæ. *Commendare* autem nihil eſt aliud, quàm deponere, uti colligitur *L. Commendare ff. de verb. ſignif.* undè *Commendata Eccleſia* dicebatur, quando viduata Paſtore, alterius curæ deponebatur, ſive commendabatur, donec de idoneo Miniſtro eſſet illi proviſum, ne intereà Eccleſia ſuo Capite, ac Rectore orbata, aliquod damnum ſuſtineret. Hinc Concilium Tridentin. *Seſſ.* 24. *cap.* 18. jubet, ut Eccleſiæ vacanti de idoneo Vicario ab Epiſcopo provideatur, congruâ illi aſſignatâ portione. Originem Commendarum referunt ad S. Gregorium, qui varias Eccleſias legitur commendaſſe, uti ex *lib.* 11. *epiſt.* 7. conſtat, eum commendaſſe Eccleſiam Neapolitanam. Abbatiarum Commendationes refert cum aliis Aſcan. Tamburinus *de Jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 4. *q.* 1. ad Leonem IV. uti patet ex *Can. Qui plures* 21. *q.* 1. & quamquam aliquando quidem Pontifices Commendas proſcripſerint; alii tamen deindè iteratò eas introduxerunt, etiam perpetuas; adeo ut Paulus II. à Cardinale Portuenſi admonitus, ne eas in Eccleſiâ iteratò admitteret; reſponderit, ultra 500. Monaſteria à tempore Calixti III. Clericis commendata fuiſſe, qui nullâ regulâ eſſent devincti. Quid Commendæ.

Enimverò, Commendas temporales bonas eſſe, ac Eccleſiæ neceſſarias, eſt in comperto. An eadem ſit ratio de perpetuis, meritò ab aliis dubitatur. Varia ſunt, quæ eaſdem arguunt: alia ſunt, quæ defendunt. Eaſdem defendit cum aliis Fagnanus in *Cap. Cùm ad noſtram, de elect.* dicentibus, quod in Monaſteriis defectu Religioſorum idoneorum, neceſſariò introduci debuerint ejuſmodi Commendæ. Idem alii probant ex uſu Eccleſiæ, adeo ut in Galliis potiſſimum Commendæ titulo beneficii æquipararentur, teſte Zypæo *Conſult. lib.* 3. *Conſult.* 2. *de Commendis.* Alii eaſdem proſcribunt: tum, quod Commendæ perpetuæ ordinentur in bonum paaticularium, ſæpè ad eorum luxum; ubi bona Eccleſiaſtica diſpenſanda ſunt in bonum Eccleſiæ; unde etiam antiquitùs ignotæ fuerunt Commendæ perpetuæ, dum magis cura gregis quæreretur, quàm lana: tum, quod vergant in damnum Monaſteriorum, tam ſpirituale, quàm temporale, dicente Clemente V. *extrav.* 2. *de præb. Proſpeximus evidenter, quod Eccleſiarum, & Monaſteriorum eorumdem cura negligitur: bona, & jura diſpenſantur ipſorum, ac ſubjectis eis perſonis, & populis ſpiritualiter plurimum, & temporaliter derogatur, eiſque redundant in noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum: ac nedum ipſis, ſed etiam Romanæ Matri Eccleſiæ, quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur, & Magiſtra, graviora inde futura timentur pericula.* Et Leo X. in Concilio Lateran. Seſ. 10. *Quoniam ex Commendis Monaſteriorum, ut Magiſtra rerum experientia ſæpius docuit, Monaſteria ipſa, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus graviter læduntur;* Quæ Commendæ ſint bonæ.

quippe,

Digitized by Google

quippe , quorum ædificia , partim Commendatoriorum negligentiâ, partim avaritia , aut injuriâ collabuntur , & indies divinus cultus in his diminuitur , paſſimque obloquendi materia perſonis , præſertim ſæcularibus præbetur , non abſque dignitatis Apoſtolicæ Sedis diminutione , à quâ Commendæ hujuſmodi proficiſcuntur ; ut eorum indemnitati ſalubrius conſulatur ; volumus , ac ſancimus , ut cùm illa per obitum Abbatum , qui illis præërant , vocaverint , nullo pacto cuiquam poſſint commendari.

Inter alios graviter invehitur in Commendas Zypæus *Juris Pontif. lib.*3.*de Clerico ægroto , num.* 2. Ubi ait, nihil ejuſmodi Commendis uſitatius eſſe in Galliis , *unde infinita malorum in Clero , & populo ſemina ; ob quas , ut pote toto genere odioſas , cùm vetitum ſit arare in Bove , & Aſino , & non minus monſtrum eſſe videatur , quàm quod Horatius amicis ridendum proponit ,*

Humano capiti cervicem Pictor equinam
Jungere ſi velit , &c.

Ad quæ , ait , *ſperandum eſt , Pontifices aliquando oculos converſuros.*

Idem faciunt & alii, inter quos omnibus operoſius Auctor libelli Gallicè intitulati, *l'Abbé Commendataire.* His addunt alii, quod Commendæ viam ſternant pluralitati beneficiorum ab Eccleſia tantopere deteſtatæ ; quo fit ; ut unum beneficium obtineant in titulum, aliud in commendam , dum plura obtinere nequeunt in titulum. Deindè , quod ſubindè commendentur Eccleſiæ etiam infantibus ; quod pueri fiant Eccleſiarum Patres ; & Pedo, ac Mitrâ jam decorentur illi, qui necdum poſſunt loqui , aut incedere. Hinc paſſim Commendas proſcribunt hîc plurimi ; & è contrà laudant Belgii Principes , qui ejuſmodi commendas non concedunt , & nullis Regulares dignitates non profeſſis eas conferunt.

Commendæ in Belgio proſcriptæ.

Et in Brabantia noſtra jam olim ſtipulati ſunt Ordines cum Principibus ſuis, quod nullas dignitates darent in Commendam : *Lætus Introit. Art.* 56. *Caroli V. interpretatio facta* 20. *Junii* 1536. Hinc etiam in inauguratione ſuâ jurant Principes noſtri, ſe nullas Commendas eſſe permiſſuros, ſed electionis jura Monaſteriis relicturos. Speciales inſuper Monaſteria ſuas habent exemptiones, & libertates à Commendis, tam à Rege , quàm à Pontifice obtentas. Sic Abbatia noſtra eamdem obtinuit à Sixto IV. anno 1476. Vix autem ab anno ſimile privilegium conceſſerat Sixtus IV. cùm ecce anno ſequenti eadem Abbatia datur in Commendam Epiſcopo Sibinenſi, cui ſeſe cum toto Ordine oppoſuit, & elegit Joannem Robyns ejuſdem Abbatiæ Canonicum, qui à Theoderico Abbate Parchenſi Vicario Ordinis , confirmatus eſt, & poſt varia ex urbe vibrata fulmina in Religioſos , ac dictum Abbatem , demum manutenuit electionem. Idem caſus eidem Abbatiæ contigit 1516. quando commendata fuit Cardinali à Marca ; cui iteratò ſeſe oppoſuit, nec tamen potuit impedire niſi, tranſactione factâ numeratis multis millibus, ob quæ varia opulenta prædia, & dominia viliori pretio divendere eſt coacta. Eadem refert Chronicon Parchenſe. Tandem à Philippo

Digitized by Google

lippo II. Rege Catholico luculentiſſimum à Commendis exemptionem obtinuëre varia Brabantiæ Monaſteria, cujus authenticum exemplar reſervant Monaſterii noſtri Archiva.

Occaſione Commendarum, occurrit libellus quidam Gallicè à 2. annis editus de reditibus Eccleſiæ, per Hieronymum à Coſta (ut dicitur) Juris Utr. Doct. & Protonot. Apoſt. qui folio 281. comparat Abbates Commendatarios Abbatibus Regularibus; aſſeritque, quod, ſi hiſtoria Abbatum Regularium texeretur, uti facta eſt de Commendatariis; paterent plures abuſus in Regularibus, quam in commendatariis. Ratio illius eſt, quod Commendatariis ſolummodo aſſignetur tertia bonorum portio: Regularibus verò concedatur omnium bonorum Monaſterii diſpoſitio; unde ait, ſinunt Religioſos fame mori, &c. additque varias invectivas in Abbates Regulares ex Trithemio depromptas. Verum, ut ipſemet advertit, res ea non eſt diſjudicanda ex abuſu perſonarum eâ re abutentium; ſed ex re ipſâ, ejuſque naturâ, & inſtitutione: quo pacto, plura incommoda obvenire poſſe Monaſteriis ab Abbatibus Commendatariis, quam ex Regularibus, aliis eſt in confeſſo.

SECTIO VI.

Quibus modis ſoleant conferri Beneficia.

Plurimis modis poſſunt beneficia conferri: 1. Præſentatione perſonæ præviâ, ac ſubſequâ inſtitutione. 2. Electione, & confirmatione. 3. Poſtulatione, & confirmatione. 4. Collatione liberâ. 5. Permutatione. 6. Reſignatione in favorem ſubſecutâ collatione. De ſingulis quædam dabo, ac primò de electione: de præſentatione agam in ſpeciali de jure patronatûs.

Electio definiri ſolet ex Gloſsâ *in Cap. Quia propter, de elect.* quod ſit perſonæ alicujus ad Eccleſiæ vacantis Paſtoralem dignitatem Canonica vocatio. Propriè ſumitur pro eâ, quæ fit per plurimorum ſuffragia ſecundùm Canones: alia eſt impropria, quæ fit à ſolo ſuperiore, quæ in beneficiis propriè vocatur *collatio*, *inveſtitura*, ſeu *inſtitutio.* Solet ſtatui triplex eligendi modus, ſcicet per ſcrutinium, per compromiſſum, & per revelationem divinam. Alii addunt quartum, puta per ſcrutinium ſimul cum compromiſſo. Dicitur electio fieri *per ſcrutinium*, dum præſentibus omnibus eligentibus, tres eliguntur, qui vota colligant, & illis fideliter collectis, edicunt, quis ſit electus, in quem major pars conſenſerit. Et hæc eſt modus eligendi maximè proprius, & uſitatus. *Per compromiſſum* verò fit electio, cum unus, vel plues aſſumuntur quibus demandatur facultas eligendi; adeo ut, quidquid ii fecerint, habebitur pro rato. *Divinâ revelatione* fieri dicitur quando ſine aliquâ conſultatione, quaſi divino inſtinctu ſimul omnes aliquem ad dignitatem aſſumunt, uti factum eſt in S. Martino, Ambroſio, & aliis. Interdum verò ſcrutinium concurrit cum compromiſſo, puta, ſi ita compromiſſum fiat, ut compromiſſarii, ſive unus, ſive plures ſecretò, & ſigillatim ſingulorum vota exquirant, eumque eligant, in quem major pars Collegio conſenſerit.

Quid ſit electio, & quotuplex.

Cccc Por-

Porrò ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi ſtatutum fuit quoad electionem Epiſcopi ut præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumerentur tres de Collegio fide digni, qui ſecretò, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, quæ in ſcriptis redacta, mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto: ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major, & ſanior pars capituli conſentit; aut ſaltem viâ compromiſſi antea dicti. Ex hâc conſtitutione colligunt: 1. Quod omnes, qui habent jus ſuffragii, debeant ad electionem vocari, ſive illud jus habeant ex conventione, aut præſcriptione, aut alio juſto titulo: adeo ut, ſi quis ejuſmodi omiſſus fuerit, poſſit electionem factam infirmare, niſi eidem vellet accedere, aut ſuo ſilentio electionem videatur agnoſcere, *Cap. Quod ſicut* 28. *de elect.* Qui tamen eſt legitimè impeditus poteſt per Procuratorem uni de Capitulo demandare votum ſuum, ut habet *Cap. Quia propter*, *hoc tit.* Cùm verò Concilium Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 6. *Regul.* abrogatâ formâ jam dictâ, quâ tres vota colligant, ſtatuerit electiones deinceps fieri debere per vota ſecreta; ut nullâ prorſus ratione cuiquam ea innoteſcant, aliàs electio erit invalida: qualis etiam eligendi modus in Gallia, & ubivis recipitur, ut aſſerit Cabaſſutius *theoriæ*, *&c. lib.* 1. *Cap.* 7. *num.* 4. Hinc prædicto caſu debent vota mitti ſcripta in charta complicata, & alterius chartæ ſigillatæ involucro involutum, non antea aperiendum, quàm intrà Capitulum confuſa in unum ſcripta per ſcrutinia aperiantur. Colligunt 2. quod nemo etiam invitus electioni intereſſe cogendus ſit, *Cap. Quia propter.* Alias cæremonias particularium ſtatuta habent in eligendo quæ cuique ſunt attendendæ. Et quidem in Gallia non obſervari dictam Epiſcopos eligendi formam, tradunt Authores Galli, cùm in Concordatis Bononienſibus uſu deſiit Pragmatica ſanctio, & Regibus Galliæ jus nominandi Epiſcopos, alioſque Beneficiatos conſiſtoriales ſit attributum, retento Papæ jure inſtitutionis, & annatæ. Idem habet locum in Belgio, & aliis locis Regi Catholico ſubjectis. Obtinent tamen dicta eligendi forma in Germania, & alibi.

Quid poſtulatio. *Poſtulatio*, eſt ſupplex eligentium petitio alicujus perſonæ facta legitimo ſuperiori, ut eam non obſtante aliquo impedimento, ad beneficium admittat. Poſtulatio ergo implorat, & innititur gratiæ ſuperioris; ubi electio innititur eligentium juri. Inventa autem eſt poſtulatio in ſubſidium electionis; quatenùs is, qui ſecundùm Canones eligi non poteſt, poſtulationis auxilio adjuvetur. Non poteſt tamen poſtulandus eſſe impeditus impedimento morali, v. g. eſſe homicida, perjurus, irregularis, &c. ſed intelligitur de impedimento naturali, v.g. quod ſit fortè illegitimus, minoris ætatis, non ſit de Capitulo, necdum ordinatus, &c. In multis autem conveniunt electio, & poſtulatio, & in multis differunt. Conveniunt primò in eo, quod qui eligere poſſit, poſſit & poſtulare: 2. Quod ſicut electio fit cum ordine ad ſuperiorem, qui electionem debeat confirmare, ita & poſtulatio fiat cum ordine

dine ad ſuperiorem, qui poſtulatum debeat admittere, & approbare. 3. Quod poſtulantes, ſicuti eligentes indignum, poteſtate eligendi, aut poſtulandi priventur, & poteſtas ad alios devolvatur. Differunt autem 1. in eo, quod qui eligi non poteſt, poſſit poſtulari, ut ſi defectum habeat diſpenſabilem, de quo antea. 2. Quod electo idoneo per electionem conferatur jus ſaltem inchoatum; adeo ut alter debeat eum confirmare: tale autem jus non acquiritur poſtulato, *Cap. Bonæ* 1. *& Cap. Poſtulationem de poſtulat. Prælat.* 3. Quod electio à ſuperiore confirmari dicatur, poſtulatio admitti, *Cap. Scriptum de elect.*

His adjungi poteſt ***nominatio***, quæ ſolet fieri tripliciter: 1. Quando à Collegio aliquis proponitur, ut ſi dignus judicatus fuerit, eligatur, de quo *Cap. Quod ſicut, de elect.* 2. Quando electores aliquem ſecretò in chartâ nominant. 3. Quando duo, vel tres digniores à Collegio nominantur, & ſuperiori offeruntur, ut quem maluerit, aſſumat, ita Barboſa Juris Eccl. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 17. Tale jus nominandi habent Rex Galliæ, & Rex Hiſpaniæ: habent Academiæ, Collegia, Canonici, & alii. Et quamquam in his partibus Princeps conſueverit Collegii, cujus Antiſtes præficiendus eſt, ſententias exquirere; id agit magis causâ concilii, quàm quod ab illorum ſuffragiis creatio dependeat, ut ait Gudelinus Juris noviſ. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 21. niſi fortè Collegium, cui præficiendus eſt Antiſtes, ſpeciale cum Rege habeat Concordatum, quod extrà electionem à Collegio factam, Antiſtitem Rex non nominabit: quale Concordatum habent hìc Abbatiæ quamplurimæ: cui quoque videmus Regem ſeſe conformare. Quid nominatio.

Differt autem nominatio ab electione, ac poſtulatione, quod electio innitatur juri communi; poſtulatio, & nominatio gratiæ: quod nominatio poſſit fieri per unum, quod non poteſt fieri in electione: quod nominatio poſſit eſſe de pluribus, electio autem, & poſtulatio ſit tantùm de uno: electio fit de digniori, item nominatio, non verò poſtulatio: electo acquiritur jus quoddam ante confirmationem, v. g. jus Prælaturæ, & adminiſtrationis, etſi non exercitium adminiſtrandi, quod per confirmationem acquiritur, *Cap. Paſtoralis in fine, de reſcript.* §. *ecce* 16. *q.* 1. Tale autem jus non acquiritur nominato, unde & nominans à nominatione poteſt reſilire, antequam fuerit ſuperiori præſentata, eò quòd nominatio ſignificet conſenſum de futuro, adeo ut ſit ſenſus, ***nomino talem eligendum.*** Vide Fagnanum *in Cap. bonæ memoriæ, de poſtul. in fine.*

Solent inſuper beneficia conferri collatione liberâ: etſi enim generaliter loquendo nomine collationis veniat electio, præſentatio, inſtitutio, & generaliter omnis modus, quo quis de beneficio providetur: propriè tamen collatio eſt gratuita conceſſio à ſuperiore facta, quæ etiam *proviſio* dicitur; eò quòd is, cui collatio facta eſt, dicatur de benficio proviſus, & beneficium de perſonâ proviſum. Sæpè etiam in Jure dicitur *donatio*, quia liberaliter fit, in quo etiam differt à confirmatione, & inſtitutione, quæ ſunt neceſſariæ, Quid collatio libera.

Digitized by Google

& debent fieri legitimè electis, & præſentatis, de quo mox plura ad Collationem hanc refertur jus Regum Galliæ, quod vocant *Regaliam*, de quo quædam hic dicenda.

SECTIO VII.

De jure Regalium, & Inveſtituræ.

Quid ſignificent Regalia.

NOtat Franciſcus Florens Anteceſſor Pariſienſis *ad lib.* 1. *Decret. tit.* 6. *de elect. Regalium* nomine generaliter ſignificari res, & jura omnia Regia, & Fiſcalia: deindè, iiſdem apud Scriptores hiſtoriæ Germanicæ ſignificari inſignia Imperatorum, ut enſem, globum, ſceptrum, & coronam: aut etiam ſignificant jura quædam eximia Imperatoribus, aut etiam Regibus propria. Inſuper denotant aliquando feuda, & poſſeſſiones, quæ munificentiâ Imperatorum, & Regum, Eccleſiis, Zenodochiis, & aliis piis locis ſunt conceſſa. Sic loca pia dicuntur *eſſe Regalia*, *eſſe in Regis mundo*, *Regis cuſtodiâ*, *&c.* Sic & *Regalia S. Petri* dicitur, quæ liberalitate Regum, & Imperatorum, Papæ liberaliter ſunt conceſſa.

Confundunt etiam aliqui Scriptores jus Regalium, cum jure inveſtituræ, ſed perperam. Pro quo notari poſſet, magnum quondam jus habuiſſe Reges, ac Imperatores quoad electiones Epiſcoporum, non ſolùm factas, ſed & faciendas; puta, ut ſine eorumdem conſenſu eligere non poterant, nec electi confirmari. Hoc jus Franciſcus Florens ibi ſuprà, adſcribit Imperio, tam Orienti, quàm Occidenti, Regno Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, Angliæ, Siciliæ, Hungariæ: quod jus competere dicit Regibus, partim ob eorum dignitatem; partim ob Eccleſiæ tuitionem, & defenſionem; partim, quod Eccleſias, Abbatias, & alia pia loca ampliſſimis reditibus dotaverint. Et hinc illis conceſſa olim fuit inveſtitura Epiſcopatuum, & Abbatiarum, aliarumque dignitatum, quæ fiebat à Rege per traditionem baculi, & annuli ante conſecrationem Epiſcopi, vel Abbatis: eodem ferè modo, quo jure feudorum, inveſtitura novi vaſalli fiebat per fictam traditionem, fuſtis v.g. annulli, enſis, vexilli, vel alterius ſigni Vaſallo traditi, quo illi cenſebatur jus conferri, & obligatio feudalis. Hinc factum, ut mortuo Epiſcopo, vel Abbate, baculus Paſtoralis, & annulus deferretur ad Imperatorem, vel Regem, qui poſt electionem eadem dabat electo, quemque ita inveſtiebat. Verum hanc inveſtituram damnavit Gregorius VII. Urbanus II. Paſchalis II. ſub Henrico IV. & V. Imperatoribus, unde paſſim vocabatur inveſtitura, *Henriciana Hæreſis, & Simonia*: donec tandem ſub Calixto II. in Concilio Lateranenſi 1. concordia facta fuit inter Pontificem, & Henricum V. ea conditione, ut Imperator de cætero ſineret fieri electionem liberam Epiſcoporum, eorumque confirmationem: deindè, ne amplius inveſtitura fieret traditione annuli, & baculi; ſed ut Regalia traderent per ſceptrum, eiſque hominium, & fides ab Epiſcopis, & Abbatibus fieret

Quid inveſtitura.

Digitized by Google

ret juramento firmata. Plenius eadem concordata vide apud noſtrum Conrad. Uſpergenſem anno Chriſti 1122. In Angliâ quoque, poſt graviſſimas controverſias, & variorum Epiſcoporum exilia, ut Anſelmi, Lanfranci, &c. inveſtituras per annulum & baculum ceſſaſſe ſub Henrico I. tradunt Authores, etſi ejus ſucceſſores eas reſumpſerint. Idem eſt de aliis Regnis.

His ergo inveſtituris ſeſe ſemper oppoſuerunt Pontifices, tamquam, quæ eſſent res planè ſpirituales, Laicis non convenientes: hoc tamen alii intelligunt de Inveſtiturâ ſpirituali, non item de corporali, quâ Reges nihil ſpirituale ſeſe tradere affirmant. Unde Ivo epiſtolâ 6.. *Dominus quoque Papa Urbanus, Reges tantùm à corporali inveſtiturâ excludit, quantum intelleximus: non abs electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione. Quamvis octava Synodus ſolum prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu, ſive linguâ, ſive virgâ, quid refert? cùm Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantum, aut votis petentium annuere, aut Villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de Regum munificentiâ obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere.* Ut ut ſit, certum eſt, ſecundùm Ivonem, & alios, inveſtituras eſſe abrogandas, quas ſuaſu Pontificum poſtea Reges, ac Imperatores remiſerunt, retento tamen jure Regalium. Quod autem jus inveſtituræ differat à jure Regalium, patebit ex mox dicendis.

Jus ergo Regalium quoad Galliam, juxtà Authores Gallos, & noviſſimè Cabaſſutium *theoria*, *&c. lib.* 11. *cap.* 4. in eo ſitum eſt, quod Reges eo jure non conferant, ut Patroni præſentando; ſed abſolutè, & immediatè per ſe conferant beneficia ſimplicia, curamque animarum non habentia annexam, vacantia eo tempore, quo vacat Sedes Epiſcopalis, cujus collationi illa erant ſubjecta. Hinc duo complectitur Regum Privilegia, quorum unum eſt temporale, ejuſque vi Oeconomum conſtituit, qui colligat, & adminiſtret Regio nomine fructus, & proventus Eccleſiæ vacantis, in utilitatem, & decorem Eccleſiæ conſumendos, præſertim S. Pariſienſis Capellæ, aut futuro ſucceſſori ad Regis arbitrium reſervandos. Alterum Regaliæ privilegium eſt prorſus ſpirituale, quo Rex pleno jure, & per ſe confert omnia beneficia ſimplicia tempore Regaliæ vacantia, quæ ſubderentur Epiſcopali collationi, quomodocumque illa vacaverint. Eodem jure tali tempore non obtinet privilegia Graduatorum, ac nominationum Univerſitatum circà beneficia ſimplicia, ut ſit omnis horum diſpoſitio penes Regem, qui nullatenus Univerſitatum privilegiis in ſuo jure limitatur. Excipiuntur tamen ab hoc jure beneficia habentia annexam curam animarum. Addunt etiam, privilegium hoc eſſe Regi perſonale; adeo ut Regens Franciæ, dum Rex eſt minorennis, non poſſit beneficia conferre. Denique, ad Regalia claudenda, quatuor ſunt requiſita, 1. Ut novus Prælatus ſit Canonicè promotus; hoc eſt, habeat proviſionem à Papa. 2. Ut Regi perſonaliter juret fidelitatem. 3. Ut actus juramenti regiſtretur in Camerâ Computuum Pariſienſi: 4. Ut Oeco-

In quo ſitum ſit jus Regaliæ.

Digitized by Google

Oeconomo Regio ſit intimatum, quod Rex manus abſtrahat à Regalia.

His poſitis, occurrunt aliqua diſcutienda. 1. Quomodo jus illud Regi obveniat. 2. An ſemper fuerit idem jus Regaliæ. 3. An legitimus ejus juris ſit uſus. Quod autem ad primum attinet, notat D. Paſquier *lib.* 3 *cap.* 35. *Recher.* originem Regalium eſſe admodum obſcuram. Alii jus illud fundant in conſuetudine immemoriali, ejuſque poſſeſſione: alii aſſerunt tempore Ludovici XI. jus illud ſucceſſiſſe in locum inveſtituræ: alii volunt jus illud Regibus eſſe ſpeciali favore indultum: alii cum Petro à Marca *Concordiæ lib.* 8. *cap.* 17. docent, jus Regaliæ ab ipſis Regni initiis exortum, Regiæ Majeſtati connexum vinculis arctiſſimis, ſive ita viſum Epiſcopis, in gratiam Clodovæi Regis ad Fidem converſi; ſive quod ea authoritas ita Principi conveniat, ut neceſſarius non fuerit prævius Epiſcoporum conſenſus: adeoque jus illud dici *Regaliam*, quia eſt Regi proprium. Enimverò, jus illud non oriri vi dignitatis Regiæ, vel ex eo apparet, quod collatio Beneficiorum, quam jus illud includit, ſit res ſpiritualis, quæ proindè vi Laicæ dignitatis non poteſt alicui competere. Accedit, quod perceptio fructuum vacantis Eccleſiæ Laico de ſe nequeat convenire; utpote, quæ toties ab Eccleſiâ Laicis fuit interdicta. Adde, quod jus illud juxtà primam inſtitutionem, & uſum diuturnum, non extendat ſe ad omnes Regni Eccleſias; etſi modò ita ſe extendat: ex quo apparet, non provenire jus illud ex vi Regiæ dignitatis. Hinc D. Paſquier vocat illos, qui jus illud attribuunt Regiæ dignitati *Flatteurs de Cour*, *adultores Curiæ*. Quare dicendum videtur, jus illud, qualecumque ſit, Regibus competere aliundè, puta ex indulto Pontificio, aut permiſſione, & ſucceſſiſſe in locum inveſtiturarum, quas ex indulto Pontificio emanaſſe, eſt admittendum. Hinc Principes noſtri, quibus etiam competit jus Regaliæ, agnoſcunt ſe illud habere à Pontificibus, virtute cujus nominant perſonas probatas ad Eſpiſcopatus, & alias primas Dignitates, tam Regulares, quàm ſæculares: ita tamen, quod nominati habere debeant omnes qualitates à Concilio Trid. requiſitas, quod ad invidiam aliorum Principum exactè eos aliquando obſervaſſe, ait Bertrandus Loth *de jure Regaliæ art.* 1.

Ad ſecundum dicendum videtur, non ſemper fuiſſe jus idem omni tempore; quod vel ex eo patet, quod bona vacantis Eccleſiæ diu adminiſtrata fuerint à Clericis & Archidiacono; ubi tamen jure Regaliæ adminiſtratio illa pertinet ad Oecononum Regis. Et ita ſtatutum fuit in Concilio Aurelianenſi, & Parienſi ſub Clothario II. & dudum poſtea Eccleſia Gallicana ſecuta eſt legem Concilii Calchedonenſis ſtatuentis Canone 25. ut reditus Eccleſiæ viduatæ apud Oeconomum integrè ſervarentur. Hinc etiam Gregorius IX. Epiſtolâ datâ ad Archiëpiſcopum Narbonenſem conqueritur, quod Officiales Regii contrà omnem æquitatem occupaſſent bona vacantis Eccleſiæ, quod nullo tempore à prædeceſſoribus ipſius Regis, vel aliis, occaſione Regalium, vel aliâ extitit attentatum. Hâc ratione fatetur D. à Marca *lib.* 8. *cap.* 24. *num.* 4. quod uſus fru-

ctus redituum Epiſcopatûs, & collatio præbendarum ex conſuetudine proficiſcerentur adverſus Canones introductâ uſque ad Gregorium X. quando Principes hujus conſuetudinis confirmationem receperunt à Concilio Lugdunenſi, in quo cap. 12. ſtatutum eſt, ne quis jure Regaliæ, &c. bona Eccleſiarum vacantium occupare præſumeret: qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura hujuſmodi ſibi vendicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos miniſtros in eo ſollicitè faciant abſtinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes vacationis tempore, non uſurpent. Cùm verò talis conſuetudo antiqua eſſet in Galliis, volunt tacitè à Concilio illo eam eſſe confirmatam. Ubi tamen notandum, in hâc confirmatione Concilii, ſolummodo exprimi fructuum adminiſtrationem vacante Eccleſiâ, nihil autem concedi de collatione beneficiorum, quam non rectè nomine fructuum comprehendit à Marca ibi ſuprà, *num.* 5. unde etiam depoſt Bonifacius VIII. affirmavit, collationem beneficiorum non pertinere ad Philippum Pulchrum, tamquam quæ eſſet res planè ſpiritualis, & ſecus credentes ſcribebat Pontifex ſe reputare hæreticos.

Et hinc jam oritur quæſtio, quomodo ejus uſus ſit legitimus. Joannes Pariſienſis, qui occaſione diſcordiæ inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum ſcripſit librum de poteſtate Papæ, & Regiâ, aſſerit debuiſſe Pontificem concedere collationem Regi ob bene merita in Eccleſiam: maximè cùm collatio non ſit propriè ſpiritualis, ſed ſpirituali antecedenter annexa, quæ ex conceſſione Papæ poſſit Laico convenire. Verum enim verò, etſi juxtà dictum authorem oportuerit dari jus collationis, necdum conſtat datum eſſe, adeoque necdum conſtat, quomodo collatio Regibus competat; quâ ratione variant, & torquent ſe varii Canoniſtæ Galli, æquè ac Juriſtæ. Alii ergo docent, quod jure antiquo fuerit collatio ſpiritualis, quando illa non differebat ab ordinatione: ſed jure novo, quando ordinatio diſtincta eſt ab officio Eccleſiaſtico, adinventa ſunt nova nomina dandi beneficia, ut *inſtitutionis*, *collationis*, uti & *præſentationis* datum eſt Patronis; collatio autem data eſt ſolis Epiſcopis, quando non eſt ita ſpiritualis, ut erat illa jure antiquo, quando erat eadem cum ordinatione. Hinc volunt, modò collationem ideo eſſe Epiſcopis propriam, ut providere poſſint, ne inidonei ad beneficia promoveantur, cui providere poſſunt, etſi collatio laico competat. Et ideo diſtinguere ſolent inſtitutionem collativam, quæ Laicis, & aliis ab Epiſcopo diſtinctis competit ex Privilegio Papæ; & inſtitutionem authoriſabilem Epiſcopis propriam, quâ poſſint perſonas ſibi præſentatas examinare, & deindè authoriſare collationes laicorum. Ut ut ſit, conſtat Regalium uſui jam ſuprà deſcripto ſæpius à variis Pontificibus & aliis, eſſe occlamatum, non ſolum in Galliis, ſed etiam in Anglia, ubi jus Regaliæ vocabatur *dignitas Coronæ Regiæ*, quaſque Papa damnavit, & cui ſeſe ad mortem uſque oppoſuit Thomas Cantuarienſis, uti ex diverſis ejus litteris videre eſt, quas noviſſimè edidit P. Lupus S. T. D. Ord. Auguſt.

Digitized by Google

SECTIO VIII.
De jure Patronatûs.

PRoſper Fagnanus *in Cap. In ſingulis, de jure patronatûs*, notat, quod Eccleſia etiam per laicos fundata cum ſuis dotibus olim ad ordinationem pertineret Epiſcoporum, ut notatur *in Cap. piæ mentis* 16. *q.* 7. verùm tempore procedente, Eccleſia ſtatuit, ut Patroni in Eccleſiis haberent certa jura, ut eſt jus defenſionis, honorem proceſſionis, jus alimentationis, & jus præſentandi: quæ jura laicis conceſſit Eccleſia, ut ad fundandas, & dotandas Eccleſias magis inducerentur. Et hinc ulterius deducunt, quod quidquid juris habent Patroni in Eccleſiâ totum procedat ex gratiâ: jus enim patronatûs, ut poſtea latius, eſt quid ſpirituale, aut ſpirituali annexum, quod proinde ſine ſpeciali Eccleſiæ privilegio nequit laico obvenire. Cùm verò jus patronatûs jure novo redactum ſit in corpus juris; non ſolet amplius dici *gratia*, ſed *juſtitia*, ſeu jus commune.

Quid jus Patronatûs.

Solet breviter definiri jus patronatûs, quod ſit jus quoddam, ſeu facultas præſentandi inſtituendum ad beneficium vacans. Eo jure ergo præſentat aliquem idoneum Patronus Collatori, cui juri ſine ratione adverſari non poteſt, ſed tenetur idoneum præſentatum inſtituere. Debet autem beneficium vacare, aliàs enim præſentatio eſt nulla, tamquam contrà bonos mores & præbens occaſionem optandæ mortis alienæ.

Conſtitui ſolet jus patronatûs, vel fundatione, vel conſtructione, vel dotatione: unde Verſus:

Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus.

Quibus modis illud acquiratur.

Fundare Eccleſiam ſtrictè loquendo nihil eſt aliud, quàm dare fundum, ubi Eccleſia eſt conſtruenda; etſi latiori ſignificatione fundare dicantur, qui Monaſteria v.g. conſtruunt: ſic etiam Concilium Tridentinum *ſeſ.* 25. *cap.* 9. dicens titulum juris patronatûs eſſe ex fundatione, vel dotatione; ſub fundatione comprehendit conſtructionem Eccleſiæ. Non ſufficit autem ad fundationem illam, donatio vilis aræ ad Eccleſiæ ædificationem, niſi accedat aliqua dotatio, vel contributio ad ædificandum, qui aliàs dicetur quidem *benefactor*, non tamen merebitur titutum Patroni. Ita Zypæus *Conſult. Canon. lib.* 3. *de jure patronatûs.*

Conſtructione acquiritur jus patronatûs, dum quis Eccleſiam conſenſu Epiſcopi ſuis ſumptibus extruit: aut Eccleſiam omninò dirutam reædificat, adeo ut novâ conſecratione indigeat: ſecus ſi ſolummodo reparetur, neque ita reædificetur, ut novam conſecrationem requirat. Et quamquam ex fundatione, & conſtructione Eccleſiæ abſolutè loquendo acquiratur jus patronatûs; tamen ſolummodo illud acquiritur inchoativè, donec accedat dotatio ſufficiens. Imo jure cautum eſt, ne Eccleſia conſtruatur, antequam habeatur ſufficiens dotatio.

tio *Cap. 9. de Conſecr. diſt.* 1. aut ſaltem, ſi conſtructa ſit, ne abſque dote aſſignatâ conſecretur, *Cap.* 8. *de Conſec. Eccl. vel Altar.* hinc etiam Concil. Trid. Seſ. 14. Reform. cap. 12. *Nemo quicumque ratione, niſi Eccleſiam, beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit, ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Patronatum impetrare, aut obtinere poſſit, & debeat:* Et quamquam Gloſſa *in C. Pia mentis*, ſentiat, jus Patronatûs ſolummodo acquiri per dotationem factam Eccleſiæ necdum conſecratæ, eò quòd *Patronatûs*, quaſi *Pater* dictus ſit, qui ad eſſe produxit; & Patronatûs ſit quædam ſervitus, quæ rei conſecratæ imponi non poteſt: tamen communis opinio tenet, dotationem factam Eccleſiæ conſecratæ inducere jus Patronatûs, ne Eccleſia cum ſuo miniſterio omninò deficiat. Neque jus Patronatûs propriè eſt ſervitus, ſed potius beneficium patrono ab Eccleſia conceſſum in vicem remunerationis. Debet autem dos illa eſſe ſufficiens, ut ait Conc. Trid. ſuprà, puta ad Eccleſiæ miniſterium ritè exequendum; qualiter in dotatione Eccleſiæ cenſent eſſe, ſi tantum donetur, quantum ſufficit ad intertinendum Collegarum numerum juxtà Collegii qualitatem: in dotatione Eccleſiæ Parochialis, quantum ſufficeret ad intertinendum Parochum cum miniſtro; cùm Parochus ſolus divina officia peragere non poſſit. Cæterum, ad Epiſcopum ſpectat inſpicere, ubi Eccleſia conſtruenda ſit; uti etiam, an ſufficiens dotatio adſit, ut jus Patronatûs poſſit acquiri. An verò coactus dotare Eccleſiam, acquirat jus Patronatûs, non convenit inter Canoniſtas: aliqui cenſent non acquiri, eò quòd quis non debeat conſequi commodum ex eo, quod facit invitus: deindè, hæres invitus adeundo hæreditatem perdit Tribellianicam; ergo & hîc jus Patronatûs. Alii tamen id affirmant, tamquam humanius, & æquius, de quo vide Caniſium *ad* 3. *Decret. tit.* 38. *num.* 12.

Conſtat ex dictis, poſſe ex illis titulis plures Patronos coaleſcere, ſeu concurrere; ſi unus det fundum Eccleſiæ, alter dotet, & tertius eam conſtruat, quo caſu ſunt tres Patroni. Similiter erit unicus, ſi idem det fundum, Eccleſiam conſtruat, & eamdem dotet. Poſſunt autem Patroni, ſi plures ſint, inter ſe convenire, ut alternis vicibus præſentent aliquem ad beneficium: aliàs ſi ſimul præſentent, & fortè in plures partes fundatorum ſe vota diviſerint: ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur adſenſu. Si verò duo à duobus Patronis v.g. ſint præſentati Epiſcopo, poterit Epiſcopus, quem maluerit eligere juxtà aliquos dicentes, eſſe hoc caſu locum gratificationi: verum rectius alii cum Proſpero Fagnano *in Cap. Cùm autem, de jure Patronatûs num.* 25. Docent, teneri Epiſcopum in conſcientia eum inſtituere, quem omnibus conſideratis judicat eſſe digniorem: de quo latius poſtea.

Dividitur autem jus Patronatûs in Laicum, Eccleſiaſticum, & Mixtum. Diviſio
Laicum eſt, quod Laico, vel etiam Clerico ratione proprii patrimonii compe- juris Pa-
tit, ut quia Patrono laico ſucceſſerunt, aut quia illud de ſuo patrimonio fun- tronatûs.
darunt: tale jus Patronatûs habent etiam Confraternitates laicorum.

Eccleſiaſticum dicitur, non ex eo, quod illud Eccleſiaſticus poſſideat, uti patet ex mox dictis; ſed ex eo, quod illud emanet de bonis Eccleſiæ, aut eorum bonorum fundatione; vel donatione: aut etiam, quod vi muneris Eccleſiaſtici illud alicui competat, ut quod ſis Patronus, quia es Decanus, quia Præpoſitus, &c. *Mixtum* eſt, quod partim ad laicum ſpectat, & partim ad Eccleſiaſticum: & quidem, ſi conventio facta ſit, ut alternis vicibus præſentet Laicus, & Eccleſiaſticus, in turno laici cenſebitur totum laicale, & in turno Eccleſiaſtici cenſebitur Eccleſiaſticum. Deindè, non cenſetur hoc jus Eccleſiaſticum, in ordine ad examen per concurſum, quod requirit Conc. Trid. *Seſ.* 24. *Reform. cap.* 18. ad Eccleſiæ Parochialis collationem, quæ ſit juris patronatûs merè Eccleſiaſtici. Barboſa *de officio Parochi cap.* 2. referens *num.* 126. S. Congregationem, quæ id cenſuit.

Diſtinctio laici ab Eccleſiaſtico. Variè tamen differt Patronatus laicus ab Eccleſiaſtico. Primò in eo: quòd laico non concedant jura niſi 4. menſes ad præſentandum, aliàs devolvetur ad alium: Eccleſiaſtico autem concedant 6. menſes *Cap. unico, de jure Patron. in 6.* Secundò, quod laico liceat variare præſentationem factam, antequam facta fuerit inſtitutio: idque, ſive Ordinarius eam noluerit admittere, ſive ſponte eam velit retractare Patronus laicus: hoc autem nequit Eccleſiaſticus. Tertiò, quod Pontifex poſſit derogare juri Patronatûs Eccleſiaſtici, etiam citrà conſenſum Patroni; quod tamen non poteſt in Patronatu laico: *Cap. Cùm dilectus, de jure Patronat.* Ubi notant Authores Galli, quod, quamvis abſolutè loquendo de jure communi poſſit præſentatio Patroni laici à Papa præveniri, dummodo per expreſſam clauſulam ei derogaverit: id tamen non recipi in Regno Franciæ, in quo recipitur, & approbatur appellatio in tali caſu tamquam ab abuſu: neque ibi admittitur, niſi derogatio Patronatûs Eccleſiaſtici, eaque cum clauſulâ derogatoriâ expreſsâ, quæ tamen extrà Galliam, & de jure communi in tali caſu non requiritur, niſi contrà laicum. Charond. *lib.* 7. *reſponſ. cap.* 195.

Ut autem jus Patronatûs laici ab Eccleſiaſtico diſcernere valeas, aſſignant aliqui has regulas: ſi jus illud acquiſitum ſit de bonis laicis, ſeu patrimonialibus, cenſebitur laicum, tametſi fundans ſit Eccleſiaſticus. Si verò de bonis Eccleſiæ quæſitum ſit, etſi fundans fuerit laicus, v.g. Matricularius, ſeu Æditaus, vulgò *Kerck-meeſter*, teſte Rebuffo *lib.* 1. *prax. cap.* 14. cenſebitur Eccleſiaſticum etſi alii contradicant, eò quòd illi ſint ſolummodo adminiſtratores bonorum Eccleſiaſticorum, non verò Domini. Deinde cenſetur eſſe Eccleſiaſticum, ſi ſit à Clerico fundatum, quem conſtat non habuiſſe ulla patrimonialia, aut aliunde quæſita: Barboſa *de Jure Eccl. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 5. ex aliis. Denique, ſi aliquod jus patronatûs, etſi etiam laicum per donationem, teſtamentum, aut legatum derivatum ſit in Eccleſiam, Monaſterium, Capitulum, vel etiam annectatur beneficio, cenſendum eſt eſſe Eccleſiaſticum. Quo caſu juxtà dictum Authorem *num.* 11. & 12. res non privilegiata tranſit in privilegiatam: ita tamen, ut in fundatione apponi poſſit clauſula, ut jus illud non cadat

Digitized by Google

cadat ſub reſervationem, ſed haberi debeat pro merè laicali in ordine ad talem effectum: & ità ait anno 1613. eſſe Romæ reſolutum.

Dividitur ulterius jus Patronatûs in hæreditarium, & familiare, ſive gentilitium. *Hæreditarium* eſt, quod tranſit ad quoſcumque hæredes, etiam extraneos. *Familiare* eſt, quod relictum eſt ſolummodo pro quibuſdam de familia aliqua, aut ubi vocantur illi tantum, qui ſunt de genere teſtatoris.

Porrò, etſi nemo poſſit præſentare ſe ipſum, *Cap. Per noſtras, de jure Patronatûs*: poterit tamen in caſu, quo ſunt plures Patroni, ab aliis Compatronis validè præſentari, ut docet Gloſſa in *Cap. Conſuluit* 5. *concedant*, *de jure Patron.* & probat ex eo, quod *Cap. Cùm in Jure*, *de elect.* approbetur electio, quam fecerant plures compromiſſarii in favorem unius compromiſſarii. Deinde, tenetur Patronus præſentare dignum; etſi enim præſentando necdum conferatur beneficium præſentato, ponitur tamen ille per eamdum in via proxima ad illud, neque Epiſcopus eum rejicere poteſt, niſi juſtâ de cauſa. Talis autem cauſa eſt indignitas, adeò ut Epiſcopus poſſit per ſe electionem, & inſtitutionem perficere, niſi infrà tempus legitimum aliquem dignum Patronus præſentaverit, caſu quo Patronus ſit Eccleſiaſticus: Laicis autem permittitur etiam elapſo tempore alium dignum præſentare; cujus diverſitatis ratio eſſe dicitur, quod Laici non ità poſſint, ac debeant rectè cognoſcere de idoneitate præſentati, uti poſſunt, ac debent Eccleſiaſtici. Aliqui tamen cum Leſſio dub. 7. cenſent eſſe probabile, quod Eccleſiaſticus Patronus eo caſu, ſuo jure non excidat; eò quòd Gloſſa (unde contrarium probatur) ad *Cap. Cùm vos §. minus idonea, de offic. ordin.* citet *Cap. Cùm in cunctis* 7. *de elect.* quod ſolummodo agit de electione Epiſcopi indigni, adeoque cùm lex illa ſit pœnalis, non debeat extendi ad quemvis Patronum Eccleſiaſticum. Quis debeat præſentare.

Varia inſuper ad Patronum pertinent, tam quoad favorem illius, quàm ad obligationem ejuſdem, quæ potiſſimum his Verſibus continentur, à Canoniſtis communiter receptis:

Patrono debetur honos, onus, utilitaſque,
Præſentes, præſit, defendat, alatur egenus.

Honor Patrono debitus, eſt juxtà aliquos, jus præſentandi, cum ſine ejus præſentatione nequeat aliquem inſtituere Epiſcopus; alii volunt, hunc honorem eſſe Proceſſionis, ut in Eccleſia, ac Proceſſionibus habeat locum honorificum juxtà Eccleſiæ Prælatum; primò accipiat pacem; primò thurificetur, & in omnibus ſequatur Prælatum illius Eccleſiæ, cujus eſt Patronus. An verò Patronus præferri debeat Domino temporali, non convenit. Proſper Fagnanus *in Cap. Nobis de jure Patronatûs num.* 21. aſſerit eſſe verius, quod Dominus temporalis Patrono ſit præferendus: cùm enim in cæteris juriſdictionem contentioſam habeat, ſequitur, ut longè major ei, quàm cæteris, præſertim ſibi ſubditis, honor debeatur; dum magis honorari debet,

qui majorem habet juriſdictionem. Videri poterit dictus Author illo loco, & ſeq. Hinc etiam collige, quod Parochi, & omnes Clerici alicujus Eccleſiæ teneantur exhibere reverentiam Patronis competentem, & ut benefactores ſuos gratanter recognoſcere. Deinde, ſi Patronus, ejuſvè filii ad inopiam vergant, poterit alimentationem juxtà qualitatem ſuam ab Eccleſia, & Eccleſiaſticis petere, *Cap. Nobis de jure Patron.* Poteſt inſuper Patronus Eccleſiaſticus, de bonis Eccleſiæ rationem exigere, non itidem ſi ſit Laicus, *Cap. Cùm plantare §. in Eccleſiis, de Privileg.* Debet quoque Eccleſiæ curam habere ſollicitam, atque adeo poterit Miniſtrum Eccleſiæ bona dilapidantem, vel admonere, vel Epiſcopo deferre, *Cap. Filiis* 16. *q.* 7. Idem intendere poteſt, ſi fundationes ritè obſerventur, bona debitè applicentur, Eccleſia rectè conſervetur, &c. Statuitur tamen *in Cap. in Lateranenſi, de præbendis*, curam Eccleſiæ ſic competere laico Patrono, ut tamen nulla illi juriſdictio vindicanda ſit, aut adminiſtratio. Inſuper Concilium Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 3. *Reform.* inhibet, ne Patroni in iis, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, ullatenus ſe præſumant ingerere, neque viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum proventibus immiſceant, niſi quatenus id eis ex inſtitutione, aut fundatione competit: ſed Epiſcopi ipſi hoc faciant, & fabricarum reditus in uſus Eccleſiæ neceſſarios, & utiles expendi curent. Notat tamen Zypæus *Juris Pontificii lib.* 3. *de jure Patronatûs num.* 3. quod hoc Concilii Decretum non adeo locum teneat in Belgio; uti & alia hîc dicta generaliter, quatenus aliquid innovant in præjudicium Patronatuum Principis, aut Vaſallorum; adeoque manendum hîc eſſe in terminis juris communis. Imò, quod cognitio cauſæ juris Patronatûs Laicorum ſpectet ad Judicem ſæcularem, ut refert ex Concordatis Brab. ib.

Quid in Belgio.

SECTIO IX.

Quibus competere poſſit jus Patronatûs: quomodo probandum, & quot modis ad alios transferatur.

Quibus poſſit competere jus Patronatûs.

Cap. *Pia mentis*, & *Cap. Frigentius* 16. *q.* 7. habetur, quod omni Chriſtiano jus Patronatûs poſſit competere. Undè, non tantùm maſculis competit, ſed & feminis: non tantùm puberi, ſed & impuberi: non tantùm legitimo, ſed & illegitimo. Hoc tamen notandum eſt, quod cùm maritus ſit bonorum omnium adminiſtrator, etiam diſponere poſſit de Patronatu, quod ex parte Maritæ obvenit: quamvis non uſque ad alienationem, juxtà alibi dicta. Deindè, præſentatio à minore facta ſine conſenſu Tutoris valida eſt, nec poteſt revocari; quia Curator non datur minori quoad Eccleſiaſtica, aut ſpiritualia. De pupillo alia eſt ratio; cùm enim Tutor conſtituatur, etiam ad actiones perſonæ regendas; æquum eſt,

eſt, ut Tutoris authoritas adhibeatur. Ex dicto Capitulo, *Piæ mentis* colligitur inſuper, quod Infidelis, aut Paganus ex fundatione, aut conſtructione Eccleſiæ non acquirat jus Patronatûs. De Hæretico idem dicendum eſt, dum illius bona ipſo jure ſunt confiſcata, *Cap. Cùm ſecundùm, de Hæreticis*, ac proindè de ſuo non poteſt dare fundum, vel dotem Eccleſiæ; & eadem ratione dicitur cum cæteris bonis confiſcatum eſſe jus Patronatûs. Hoc tamen ſuam difficultatem habet in locis illis, ubi cum Hæreticis non proceditur ſecundùm juris rigorem, ut in Germania, Belgio, & nuper in Gallia. Cùm enim Hæreticis ibidem concedantur, & relinquantur eorumdem bona, & dominia, conſequenter illis videntur relinqui Patronatuum jura; cùm jus Patronatus ſit jus reale, quod tranſit cum bonis, quibus eſt annexum. Neque etiam ex præſentatione timeri poteſt aliquod inconveniens; cùm Epiſcopi, quorum eſt inſtitutio, & collatio Beneficii, providere pôterunt, ne quid inconveniens ſubſequatur; puta, quod præſentatus ſit dignus, non ſit de hæreſi ſuſpectus, &c. Et hac de cauſa ſubindè per arreſtum obtinuêre Hugonotti in Gallia, ut poſſint nominare perſonam idoneam, qui illorum loco poſſet præſentare aliquem ad Beneficium ſuorum Patronatuum, ut refert Bengæus *de benefic. tit. de oneribus Eccleſ.* §. 6. à Ludovico XIV. edictum eſſe anno 1651. 8. Julii. Hoc tamen poſtea non obſervatum eſſe, tradunt Authores Galli; ſed Beneficiis Patronatuum Hæreticorum providere Epiſcopos, adeò ut pro eo tempore, quo alienam fidem profitentur, jus Patronatûs dormiret, quo rurſum gauderent, & uterentur, quando Fidem Catholicam profiterentur. Et verè ridiculum eſſe videbatur, quod ille, qui Eccleſiam non agnoſcebat, Eccleſiæ poſſet præſentare Eccleſiæ Miniſtrum, cui præſentationi Eccleſia acquieſcere, & conſentire teneretur. Aliud eſt in eis partibus, ubi Eccleſia ſimile quid tolerare, ſeu permittere cogitur, uti hîc, & in Germania eſſe poſſet. De cætero, huic prohibitioni deludere noverant ficto ac ſimulato contractu, quo vendebant feuda ſua, quibus jus Patronatûs eſt annexum aliquibus Catholicis de eorum parentela, adeoque remanebant reverà in poſſeſſione ſui juris Patronatûs. In Galliis tamen nullum eſt illius rei periculum, ejectis modò in manu forti cunctis Hugonottis, ad magnum Fidei noſtræ incrementum.

Quia verò, colore juris Patronatûs Eccleſiaſtica Beneficia redigebantur in aliquam ſervitutem; ideò Concilium Trident. *Seſſ.* 25. *Cap.* 5. *Reform.* ſtatuit certos modos probandi jus Patronatûs, 1. Ex fundatione, vel dotatione, quæ ex authentico documento, & aliis jure requiſitis oſtendatur. 2. Ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, memoriam hominum excedentem, quæ verificatur in 100. annis. Barboſa ſup. *num.* 70. Ad hanc tamen probandam docet ſufficere poſſeſſionem 40. annorum, etſi etiam eo tempore unica præſentatio fuiſſet facta, maximè concurrente famâ publicâ. 3. Probari poteſt jus Patronatûs, per inſignia cujuſdam fami- Undè probetur jus Patronatûs.

familiæ in Eccleſia ſculpta, quæ ſint tam antiqua, quàm ſit ipſa Eccleſia, adeò ut non poſſit dari alia appoſitionis eorumdem ratio, quàm ratio fundationis: aliàs enim apponi potuiſſent ratione Beneficii, ſepulturæ, &c. 4. Probari poteſt ex ſententiâ Epiſcopi datâ pro patronatu cujuſquam. Vide Concil. Trident. loco citato. Et Barboſam ibid.

Quomodo transferatur jus Patronatûs.

Quatuor autem modis transfertur jus Patronatûs; ſucceſſione, donatione, permutatione, & venditione univerſitatis. ***Succeſſione*** tranſit ad hæredes, tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, neque ſolùm ad agnatos, ſed etiam ad extraneos, etiam ad ſeminas: jus enim inter hæredes quoſcumque non diſtinguit. ***Donatione*** etiam transfertur in donatarium, ut ***Cap. ex inſinuatione, de jure Patronat.*** eo tamen diſcrimine, ut ſi ad laïcum deveniat, requiratur conſenſus Epiſcopi; ſi verò ad locum pium derivetur, illo opus non ſit: & ratio illius eſt, quod Epiſcopi interſit, cognoſcere, an expediat Eccleſiæ Patronum variari, ne aliquando deveniat ad Tyrannum, ſuſpectæ Fidei, &c. quo pacto redderetur deterior Eccleſiæ conditio. ***Permutatione*** quoque transferri poteſt, ſi illa fiat cum alia re ſpirituali, v. g. alio jure patronatûs, aut cum jure decimarum; nam rerum ſpiritualium inter ſe permutationem jura permittunt. Denique ***venditione*** transfertur jus patronatûs, ſub quâ comprehenditur locatio ad longum tempus, uti & infeudatio. Et quamvis jus patronatus ſe ſolo vendi nequeat; vendi tamen poteſt cum univerſitate bonorum, id eſt, cum hæreditate, Caſtro, Villâ, Civitate, &c. quibus tale jus adhæret. Undè generaliter notant DD. quòd alienata univerſitate, transferantur ſimul omnia jura, quæ univerſitati adhærent, quæque ab eo, cui alienatio fit, poſſunt poſſideri, niſi excipiantur. Hoc tamen hîc cavendum, ne in tali venditione habeatur ratio talis juris, ut quod univerſitas ideò pluris vendatur, quàm illa per ſe valeat, aut æſtimetur, aliàs eſſet ſimonia, de quo plura ſuo loco. Aliquot modos tranſeundi cum univerſitate recenſet, & indaget Proſper Fagnanus, ***in Cap. Ex litteris, de jure Patronatûs***, quem conſule.

Quomodo derogetur juri Patronatûs.

Sæpè jus Patronatûs impeditur, & illi derogatur. Ad tempus illi derogatur, ſi poſſeſſor Beneficii Patronati ſit expellendus ob aliquam cauſam; puta, incapacitatem, defectum tituli, quod habeat aliud Beneficium incompatibile, &c. deindè, ſi inter collitigantes alter in alterius jus ſurrogetur. Inſuper in Gallia, vacante Beneficio Patronato vi Regaliæ poterit à Rege conferri ſine conſenſu Patroni Eccleſiaſtici, non tamen laïci, eò quòd, (ut aiunt Galli) Rex in Regalia utitur non ſolùm jure Ordinariorum, ſed etiam Papæ. Vide Choppin, *lib.* 1. *de polit.* §. *c.* 7. Papa verò, quia eſt univerſalis Beneficiorum adminiſtrator, poteſt derogare patronatui Eccleſiaſtico directè, non itidem Laïco, maximè in Gallia, & Belgio, prout ex dictis, & dicendis colligi plenius poteſt. Definit denique jus patronatûs, 1. Si deſtruatur Eccleſia, aut Capella, aut eorum dote omninò deficiente. 2. Si cauſa pereat, quare erat Patronus. 3. Per non uſum, ſi Patronus præſen-

ſentationes duabus ſaltem vicibus omiſerit, ceſſante legitimo impedimento. 4. Si Patronus Clericum ipſius Eccleſiæ occiderit, aut mutilaverit. 5. Si Patronus fiat Hæreticus: ſi ſit Eccleſiæ ingratus: ſi denique de fructibus Beneficii Patronati percipiat. Vide Barboſam ibi ſuprà in fine. De cæterò, quæcumque novo jure inducta ſunt ad coarctandum jus Patronatûs, notant Authores Belgæ, ea in Belgio non extendi ad patronatus laicos. Quid in Belgio.

SECTIO X.

Quibuſnam competat jus conferendi Beneficia.

Canoniſtæ aliqui aſſerunt, Pontificem eſſe omnium beneficiorum Dominum; quam doctrinam ob varia abſurda inde conſequentia, graviter accuſarunt Præſules Eccleſiæ de emendandâ Eccleſiæ diſciplinâ, Paulum III. cohortantes, ac inter alia dicentes, prodiiſſe Doctores, *qui docerent Pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium: ac ideo, cùm Dominus jure vendat id, quod ſuum eſt, neceſſario ſequi, in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam.* Aliter verò docet S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 3. Et ratio eſt, quia vel eſt ſermo de eo, quod in beneficio eſt ſpirituale; quod, cùm ſit de jure divino, non poteſt Papa eſſe ejuſdem Dominus, ſed ſolummodò diſpenſator: vel eſt ſermo de illo, quod in beneficiis eſt temporale, v. g. de prædiis, & reditibus, quorum Eccleſia eſt domina, cui ſunt donata, quæ neque eorum dominium in Pontificem tranſtulit: vel denique eſt ſermo de jure ad fructus, cujus dominus eſt ipſe Beneficiatus, uti etiam eſt dominus ipſorum fructuum. Interim Pontifex eſt diſpenſator beneficiorum totius Eccleſiæ, adeo ut, ſi foret neceſſarium, aut valdè expediens ad Eccleſiæ bonum, poſſet beneficia transferre de Diœceſi ad Diœceſim, ea permutare, unire, &c. juxtà, id *Clement. I. de lite pend. ad Romanum Pontificem, Eccleſiarum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, plena, & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* Hinc talis diſpenſandi facultas in Pontifice eſt ampliſſima, & extendit ſe ad omnia beneficia ubicumque ſita, cùm ſit Paſtor Orbis Chriſtiani, & Ordinarius Ordinariorum: & eâ ratione initio Eccleſiæ ipſe beneficia ſolus conferebat; poſtea verò Epiſcopis conceſſit, ut beneficia in ipſorum Diœceſibus exiſtentia poſſent conferre: quod tamen ità conceſſit, ut ſe dictâ facultate noluerit privari, in cujus ſignum aliquot ſibi menſes ſolet reſervare. Papa non eſt Dominus Beneficiorum, ſed diſpenſator.

Solet autem Pontifex tribus potiſſimùm modis beneficia conferre, 1. Jure præventionis. 2. Jure concursûs. 3. Jure devolutionis. *Jure præventionis* cenſetur conferre, quando alicui confert gratiam expectativam ad beneficium primò vacaturum, quo alicui promittit ſimile beneficium, & illi ad iſtud jus tribuit. Et hac ratione poteſt Pontifex anticipare quaſlibet inferiorum Prælatorum Collationes, eaſque ſecutas facere irritas, *Can. cuncta per mundum* 9. Quot modis cenſetur Pontifex conferre Beneficia.

q. 3.

q. 3. Quia verò jus illud præventionis præjudicat libertati Patronorum : hinc etiam locum non habet reſpectu Patronatuum laicorum, ne ejuſmodi à fundando retrahantur. In Galliâ quoque jus illud per Concilium Baſilienſe olim abrogatum, per concordatum revixit, multiſque caſibus nec ibidem obtinet, ut 1. in Patronatu laico : 2. Si Ordinarius jam diſponere inchoaverit de beneficio, etſi etiam collatio ejus fuerit nulla. 3. In Graduatis, ac Indultariis poſt requiſitionem beneficii : quamquam enim Concilium Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 19. caſſaverit omnes gratias expectativas datas Collegiis, ac Senatibus, ac aliis ſingularibus perſonis : tamen quoad illud non eſt receptum in Galliis Concilium, perſevarantibus in ſuis indultis Cancellario Franciæ, Præſide, ac Conſiliariis Parlamenti, Magiſtris libellorum ſuppl. & aliis indultariis. 4. Nec Rex ipſi ibidem præveniri poteſt poſt aperturam Regaliæ, quoad ea beneficia, quæ ad Regalia ſpectant. Videri poſſunt Rebuffus, Ruzeus, & alii Scriptores Galli. In Belgio etiam jus illud præventionis non adeo obtinet, nec debent comprehendi indulta à ſuâ Majeſtate impetrata, aut impetranda.

An præventioni locus ſit in Galliis, aut in Belgio.

Jure concurſûs autem confert Papa beneficium, quantenus cum Ordinario quolibet concurrit in poteſtate, ac juriſdictione conferendi beneficia. Ad vitandam tamen confuſionem in multis Regnis ſtatuuntur aliquot menſes Pontifici, & aliquot Collatori ordinario prout i Concordata Germaniæ ſtatuunt menſes alternos, de quo vide Zypæum *Juris Pontif. lib.* 3. *de Inſtitut.*

Conferuntur tertiò beneficia à Pontifice *jure devolutionis*, quando poteſtas conferendi beneficia de Collatore ordinario pro una vice tranſit, ſive devolvitur ad Pontificem, ſive id fiat propter negligentiam, ſive ob delictum Ordinarii. Hinc, ſi Patronus laicus intra 4. menſes, aut Eccleſiaſticus intrà 6. non præſentaverit aliquem, devolvitur Collatio ad Ordinarium. Sic etiam, ſi Capitulum eligat ſcienter Epiſcopum indignum, collatio devolvitur ad Papam. Si Prælati regulares intrà 6. menſes conferre neglexerint beneficia, tam ſæcularia, quàm regularia, devolvitur collatio ad Epiſcopum. *Clem. unica, de ſuppl. neglig. Prælat.* Alias devolutiones aſſignant jura.

Varia inſuper beneficia reſervat Papa, tamquam à ſe ſolo conferenda, uti ſunt Dignitates maximæ in variis Eccleſiis poſt Epiſcopatum, beneficia Cardinalium, Curialium, & familiarium Papæ, beneficia vacantia in Curia Romana, &c. Verum, cùm hæ reſervationes derogent Ordinariorum Collationibus, in multis non admittuntur; ut puta, in beneficiis manualibus; in illis, quæ ſunt Patronatûs laici, in reſignatis causâ permutationis, &c. Reſervationes ejuſmodi, ait Zypæus ibi ſuprà, eſſe periculoſas; dum beneficia per illas ſæpè dantur ignotis, quæ notis auferuntur.

Cardinalibus inſuper poſt Pontificem ampla poteſtas competit quoad beneficia conferenda, à ſuis titulis, aut ab Eccleſiis illis commendatis dependentia. Poteſtas hæc Cardinalium, nec præventione, nec expectativis, nec illi reſervationi eſt ſubjecta.

Hos ſequuntur Epiſcopi, qui ordinarii Collatores ſunt beneficiorum in

ſua

Digitized by Google

ſuâ Diœceſi vacantium, *Cap. ex frequentibus, de inſtitut.* Debet autem Epiſcopus de jure communi adhibere conſenſum Capituli in collatione beneficii, & Abbas in præſentatione conſenſum Monachorum, niſi legitimè præſcriptâ conſuetudine, vel privilegio aliud obtinuerint. Vide Layman *de beneficiis lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. De Epiſcoporum poteſtate vide latè diſſerentem Barboſam de eâdem materiâ.

Capitulum quoque, ſede vacante poteſt præſentatos legitimè inſtituere, electos confirmare, aut juſtâ de causâ infirmare; poteſt reſignationem beneficii causâ permutationis factam recipere; poteſt beneficia causâ exigente unire, & generaliter id poteſt, ad quod ſeſe extendit Juriſdictio Epiſcopalis, in caſu neceſſitatis, quando eamdem Capitulo conceſſam docent, ne aliàs defectu ſuperioris pateretur Eccleſia. Non tamen poteſt conferre beneficia libera, ſi eorum collatio ſpectet ad Epiſcopum; eò quòd talis collatio ſit ſpecies gratiæ, & donationis, datæ Epiſcopis, non itidem aliis. Imo, nec Vicarius generalis Epiſcopi id poteſt, niſi ſpeciatim id illi ſit conceſſum *Cap. fin de officio Vicarii in* 6. Poteſt tamen præſentatos inſtituere, confirmare electos, recipere reſignationes factas causâ permutationis, eò quòd actus ejuſmodi ſint juſtitiæ, ac neceſſitatis, quæ ſpeciale mandatum non requirunt.

Poſſunt quoque Prælati Regulares, Abbates, Priores, eorumque Capitula conferre beneficia eorum juriſdictioni, ac diſpoſitioni ſubjecta, *Cap. ult.* §. *præcipimus de ſtatu Monach.* Imo, eodem jure gaudent Abbates, ac Priores Commendatarii, ſi Commenda illis indulta ſit illimitatè ad omnia munia, & officia, etiam ſpiritualia. Quinam ulterius beneficia conferre poſſint, colligi poteſt ex dictis, de Regalia.

C A P U T II.

Qui, & quales ſint ad Beneficia promovendi.

S E C T I O I.

An liceat ad Beneficia promovere indignos.

Graue nimis, & abſurdum, ait Alexander III. Cap. *Grave nimis*, de præbendis, *quod quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos; quibus neque mirum honeſtas, neque litterarum ſcientia ſuffragatur, carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde, quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat.* Cùm enim beneficium detur propter officium: ſequitur, quod qui officio eſt ineptus, jure naturæ be- Abſurdum eſt dare Beneficia indignis.

neficio ſit indignus. Imo, quod omnes ferè hæreſes ex indignitate Beneficiatorum proficiſcantur, uti & alia Eccleſiæ mala, dum (ut rectè Leſſius) indignus, & indoctus Epiſcopus, indoctos habet Parochos; ex quo deindè plebs Chriſtiana in fide, & moribus deficit. *Sanè*, ait, *ſi tempore naſcentis Lutheri hæreſis, tales fuiſſent ubique Epiſcopi, & Parochi, quales eſſe debuiſſent, facilè illam in ſemine oppreſſiſſent.* Deindè, ſi ad officia ſæcularia non liceat promovere indignos, uti ante eſt dictum: quantò minus id liceat in beneficiis Eccleſiaſticis? Denique Concilia, & ſacri Canones rigidiſſimè ſemper deteſtata ſunt promotionem indignorum, tamquam peſtem Eccleſiæ præſentiſſimam. Excipiunt tamen caſum, quo dignus haberi non poſſit, v. g. in Japonia, & Indiis, ubi ad evitandum majus Eccleſiæ, & animarum pericula, in defectu digni miniſtri, licet aſſumere indignum: ita tamen, ut indignus ille ad officium aſſumptus teneatur quam primum ſe reddere idoneum, tum per ſe, tum per alios; aliàs obligabitur ad reſtitutionem fructuum, eò quòd ex vi ſui officii ad hoc teneatur, dum officio ſuo ſatisfacere nequit, quamdiu eidem eſt inidoneus.

Neque hîc ſatis eſt, quod Collatori non conſtet promovendum eſſe indignum, ſed debet poſitivè judicare eum eſſe idoneum: ſi enim id non ſit ſatis in Principe ſæculari in dando officio ſæculari, ut ante diximus: quantò minus id ſufficiet in dando beneficio Eccleſiaſtico, ex cujus proviſione pendet ſalus animarum? deindè, niſi poſitivè id conſtet, exponet ſe periculo omnium damnorum, quæ ex tali collatione conſequentur. Adde, quod Collator ex officio ſuo debeat curare, quantum poteſt, ut beneficium conferat digno; adeoque debet judicare poſitivè, eum, quem vult aſſumere, eſſe dignum; non quidem certa ſcientia; ſed morali, & tanta, quantam exigit negotii magnitudo. Idem dic de Patrono: cùm enim Inſtitutor nequeat præſentatum repellere, niſi ei poſitivè conſtet eum eſſe indignum, quod ſæpè conſtare non ità commodè poteſt, aut etiam ſæpè ob Patroni authoritatem repellere reformidat; ſequitur, quod ipſe Patronus debeat poſitivè judicare, quod ille, qui præſentatur, ſit dignus; aliàs ſe exponet periculo damnorum ex indignitate obvenientium.

Beneficia dari debent dignioribus.

Nec ſolummodo oportet ad Eccleſiaſtica beneficia promovere dignos, ſed & digniores. Docet id apertè in primis S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3. ità ſcribens: *Dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit, in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam. Sed quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in ordine ad bonum commune: quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur; oportet, quod hoc ſit propter aliquam cauſam: quæ quidem ſi pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: ſi verò non pertineat ad negotium, id quod conſideratur ut cauſa, erit manifeſtè acceptio perſonæ.* Et Concilium Tridentinum *Seſ.* 24. *cap.* 1.

Re-

Reform. docet eos mortaliter peccare, & alienis peccatis communicare, qui alios promovent, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus; ſed eorum exigentibus meritis, quos vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos ſciant. Neque hîc cum aliquibus de cætero reponi poteſt, Concilium per to *digniores* intelligere *dignos*, dum hæc propoſitio ab Innocentio XI. eſt condemnata: *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum; ſumpto comparativo pro poſitivo: vel ſecundò locutione minus propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.* Huc accedit forma eligendi in S. Scripturâ expreſſa, quando Deus optimos quoſque elegit in ſuum miniſterium, ut in electione Aäron, cujus virgam præ cæteris fecit frondere *Levit.* 8. In electione Saül, de quo dicebatur 1. Reg. 9. *Non erat alius melior illo in Iſraël.* Ubi S. Gregorius docet, digniſſimum eſſe eligendum. Sic & S. Petrum in Vicarium ſuum Salvator eligens requiſivit, *diligis me plus his*? Joan. 20. & ratio eſt clara, dum digniore omiſſo eligens minus dignum, violat utramque juſtitiam: commutativam quidem, quia eligens eſt adminiſtrator poſitus, ad conferendum beneficium in majus Eccleſiæ bonum, quod non facit digniorem reſpuendo, & minus dignum eligendo. Diſtributivam verò violat, quia hoc caſu non pro meritis beneficium confertur, ſed alio reſpectu inordinato: unde ulteriùs conſequuntur omnia damna, quæ ex acceptione perſonarum diximus ante evenire. Beneficia enim Eccleſiaſtica, non tantùm ſunt Eccleſiæ ſtipendia, ſed & Eccleſiæ præmia, quæ niſi dentur dignioribus, violatur juſtitia diſtributiva.

Varia hîc quæri poſſunt: 1. An illud idem dicendum ſit, in electione, & proviſione omnium beneficiorum. 2. An id ſemper obliget. 3. An omnes concurrentes ad promotionem ſint ad illud obligati. Quod ad primum attinet, varii cum Leſſio ſuſtinent, dicta ſolummodo locum habere in illis beneficiis, quibus annexa eſt cura animarum; ſi verò in aliis curam animarum non habentibus annexam, dignior bis, terve omittatur, cenſent non eſſe peccatum mortale; eſſe autem tale peccatum, ſi id fiat promiſcuè. Alii tamen rectiùs cum Wiggers, & Salonio, docent digniorem præterire in ejuſmodi beneficiis, eſſe peccatum mortale; eò quòd illo caſu infideliter diſpenſentur Eccleſiæ bona, & Eccleſiæ planè interſit habere Canonicos v. g. & Sacellanos digniores. Deindè, ex ſimili promotione ſequuntur varia incommoda, ex perſonarum acceptione fieri ſolita. Neque cum Leſſio hîc dici poteſt, rem illam in eo caſu, non eſſe tanti momenti (ob quam tamen fatetur ſententiam mox datam eſſe probabilem) dum certè res illa ſit ſatis magni ponderis, quæ eſt contrà fidelitatem Eccleſiæ debitam, & ex quâ Eccleſiæ honor, & diſciplina dependet.

An in omni Beneficio ſit promovendus dignior.

 Adde,

Adde, rem illam eſſe ſat magni momenti, ex quâ ſequitur, quod nemo ſeſe reddat aptum pro viribus; dum vident, nullam haberi rationem majoris idoneitatis.

An dignior ſit ſemper promovendus.

Ad ſecundum, dicendum eſt, non ſemper neceſſariò eſſe illud obſervandum: Hinc primò excipiunt caſum, quo beneficium ſit dandum uni de familiâ, aut de quodam Collegio, qui verè ſit dignus, etſi alius qui non eſt de Collegio, aut familiâ, adſit dignior: quo caſu tamen dandum erit digniori de Collegio, aut familiâ. 2. Si beneficiis curatis digniores ſint reſervandi, poſſet beneficium ſine curâ dari minus digno, dum in diſpenſatione beneficiorum magis ſpectanda eſt utilitas Eccleſiæ, quàm utilitas Miniſtri. 3. Si paucorum ſuffragia inclinarent in digniſſimum, cui meum ſuffragium nihil prodeſſet, prodeſſet tamen ad vitandam electionem indigni, teneor illud conferre in dignum, aut digniorem. Hoc enim caſu ad hoc me obligat utilitas Eccleſiæ, ne indignus promoveatur: & melius eſt, indignum excludi, & digniſſimum, promoto digno; quàm excluſis omnibus dignis indignum promoveri. 4. Non habet id etiam locum in reſignationibus, quo caſu ſatis eſt reſignationem fieri illi, qui verè eſt dignus, nec quærendus eſt digniſſimus. Denique, docent communiter, quod Patronus non debeat præſentare digniorem, ſed ſatisfaciat præſentando dignum; ſiquidem hic ſpecialis favor ratione fundationis cenſetur eſſe reſervatus, ut alicui poſſit gratificari, & quem voluerit, præſentare: & hoc colligunt ex *Cap. Monaſterium* 16. *q.* 7. junctâ Gloſsâ, & Concilio Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 18. *Reform.* Verùm Concilium ibidem apertè ſtatuit, ut ſi beneficium ſit Patronatûs Eccleſiaſtici, is, quem Patronus digniorem inter examinatos judicabit, teneatur eum Epiſcopo præſentare, ſi inſtitutio ſpectet ad Epiſcopum: ſi verò illa ad alium ſpectet, teneatur Epiſcopus eligere digniorem ex dignis, quem Patronus præſentet illi, ad quem pertinet inſtitutio. Si verò ſit Patronatûs laici, debeat præſentatus examinari, neque niſi idoneus repertus, poterit admitti. Ut ut eſt, rectiùs docet Wiggers *tract.* 7. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 32. *in fine*, etiam Præſentatores laicos, ſub peccato mortali obligatos eſſe, ut quantum in ipſis eſt, præſentent illos, quos noverint eſſe digniores, maximè ad Curata beneficia; quia totum penè Eccleſiæ bonum, quoad fidem, diſciplinam, & mores, dependet ex ſincerâ, & prudenti Miniſtrorum promotione, ad quam efficaciter Patroni concurrunt, dùm Epiſcopus tenetur præſentatos idoneos admittere, & iuſtituere: & niſi quiſque, quantum ad ſe ſpectat, laboret promovere maximè dignos, periculum eſt, ne obrepant etiam, qui idonei non ſunt: tam multa enim requiruntur in bono Paſtore, ut ſæpius etiam illi, qui multum videntur idonei, reperiantur parum apti. Studioſiſſimè itaque laborandum eſt, ut Eccleſiæ de maximè idoneis Miniſtris provideatur. Ità Wiggers.

Collatores verò, etſi quoque inſtituendo ad promotionem concurrant; non peccant tamen inſtituendo dignos, etſi noverint digniores eſſe præteritos; eò quòd illorum ſit inſtituere præſentatos; & eodem modo ſeſe habent

ac

Digitized by Google

ac ſi unicus foret præſentatus idoneus. Rectè tamen, & providè facient Collatores, ſi Patronis præſentandos digniores proponant, ſi ſit ſpes, quod Collatoribus condeſcendent, quod de illis meritò ſperandum, qui bonum Eccleſiæ unicè attendunt. Ex his patet reſponſio ad ertium quæſitum. Notari interim hîc poſſet ex Dominico Soto *de Jure & Juſt. lib.* 3. *q.* 6. *art.* 2. non ſolummodò jure Canonico, ſed & Cæſareo ſtatutum eſſe in *Authent. de Monachis* §. *Ordinationem*, ut qui primus inter Monachos apparuerit, debeat præfici in Paſtorem. Quod ſi id fieri debeat in Monachorum electione; quantò magis in electione Epiſcoporum, & Paſtorum? Addit Author ille, non illicò eſſe mortale digniorem prætermittere, quando exceſſus ille non eſt tantus, ut videatur ad rem plurimum referre, neque plus quàm morali, & pro rei qualitate diligenti conſideratione cogit Deus perſonas explorare.

Quæret aliquis, quiſnam ad aliquod beneficium ſit dignior? Reſp. Generaliter loquendo ille ad aliquod beneficium eſt aptior, & dignior, qui conſideratis omnibus circumſtantiis perſonæ, loci, & temporis, aptior cenſetur ad finem, & miniſterium ad quod beneficium eſt inſtitutum. Hinc conſiderandæ ſunt omnes perſonæ qualitates, maximè in ordine ad beneficium conferendum; quæ, quò magis miniſterio illius beneficii exequendo congruunt, eò cenſendus eſt dignior. Deindè, conſideranda quoque eſt qualitas loci, incolarum indoles, idioma, &c. quibus aliquando aliàs doctiores, ſanctiores, & prudentiores non conveniunt. Denique attendenda eſt conditio temporis, an ſit tempus pacis, belli, neceſſitatis, ex qua judicari ſæpè debet alicujus idoneitas. Hinc alii deducent cum S. Thoma 2.2. *q.* 185. *art.*3. *ad*3. quod nihil prohibeat, aliquem eſſe magis idoneum ad officium regiminis, qui tamen non excellit in gratia ſanctitatis. Item, quod doctior, non ſemper ſit aptior, uti nec ſanctior, nec prudentior; ſed qui omnibus attentis judicatur aptior ad beneficium ritè exequendum. Imò cenſuit S. Congregatio, quod ille præferendus eſſet, qui eſſet minus doctus, de cujus tamen probitate, ac ſanctitate conſtaret, alteri eminenter doctiori, de cujus tamen probitate nihil conſtaret. Multò minus ille aptior cenſeri debet, qui ætate eſt gravior, qui habitu, Profeſſione, aut Sacerdotio eſt ſenior: & minus, qui nobilior, niſi ratione nobilitatis Eccleſiæ plurimum poſſet prodeſſe. De cæterò S. Thomas ibi ſuprà, in reſponſ. ad 1. docet, quod in Paſtore præcipuè attendi debeat eminentia divinæ dilectionis, ubi tamen aliàs non invenitur idoneus ad regimen Eccleſiæ.

Quis hic cenſendus ſit dignior.

Advertendum etiam hîc eſt, quod cæteris paribus conſiderari poſſint certæ qualitates, quæ ſe ſolis non videntur facere ad dignitatem: ſic paupertatis ratio conſiderari poteſt, reſpectu alterius divitis, etiam qualificati: cui tamen pauper Clericus poteſt præferri, etſi de cætero non ſit ita qualificatus, modò paupertatis ratio adæquet exceſſum illum idoneitatis. Et ratio eſt, quod beneficia inſtituta ſint ad ſuſtentationem Miniſtrorum, qui dignè miniſtrant: adeoque paupertas tranſit eo caſu in partem cauſæ, quæ

ſpe-

Digitized by Google

ſpectanda eſt in collatione Beneficiorum. Idem eſt de Originario, qui aliquando præferri poterit digniori peregrino, ſi ratio originis adæquet exceſſum dignitatis peregrini, eò quòd Originarius magis præſumatur velle bonum ſuæ communitatis. Sic etiam idem dicendum eſt de ditiori, qui pauperi digniori præferri poteſt, ſi Eccleſia, cui præficiendus eſt, ſit egeſtate preſſa, cui ditior poteſt providere, etſi, ut rectè notat Wiggers ibi ſuprà *num.* 33. in fine; quod, qui eo titulo ditiores promovent, ſæpè ſuprà arenam ædificent, dum pauperiores ex patrimonio, ſæpè melius faciant Eccleſiæ, quàm opulentiores.

Ex dictis inferri poteſt, improbandam eſſe conſuetudinem illam, quâ ſeniori profeſſo indiſcriminatim obtingit beneficium Parochiale, modò ſit dignus; dum ſæpè adſunt digniores. Undè ſollicitè, & providè ſtatuunt Statuta Præmonſt. *diſ.* 2. *cap.* 13. *de Paſtoribus num.* 5. Hac in re non tam ætatis, aut temporis Profeſſionis, quàm idoneitatis, & virtutis rationem eſſe habendam.

SECTIO II.

An ille, qui confert indigno, vel qui digniore prætermiſſo promovet minus dignum ad Beneficium aliquod, teneatur ad reſtitutionem.

Conſtat ex dictis, quod indignum promovens ad aliquod Beneficium, violet juſtitiam commutativam, adeoque reſtituendo debeat eam reſarcire. Idem ante probatum eſt de eo, qui omiſſo digniori promovet minus dignum. Imò pari obligatione conſtringitur promotus indignus, utpotè qui eſt vera cauſa omnium damnorum, quæ Eccleſia patitur; & cùm Officium ſuum præſtare non poſſit, debet reſtituere fructus Beneficii, quod datur propter Officium; undè & tenetur Beneficium dimittere. Ad reſtitutionem quoque obligatur ille, qui dignum malis artibus à Beneficio removet; & facit, ut detur indigno. Si enim conferens indigno ad illud teneatur; etiam tenetur ille, qui conferentem ad hoc efficaciter inducit.

Qui autem digniori prætermiſſo confert Beneficium cum cura animarum minus digno, ſi ex officio teneatur providere de digniore, uti ſunt Patroni, ſaltem Eccleſiaſtici, Collatores, Inſtitutores, juxtà ante dicta; obligantur ad reſtitutionem Eccleſiæ faciendam, etſi electio non fiat per concurſum. Ratio eſt, quod ille ſit vera cauſa omnium damnorum Eccleſiæ obvenientium ex tali promotione minus digni. Aliud eſt in caſu, quo ſatisfacit aliquis promovendo dignum, quod ſæpè ſine violatione juſtitiæ fieri poſſe, ante annotavimus.

Quibus debeat fieri reſtitutio.

Qui autem digniore prætermiſſo eligit minus dignum, etſi Eccleſiæ teneatur reſtituere, non tamen id debet digniori prætermiſſo, niſi conferen-

dum

dum ſit Beneficium per oppoſitionem, ſeu concurſum, aut etiam ex fundatione conferri debeat digniori. Ratio prioris eſt, quod dignior prætermiſſus non habeat jus ſtrictè dictum ad Beneficium, ſed ſolummodo habeat jus aliquod largè ſumptum, conſiſtens in majori idoneitate, & decentiâ, ratione cujus mereretur præferri. In concurſu autem fit quaſi contractus aliquis virtualis, quo convenitur, ut qui futurus eſt dignior, conſequetur Beneficium: adeoque digniori prætermiſſo fit ſtrictè dicta injuria; quæ proindè debet reparari. Hinc etiam illi competit appellatio ad Metropolitanum, vel Pontificem, etſi interim proviſio ſit exequenda. Vide Concilium Trid. *Seſſ.24. cap.18. Reform.*

Porrò, dicta reſtitutio fieri poteſt Eccleſiæ hoc modo, 1. Per ſe, vel per alios efficaciter perſuadendo indigno, vel minus digno, ut Beneficium digniori cedat: 2. Illi aliquod Beneficium ſimplex procurando, & digniorem ſurrogando. 3. Si nec id fieri poſſit, alias idoneos accerſendo, & de debito ſtipendio providendo, qui defectum indigni, vel minus digni ſuppleat, pro eo tempore, quo indignus, aut minus dignus remanet. Quia tamen ejuſmodi reſtitutio debitè vix ſoleat procurari; hinc tot, tamque urgentes Eccleſiæ conſtitutiones, quibus dignorum, & digniorum promotio inſtanter præcipitur, & media ad eam procurandam proponuntur obſervanda, prouti noviſſimè fecit Concilium Trident. *Seſſ.24. cap.18. Reform.* Ubi decernitur, quod ad Parochialem curam promovendi, examinari debeant ab Epiſcopo, aut ejus Vicario, aliiſque Examinatoribus, qui jurent, ſe poſtpoſitâ omni humanâ affectione fideliter officium ſuum perfecturos; mandatque eos ab omni ſimoniæ ſpecie abſtinere: imò, id etiam fieri præcipit in Beneficiis Patronatûs laici, uti ante notavimus: qui, cùm ſæpè ob ignorantiam excuſari poſſint in præſentando minus digno; Epiſcopi, & aliorum Examinatorum erit eorum defectum ſupplere, & non niſi idoneum acceptare. Convenientiſſimum quoque hîc modum digniores eligendi addidit per concurſum; qui modus, ſi ritè obſervaretur, melius ſubindè Eccleſiis eſſet proviſum; dum aliquando fieri poſſet, quod concurſus celebretur pro formâ, ut aiunt.

Quomodo hic reſtitutio ſit Eccleſiæ facienda.

Prudenter quoque, & ſacris Canonibus conformiter Statuta Ord. Præmonſt. ibi ſuprà, ità habent: *Quia regimen animarum ars artium eſt, & ſcientia ſcientiarum: ideo Prælati in ſuorum ad Paſtoralem curam promotione, omnem privatum affectum exuentes, ſingulorum qualitates diligenter conſiderent, & eos provehant, de quorum pietate, ſufficienti doctrinâ, & in virtute conſtantiâ, in ſupremo illo die reſpondere poſſint: ſcientes, quod ſi indignos ſcienter provexerint, in provehentium caput refundendum ſit, quidquid promoti deliquerint; & quod omne damnum Dominico gregi per tales illatum, ſit ab eis repetendum.* Et num. 5. ſubdit: *Quando verò ad tam gravem, & periculoſam functionem aliquis emitti debet, Prælati ante oculos habentes Chriſti Apoſtolos electuri, & in oratione Dei pernoctantis exemplum, orationi ſedulò vacent,*

Notabile.

cent, ac oblato ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, & in eo imploratâ Spiritûs Sancti gratiâ, audito Priore, aliiſque, quos ad informandos ſe de promovendorum qualitatibus, ne errent, deſuper judicaverint audiendos, omni favore, ac quâcumque affectione poſtpoſitis, ſolum Deum, & Eccleſiæ utilitatem purè ſpectantes, eum promoveant, quem dictante conſcientiâ, omnibus conſideratis, & æſtimatis ad tale munus obeundum, maximè aptum cenſuerint. Nec hâc in re, tam ætatis, aut temporis profeſſionis, quàm idoneitatis, & virtutis ratio habeatur. Hactenus ſtatuta conformiter ad SS. Canonum Decreta.

Ad hoc tamen exequendum neceſſaria eſt in Prælato conſtantia, ac ſumma indifferentia: conſtantia quidem, ne amicorum, adulatorum, aliorumque id genus hominum ſuaſionibus, aut precibus à recto hîc deviet, & eum promoveat, quem illorum commendatio, non propria virtutis, & doctrinæ merita commendant. Indifferentia verò, ne amore carnali, aut odio, ſimilivè averſione præoccupatè procedat: hoc enim fieri ſolet, ut digni judicentur indigni, & è contra indigni judicentur digni. Quiſque enim, ut affectus eſt, facilè ſolet disjudicare. Hanc autem animi conſtantiam, uti omnem Chriſtianorum fortitudinem charitas Dei facit, non amor proprius, vel carnis, & ſanguinis: quâ ratione etiam ſtatuit Concilium Trid. *cap.*1. *Seſ.*24. *Reform.* ut ante electionem Epiſcopi habeantur ſupplicationes, preces publicæ, ac privatæ, quibus Clerus, populuſque bonum à Deo Paſtorem valeat impetrare. Hinc etiam Statuta dicta ſtatuunt, ut Prælati in ſacroſancto Miſſæ Sacrificio gratiam ſancti Spiritûs implorent, ut ejus inſtinctu eligant ſecundùm Deum, & conſcientiam; non ſecundùm ſpiritum carnis, aut ſanguinis, non ſecundùm ſpiritum adulationis, avaritiæ, aut ambitionis. Similem electionem ſæpè Deus ipſe præſcripſit, ut dum 1. *Reg.* 1. dixit Samuëli: *Unges, quemcumque monſtravero tibi:* non enim qui ſe ipſum, aut quem alii commendant, ille hîc probatus eſt; ſed quem Deus commendat. Vide, quæ dicenda ſunt, de vocatione ad Statum Clericalem Sect.3. ſeq.

Viderint ergo, quibus eligendi, aut præſentandi facultas hîc competit, maximè Patroni Paſtoralis curæ, quantis ſe malis involvant, ſi inidoneos, aut minus dignos ad eamdem aſſumant. Violant enim in primis utramque juſtitiam, & conſequenter obligati remanent ad reſtitutionem: deindè, ſunt cauſa neglectûs divini Cultûs; uti & omnium damnorum, tam temporalium, quàm ſpiritualium, quæ Eccleſiæ, & animabus fidelibus obveniunt ex inſufficientia Miniſtrorum. Inſuper, ut rectè notat Dominicus Soto *lib.* 3. *q.* 6. *art.* 2. quando in diſpenſatione beneficiorum non habetur exacta meritorum ratio; nemo eſt, qui litterarum ſtudia ſequatur; nemo, qui aliis imbuatur moribus, quàm quæ ad *Curiam* fuerint aptiores: unde quanta detrimenta Eccleſiæ Chriſti ejus ſanguine fundatæ ſuccreverint; & hæreſum peſtes, & animarum neglectus apertiſſimè teſtantur. Adde, quod dicta mala in promoventis, aut eligentis caput paſſim redundent, prout rectè notat Petrus Damianus Opuſculo 22. cap. 4. ubi ita ait: *Quiſquis Eccle-*

ſiam

Digitized by Google

ſiam Dei non regulariter, ſed potentialiter ordinat, in promoventis caput, omnia illius, qui promotus eſt, mala redundant. Unde Prædicator egregius cùm dixiſſet, MANUS CITÒ NEMINI IMPOSUERIS: *preſtò ſubjunxit:* NEC COMMUNICAVERIS PECCATIS ALIENIS. *Alienis quippè peccatis communicare convincitur, quiſquis indignum, & improbum, atque ideo cupidum ad regimen provehere non veretur. Et cùm Eccleſia Chriſti non habens maculam, neque rugam, reprobâ cujuſlibet ordinatione fœdatur, in ordinantis animam omnis illa lethifera contagionis lepra transfunditur.* Concludit Adamus noſter Præmonſtratenſis lib. 2. Serm. 14. num. 9. admonens eligentes Prælatos, quod conformiter aliis eligentibus accommoda: *Obſecramus vos in Domino* JESU, *ut, cùm ad faciendam electionem convenitis, eam ſecundùm Deum faciatis electionem, in quantum vobis, & ſcientia noſſe, & facultas miniſtraverit poſſe. In primis vos obnixè hortamur, & per tremendum nomen Domini obſecramus, ut quidquam, quod contra Deum ſit, nullus penitus veſtrûm in eâ requirat: nec privatum aliquem, ſi fortè, quod abſit, habuerit, vel amorem, vel odium attendat. Non, inquam, amorem, ut admittatur, qui indignus eſſe non dubitatur: non odium, ut excludatur, qui dignus agnoſcitur. Si enim, quod longè abſit à vobis, eligere volueritis aliquem, ob ullam v. g. conſanguinitatem, vel amicitiam carnalem, vel propter aliquam aliam, quæ contra Deum ſit, cauſam: ut vobis ſub eo remiſſius agere licitum ſit, & culpam graviſſimam incurretis, & quod cum ſpe deſideratis, nequaquam poſtmodum acquiretis. Nam ille vobis poſtea longè auſterior erit, quem ſub ſpe tali admittitis, quam aliquis alius foret, quem timendo excluditis..... Hæc enim omnia quam ſæpè hoc modo videmus accidiſſe.* Ita Adamus à 500. ultra annis, non à 200. ut volunt aliqui cum Poſſevino, & Miræo in Chronico Præmonſt.

SECTIO III.

De qualitatibus requiſitis ad Eccleſiaſticum beneficium ritè obtinendum.

AD hoc ante omnia requiritur ſtatus Clericalis, ut colligi poteſt ex Cap. *Cùm adeo, de reſcript. & Gloſ. ibi* 5. *Clericus.* Ad hunc ſtatum requiritur legitima vocatio, non à carne, aut ſanguine, ſed à Deo: unde Clericus dicitur, quaſi *ſorte vocatus*, more Matthiæ, & aliorum Chriſti Apoſtolorum; prout doctè docet noſter Philippus Abbas Bonæ ſpei *de dignitate Clericorum cap.* 11. *&* 12. admonens hâc ratione ſummopere Clericis cavendum eſſe, ne præſumptionis arguantur; ne eligant, antequam eligantur: ne, ſi non electi velint eligere, habeant nomen, & non ex re. Culpantur hîc ergo primò parentes illi, qui, ut notat D. Hieronymus ad Demetriad. de Virginit. ſolent deformes proles, ſecundò genitas, &c. virginitati tradere, & Clericatui obtrudere: & de quibus ait S. Bernardus de vita, & moribus Clericorum cap. 5. *Huic parvulo, aut forſitan necdum nato, Eccleſiaſtica jam beneficia, provida ſanè parentum ſollicitudo parabat. Hunc nos, inquiens, illi, vel illi tradamus Epiſcopo,* Clericatus.

 apud

apud quem habemus gratiam, aut cui fortè ſervimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos noſtra dividatur heriditas.

Nec ſolùm hîc culpandi ſunt illi, qui alios ad Eccleſiaſtica beneficia adigunt nihil de vocatione eorumdem ad Clericatum ſolliciti: ſed & ipſi, qui beneficia ſiniſtrâ intentione aucupantur, de quibus rurſum ait dictus Philippus cap. 13. *Cùm ad honores Eccleſiaſticos, non niſi electus debeat promoveri, noſtris tamen temporibus multò aliter videmus fieri: quia crevit, & excrevit numerus plurimornm, qui non tam re gloriantur, quàm nomine Clericorum. Quia ergo multi avaritiæ facibus inardeſcunt, & vel ditari, vel honorari plus juſto concupiſcunt: cùm non poſſint ad libitum proſperari, impudenter ſe ingerunt, & appetunt ordinari: ut quod eis ex ſuo patrimonio non confertur, Ordinum mercimonio conferatur.*

Ad dignoſcendam igitur veram vocationem ad ſtatum Clericalem, attendenda eſt ordinandi, ſive beneficia Eccleſiaſtica acceptantis intentio; an otii conſectandi, laboris fugiendi, quæſtûs causâ, aut honoris; an alio demum humano reſpectu beneficia accepter, an verò ſolius Dei gloriæ, & animarum lucrandarum titulo, qui ſolus eſt finis legitimus vitæ Clericalis. Nam teſte S. Bernardo, ſuper *Ecce nos reliquimus omnia, &c. Qui in Eccleſiaſticis ordinibus honorem quærentes proprium, aut divitias, ſeu corporis voluptates, poſtremò quæ ſua ſunt, non quæ* JESU-CHRISTI, *manifeſtè prorſus, & indubitanter, non eam charitatem, quæ à Deo eſt, ſed alienam à Deo, & quæ omnium malorum radix eſt, cupiditatem introducere.* Hinc eâ de re Concilium Colonienſe de impoſitione manuum cap. 21. ita monet Ordinantes: *Quod denique affectu, ac propoſito accedant Ordinandi, videndum, accurateque inveſtigandum eſt; Num videlicet Dei causâ tantùm, an potius ſuæ commoditatis gratiâ ad Ordines capeſcendos adſpirent; quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ* JESU-CHRISTI. *Quid enim eſt ſua quærere, & non quæ* CHRISTI *ſunt, niſi cùm tales non gratis Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt, temporalia commoda ſequentes, lucris inhiantes, & honores ab hominibus expetentes? Quiſquis ergo talis eſt, non Dei filius, nec ovili* CHRISTI *idoneus Paſtor futurus ſed mercenarius eſt.*

Quod autem diximus, requiri ad legitimam beneficii ſuſceptionem, Ordinem aliquem, non ita intelligi debet, quaſi de facto ordine illo inſignitus ſit, qui beneficio requiritur; ſed quod pro eo tempore habeat animum ordinem beneficio annexum tempore debito ſuſcipiendi, uti colligitur ex Concilio Trid. *Seſ. 22. cap. 4. Reform.* & aliis juribus. Pro cujus pleniori intelligentia notari poteſt, quod olim quidem ſatis fuerit, quod electi depoſt ordinarentur, uti patet in Martino, Ambroſio, &c. Poſtea tamen conſtitutione Sixti V. conſtit. 38. requiſitum eſt, ut actu ſint Clerici, dum confertur beneficium; & patet ex *Cap. Cùm adeo, de reſcript.* deindè, ſunt aliqua beneficia, quæ requirunt ordinem aliquem determinatum neceſſariò prævium. eò quòd Fundator cum tali onere beneficium fundaverit, quod ſine eo ordine beneficium illud nequeat

queat adminiſtrari, &c. ſic ad Epiſcopatum jure Tridentini *Seſ.* 23. *cap.* 2. *Reform.* debet intrà 3. menſes electus Epiſcopus conſecrari, niſi ſubſit legitimum impedimentum, prout in his partibus ſæpè ſubeſt. Sic etiam Parochus electus, debet à die pacificæ poſſeſſionis intrà annum ordinari Sacerdos, niſi legitimè fuiſſet impeditus, æger, abſuiſſet Epiſcopus, &c.

Ex his deducunt Authores, quod beneficium acceptans, debeat habere animum ſerium permanendi in ſtatu Clericali, niſi urgentiſſima ratio aliud ſuaſerit: æquum enim non eſt, ut illis Eccleſiaſtica beneficia conferantur, & Eccleſiaſticis proventibus gaudeant, qui animum non habent ſtabiliter Eccleſiæ inſerviendi. Sic *Cap. Commiſſa, de elect. in* 6. decernitur, ut ſi quis ad Parochialem Eccleſiam aſſumptus non intenderit ad Sacerdotium promoveri infrà annum, & fructus ex eâ per annum recipiat, ipſam poſtmodum dimiſſurus (niſi voluntate mutatâ promotus fuerit) teneatur ad reſtitutionem fructuum eorumdem, cùm eos receperit fraudulenter. Decernit inſuper, ut ille, qui eam Eccleſiam ità ſcienter contulit, præter divinam offenſam, quam promovendo incurrit, teneatur Eccleſiam ſervare indemnem. Idem dicendum docet Gloſſa teſte Navarro *Manualis cap.* 25. *num.* 118. de omni eo, qui beneficium aliquod ſuſcipit ſine intentione ſuſcipiendi Sacerdotii: quod, etſi primâ fronte videatur æquum, contrarium tamen jure verius eſſe aſſerit Navarrus ibi, cùm Cap. illud, utpote pœnale, non debeat extendi ultrà caſum ibi expreſsè contentum. Peccat interim omnis ille mortaliter, neque poteſt licitè retinere beneficium, quiſquis illud eo animo ſuſcipit, ut fructibus gaudeat, donec opportuna occaſio ſeſe offeret ad ſæculum tranſeundi: abſurdiſſimum enim eſſet, ait Soto *de Jure, & Juſt. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 6. qui Canonicatum, aut aliud ejuſmodi beneficium obſequio Eccleſiaſtico deputatum retineret, cum animo ad Matrimonium convolandi. Talis enim graviter injurius eſt Eccleſiæ, eam in re gravi decipiens, quæ nollet ita conſtitutis hominibus ſua beneficia conferre, ſi noſſet. Ex quo ulterius deducunt, eodem crimine involvi illos, v. g. parentes, & cognatos, qui filios, aut conſanguineos ſuos ad Eccleſiaſtica beneficia capeſſenda adigunt, quos ſæpè veroſimile eſt, animum Clericandi non habere, ſed ut fructibus beneficii gaudeant, donec occaſio ſe offerat pinguius Matrimonium ineundi, idem beneficium alteri reſignandi, &c. Similes vocant jura *fiduciarios*, & aliquando *ſimoniacos*, ut Concilium Remenſe in *Cap. De ſimoniacis, & fiduc. num.* 13. dicens: *Quiſquis autem acceptat beneficium, ut ei poſtea cedat in favorem cujuſcumque perſonæ capacis, vel incapacis, ſæcularis vel Regularis, laica, vel alicujus ex Clericis, fiduciarius eſſe cenſetur.*

Neque illud ſolummodo locum habet in beneficiis propriè dictis, ſed & in præſtimoniis, etſi etiam non ſint propriè beneficia: quia, ut notat Dom. Soto ſuprà, titulus illorum etiam eſt Clericalis. Aliud eſſe cenſet de penſionibus, quæ ſine Eccleſiaſtico titulo conferuntur; ſi tamen ob aliquem Eccleſiæ famulatum concedantur, abſurdum eſt, eas obtinere ſine animo perſeverandi in Clericatu: *Sunt enim aliqui,* ait ille, *qui cùm Sacerdotiorum potiantur, mu-*

Digitized by Google

tato animo eadem retentis penſionibus reſignant, quas quidem conjugati retinent, quibus uxorem, & proles, & ſæcularem faſtum ſuſtentent : quod quidem adeo eſt inſtituto Eccleſiaſtico abſonum, ut cur Eccleſia ferat, non viderim. Si tamen tales debitè officio ſuo fungantur, non ſunt obligati ad reſtitutionem fructuum, cùm Jura illud ſolummodo ſtatuant de ſuſcipiente beneficium Parochiale ſine animo promovendi ad Sacerdotium infrà annum, ut mox notavimus cum Navarro.

Neque ſolùm jam dicta locum habent in eo, qui non habet abſolutè dictam intentionem; ſed etiam de eo, qui etiamnum fluctuat animo, & ſecum deliberat, an velit manere in Clericatu, aut Sacerdotium ſuſcipere. Talis enim non habet verè intentionem Clericandi, aut Sacerdotii ſuſcipiendi, qualem jura, & Eccleſiæ ſenſus in illis requirunt. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 45. num. 10. & Soto ſuprà ait, *Si qui Paræciam ſuſcipit, nondum de vita deliberaverit, ſed pendens eſt animi, ut ſi res alia viâ felicius ſucceſſerit, habitu Clericali ſit renunciaturus, profectò non tutâ conſcientia fructus recipit.* Cenſetur tamen adſuiſſe talis intentio requiſita, etſi poſtmodum caſus occurrat, quo ad ſæculum ſe legitimè transferat, quamque pro eo caſu habuiſſet antea, v.g. quod ſi frater primogenitus obierit ſine liberis, aut ad componendam pacem, aut extinguendas lites; augendum decus familiæ, vel patriæ, &c. ubi id licitum eſſe, ait Navarrus ſuprà, ſive conſuluiſſe acceptare beneficia, etiam eo animo, ut ſi ſimilia occurrerent, ad ſæculum redirent.

Quicumque autem Eccleſiam Parochialem adeptus infrà annum non ſuſceperit Sacerdotium, ipſo jure, etiam ſine prævia monitione privatur Eccleſiâ jam obtentâ, niſi juſtum ſubfuerit impedimentum, v.g. quod Epiſcopus abſuerit, ipſe ægrotaverit, &c. Ubi enim nulla eſt culpa, non poteſt eſſe & pœna. Deindè, eadem Eccleſia non poterit iteratò illi pro eâ vice conferri, ne Canonis diſpoſitio ſuo effectu careret. Ita Cap. *Commiſſa.* Inchoari autem cenſetur annus, à tempore pacificæ poſſeſſionis. Qui verò alia beneficia adepti, neglexerint ſuſcipere Ordinem requiſitum ad tale beneficium, intrà annum, non ideo privantur beneficio adepto, ſed incurrunt pœnas cuilibet reſpectivè negligentiæ à jure conſtitutas. Vide Trid. *Seſ.*22. *cap.*4. Et alibi de hac re.

Ætas legitima. Requiritur ſecundò ad debitam beneficii conſecutionem legitima ætas. Diverſis locis, & temporibus diverſa ætas ad beneficia fuit requiſita. Ad Epiſcopatum Jure Civili requiſita olim fuit ætas 35. annorum, ut patet *Novell.* 123. *Cap.*13. & *Authent. Presbyterum Cod. de Epiſc. & Cler.* Jure Canonico requirebatur ætas annorum 30. *Cap. Cùm in cunctis, de elect.* Quod & approbat Conc. Trident. *Seſ.*22. *cap.*2. in Gallia, teſte Deſpeiſſæo *tit.*3. *de beneficiis num.*89. Sufficiunt hodie anni 27. juxtà Concordata *tit. de Regia ad Prælat. nominat. fac.* §. 1. Similis ætas requiritur ad Archiepiſcopatus. Idem num. ſequenti. Ad Eccleſiaſticam Dignitatem, quibus annexa eſt cura animarum, v.g. Abbatiam, Prioratum Conventualem, Archidiaconatum,

tum, Decanatum, & ſimilia, requiritur ætas 25. annorum. Ita Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 12. Quod intellige de anno 25. ſaltem inchoato. Ad alias Dignitates, quibus animarum cura non eſt annexa, requiruntur 22. anni, uti ait Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 12. Et quidem completi, dum Concilium requirit, ne ſit minor 22. annis; qui autem eos necdum complevit, cenſetur iiſdem eſſe minor. Et generaliter Concilium Trid. ibid. ſtatuit, ne quis ad Canonicatum, aut Dignitatem admittatur, niſi eo ordine inſignitus ſit, quem beneficium requirit: unde, cùm in Cathedralibus Canonici omnes debeant eſſe ſaltem Subdiaconi, ut Trid. ibid. ſequitur, quod ad ejuſmodi Canonicatus requiratur ætas 21. annorum inchoatorum, ut infrà annum Subdiaconatum recipere poſſint. Ad alios Canonicatus non habentes annexos Ordines ſacros, ſufficit ætas 14. annorum, prouti exigit Concilium, ad alia beneficia ſimplicia, etſi Canonici donec ſint Subdiaconi, non habeant vocem in Capitulo, juxtà *Clement.* 2. *de ætat. & qualit.* & Trid. *Seſ.* 22. *cap.* 4. niſi fortè aliud aliarum Eccleſiarum obtineret conſuetudo. Defendit quoque cum aliis Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 14. *num.* 1. illam quarumdam Eccleſiarum Cathedralium praxim, quâ ad Canonicatus admittunt, qui 15. ſunt annorùm, ut per ſeptennium ſtudiis completis, poſſint promoveri ad Subdiaconatum, cum quibus causâ ſtudiorum Epiſcopi poſſint diſpenſare, uti poſſunt cum illis, qui obtinent curam Parochialem, ne infrà ſeptennium causâ ſtudiorum debeant promoveri ad Sacerdotium. Videri poteſt dictus Author. In Galliis tamen ad Canonicatus Collegiatæ Eccleſiæ requiritur ætas 10. annorum; Cathedralis, aut Metrapolitanæ ætas 14. annorum. Ita Deſpeiſſ. ſuprà *num.* 96. Inſuper ad omne beneficium curatum requiritur ætas 25. annorum. Concil. Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 12.

Cæterùm, minorennibus, & pueris beneficia conferre, ſemper deteſtata eſt Eccleſia, & SS. Patres, ſignanter S. Bernardus, ita de moribus, & officio Epiſc. ac Prælat. cap. 7. ſcribens: *Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas Dignitates, & de ſub ferulâ transferuntur ad principandum Presbyteris: lætiores interim, quod virgas evaſerint, quàm quod meruerint Principatum.* Et ideo idem S. Pater, Theobaldo beneficium puero ſuo flagitanti, acriter reſpondit epiſt. 271. ne Deum perderet. Et Petrus Bleſenſis Epiſt. 23. *Hodie*, inquit, *in Epiſcopi dignitatem adoleſcentuli promoventur, & molles; ſic venditur Joſeph Putiphari Eunucho, dum Chriſti magiſterium, dum diſpenſationem Sacramentorum Dei, ſibi damnabiliter uſurpare præſumit infructuoſus, & mollis Epiſcopus.* Vide de eâdem re differentem Henricum Goethals, vulgò Gandavenſem, *quodlibeto* 9. *quæſt.* 30.

3. Ad legitimam ſuſceptionem beneficii requiritur cælibatus: unde collatio beneficii facta maritato irrita eſt, & nulla. Patet ex *Cap.* 1. & ſeq. *de Clericis conjug.* Quibus abrogati cenſentur quidem Canones antiquiores contrarium innuentes. Si quis tamen ductâ in uxorem virgine, illâ conſentien- Cælibatus.

te

te caſtitatem voveret, poſſet ad beneficium admitti, *Cap.* 2. *eod. tit.* Si verò Clericus ſacris Ordinibus necdum initiatus Matrimonium contrahat, ipſo facto beneficium amittit, dum amplectitur ſtatum cum miniſterio beneficii incompatibilem: adeo ut, quando beneficia conferuntur, cenſeantur conferri uſque dum uxorem habeat. An verò idem locum habeat, ſi Clericus attentaverit quidem inire Matrimonium, ſed ob aliquod impedimentum dirimens illud invalidè contraxit, non conveniunt DD. Verius id eo caſu negant plurimi cum Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 43. eò quòd jura ſolummodò hîc agant de Matrimonio valido; & ratio, quare Clericum illum beneficio Eccleſia privet, ſit illa, quia non poteſt quis ſimul uxori vacare, & officio divino; qui autem invalidè contrahit Matrimonium, non poteſt vacare uxori. Erit tamen ille jure merito privandus ſuo beneficio, niſi poſt vitam laudabiliter poſtea actam meruerit diſpenſationem. Qui verò ſolummodò contrahit ſponſalia, nullo jure beneficio privatur, etſi jus ſimile non immeritò poſſet ſtatui, dum ſimilis Clericus, quantum eſt in ſe, repudiare cenſetur Eccleſiæ miniſterium.

Probitas morum. 4. Requiritur in Beneficiato morum probitas, ſive, ne gravioribus vitiis ſit deditus, aut infamis. Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 18. & *Seſ.* 22. *cap.* 1. *Reform.* & juxtà Leſſium *Dub.* 25. Qualitas hæc, eſt hîc maximè attendenda. Fundatur autem illa conditio in jure naturæ, dum improbus aliis eſt in ruinam, ubi Eccleſiæ miniſter oportet populo eſſe in ſalutem, & exemplum bonorum operum, non malorum. Si enim Apoſtolus 1. Tim. 5. in eligendis mulieribus ad Eccleſiæ ſervitium, requirat morum probitatem: quantò magis eadem requirenda eſt in Miniſtris Eccleſiæ? Neque hîc ſatis eſt, quod eligendus ad beneficium non appareat improbus: ſed debet eligenti poſitivè conſtare, eum eſſe probum, juxtà ante dicta Sectione 1.

Scientia competens. 5. Requiritur inſuper ad beneficia competens ſcientia, puta talis, ac tanta, quæ requiritur ad officium beneficio annexum debitè exequendum, dum beneficiun datur propter officium. Quænam verò ſigillatim ſcientia requiratur ad beneficium aliquod, colligi plerumque ſolet ex ſcientiâ requiſitâ ad ordinem, quem beneficium illud requirit: ſic ad tonſuram (quam quodlibet beneficium exigit) requiritur, ut legere ſciat, & ſcribere, uti & rudimenta fidei, ut ſtatuit Synodus Trid. *Seſ.* 23. *cap.* 9. *Reform.* Ad beneficium ſimplex, quod requirit ordinem minorem, requiritur ſcientia linguæ Latinæ, *cap.* 11. habeatque bonum teſtimonium à Magiſtro. Si verò requirat ordinem ſacrum, ſi quidem ſit ſimplex, ut Capellania; requiritur ſcientia plenaria rerum fidei, & illa, quæ pertinent ad munus ſuum dignè exequendum: ſi verò ſit duplex, ut Parochia; requiritur, ut ſciat ea omnia, quæ ad debitam Sacramentorum, & officii ſui adminiſtrationem ſunt requiſita, *cap.* 13. Archidiaconi, & aliæ dignitates debent habere ſcientiam Canonum, & Juris Canonici, *cap.* 18. Pœnitentiarius debet eſſe Doctor, vel Licentiatus in Theologiâ, aut Jure Canonico, *cap.* 8. Idem exigitur ad Epiſcopatum

Digitized by Google

copatum *Seſ.* 22. *cap.* 8. Cùm verò Canonicorum officium ſit, Epiſcopis aſſiſtere, tum conſilio, tum auxilio: ſequitur, eoſdem quoſque in Theologia, aut Jure Canonico debere eſſe præ cæteris inſtructiores, prouti nuper doctè oſtendit D. van Eſpen de Canonicis. Hanc ſcientiæ conditionem ſollicitè ſemper requiſivit Eccleſia; quâ ratione Concilium Trid. *Seſ.* 7. *cap.* 13. & *Seſ.* 25. *cap.* 9. ſtatuit, neminem ſine debito examine ad beneficium eſſe admittendum, niſi ab Univerſitatibus præſentati ſint, aut nominati, qui ab examine eximuntur ab eodem Concilio *Seſ.* 7. *cap.* 13. *Ignorantia enim Clericorum omnium errorum eſt mater. Cap. Ignorantia Diſt.* 36. Hinc etiam Gelaſius Papa ibid. c. 1. *Nemo illitteratos ad Clericatûs ordinem promovere præſumat, quia litteris carens ſacris non poteſt aptus eſſe officiis.* Hinc denique ſtatuit Synodus Trid. *Seſ.* 22. *cap.* 4. ut proviſio facta illitterato, ſit omninò irrita: ſi ſit litteraturæ mediocris, poſſit tolerari.

6. Requiritur hîc habilitas ex parte corporis, requiſita ad decenter obeundum miniſterium beneficio annexum, Trid. *Seſ.* 22. *cap.* 4. eſtque fundata conditio illa in jure naturæ. Hinc generaliter notant, quod incapax ad aliquem ordinem, etiam incapax ſit ad beneficium, quod talem ordinem requirit. Defectu hujus conditionis excluduntur à beneficiis quotquot ordinari non poſſunt; cùm omne beneficium requirat Clericatum, qui ſine tonſurâ ſaltem haberi non poteſt. Hinc excluduntur cœci, qui Horas legere nequeunt; qui unicam habent manum, unicum pedem; qui ita claudi ſunt, ut ligneo pede incedant; qui habent os corroſum, ut deformitate ſua horrorem generet, quales etiam ſunt laborantes continuâ chiragrâ, aut podagrâ, ſcabie, paralyſi; itidem caſtrati, etſi id fecerint, ut caſtè vivant: ſecus, ſi caſu, aut non ſponte quis ſit caſtratus, juxtà *Cap. ſi quis à Medicis*; quo caſu non eſt neceſſe, eadem abſciſſa ſecum portare ſicca, aut in pulverem redacta, ut docet Toletus *lib.* 1. *cap.* 63. *num.* 4. Excluduntur itidem obſeſſi à Dæmone, ſive energumeni, & generaliter, qui ità ſunt corpore vitiati, ut ſine indecentia Eccleſiaſtico miniſterio nequeant inſervire. Sic & in V. L. *Levitici* 21. præcepit Deus, ne homo, qui haberet maculam offerret panes Deo ſuo, nec accederet ad miniſterium ejus: ſi cœcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo. Hoc tamen notandum hîc eſt, quod ſi dicta defectuoſitas, ratione cujus exercere nequit miniſterium ſuum Beneficiatus; advenerit poſt beneficii acquiſitionem, non ideo privari debeat beneficio *Can. Præcepta* 12. *Diſtinct.* 55. & *Cap. ult. de Clerico ægrotante.* Ità tamen, ut eidem aſſignandus ſit Coadjutor.

Habilitas ex parte corporis.

7. Excluduntur à beneficiis ſpurii, nothi, & generaliter omnes illegitimi, juxtà illud Deuteron. 23. *Non ingredietur Manſer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini uſque ad decimam generationem.* Imò ſi, ſpurio proviſum ſit de beneficio, erit locus devolutioni, juxtà *Cap. ad audientiam, de filiis Presbyt.* Et rectè, cùm ejuſmodi ſoleant patrem ſuum imitari, & mali corvi malum ſit

ovum,

ovum, & patrem ſequitur ſua proles. Aliud eſt, ſi cum illis in defectu natalium fuerit diſpenſatum, quo caſu poterunt beneficia obtinere ejuſmodi, etiam curata, *Cap.* 1. *de filiis Presb. in* 6. naſci enim de adulterio, non eſt ejus culpa, qui naſcitur; ſed illius, qui generat, ut dicitur *Can. naſci* 5. *diſt.* 56. Porrò, diſpenſatio dicta, quoad beneficium ſimplex, poterit fieri ab Epiſcopo: quoad Curatum verò, aut Dignitatem fieri debet à Papa. Cùm autem ad Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis vi Concilii Trid. requiratur Ordo ſacer, ad quem ſuſcipiendum, nequit Epiſcopus diſpenſare: videtur, quod cum eodem in hoc caſu nequeat diſpenſatio obtineri ab Epiſcopo. Conſtat inſuper ex eodem Concilio *Seſ.* 25. *cap.* 15. non poſſe illegitimum ex Epiſcopi diſpenſatione habere beneficium aliquod in eâ Eccleſia, ubi Pater fuit Præfectus, v. g. Epiſcopus, Decanus, Parochus: cùm vi dicti Concilii ibid. in ea Eccleſia filius conſtitui nequeat; dum ſit planè indecorum, & turpe, quod in eadem Eccleſia ſit pater, & filius; & oſtendatur publicè Patris incontinentia: & licet fortè legitimè nati eſſent, tamen jus illud prudenter inhibet ad abolendam omnem beneficiorum ſucceſſionem hæreditariam, ne ædificetur Sion in ſanguinibus. Undè *Cap. ad abolendam* 16. *de filiis Presbyt.* dicitur: *Inhibemus, ne Canonicorum filii, maximè ſpurii, Canonici fiant in ſæcularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt Patres eorum: & ſi fuerit contra præſumptum, decernimus non valere: qui verò tales, ut dictum eſt, canonicare præſumpſerint, à ſuis beneficiis ſuſpendantur.* An verò ſit idem dicendum de Nepotibus reſpectu Avorum, non adeo conſtat. Affirmat Gloſſa *in Cap. Apoſtolica* 8. *q.* 1. & ſuffragatur *L. liberorum, & L. juſta, de verb. ſignif.* Ubi decernitur nomine filiorum comprehendi nepotes. Alii id negant, maximè ſi pater vivat intermedius. Interim Rebuff. *in praxi tract. de diſpenſ. ſuper defectu natal. num.* 25. *&* 26. etiam à beneficiis Avorum excludit nepotes, quem Lector conſulat. Addit idem num. 29. Patrem poſſe obtinere idem beneficium, quod habuit filius; id enim nullo jure eſt prohibitum, neque etiam præſumitur abuſio, aut inordinatus affectus, ſi inverſo ordine naturæ Pater ſuccedat filio, juxtà illud:

Ordine turbato ſuccedis Bulgare nato.

Vide Deſpeiſſæum *tit.* 3. *num.* 84. Additque num. ſeq. quod Nepos habere poſſit beneficium, quod immediatè habuit Avunculus, uti habet praxis quotidiana.

Illegitimis hîc annumerantur Neophyti, ſive ex Judæis oriundi, qui etiam ab Ordinibus ſolent arceri. Addit *Azorius*, facilè cum illis diſpenſari, ſi ſemper Catholicè vixerint, etſi etiam eorumdem Parentes eſſent combuſti. De cætero, etſi per Profeſſionem Religioſam jure communi omnes habilitentur ad Ordines: tamen Sixtus V. prohibuit jure merito illegitimorum receptionem ſine diſpenſatione. Et quamquam jure communi habilitentur ad Ordines; non tamen idem dicendum erit de habilitate ad Regularia beneficia, de quo vide Navarrum *Conſ.* 3. *de filiis Presbyt.*

Adde hîc etiam bigamos, quibus interdictum eſt accipere tonſuram, & ha-

habitum Clericalem; talis autem etiam eſt ille, qui viduam duxit, *Can. Si quis viduam* 13. *diſt.* 34. & *Cap. de bigamis* 3. *extr. de bigamis non ordinandis.* Eſt enim bigamia teſtimonium incontinentiæ Clericatui adverſæ. Undè & in V. L. aliquoties injunctum Sacerdotibus accipere Virginem, non Viduam, *Levitici* 21. & alibi.

Excludunt alibi à beneficiis majoribus extraneos: ſic ait Deſpeiſſ. *tit.* 3. *num.* 73. in Galliis excludi extraneos ab Archiepiſcopatu, Epiſcopatu, Abbatiis, Prioratibus, & aliis ejus Regni beneficiis, juxtà ordinationem Caroli VII. anno 1431. contrà *Cap. ad decorem* 5. *extr. de inſtitut.* ubi dicitur, quod non debeant inſtitui in eadem Eccleſia Clerici unius tantummodò nationis; ſed poſſe inſtitui cujuſque ſint nationis. Aliud eſſet, ſi obtinuiſſent litteras naturaliſationis. Addit idem *num.* 100. quod, etſi regulariter ſoli Clerici poſſint obtinere beneficia; Rex tamen Franciæ de facto obtineat aliqua ſui Regni beneficia, ratione Unctionis ſacræ, quâ ratione reputatur perſona Eccleſiaſtica. Idem habet locum in aliis Regibus.

Hæc ſunt, quæ potiſſimum in Beneficiatis exiguntur; quorum inveſtigatio relinquitur eligentibus, præſentantibus, inſtituentibus, aut ſuo modo aliquem ad Beneficium promoventibus. Neque id ſolùm attendi debet in Beneficiis propriè dictis, ſed & in omnibus omninò functionibus Eccleſiaſticis, ut digniores eligantur, & aſſumantur; & promoveantur illi, qui judicantur magis profuturi bono Eccleſiæ. Hinc tanta alibi ſcandala, & Eccleſiæ mala, dum aliqui inter ſe Beneficia, & officia diſtribuunt, conſervant, & ad ea ex affectu carnali mutuo promovent, digniores ſæpè ad eadem traducunt, & mille machinationibus ſupplantant. Vix enim hodiè dignitas aliqua vacare contingit, quin competentes, eorumque fautores, non tam vitæ ac virtutis merito ſuos commendent, quàm alios competitores per fas & nefas traducendo, & dignos ſæpè excludendo, indignos intrudant in Eccleſiaſticas dignitates.

SECTIO IV.

De pluralitate Beneficiorum.

Pluralitas Beneficiorum eſt contra jus naturæ.

PLuralitatem Beneficiorum ſemper deteſtata eſt Eccleſia, utinam tamen pro votis plenè ab Eccleſia eſſet excluſa! res eſt Eccleſiæ pernicioſa, juri naturæ, divino, & humano planè adverſa. Primum doctè proponit Doctor Angelicus, *Quodlibeto* 9. ubi inquirit, an pluralitas illa ſit intrinſecè mala; quo utrimque diſputato, præmittit reſolutioni, multiplicem eſſe actionum humanarum differentiam: quædam habent deformitatem inſeparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, &c. quæ nullo modo fieri poſſunt, de quorum numero non eſt habere plures Præbendas; quia aliàs in nullo caſu ſuper hoc diſpenſari poſſet. Aliæ actiones ſunt de ſe indifferentes ad bonum, & malum, ut levare feſtucam; quale aliqui volunt eſſe ha-

habere plura Beneficia; quod & S. Doctor improbat. Aliæ denique ſunt actiones, quæ abſolutè conſideratæ quamdam deformitatem continent; ita tamen, ut advenientibus certis circumſtantiis fiant bonæ, uti eſt occidere hominem, quod adveniente authoritate ſuperioris eſt actus juſtitiæ; quale, ait eſſe, habere plures Præbendas: etſi enim illud aliquam deformitatem contineat: tamen poſſunt tales circumſtantiæ concurrere, ut deformitas illa evacuetur, de quibus poſtea.

Conſtat ergo, quod pluralitas illa, etſi non ſit intrinſecè mala, tamen ſit de ſe contrà rectam rationem; dum ex ea directè plurima mala pullulant in Eccleſiam Dei, eaque graviſſima, quorum primum eſt diminutio divini cultûs, quam ex ea pluralitate provenire, latè docet Joannes XXII. Extrav. *Execrabilis*, contrà numerum Beneficiorum ab uno poſſeſſorum. Hinc videmus alibi Eccleſias cum Beneficiis debito miniſterio defraudatas. 2. Fraudantur voluntates Fundatorum, qui ideo bona ſua Eccleſiæ detulerunt, uti ibidem certo numero Clerici ſua officia debitè exequerentur. 3. Quod ea pluralitate violetur juſtitia diſtributiva; quo fit, ut unus eſuriat, alter autem ſit ebrius. 4. Quod id proveniat à radice ambitionis, & avaritiæ, eaſque inflammet dicta pluralitas. 5. Quod defunctorum animæ defraudentur debitis ſuffragiis, dum unus pluribus obligationibus nequit ſatisfacere. 6. Quod juxtà Hoſtienſem in Cap. *Quia in tantum, de Præbendis*, det anſam diſſolutionis in veſtibus, moribus, &c. juxtà illud Pſalmi Moyſaïci Deut. 32. *Incraſſatus eſt dilectus; & recalcitravit, impinguatus, incraſſatus, dilatatus.* 7. Quod det materiam vagandi, quia quò homo magis exuberat, eò faciliùs efficitur vagus. 8. Quod homo ſit incapax pluribus ſervitiis debitè exequendis. 9. Quod ſæpè tali pluraliter homo ſe exponat periculo violandi juramentum fidelitatis; dum una Eccleſia ſubindè habet contraria obſervanda: quod in utraque Eccleſia ſimul, & eodem tempore res aliqua magni momenti ſit diſcutienda, cui ſimul intereſſe quis nequit: quod una Eccleſia alteri litem moveat, prouti argumentatur S. Thomas *Quodlibeto 9. art. 15.*

Mala ex pluralitate Beneficiorum provenientia.

His, & aliis rationibus perpenſis, docent varii, quod dicta pluralitas Præbendarum ſit res planè monſtroſa, uti facit Guilielmus Pariſienſis *lib. de vitiis, & peccatis cap. 9.* qui Caſtori monſtro comparat illos, qui uno officio, vel dignitate non contenti, & interdum necdum uni ſufficientes, vel idonei, multa in ſe conjungunt. *Dum enim* (ait) *aliquis Decanus eſt in una Eccleſia, Præpoſitus in alia, Cantor in tertia, Archidiaconus in quarta, quid eſt, niſi monſtrum ſpirituale in corpore univerſalis Eccleſiæ?* Et Major *in 4. diſt. 24. q. 12. conc. 2. arg. 2.* docet, quod ſicuti in corpore humano monſtroſum eſt, ac contrà naturam, quod unum membrum aliorum membrorum alimenta ſubducit; quò fit, ut illud plus juſto augeſcat: *ita*, ait, *eſt in corpore myſtico præter omnem rationem, quod unus Beneficiorum multitudine ſit ſtipatus, alio idoneo patiente famem, nedum neceſſaria habente, ſed*

Monſtroſum eſt obtinere plura Beneficia.

vix

Digitized by Google

vix paucula pro libris comparandis. Quæ omnia ſatis liquidò probant, dictam pluralitatem rectæ rationi adverſari.

Contra jus divinum.

Quod autem ad jus divinum attinet, docet Proſper Fagnanus in cap. *Quia nonnulli, de Clerico non reſid.* Quod ſacri Eccleſiæ Canones prohibentes pluralitatem Beneficiorum, originem duxerint ab Apoſtolo dicente 1. *ad Cor.* 7. unuſquiſque, in quo vocatus eſt, permaneat apud Deum. Deindè, alii eam pluralitatem juri divino repugnare docent, eo ipſo, quo non laborans manducat, & ut argumentatur Guilielmus Pariſienſ. quod ſicuti Apoſtolus ait, 2. *Theſſal.* 3. qui non laborat, non manducet: ergo, qui non laborat dupliciter, non manducet dupliciter. Prætereà, ſi ratione laboris, & operationis debeatur Miniſtris Eccleſiæ cibus, ſicut ait ipſa Veritas Matth. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo:* & Lucæ 18. *Dignus eſt mercenarius mercede ſuâ:* ergo non debetur duplex cibus, niſi ratione duplicis loboris. Addi poteſt ſententia S. Chryſoſtomi, quâ hîc utitur S. Thomas, & alii, dicentis in hunc ferè modum: *Quod tenebræ erubuerunt, lumen erubeſcat: quod figuræ non fuit conceſſum, rei reor eſſe illicitum. Figuræ autem non fuit conceſſum, quod inter Levitas, qui capiebat in Bethleëm, caperet in Hieruſalem. Quomodo, cùm perfectiores eſſe debeamus, qui capit in Tyro modò, capit in Damaſco?* denique pluralitas illa repugnat illi Apoſtoli monito, quod dat. Tim. 2. cap. 4. dicens; *Miniſterium tuum imple:* quod pluribus Beneficiis ſtipatus, nequit adimplere.

Et contra jus poſitivum.

Ad jus poſitivum quod attinet, quærit Fagnanus, an dicta pluralitas jure communi ſit interdicta, & ſcribens in Cap. *Cùm jam dudum, de Præbendis num.* 13. ait quæſtionem illam arduam eſſe, & difficilem ob diverſitatem jurium, & opinionum inter primarios Canoniſtas: alii enim docuêre, quod in diverſis Eccleſiis liceat habere diverſas Præbendas, & Canonicatus, etiam abſque diſpenſatione: alii docebant ex adverſo, neminem poſſe habere plures Præbendas, niſi ab eo, qui omnia poteſt: alii, quod in pluribus Eccleſiis quis poſſet eſſe Præbendatus, non Canonicus: alii è contrà: alii, quod ſolummodo inhibeatur effrænata Præbendarum multiplicatio; puta, ſi quis haberet octo, aut decem: non verò, ſi eſſet moderata, v. g. ſi quis obtineret duas, vel tres: alii, quod ea prohibita ſit quoad Beneficia dumtaxat illa, quæ requirunt reſidentiam. In quâ diſcordantium opinionum varietate tradit dictus Author *num.* 31. quod hodie tam ingens controverſia ex omni parte ſublata ſit ex Decretis Concilii Trid. & præſertim ex *cap.* 17. *Seſſ.* 24. his verbis: *Cùm Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum; ſanctè Sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi: verùm, quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſe ipſos, non Deum decipientes, ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul Beneficia obtinere non erubeſcunt; S. Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto, quod in quibuſcumque perſonis quocumque ti-*

Digitized by Google

tulo, *etiamſi Cardinalatûs honore fulgeant*, *mandant obſervari*; *ſtatuit*, *ut impoſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum*, *ſingulis conferatur*: *quod quidem*, *ſi ad vitam ejus*, *cui confertur*, *honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat*, *liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens*, *dummodo utrumque perſonalem reſidentiam*, *non requirat*, *eidem conferri.* Rectè ibidem notat Fagnanus ponderanda eſſe ſingula Concilii verba: dicendo enim in primis, *ſanctè SS. Canonibus cautum fuit*, & *reſtituere cupiens*, indicat Concilium ſeſe innovare velle, & reſtituere in uſum antiquos Canones contra pluralitatem Beneficiorum editos: qui etſi per contrarium uſum videbantur abrogati; ideo ait, *ſtatuit ut impoſterum*, ubi inducitur jus novum: deindè, generaliter ſtatuit, ſingulis Clericis ſingula Beneficia eſſe conferenda, nullo habito reſpectu perſonarum, dum addit; *etiamſi Cardinalatûs honore fulgeant.*

Enimverò, ſi Jure Civili cautum ſit, ne unus conſcribi poſſit in duabus militiis *L.* 1. *§. impoſterum*, *L. eis quidem C. qui milit. poſſ. lib.* 12. Nec in duabus ſocietatibus, *L.* 1. *§. fin. ff. de Colleg.* Nec plures habere honores, *L. Libertus §. præſcriptio ff. ad municip.* Nec ſimul eſſe Aſſeſſor, & Advocatus, ut *L. nemo ff. de Offic. aſſeſſ.* Multò majori jure interdicendum fuit, ne unus, & idem in duabus conſcriberetur Eccleſiis. Deindè, eo ipſo, quo quis Eccleſiæ inſcribitur, contrahitur quaſi ſpirituale matrimonium cum Eccleſiâ; ubi tamen unica Sponſa danda eſt uni Sponſo: quâ ratione notat Fagnanus in *Cap. Ad hæc*, *de Prabendis num.* 3. Quod Clericus inſcriptus diverſis Eccleſiis ſit quaſi ſpiritualis adulter.

Neque ſolummodò jura ſtatuunt, ut nemo poſſet obtinere plura Beneficia; ſed etiam, ut ſi quis proviſus de uno beneficio, acquirendo aliud incompatibile, amittat alterutrum: & quamquam olim jus ſtatuerit *Cap. Quia nonnulli*, *de Clericis non reſid.* ut ejuſmodi amitteret beneficium poſterius: poſteà ſtatutum eſt *Cap. De multa*, *de Præbendis*: *Clem. ſi plures*, & ipſum Concilium Trid. *Seſſ.* 7. *cap.* 4. *Reform.* ut amitteret prius, quod & Epiſcopus poſſet alteri conferre, tamquam ipſo jure vacans. De ea re vide Fagnanum in dictum *Cap. De multa.* Cenſentur autem hîc eſſe beneficia incompatibilia, duas dignitates, duos perſonatus, duo officia requirentia reſidentiam, duo beneficia curata, duo conformia in eadem Eccleſia, v. g. duo Canonicatus, duæ Vicariæ perpetuæ, unum regulare cum alio ſæculari. De quibus vide latius Rebuff. *p.* 2. *tit. de diſpenſ. rat. ætat.* 5. *incompatibilia.*

SE-

Digitized by Google

SECTIO V.

An, & quâ ratione liceat plura Beneficia obtineri ab eodem.

DIonyſius Carthuſianus libro contrà pluralitatem beneficiorum *art.* 13. aſſignat ex Raymundo, quinque caſus, in quibus una perſona de jure communi poteſt habere duas, tres, vel plures Eccleſias, ſeu Præbendas. 1. Quando Eccleſiæ ſunt in reditibus adeo tenues, ut una non ſufficiat ad debitam ſuſtentationem perſonæ: quod etiam locum habere poteſt juxtà Sotum, in beneficiis cum curâ animarum, etiam Epiſcopatibus; ſi Epiſcopatus unus eſſet tenuis (*prout*, ait, *frequenter eſt in Italiâ*) quo caſu poſſet addi alter, tam vicinus, ut utrique debitè per eamdem perſonam poſſit adminiſtrari. Caſum hunc excepit Synodus Trid. dum expreſsè addit: *Quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui confertur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat: liceat nihilominus aliud* SIMPLEX *ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.* Eâ de cauſâ, conceſſum eſt à Nicolao Papa anno 1453. & Sixto 1475. R. R. D. D. Canonicis Cathedralis Antverpienſis obtinere plura beneficia, tum ratione Civitatis celebrioris; tum Eccleſiæ dignitatis; tum ob aëris inclementiam, & intemperiem; tum quod Eccleſiæ illius bona multis inundationum periculis ſubjaceant: quæ cauſæ, cùm etiamnum obtineant, aiebat Franciſcus Zypæus Officialis ibid. annis abhinc 66. etiam obtinet dicta diſpenſatio: *Quin*, ait, *Juris Pontif. lib.* 3. *de Clericis non reſid. num.* 5. *nec eâ diſpenſatione opus eſt, cùm loci celebritas, & Eccleſia externorum, & internorum ſumptus tales ſint, ut ex proventibus Canonicatus vixdum ſe poſſit quis pro eâ qualitate honeſtè exhibere, niſi aliunde ſubſidium habeat.* Addi poteſt, nec dictas rationes modò ceſſare. Quodnam verò beneficium dicatur debitæ ſuſtentationi ſufficiens, relinquendum eſt arbitrio prudentiæ Chriſtianæ, quæ attentâ qualitate perſonæ, temporis, loci, &c. judicat aliquod beneficium alicui ſufficere ad decentem ſtatum conſervandum. Vide Flaminium *de reſign. lib.* 5. *q.* 6. *num.* 131. & ſeq. & ea quæ à nobis dicta ſunt de dominio Clericorum. Prudenter tamen Joannes Gerſon de temperantiâ, & veſtitu Prælatorum in fine ità ſcribit de hâc re: *Qualiter æſtimabitur hujuſmodi decentia ſtatûs, non poteſt ſub univerſali regulâ definiri, ſed æſtimabitur in certâ latitudine, prout ſapiens judicabit. Et quoniam nimis afficimur ad nos ipſos, & ad extollentiam oculorum noſtrorum; tutius eſt, atque ſalubrius cuilibet Eccleſiaſtico declinare ad frugalitatem, & parcitatem ſtatûs ſui, ut aliquid relinquatur pauperibus. Tutius inſuper eſt, pauca ſibi quærere, quæ videlicet ſatis ſibi eſſe debeant, quàm in multis beneficiorum adminiſtrationibus velle abundare, quoniam proculdubio apud bene æſtimantes, illa non ſunt niſi onera, & animæ pericula, ubi habet locum illa regula: cui plus committitur, ab eodem plus exigitur. Unde, ſi quis habeat beneficium, quo rationabiliter debeat contentari ſecundùm utilitatem, quam offert, aut*

Quando liceat habere plures Præbendas.

offerre

offerre poteſt Eccleſia, & ultrà hoc beneficium aliud aſſumit : ipſe cum hoc peccat, quod per ambitionem accumulat ſibi novum onus miniſtrationis ; quæ numquam, aut vix fit ſine periculo infidelitatis alicujus. Hactenus Cancellarius Pariſienſis.

Melius ergo hic erit minus egere, quàm plus habere, ut monet S. Auguſtinus in Regulâ; quod tamen ambitio, & avaritia aliquorum non approbat, quæ velut ignis numquam dicunt *ſufficit* in cumulatione beneficiorum, ſed aſſimilari vellent Dæmoni illi, cui nomen erat *Legio*, Marci 5. uti de ſimilibus obſervat etiam Guilielmus Pariſienſis de hâc eâdem pluralitate.

2. Caſus. 2. Caſus eſt, quando una Eccleſia dependet ab aliâ, etſi etiam non ſint unitæ. Poteſt enim Papa, ait Soto, ſine unione adjudicare duas Eccleſias propter tenuitatem uni Sacerdoti, etiam cum titulo utriuſque. Ubi tamen conſultò addit, obſervandum hîc eſſe, quod in conſiderandâ dictâ tenuitate, non ſit reſpicienda perſona, ſed communis Eccleſiæ utilitas, in quam cuncta hæc ſunt referenda. Enim verò, ſi perſona ſuprà dignitatem ſuam, & conditionem contendat amplam familiam, ſplendoremque vitæ ſuſtentare: non illâ lance æſtimanda eſt proventuum tenuitas; ſed ad hoc ſpectandum, quid Eccleſiæ conveniat. Ità Soto, qui & addit providè, prætereà cavendum eſſe, ne Eccleſiarum unio fiat in favorem perſonæ, & fraudem Eccleſiæ. v. g. *Eſt Illuſtris quiſpiam*, ait, *pluralitate beneficiorum preſſus, qui ad eximendum ſibi ſcrupulum conſcientiæ, procurat per connexionem cuncta in unum coadunare. Profectò is arbitratu meo, dum hoc ſophiſmate faſcinare cogitat divinos oculos, gravius, turpiuſque delinquit, quàm ſi plurium figuram retineret.* Ita ille.

3. Caſus. 3. Caſus eſt Clericorum parcitas, quæ etiam concurrere cenſetur, quandoquidem ſuppetunt Clerici, ſed deſunt digni: adeo ut rurſum Soto hîc doceat, quod non inhibeatur in Provinciis probitate, ac doctrinâ Sacerdotum deſtitutis, unum pluribus Eccleſiis deputari, etiam in Eccleſiis cum curâ animarum, quod Eccleſiæ magis prodeſſe docet, quàm inidoneos Chriſtiano populo præficere.

4. Caſus. 4. Caſus eſt, cùm quis habet Eccleſiam, cui annexa eſt aliqua Dignitas, aut aliud ſimplex v.g. Canonicatus, Perſonatus, &c. Sic alibi Plebani ſimul ſunt Canonici, uti hîc Antverpiæ, Paſtores ſunt unà perſonæ, &c.

5. Caſus. 5. Caſus eſt, quando unum beneficium habet in titulum, & alterum ad tempus commendatum. Dico *ad tempus*, quia Commendæ perpetuæ à Concilio Trid. improbantur, dum alteri beneficio conjunguntur: imo addit Soto, quod ille Commendationis modus, ſeu prætextus, ſit prævaricatio legis, & fortè eò criminoſior, quò fit magis in fraudem legis. Vide, quæ ante dicta ſunt de Commendis Sect. 6.

6. Caſus. 6. Caſus addi poteſt, ex diſpenſatione ſuperioris. Et quidem hæc diſpenſatio ſpectat ad Pontificem, ut in Cap. *De multa*: maxime, circà ſublimes, & litteratas perſonas, uti ibidem dicitur: formam hîc diſpenſandi à Pon-

Pontifice, refert Proſper Fagnanus ibid. *num.*31. Quod intellige de beneficiis habentibus etiam curam animarum annexam, uti & Dignitatibus: quam diſpenſandi facultatem denegat *num.*32. Epiſcopis competere: nam cùm textus dicat, *per Sedem Apoſtolicam diſpenſari hìc poſſe*; per hoc innuit, hanc facultatem inferioribus non competere. Commendare tamen Eccleſiam alicui habenti aliud beneficium ob neceſſitatem poſſe Epiſcopum, docet Soto ſuprà, dum non patet ad Curiam aditus. Monet tamen Leſſius *Cap.*34. *dub.*28. *num.*150. raro advenire talem neceſſitatem.

In diſpenſando requiritur juſta cauſa.

Cæterùm, in dicta diſpenſatione requiritur juſta cauſa diſpenſandi, quam aliqui dicunt eſſe magnam Eccleſiæ utilitatem, ejus neceſſitatem, & prærogativam perſonæ, puta, quia docta, quia illuſtris, bene de Eccleſia merita. Primam tamen cauſam ſe ſola inſufficientem eſſe, rectè docet Soto dicens, hoc ad Illuſtrium commodum referendum non eſſe, ſed ad Eccleſiæ utilitatem. *Eccleſia enim, dum vagiebat in cunis, & potentiâ ſæculari premebatur, opus habebat illuſtrium viribus ſuffulciri: quâ de cauſa indulgebatur, ut aliquantò plus ſtipendiorum ſortirentur. Jam verò hoc ætatis, ſi fas eſt dicere verum, neſcio, an eadem diſpenſationis cauſa tam legitima exiſtat. Porrò, cùm rerum uſus palam doceat, ſublimium Potentatum ita graſſatum eſſe in Eccleſiaſtica Sacerdotia, ut hoc fuerit non minima cauſa ruinæ, in quo modò jacet Eccleſia: tametſi numquam negabo, quin ſi ingenui, & natalibus præclari, moribus ſint cum primis, mox litteris ornati, plurium ſplendoris ac roboris Reipublicæ Eccleſiaſticæ adferant.* Ita ille. Unde etiam apud Fagnanum in *Cap. Dudum*, *de elect.* alii docent, quod quando beneficia dantur alicui propter perſonæ prærogativam; etiam dentur propter Eccleſiæ utilitatem. Quod tamen negat Dionyſius Carthuſ. art. 13. dicens, ſæpè multas inutilitates ex tali diſpenſatione cum majoribus exoriri; quia dum cum majoribus hìc diſpenſatur; minores, ait, atque puſilli multipliciter ſcandaliſantur, exemplo majorum ad plura beneficia impetranda, ſeu retinenda ſe animantes, ac defendentes. Deindè docet, doctiores, & nobiliores præ cæteris allaborare debere, tum verbo, tum exemplo, ut hoc malum pluralitatis ab Eccleſia eliminetur. Denique, ſimilibus alio modo provideri poſſet, conferendo illis perſonis, Præbendas, ſeu Dignitates pingues, quales variæ ſuppetunt in Eccleſia. Rejicit quoque Author ille illorum prætextum, quaſi ad ſervandam hoſpitalitatem, & erogandas eleëmoſynas, liceret eis plura beneficia poſſidere; tum, quod ideo non deſint adeſſe inconvenientia ex pluralitate beneficiorum provenientia: tum, quod Deus non exigat ab aliquo hoſpitalitatem, ac eleëmoſynas ultrà vires; ſeu ultrà id, quod alicui de uno competenti beneficio ſupereſt.

Deficiente juſtâ diſpenſationis cauſâ, & diſpenſatio hìc eſt invalida, & qui eâ uſus obtinet plura beneficia, non eſt tutus in conſcientiâ, neque abſolvi poterit, niſi beneficium dimittat. Ratio prioris eſt, quod cùm Papa non ſit Dominus beneficiorum, ſed diſpenſator, non poſſit ea pro ſuo arbitratu diſtribuere, ſed juxtà voluntatem rationabilem eorum, qui ea diſpenſanda reliquerunt; & eorum,

Digitized by Google

eorum, in quorum utilitatem ſunt relicta, quod hîc eſt ſola Eccleſiæ utilitas. Deindè, cùm ſit contrà jus divinum naturale habere plura beneficia; ſequitur, quod non niſi ob juſtam cauſam, illud poſſit reddi licitum, per quam illa deformitas abſtergatur, prouti etiam patet in votis, juramentis, &c. Hinc S. Bernardus de Conſiderat. lib.3. cap.4. *Quid inquis? prohibes diſpenſare. Non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos Diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem: denique, quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico communis, non propria. Nam, cùm nil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Et Guilielmus Pariſ. de pluralitate benefic. *Quod, ſi quis objecerit nobis de diſpenſationibus Apoſtolicis, dicimus..... & indubitanter ſentiendum eſt, quod Romanus Pontifex, quantumcumque largam diſpenſationis gratiam videatur facere in beneficiis, cum aliquibus perſonis, tamen nec diſpenſat, nec diſpenſare poteſt cum avaritiâ, cupiditate, vel ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis ſuis, ut his, vel aliis vitiis indulgeant. Non enim intendit nutrire peſtes vitiorum de temporalibus bonis Eccleſiæ, quæ plenè novit ad ſuſtentationem ſervorum Dei in ejus ſervitio ſacrificata eſſe Domino, & oblata.* Et Soto: *Papa ſine legitimâ causâ diſpenſans graviter delinquit, & ejus delictum non liberat ambientem, obtinentem, & retinentem à culpâ. In primis, quod Papa delinquat, ſententia eſt Apoſtoli, ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei.* Et ſubdit. *Hîc jam quæritur inter Diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Quin verò* CHRISTUS *Lucæ* 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens? & reverà, nullibi tanti fides exigitur, quam in committendis, concredendiſque animis* CHRISTI *Sanguine redemptis, illius curæ, qui ſemper præſens gregi ſuo proſpiciat.* Unde S. Bernard. de conſid. ad Eugenium lib.2. cap.6. ait: *Potius Pontificem ſummum, qui ſpiritualis eſt omnia judicans, & à nemine judicatur, deberet non ſuâ voluntate pro lege uti, ſed* CHRISTUM *præ omnibus imitari, qui non ſuam, ſed Patris voluntatem venit facere: ut omnia non pro ſuâ utilitate, ſed pro communi commodo diſpenſet, aliàs ut diſſipator cenſendus eſt.* Et poſt pauca: *Sed ait fortè ille, cum quo diſpenſatum eſt, Papa diſpenſavit, ipſe ſibi viderit, ergo immunis ſum. Hic tamen cavillus ſecuros multos reddit, tutum verò neminem, quoniam Papa non eſt Dominus, ſed diſpenſator, ideoque, qui iniquam diſpenſationem petit, iniquitatis cauſa eſt, & qui eâdem utitur, eâdem ſemper irretitur iniquitate.* Hæc Soto, quæ majori jure dicenda ſunt de Epiſcopis, & aliis ſuperioribus diſpenſantibus ſine legitimâ diſpenſandi causâ. Videri hic poterit S. Bernardus *Epiſtola* 7. *ad Adam Monachum*, ubi eos perſtringit, qui in cauſis dubiis, ſuſpectis, & periculoſis, v.g. pluralitate beneficiorum, & ſimilibus, munire ſe volunt Bullis, & Indultis Apoſtolicis, iiſque obtentis ſibi de ſecuritate abblandiri.

Et quamquam hinc indè aliquorum pro ſuâ libidine, & avaritiâ ſentientium ſit opinio, quod pluralitas illa ſit licita, maximè accedente ſuperioris quoli-

quolibet conſenſu : tamen dicta opinio neutiquam aſſecurabit plura obtinentem in conſcientia. Hinc D. Antoninus 3. parte tit. 25. cap. 1. §. 8. *Nota*, ait, *quod ſecundùm D. Thomam, quod ſi quis habeat plures Prabendas, innitens opinioni illorum Magiſtrorum, qui dicunt ſimpliciter hoc eſſe licitum, illa opinio non eſt vera, nec propterea excuſantur à peccato : ſed, etſi ſit vera opinio, quam ſequitur, ſcilicet tenere Prabendas eſſe licitum : ſi tamen ex contrarietate opinionum dubitat de veritate opinionis, quam ſequitur, & nihilominus tenet plures Prabendas, peccat mortaliter, quia diſcrimini mortalis ſic ſe exponit.* Idem docet Guilielmus Pariſ. de collat. Benef. dicens : *Si dubium ſit, utrum liceat hoc* (tenere plura beneficia) *an non, ipſa dubietas certitudo eſt, & determinatio : id eſt, certitudinem facit, quoniam proculdubio non licet alicui committere ſe diſcrimini. Diſcrimini autem ſe committit, qui præſumit aliquid facere, de quo dubitat, an ſit mortale peccatum.* Doctè idem confirmat Proſper Fagnanus in Cap. *Quia in tantum, de Prabend. num. 6.* ità ſcribens : *Et quamvis multi, præſertim ex recentioribus, affirment in hoc articulo extare utrimque opiniones probabiles, ac proindè eſſe tutum in conſcientia, qui ejuſmodi opinionibus innixus, plures Eccleſias, vel beneficia obtinet : verè tamen, ut ſingulariter inquit Hoſtienſis hic, ſi quæratur à te, utrum tenere multas Eccleſias peccatum ſit, nota quod dicitur hic, nec ubi te certum reddit littera, dicas te dubitare, ſubdens hic eſſe expreſſum jus. Quamobrem, cùm lex ſit certa, quamvis qui ſequitur opiniones Magiſtrorum, non faciat contra conſcientiam : tamen tenendo plures Prabendas facit contra legem, & ideo peccat, ut egregiè probat D. Thomas Quodlibeto 8. art. 13. de certitudine legis ambigi non poteſt, quia eſt textus clarus hic, & Concilii Trid. cap. 17. Seſ. 24.*

An in obtinendis pluribus beneficiis excuſet conſuetudo.

Multò minus hîc excuſabit conſuetudo : nam ut rectè docet Flaminius Pariſ. *de reſignat. lib. 5. q. 6. num. 119.* licet communiter contrarium ſervetur, ut retineantur duo, vel plura beneficia ſimplicia, etiam quando unum ſit ad victum ſufficiens : tamen hæc communis obſervantia non excuſabit retinentem plura beneficia ſimplicia, quorum unum eſt ſufficiens, à peccato mortali. Et ratio eſt, quia præfata conſuetudo eſt contraria juri naturali, rationi, & juribus ; & ideo tamquam irrationabilis, & nutritiva peccati non excuſat. Quod verò dicitur, conſuetudinem eſſe obſervandam contrà communem opinionem, procedit in conſuetudine rationabili, non autem in irrationabili. Et non ſolùm conſuetudo ſimplex non excuſaret retinentes dicta beneficia à peccato mortali, ſed etiam conſuetudo immemorialis; quia conſuetudo immemorialis, quæ eſt irrationabilis, minimè excuſat à peccato, ſed eſt corruptela, & ideo inpræſcriptibilis. Ita ferè Pariſius. Hinc etiam non tutam judicat conſuetudinem Hiſpaniæ, Barboſa *de offic. & poteſt Epiſc. parte 3. Alleg. 62. num. 9.* quâ poſſint Ordinarii uni conferre plura beneficia, quamvis unum ſit ſufficiens ad congruam ſuſtentationem.

Sicuti tamen in hâc pluralitate, juſtâ de cauſa diſpenſari poteſt, ut ante diximus; ita etiam juſta de cauſa conſuetudo circà hoc idem introducta, & legi-

legitimè præſcripta, poſſet idem excuſare, ſi nullum Eccleſiæ damnum inde eveniret, ſed è contra magna Eccleſiæ utilitas. Sic teſtatur Layman *de beneficiis lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 11. in Germania obtinere, ut beneficia curata conferantur Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, & Decanis, ita ut ea per Vicarium perpetuum adminiſtrentur, relictâ illi competente ſuſtentatione. Addit tamen, quod ſi id fiat ſine juſtâ causâ, aut cum damno Eccleſiæ, nullà conſuetudine poſſit id excuſari, cùm juri divino adverſetur. Denique rectè notat, quod Concilium Trid. videatur dictas conſuetudines reprobare.

Qui plura beneficia ſine legitimâ causâ obtinet non poteſt abſolvi.

Ex dictis ſequitur ultimum, quod ille, qui plura beneficia ſine legitimâ causâ obtinet, non poſſit abſolvi, niſi aliud reſignet. Rationem illius dat Dyoniſius Carthuſianus ibi ſuprà Artic. 17. his verbis: *Preterea, iſti ſic pluraliter beneficiati, nec inde ſe emendantes, in ſuis inceſſanter manent peccatis, & communicando, ſeu celebrando manent in eis. Quod, quàm periculoſiſſimum, damnabiliſſimumque conſiſtat, ipſi perpendant. Efficiuntur enim rei Corporis, ac Sanguinis Chriſti. Inſuper, aut putant hanc pluralitatem beneficiorum licere, & tunc (ſicuti oſtenſum eſt) diſcrimini ſe committunt, & contrà præcipuorum Sanctorum, ac ſolemniſſimorum Doctorum, imo quaſi contra omnium veraciter Devotorum, & Religioſorum ſententiam agunt. ſeque incautiſſime habent. Aut putant eam eſſe ſibi illicitam, & tunc ſcienter in tantis peccatis, atque periculis perſeverant, quod prorſus damnabile eſt. Amplius, iſti ſecundùm prædicta nil juris habent ad reditus beneficiorum, quorum non exſolvunt officia, & ſic bona illa ſibi injuſtè uſurpant, ſacrilegè tractant, illiciteque exponunt, ſive reponunt. Poſtremò, iſti toto tempore, quo in hac pluralitate beneficiorum manent, privant indeſinenter Deum cultu debito honorificentia ſua, Eccleſiam membris ſuis, vivos, atque defunctos ſuffragiis debitis, ut præinducta demonſtrant.* Hæc Dionyſius. Videri quoque poterit Vaſquez *Opuſc. de beneficiis cap.* 4. §. 2. *art.* 1. *dub.* 9. ubi unà refellit opinionem quorumdam docentium, non eſſe abſolvendum ejuſmodi, tunc ſolùm, quando ex retentione plurium beneficiorum ſequitur damnum Eccleſiæ: ſi verò illud non ſequatur, quia v.g. habet Vicarium diligentem, & omnibus ritè providentem, ſit abſolutè tamquam innocens abſolvendus. Prædicta cogitent illi, & ſeriò attendant, qui ſub ſpecioſo neceſſariæ ſuſtentationis titulo, non niſi beneficiis accumulandis inhiant, & de eorum fructibus avaritiæ, ambitioni, ac libidini ſatisfaciunt: cogitent ſæpè illud S. Bernardi, quod, qui non unus eſt, ſed plures in beneficiis; non unus, ſed plures erit in ſuppliciis.

An liceat habere plura Præſtimonia.

Sed quærunt aliqui, an dicta locum etiam habeant in pluralitate Præſtimoniorum. Et Sotus ibi ſuprà, docet eſſe licitum habere plures portiones præſtimoniales ſine diſpenſatione, etiam ſine interveniente causâ. Ratio illius eſt, quod ita habeat conſuetudo, quæ hîc abrogavit jus poſitivum, quo pluralitas illa prohibebatur. De cætero, dicta pluralitas non eſt juxtà Sotum, contrà

trà jus naturale, aut divinum, eò quòd ex tali pluralitate non ſequuntur damna Eccleſiæ, quæ ante enumeravimus. Addunt alii, quod ſæpè talis pluralitas non careat culpâ gravi, dum ſæpè acquiruntur viâ perversâ, & cum aliorum ſcandalo poſſidentur, ac ad luxum illis abutantur. Rectius tamen cum Navarro *Manualis cap.* 25. *num.* 125. docent, quod id omninò illicitum ſit ſine legitimâ diſpenſatione, etiam in Præſtimoniis, ſi unum ſit ad ſuſtentationem ſufficiens. Etſi enim ejuſmodi non requirant reſidentiam, nec ullum miniſterium, niſi Horarum lectionem, adeoque nec etiam indè videatur minui divinus cultus: hoc tamen certum eſt, quod dictâ pluralitate violetur juſtitia diſtributiva; dum uni confertur, quod in plures erat dividendum. Prætereà, dicta pluralitas etiam ambitionem fovet, & avaritiam; ac præbet occaſionem vagandi, de patrimonio Chriſti luxuriandi, &c. Quibus certè conſideratis non apparet, quomodo conſuetudo legitima poſſit licitum reddere, ut quis ſine aliquâ causâ obtineat plura Præſtimonia. Adde, quod Concilium Trid. *Seſ.* 24. *Cap.* 17. *Reform.* univerſaliter prohibeat pluralitatem quorumcumque beneficiorum, adeoque exigat diſpenſationem legitimam in eâ pluralitate.

SECTIO VI.

De unionibus beneficiorum Eccleſiaſticorum.

DIximus inter alios caſus, quibus permitti poſſet plura beneficia obtinere, eſſe caſum unionis, quâ plura beneficia ſibi mutuo uniuntur: videndum breviter, quomodo, quando, quâ de causâ, & à quo ſit dicta unio facienda, & quando revocanda.

Unio autem nihil eſt aliud, niſi duorum, vel plurium beneficiorum, aut Eccleſiarum conjunctio, facta à legitimo ſuperiore. Eſtque duplex, perpetua, & temporalis. *Perpetua* fit in utilitatem Eccleſiæ, aut ejus neceſſitatem; *temporalis* fit contemplatione perſonæ, duratque tantùm ad ejus vitam: unde ab aliis dicitur propriè *diſpenſatio*; eſtque odioſa, & in dubio non ſolet præſumi, ſed ſolet præſumi perpetua; eò quòd in dubio præſumi ſoleat pro Eccleſiæ utilitate. Solet autem unio perpetua, de quâ de cætero agimus, fieri tribus modis: 1. Ut ex duobus beneficiis fiat unum, v. g. ex duobus Epiſcopatibus tenuibus, fiat unus; ex duabus Parochiis fiat una: ut conſtat ex Cap. *Decimas* 16. *q.* 1. 2. Ut una Eccleſia alteri ſubjiciatur, fiatque acceſſoria alteri tamquam principali, de quo modò agit Cap. *Extirpandæ, de Prabendis.* 3. Quando duæ Eccleſiæ ita uniuntur, ut ambæ retineant ſuam naturam, qualitatem, privilegia, neque una alteri ſubjiciatur. Quid unio beneficiorum, & quotuplex.

Varia tamen inter dictos modos eſt differentia, & effectus diverſi. In primo uniendi modo fit, ut privilegia, & conſuetudo unius Eccleſiæ, competant alteri; &, ſi fortè ſint contraria, quod meliora, & favorabiliora conſerventur. Deinde, ut Canonici, qui ſunt in unâ Eccleſiâ, fiant etiam Canonici

nonici alterius Eccleſiæ, quod idem eſt dicendum de aliis beneficiis. Barboſa de Jure Eccleſ. *lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 6. Quoad ſecundum uniendi modum notandum eſt, quod beneficium principaliori unitum per unionem quaſi extinguatur, & aſſumat naturam, qualitates, ac privilegia beneficii principalioris, adeoque nec per ſe conſideratur, neque vacat, nec in eo valet inſtitutio: neque in impetratione beneficii facienda eſt mentio acceſſorii, quod ſequitur principale ademptum. Vide Barboſam *ibid. num. ſeq.* Tertius uniendi modus id operatur, ut utrumque per ſe conſideretur, & in impetratione utriuſque, debeat fieri utriuſque mentio: & ſi ſint diverſæ Diœceſis, debeat ab utroque Epiſcopo haberi inſtitutio, aut confirmatio: ubi tamen in ſecundo modo ſatis eſt, ut illa fiant ab Epiſcopo, cui ſubjectum eſt beneficium principale. Layman. *cap.* 9. *num.* 2. *in fine.*

Quis poſſit unire beneficia.

Poteſtas uniendi beneficia ante omnia reſidet in ſummo Pontifice, & ſpecialiter ad eum ſolum pertinet nuire Epiſcopatus, *Cap. ſicut unire, de exceſſ. Prælat.* Epiſcopus quoque nuire poteſt beneficia, & Eccleſias ſuæ Diœceſis, etſi etiam ſint reſervata, idque tamquam S. Sedis delegatus. Trid. *Seſ.* 21. *cap.* 5. *Reform.* Excipitur hîc, niſi beneficia forent exempta à Juriſdictione Epiſcopi, quo caſu unio pertinebit ad Pontificem: item, non poteſt unionem facere temporalem. Vicarius Generalis Epiſcopi, non poteſt beneficia unire, niſi illud ab Epiſcopo ſit illi ſpecialiter commiſſum. Capitulum ſede vacante, poteſt ea unire, quæ poteſt Epiſcopus vivens; modò authoritati, ac juriſdictioni Epiſcopi per hoc non detrahatur. Archiepiſcopus poteſt unire beneficia ſuæ Diœceſis; non tamen ea, quæ ſunt in Diœceſi Suffraganeorum; eò quòd in illorum Diœceſim non habeat aliquam juriſdictionem, niſi jure expreſſam, qualis non eſt juriſdictio uniendi beneficia. Abbates, etſi conferre poſſint beneficia, ea tamen unire nequeunt, niſi id eis ex privilegio, aut præſcriptione immemoriali foret conceſſum; aut niſi Eccleſias aliquas ita haberent ſubjectas, ut in eâ haberent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; eò quòd Abbates poſſint in eo caſu illa omnia ad juriſdictionem ſpectantia, quæ in ſuis partibus poſſunt Epiſcopi; unio autem eſt actus juriſdictionis. Vide de hac re Barboſam ibi ſuprà *num.* 53. *& ſeq.* Monent tamen Concilia Regia in Belgio, quod ad dictas uniones requiratur Placetum Regium, & conſenſus Patronorum laïcorum.

Quæ beneficia uniri poſſint.

Porrò, uniri poſſunt generaliter beneficia quæcumque, niſi ſpecialiter in jure excepta; ſic, etſi jure antiquo beneficia unius Diœceſis uniri poſſent beneficio alterius Diœceſis accedente conſenſu illius Diœceſis Epiſcopi; illud tamen Synodus Trid. prohibuit *Seſ.* 14. *cap.* 9. *& Seſ.* 24, *cap.* 13. Statuit, ne Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſeu Dignitatibus, aut Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aliiſvè beneficiis ſimplicibus uniantur: ſi quæ tamen antea factæ erant, non infirmantur; ſed ab Ordinariis ſunt revidendæ. Permittitur interim Epiſcopis unire Præbendis Cathedralibus tenuibus beneficia alia, *Seſ.* 24. *cap.* 15. Beneficium

cium itidem curatum, non niſi alteri curato pauperi uniri poſſe, ſtatuit Concilium Mechlinienſe 1607. à S. Sede confirmatum, juxtà Zypæum *Juris Pontif. lib. 5. de exceſſ. Præb. num.* 3. Poteſt verò Epiſcopus unire beneficium ſæculare ſimplex ſuæ Diœceſi alicui Religioni; ut tradit cum multus Azorius *lib. 6. cap. 28. q. 19. p. 2.*

Requiſita ad legitimam unionem.

Cùm verò unio beneficiorum ſit contrà jura ſtatuentia, ut cujuſcumque Eccleſiæ diſtincti ſint limites, Rectores, & fructus; hinc ad legitimam unionem, legitima requiritur cauſa, quæ *Cap. Expoſuiſti, de Præbend.* dicitur eſſe evidens neceſſitas, aut utilitas Eccleſiarum. Talis neceſſitas eſt, ſi duæ Eccleſiæ ſint adeò tenues, ut ad victum competentem duorum Rectorum non ſufficiant: *Cap. Unio* 10. *q.* 3. Idem eſt, ſi fructus beneficii ſint tam tenues, ut nullus dignus illud velit acceptare: ſi populus bello, aut peſte ſit maximè diminutûs: ſi Eccleſia diruta, &c. ut autem de legitimitate cauſæ pleniùs conſtet, requiritur primò in unione per Epiſcopum faciendâ, ut vocentur omnes intereſſe habentes; quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *Reg. 29. in 6.* huic, ſi beneficium uniendum ſit juris Patronatûs, debet vocari Patronus, quod & ſtatuit Synodus Trid. *Seſſ. 24. cap. 15.* dicens, *cum Patronorum conſenſu:* vocari inſuper debet Collator. Requiritur inſuper conſenſus Capituli Cathedralis, de quo vide pleniùs Barboſam *num.* 42. etſi autem Eccleſiarum Rectores in unionem conſentire non debeant, ſed iis etiam diſſentientibus ad unionem poſſit procedi: rectè tamen & illi vocantur, ut rationes, ſi quas habeant oppoſitionum, proponant. Et quamvis inquiſitio rationum ſpectet ad Papam, Epiſcopos, Legatos, &c. Papa tamen, aut Legatus non poſſunt in Regno Galliæ per ſe immediatè de cauſis unionum inquirere, neque delegatos de Curiâ mittere ad hunc finem; ſed debent in iſtis partibus id committere Inquiſitoribus, qui hoc inquirant, idque juxtà Concordata Bonon. Vide Caballſ. *Theor. lib. 2. cap. 11. num. 9.*

Quando beneficia unita diſſolvenda.

Quicumque autem Eccleſias unire poteſt, poterit eaſdem diſſolvere ceſſante causâ unionis, aut illud exigente Eccleſiæ utilitate, aut neceſſitate, ut ſi ex unione Eccleſia patiatur damnum: ſi creſcente populo Eccleſiæ unitæ non poſſit ab eodem Rectore provideri de debito ſervitio: ſi Eccleſiæ paupertas deſierit, & ſufficiens facta ſit particulari Rectori ſuſtentando; unio facta eſſet diſſolvenda. Quinimò optant plurimi, ut ea beneficia, quæ aliquandò juſtâ de causâ unita fuere, eâdem causâ ceſſante, ſuum reciperent Rectorem ad conformitatem jurium requirentium, ut ſingula beneficia ſuum habeant adminiſtratorem. Sic in Belgio, quando in erectione novorum Epiſcopatuum, Abbatiæ unitæ fuêre Epiſcopalibus Sedibus, præſtaret aſſignatâ Epiſcopatibus portione congruâ, Abbatias reddere Religioſis, prouti tradit Zypæus *lib. 5. Conſult. Canon. Conſult.* 8. tum, quòd Conc. Trid. *Seſſ. 24. Cap.* 13. vetet uniri Monaſteria, ubi viget monaſtica diſciplina, ne ea remittatur abſente Patre-familias, corrigenda corrigente, & regularem obſervantiam conſervante: tum, quòd jura ſtatuant, ut cuique beneficio ſuus adſit Rector, & quæque dignitas, atque curatum

tum

Digitized by Google

tum beneficium exigat adminiſtratorem reſidentem: tum, quòd Vicarii Priores non ità opportunè omnibus providere poſſint, ſicuti poſſunt ipſi Monaſteriorum Prælati. His adde, quòd jura vetent, ne ſæcularia miſceantur Regularibus, neque arandum ſit in Bove & Aſino. Alia huc pertinentia vide apud Zypæum dicto loco, qui & ideò commendat Cœnobium Vaucellenſe, quòd conſenſu Papæ, & Regis Catholici ſeſe exemit ab unione Epiſcopatûs Cameracenſis: & noſtrum Tongerloënſe, quòd ſeſe à Sylvæ-ducenſi: & Douſanum, quod ſeſe à Brugenſi relictâ eis dote competenti. Hiſce adde Abbatiam S. Bernardi ad Schaldim, quæ tempore noſtro ſeſe liberavit ab Antverpienſi aſſignatâ congruâ portione. Non omnes tamen Regulares Abbatiæ hîc conſentiunt, maluntque aliquæ Epiſcopis ſubeſſe, uti & Commendatariis, quàm Abbatibus propriis, aſſeruntque hoc tempore id magis expedire.

Sicuti autem aliquandò convenit beneficia unire ad majus Eccleſiæ bonum; ità & aliquandò convenit ob eamdem rationem beneficia dividere. Etſi enim diviſio beneficiorum jure prohibeatur, *Cap. majoribus*, *Cap. vacante*. *Cap. cùm cauſam*, *de Prebendis*, & generalis regula habeat, beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione eſſe conferenda: aliud tamen ſubindè ſuadet communis Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas, v.g. ſi populus alicujus Eccleſiæ ſit nimius, aut nimia Parochianorum diſtantia ab Eccleſia, ut una Eccleſia non ſufficiat ad omnibus ſubditis debitè providendum. Hâc de cauſa Concilium Trid. *Seſſ.21. cap.4. Reform.* ſtatuit, ut Epiſcopi poſſint inſtituere novas Parochias, etiam Rectoribus invitis, & Sacerdotibus noviter inſtitutis aſſignare congruam portionem de fructibus Eccleſiæ Matricis; aut ſi neceſſe ſit, poſſint Epiſcopi compellere ſubditos ad contribuendum Sacerdotibus neceſſaria. Sic etiam poterit ſubindè diviſio fieri in fructibus Præbendæ pinguioris, & pars detracta aſſignari Præbendæ tenuiori, arg. *Cap. Expoſuiſti*, *de Prebendis*: quod & innititur juſtitiæ diſtributivæ, ac æquitati: dum ſæpè, qui portat pondus diei, & æſtus eſurit; & illi, qui ſtant otioſi, ſint ebrii.

SECTIO VII.

De reſignatione & permutatione Beneficiorum, item de jure regreſsûs.

Quid renuntiatio beneficii, & quotuplex.

RESignatio, aliquandò *renunciatio* dicta, & *ceſſio*, nihil eſt aliud, quàm voluntaria abdicatio proprii beneficii in manus ejus, ad quem ſpectat beneficii proviſio. Dividitur in tacitam, & expreſſam. *Tacita* eſt, quæ cenſetur fieri ipſo jure, abſque aliquâ verborum expreſſione, fitque ex interpretatione juris: ſic Clericus Matrimonium contrahens, cenſetur tacitè reſignare beneficium, quod habet; item ille, qui conſequitur poſſeſſionem ſecundi beneficii incompatibilis, cenſetur tacitè reſignare anterius beneficium: idem fit, quandò beneficiatus fit miles, &c. *Expreſſa* eſt, quandò expreſſis verbis, aut ſcripto abdicat ſuum beneficium coram legitimo Superiore. Eſtque hæc iterùm duplex; una eſt pura, & ſimplex, alia eſt conditionalis. *Pura* dicitur, quando

do beneficium purè, & ſimpliciter reſignatur in manus Superioris, neque ulla reſignanti ſit reſervatio, & ſimiles olim reſignationes ſolummodò noſcebantur: nam teſte Flaminio Pariſ. *de reſignat. lib.* 1. *q.* 2. *num.* 3. reſignationes in favorem non erant in uſu tempore Alexandri III. Innocentii III. Bonifacii VIII. & Clementis V. neque de ea ſit mentio in Decretalibus, aut Clementinis. *Conditionalis* reſignatio illa eſt, quæ permiſſione Pontificis recipit aliquam conditionem, aut modum, etſi enim natura reſignationis ſit pura, & ſimplex; tamen permiſſione Pontificis recipere poteſt quaſdam conditiones; adeò ut Navarrus in *Manuali cap.* 23. *num.* 107. teſtetur, hunc eſſe communem ſtylum Curiæ à multis ſæculis obſervatum recipiendi reſignationes conditionatas. Similes autem reſignationes conditionatas dicitur Pontifex admittere, quaſi ſolummodo admittat reſignantis ſupplicationem, non habendo reſpectum aliquem ad conditionem appoſitam. Cumque ſimilis reſignatio jure poſitivo ſit ſimoniaca; ſequitur, quod Pontifex eam acceptando, ſimul purget à ſimoniâ: unde idem non habet locum in Epiſcopo, aut alio Superiore, qui in Jure Canonico nequeunt diſpenſare. Videri poterit Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 46. *& ſeq.* Vide etiam à nobis dicenda de ſimonia in reſignationibus.

Ad validam renuntiationem requiritur cauſa legitima, quam ſolent Canoniſtæ comprehendere his Verſibus: Ad reſignationem requiſita.

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Debilis ſignificat talem alicujus infirmitatem, aut impotentiam, ut muneri ſuo nequeat ſatisfacere, quorum quantitas arbitrio Judicis Eccleſiaſtici eſt disjudicanda. *Ignarus* ſignificat carentiam ſcientiæ ad officium ſuum neceſſariò requiſitæ, qui etiam ad reſignationem eſt compellendus. *Malè conſcius* importat, crimen admiſſum, ob quod quidem non eſt privatus, ſed tamen ob quod ſuo officio dignè obeundo eſt inidoneus. *Quem mala plebs odit*, indicat illum, qui obſtinatis ſubditorum moribus coërcendis eſt impar, qualiter Apoſtoli relictis Judæis duræ cervicis, converterunt ſe ad gentes, *Actorum* 13. Denique *dans ſcandala*, ſignificat illum, qui ſuo populo ſcandalum præbet, etſi etiam ipſe non ſit ſcandali cauſa. In Pontifice tamen juxtà Flaminium *lib.* 5. *q.* 1. non requiritur reſignationis cauſa, cùm hoc relinquatur ejus liberæ voluntati: quamquam cauſa reſignationis in eo ſemper ſit præſumenda. Sic ait id feciſſe Clementem ob mali exempli vitationem, Celeſtinum ob propriæ infirmitatis recognitionem, &c. quæ tamen reſignatio, ait, jam receſſit ab Urbe, & Orbe. In reſignando Cardinalatu, ait ſufficientem eſſe cauſam conſervandæ familiæ, & matrimonii ineundi. Varias quoque ob cauſas reſignare poterit Epiſcopus; ut ob crimen, infirmitatem, ſenectutem, ignorantiam, quibus inſufficiens eſt Officio Epiſcopali. Varias inſuper cauſas requiſivit Pius V. in Bulla, *Quanta Eccleſia*, quam refert Flaminius initio *lib.* 5. *q.* 6. quoad reſignationes factas Ordinariis, 1. Senectutem. 2. Infirmitatem. 3. Corporis vitium, quo non

Digitized by Google

non ſufficit miniſterio ſuo obeundo, quale ait dictus Author eſſe lepram, ſcabiem, paralyſim, apoplexiam, morbum comitialem, gallicum, podagram, vel chyragram perpetuam. Itidem cœcitatem, gibbum, claudicationem, &c. 4. Crimen aliquod, ob quod Clericus eſſet privandus beneficio, uti eſt homicidium, ſimonia, adulterium, &c. 5. Ob irregularitatem. 6. Qui nequeunt beneficio inſervire, ut ſunt Banniti, Energumeni, Surdi, & muti. 7. Qui non debent Eccleſiæ inſervire, ut ſunt ii, qui ſcandaloſè vivunt. 8. Qui volunt obtinere plura beneficia. 9. Qui volunt profiteri, aut inire Matrimonium. Denique, qui ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent reſidere in loco ſui beneficii. Ubi nota, ſi reſignatio fiat ſine aliquâ ex dictis cauſis, reſignationem fore nullam, & ſi Ordinarii conferant ſuis, aut reſignantium conſanguineis vel amicis, ſive directè, ſive per circuitum, incurrere ſuſpenſionem à divinis, donec à Papa abſolvantur. Addit tamen Zypæus *Juris Pont. lib.* 1. *de reſignatione, num.* 1. hanc Bullam, uti alias multas, non eſſe hîc in Belgio publicatam, *quia reſtringit Ordinariorum facultates, etiamſi fortè hîc non expreſſæ cauſæ, jure tamen non eſſent improbatæ, & facit homines, & pecuniam Romipetas*, ait ille.

Quinam poſſint reſignare.

Reſignare autem poſſunt generaliter omnes beneficiati, etiam criminoſi; non ſolùm, antequam juridicè accuſati ſunt, ſed etiam poſt accuſationem, imo & poſt condemnationem, ſi inſtituerint appellationem; adeo ut collatio illius tamquam vacantis facta, ſit omninò nulla. Ita Deſpeiſſ. *tit.* 11. *Sect.* 2. *art.* 1. *num.* 2. excipiens tamen accuſatum de crimine aſſaſinatûs, parricidii, ſodomiæ, aut ſimilis deteſtabilis facti, quomodo judicatum refert in Parlamento Toloſano, quoad reſignationem alicujus de ſodomiâ condemnati. Deinde reſignare poteſt etiam ille, qui necdum eſt in poſſeſſione ſui beneficii. Idem *num.* 4. Inſuper poteſt fieri reſignatio per procuratorem, de quo poſtea. Poſſunt reſignare infirmi, exempti, novitii ante duos menſes profeſſionem præcedentes; Abbatiſſæ quoque, etſi id raro in eis accidere dicat Flaminius *lib.* 3. *q.* 12. quo libro fusè tractat de illis, qui poſſint reſignare.

Cui debeat fieri reſignatio.

Debet interim reſignatio fieri digno, aliàs erit nulla; cùm in commiſſione poteſtatis conferendi, & recipiendi reſignationem ſubintelligatur, *dummodo fiat digno.* Dignitatem illam requiſitam obtinenda beneficio antea deſcripſimus: adeo ut, qui nequeunt defectu obtinere beneficium, etiam nequeant eſſe Reſignatarii. Hinc etiam peccat, quiſquis indigno beneficium reſignat, & tenetur ad omne intereſſe ex indigni promotione Eccleſiæ obveniens: etſi enim reſignans non ſit Collator beneficii; eſt tamen vera cauſa moralis, & efficax, quare conferatur indigno; qui verò dat cauſam damni, damnum dediſſe videtur. Similiter peccat ille, quiſquis reſignat in favorem minus digni, omiſſo digniore; ſicuti qui dignum eligit, aut præſentat digniore omiſſo, de quo in antedictis.

Forma reſignandi, ſignanter in Gallia, & Belgio.

Quod ad formam reſignandi attinet, obſervandum eſt in primis, reſignationem fieri poſſe, & per ſe, & per procuratorem, quo caſu varia ſunt obſervanda,

da, tum in Curiâ, tum in Galliis, & alibi. Parifius *lib.9. q.6.* tenet Procuratorem conſtitui inſtrumento publico, neque conſenſum præſtari litteris miſſivis; dum Notarii Cameræ, & Cancellariæ non extendunt conſenſum, niſi conſtet de mandato per publicum inſtrumentum, idque ad obviandum fraudibus ait, eſſe id rectè conſtitutum. Debet ergo procuratio à Notario, ſive Regio, ſive Apoſtolico, eſſe ſignata, ut notat etiam Deſpeiſſ. *tit.* 11. *art.* 2. *num.* 2. quoad Galliam; uti etiam ab ipſo Reſignante. Addit ille, requiri quoque hîc ſpeciale mandatum, nec ſufficere generale; requiri ſubſcriptionem duorum teſtium: poſſe ejuſmodi Procuratores eſſe Laicos, & Clericos, &c. Plura vide apud eumdem ad hanc rem pertinentia.

Debet inſuper fieri renuntiationis inſinuatio, quæ & in Galliis, & in Belgio etiam eſt requiſita, teſte Zypæo ibi ſuprà: ita tamen, ut publicationis forma non tam exactè hîc ſit ſervanda: ſed ſufficiat, quod ſufficienter innoteſcat, nec celetur reſignatio, etſi in Templo coram populo in celebritate Miſſæ, aut Concionis die Feſto non promulgetur. In Curiâ Romanâ jubentur reſignantes intrà 6. menſes, ſi citrà montes exiſtant; intrà 9. ſi extrà, reſignationes inſinuare: ſi verò ea fiat extrà Curiam Ordinariis, aut aliis; jubetur, ut infrà menſem reſignationem rejiciant, aut admittant, & alteri conferant, & reſignatarius infrà 3. menſes publicet. Cætera vide apud Zypæum ibi ſuprà.

Alia inſuper in reſignando obſervanda eſt forma, dum reſignatio fit ab infirmis, hîc, & in Galliis etiam uſu recepta, quâ ſtatuitur, ut reſignantes debeant 20. diebus ſupervivere, aliàs beneficium cenſebitur vacare per mortem. Et quidem rectè ſtatuta eſt hæc renuntiandi regula, ne videantur beneficiati de ſuis beneficiis in articulo mortis diſponere, & beneficia fieri hæreditaria. Solent verò dicti 20. dies juxtà regulam illam computari à die præſtiti per reſignantem conſenſûs, eò quòd tunc cenſeatur reſignatio perfici, & ante illum poteſt reſignans pœnitere: in Galliâ tamen computari ſolet à die admiſſæ per collatorem reſignationis, qualiter ſæpè judicatum eſſe ibidem, tradit ex aliis Deſpeiſſ. *tit.* 11. *ſect.* 1. *art.* 5. *num.* 24. Si quis tamen ſanus reſignaverit, & ſtatim incidat in morbum, undè & moriatur infrà 20. dies, non comprehenditur hâc regulâ, quæ afficit ſolos infirmos reſignantes: dicit enim, *ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit.* Deinde notandum eſt, dici quoque in regulâ, *de ipsâ infirmitate deceſſerit:* unde requiritur ad infirmandam hîc reſignationem, ut *de ipſo morbo* intrà 20. dies diſceſſerit reſignans; non de veneno, gladio, ruinâ, aquis, &c. Poterit tamen Summus Pontifex huic regulæ derogare ad ſupplicationem Reſignatarii, quæ derogatio teſte Rebuffo *Gloſ.* 2. *num.* 23. & aliis, etiam admittitur in Galliâ. Etiam in menſibus Graduatorum nominatorum, etiam in præjudicium Indultariorum Curiæ Pariſ. idque ex regulâ generali, quod res diſſolvatur, per id, per quod colligatum eſt; cùm ergo Papa jus illud, ſive regulam condiderit, poterit in eâdem, juſtâ de cauſâ diſpenſare. Ut autem exactius obſervetur dicta regula, rectè ſtatutum in Galliis à Franciſco I. anno 1539. ut Parochus, vel Rector Eccleſiæ defuncti ſepulti diem in Regiſtro no-

Regula de reſignatione ab infirmis.

 tet,

Digitized by Google

tet, & à Notario illud confirmetur ſubſcriptione : deinde, ut domeſtici defuncti diem obitûs ſincerè indicent dictis Eccleſiis, adeo ut laicis mortem ſubticentibus indicatur pœna mortis : Eccleſiaſticis verò omnimoda excluſio à beneficiis defuncti, & prættereà gravis pœna arbitraria Judicis arbitrio infligenda. Addi hîc poteſt ex Flaminio *lib.* 12. *q.* 8. *num.* 30. quod dies vigeſimus inceptus non debeat haberi pro completo ; quia cùm terminus 20. dierum ſit ſtatutus ad evadendas fraudes, favor regulæ ſuadet, diem cœptam non haberi pro completâ. Ita ille. Cætera, quæ ſpectant ad dictam regulam, latius deducit Deſpeiſſ. ſuprà.

Quæres, an dicta regula de infirmis reſignantibus locum habeat ſolummodo in reſignationibus ſimpliciter, an verò etiam in reſignationibus causâ permutationis. Reſp. Variant hîc Authores. Alii volunt hanc regulam, utpote odioſam, eſſe reſtringendam, adeoque & intelligendam de verâ, & ſimplici reſignatione, neque ad permutationis caſum eſſe extendendam. Imo, quod id colligi utcumque poſſit ex tenore Bullæ : cùm enim Innocentius III. hanc regulam ita ediderat, cum clauſulâ *reſignaverit, ſive ſimpliciter, ſive ex causâ permutationis* : eamdem clauſulam Julius III. oblitteravit. Verius tamen alii id affirmant cum Rebuffo p. 3. de hac reg. Gloſsâ 4. & aliis : qui & addunt, quod permutans cum ægro, qui infrà 20. dies diſceſſit, non habeat jus priſtinum beneficium recipiendi, eò quòd ita permutans præſumatur fraudem moliri in præjudicium expectantium, & Ordinariorum. Enimverò, ſi ad caſum permutationis extendi non poſſet dicta regula, facilè eidem regulæ eludi poſſet. Unde & hanc praxim obſervare ſolent Curiæ Eccleſiaſticæ.

Effectus reſignationis.

Ex dictis colligi poteſt, eſſe varios effectus reſignationis : 1. Quod per reſignationem, beneficium vacet ; cùm reſignans à ſe omne jus ad beneficium reſignando amittat ipſo facto : adeo ut reſignans non poſſit ſeſe de cætero beneficio, ejuſque adminiſtrationi immiſcere. 2. Non poteſt ille, qui purè, ac ſimpliciter reſignavit, poſt eam reſignationem admiſſam à Superiore, retinere ulterius poſſeſſionem, ſed ſtatim de idoneo Rectore eſt providendum juxtà Conc. Trid. aliud eſt in reſignatione conditionali in favorem alterius, in quâ tradunt, poſſe reſignantem incumbere poſſeſſioni beneficii, donec reſignatarius poſſeſſionem beneficii apprehenderit. Quod tamen non adeo certum eſſe exiſtimat Barboſa Juris Eccl. *lib.* 3. *cap.* 15. §. 4. *num.* 149. 3. Non poteſt reſignans poſt admiſſam reſignationem percipere fructus beneficii, cùm per illam Canonicus titulus ſit extinctus, ſine quo beneficium non poteſt poſſideri. 4. Non tenetur reſignans poſt reſignationem amplius ſolvere penſionem beneficio impoſitam, aut alia onera, quæ debentur de fructibus, & fructus non poſſit amplius recipere, ut mox dictum eſt. 5. Poſt reſignationem non tenetur quoque amplius reſignans ad recitationem Horarum, niſi fortè ratione Ordinis, aut aliunde ad eas obligetur. 6. Non tenetur etiam tunc amplius ad reſidentiam. Denique, non poteſt reſignans poſt legitimam reſignationem pœnitere. An autem omnia illa etiam locum habeant in reſignatione conditionali, uti in ſimplici, vide latius apud Barboſam loco citato. Ve-

Digitized by Google

Verum, etſi generali regulâ reſignans beneficium, non poſſit illud repetere, ut mox diximus; aliquando tamen datur locus regreſſui, ſive conceditur reſignanti facultas recipiendi beneficium reſignatum. Sic in Regno Galliæ datur jus regreſsûs illi, qui in gravi infirmitate conſtitutus beneficium reſignavit, ſi reconvaleſcat; eò quòd reſignatio debeat eſſe omninò libera, & ea, quæ mortis causâ fiunt, libera etſi ſint, tamen præſumuntur carere omnimoda libertate, nec præſumitur reſignaturum, ſi ſciret, quod reconvaleſceret; adeo ut omnis renuntiatio in gravi infirmitate facta habeat hanc tacitam conditionem adjunctam, *niſi de infirmitate convaluero.* Deſpeiſſ. *tit.* 11. *ſect.* 2. *art.* 5. *num.* 6. §. *tertio.* Addit idem Author, locum eſſe regreſſui, quando reſignatio facta fuit ex metu condemnationis de crimine capitali, ſi condemnationem evaſerit. Sic etiam datur regrediendi facultas minori 25. annis reſignanti, non obſtante *Cap. Si annum* 3. *de judic. in* 6. ubi dicitur, quod major 15. annis agere poſſit in materiâ beneficiali ſine Curatore, æquè ac major 25. annis. Cùm verò reſignatio debeat eſſe voluntaria, ut dictum eſt: ſequitur, quod renuntiatio facta vi, metu gravi, dolo, vel fraude ſit abſolutè nulla, adeoque eſſe locum regreſſui. Aliud eſt de metu levi, nec cadenti in conſtantem virum. Si tamen abſente jam vi, metu, vel fraude in reſignationem conſentiat, convaleſcet reſignatio. De reſignatione ſimoniacâ dicam agendo de ſimonia Sect. 12. De jure regreſſus.

Reſignationi beneficiorum annecti ſolet beneficiorum permutatio, quæ nihil eſt aliud, quàm mutua beneficii reſignatio. Varia beneficia ſunt, quæ permutari non poſſunt. 1. Beneficium, in quod aliquis non habet jus. 2. Non poteſt quis permutare illud beneficium, quod ratione criminis quis eſt amiſſurus, ſi lis pendeat, aut ſit lata ſententia. Idem eſt de beneficio ſimoniacè accepto: idem eſt juxtà varios de beneficio litigioſo, cujus contrarium cenſet Rebuffus. De quibus, & aliis vide Malderum *tract.* 9. *cap.* 3. *dub.* 10. Requiritur inſuper, ut permutatio fiat coram legitimo Superiore: hinc beneficia diverſarum Diœceſeon non permutantur, niſi coram utroque Ordinario, aut uno alteri id committente. Sic & beneficia Papæ reſervata, non niſi coram Papa permutari poſſunt; cùm enim opus ſit nova collatione, in permutatione; etiam opus eſt authoritate illius, cui collatio eſt reſervata. Prætereà, ille, qui ex diſpenſatione Papæ beneficium obtinet, non poteſt illud inconſulto Pontifice permutare cum alio, eò quòd de beneficio diſpenſatus, non poſſit ſine novâ diſpenſatione illo dimiſſo aliud acceptare. Malderus ibid. Quid permutatio beneficiorum.

Requiritur autem ad legitimam permutationem cauſa legitima. Talis eſt 1. Si permutans creditur in alio loco opportunius ſuæ ſaluti conſulturus. 2. Si quis in loco ſuo perpetuas habeat inimicitias cum ſubditis, cum Domino loci, &c. 3. Quando quis in aliquo loco ob aëris intemperiem vivere nequit in ſanitate. 4. Generaliter, quando id exigit Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas; quo caſu etiam quis cogi poteſt ad permutandum, uti tradit Flaminius Pariſius *de reſign. lib.* 3. *q.* 18. *num.* 13. & 33. Si verò permutatio fiat ob aliquod commodum temporale alterius, vel utriuſque, Ad legitimam permutationem requiſita.

erit juxtà D. Th. ſimoniaca. Non tamen damnandus erit juxtà Malderum ſuprà, ille ſimoniæ, qui alibi non habens ſuſtentationem congruam, cum alio, qui tanta ſubſtentatione non indiget, niſi fraude conſentiente permutat, quia beneficium ejus eſt pinguius, & ad neceſſariam ſuſtentationem ſibi utilius: hoc ipſum enim etiam ad decorem domûs Dei cedit, quod in eâ non indigeant Miniſtri, ſecundùm illud Malachiæ 3. *Sit cibus in domo meâ & probate me ſuper hoc, &c.* Ità Malderus. Sufficientiam porrò cauſæ diſjudicare, pertinet ad Epiſcopum, ut ex aliis tradit Barboſa *Juris Eccl. lib. 3. cap. 15. num.* 172. Requiritur inſuper ad legitimam permutationem conſenſus illorum, ad quos collatio, electio, aut præſentatio pertinet, quia illorum intereſt; hinc beneficium juris Patronatûs nequit permutari ſine conſenſu Patroni. Debet inſuper permutatio facta publicari ex Conſtitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *Humano vix judicio*, quam refert Barboſa ſuprà *num.* 187. Addens num. præced. non videri eam uſu receptam in partibus Hiſpaniæ: idem dic de Belgio, prout ante dictum eſt de publicatione reſignationum. In Galliâ quoque publicationem permutationis neceſſariam eſſe æquè, ac in reſignationibus tradunt Authores Galli: tum, quod permutatio ſit reſignatio reciproca: tum, quod regula publicationis lata ſit ad obviandum fraudibus, quæ in clandeſtinas reſignationes irrepunt, ne poſt reſignationem factam legitimè reſignantes iteratò ſeſe ingerant, fructus beneficii percipere non deſiſtant, ne plebs in percipiendis Sacramentis à legitimo Miniſtro decipiatur, &c. Quæ omnia incommoda, imo plura, utpote duplicata, emergunt in permutationibus clandeſtinis.

Quando cenſeatur permutatio eſſe fraudulenta.

Factâ permutatione requiritur utrimque nova beneficii collatio, cùm per permutationem beneficia verè vacaverint: neque verum eſt, quod admiſſio reſignationis causâ permutationis, contineat in ſe tacitam collationem, uti notat Barboſa ibi ſuprà *num.* 184. ab aliquibus fuiſſe edoctum. Variis verò caſibus juxtà Flaminium Pariſ. præſumitur permutatio eſſe fraudulenta: ut ſi facta ſit cum Nepote; ſi permutetur beneficium pingue cum tenui; ſi fiat à ſene; ſi cum eo qui non habet ætatem requiſitam, ſi cum ægroto; ſi facta ſit in fraudem expectantium; ſi fiat lite pendente, &c. Debet autem permutatio æquè, ac reſignatio eſſe libera, & conſequenter facta vi, fraude, aut metu gravi eſt nulla. De permutationibus ſimoniacis dicam de ſimoniâ, Sect. 12.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De obligationibus Beneficiatorum.

DIximus hucuſque de modis , quibus beneficia ſolent conferri : modò agendum eſt de illis , quæ à beneficiatis adepto jam beneficio ſunt agenda , uti & de obligationibus eorum ſtatui annexis. Primò ergò agemus de profeſſione fidei , & aliis ante inſtitutionem à beneficiato agendis : deinde, de aliis obligationibus beneficio conjunctis , ut de obligatione legendi Officium divinum : de obligatione reſidendi : de vita , & honeſtate Clericorum : de legitima diſpenſatione fructuum , ac perceptione diſtributionum ; denique , de aliis oneribus beneficio annexis.

SECTIO I.

Quid proviſo de Beneficio ſit agendum.

ETſi jure communi antiquo non fuerit neceſſaria ſcriptura , ad probandam beneficii proviſionem , quando illa fiebat à Papa , qui beneficia ſine ullis litteris dare poſſet , ſi vellet : tamen modò ex ſtylo Curiæ requiritur ſcriptura , quâ proviſio dicta poſſit authenticè probari. Ita Flamin. *lib.*8. *q.*2. *num.*8. Addens *num.*21. Proviſionem beneficii ab Ordinariis factam , etiam probari ſolitam ſcripturâ , etſi poſſent ſufficere teſtes. Et quidem in Gallia , teſte Deſpeiſſ. *tit.*9. *Sect.*1. tenetur proviſus de beneficio , ſive à Papa , ſive ab Ordinario procurare , ut dicta proviſio inſeratur in Acta publica , Gallicè *Greffes des inſinuations* : Si verò ſint beneficia diverſarum Diœceſeon , debet fieri inſinuatio , ſive regiſtratio in Acta illarum totidem Diœceſeon , idque intrà 6. menſes à die proviſionis computandos , ſi proviſio facta ſit in Curia Rom. Si ab Ordinario , aut Legato , debet inſinuatio fieri intrà 2. menſes : Si denique beneficium ſitum ſit in loco regiſtrationis, debet fieri inſinuatio infrà 8. dies.

Probatio beneficii adepti , maximè in Galliis.

Statuitur inſuper ibidem , ut proviſus antequam poſſeſſionem adeat , ſeſe proprio Epiſcopo præſentet , ad ſubeundum examen , & obtinendum , quod vocant *viſa* , id eſt , approbationem Epiſcopi , aut Vicarii Generalis, quâ conſtet de ſufficientia proviſi : adeo ut defectu hujus , proviſio beneficii ſit nulla, uti judicatum refert Deſpeiſſ. *ibid. ſect.*3. *num.*1. Addens, quod ſi proviſus nequeat ab Ordinario conquirere illud *viſa*, poſſit recurrere ad quemvis alium Epiſcopum , nec teneatur recurrere hîc ad Metropolitanum , aut Primatem ; quod ita judicatum refert in Parlamento Toloſano , hoc tamen aliis Scriptoribus Gallis non approbatur , tamquam licentia peſſimi exempli,

pli, & everſivum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, de quo diſceptent illi.

Requirit ulterius Concilium Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 12. ut de Beneficiis proviſi, quibus animarum cura incumbit, teneantur à die adeptæ poſſeſſionis, ad minus intrà 2. menſes, in manibus Epiſcopi, vel eo impedito coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali, Orthodoxæ ſuæ fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientiâ ſe permanſurum ſpondeat, ac juret; proviſi verò de Canonicatibus, & Dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolùm coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioqui omnes prædicti proviſi, ut ſuprà, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Conformiter ſtatuunt Concilia Provincialia & Mechlinienſe ſub R.^mo D. Matthia Hovio anno 1608. *tit.* 17. *cap.* 1. Paſtoratum adepto præcipit ultrà profeſſionem Fidei, ut faciat etiam ſubſequens juramentum, antequam cura animarum, vel poſſeſſio Paſtoratûs ei concedatur.

Profeſſio Fidei.

Ego N. juro, & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem ſummo Pontifici Romano, ac R.^mo D.^no Epiſcopo N. eorumdemque ſucceſſoribus. Item juro, & promitto Eccleſiæ meæ Parochiali de N. fideliter deſervire ſecundùm oneris illi annexi exigentiam, & in eo perſonaliter reſidere. Bona Paſtoratûs, vel Eccleſiæ meæ non alienabo: & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare ſtudebo. Specificationem omnium fructuum Paſtoratûs mei, cum debitâ deſignatione hypothecarum, limitum, & terminorum, intrà annum à feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ proximè venturo, Archipresbytero tradam: fructus anni) in quo me mori, aut meam Eccleſiam dimittere continget, ſubjicio, & obligo ad laudabilem deſerviturum uſque ad feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, mortem, vel dimiſſionem meam proximè ſubſecuturam. Sic me Deus, &c. Et Concilium Antverpienſe ſub R.^mo D. Joanne Miræo anno hujus ſæculi decimo, *tit.* 18. *cap.* 2. ita ſtatuit: *Admittendus ad poſſeſſionem cujuſcumque Beneficii, poſt Fidei profeſſionem, præſtet juramentum ab habente jus inſtitutionis, aut Decano rurali proponendum.*

Dicta profeſſio fidei à proviſo ità neceſſariò eſt facienda, ut eâ non obſervatâ, impediatur acquiſitio fructuum Beneficii, adeo ut in conſcientia, etiam ante ſententiam Judicis nequeant retineri, utpote alieni, & qui jure ad Beneficiarium non ſpectant. Poſſet tamen quis excuſari hìc per oblivionem, aut juſtam ignorantiam, quæ in foro externo tamen non ita facilè recipietur probanda. Ita ex aliis Zypæus *Juris Pontific. lib.* 3. *de Præbendis num.* 3. Uſus tamen illius, hìc non amplius tenet.

Poſſeſſio beneficii.

Poſt hæc debet proviſus ſolemniter mitti in poſſeſſionem, quæ quidem in Gallia adeo eſt neceſſaria, ut qui vi Regiæ nominationis obtinuêre proviſionem in Curia Romana, non poſſint mitti in poſſeſſionem in vim Bullæ Pontificiæ; ſed indigeant ad hoc litteris magni ſigilli Regii, mandantibus Judici loci, ut proviſum ſolemniter in poſſeſſionem mittat: undè vulgò dicitur ibid. *plumbum nil valere ſine cerâ.* Idem ferè habet locum in Belgio.

Digitized by Google

gio. Debet autem miſſio illa in poſſeſſionem fieri per Clericum adjuncto Notario, & teſtibus. Cæteras cæremonias habent cujuſvis Eccleſiæ, & Regni conſuetudines, & ſtatuta. Cætera quæ huc concernunt, videri poſſunt apud Rebuff. Deſpeiſſ. ſuprà, & alios Canoniſtas.

SECTIO II.

De obligatione recitandi Horas Canonicas.

BEneficiatos omnes ad recitationem Horarum Canonicarum obligavit Concilium Lateranenſe ſub Leone X. in Bulla Reform. Seſſ. 9. his verbis: *Statuimus, & ordinamus, quod quilibet habens Beneficium cum curâ, vel ſine curâ, ſi poſt 6. menſes ab obtento Beneficio, divinum Officium non dixerit legitimo impedimento ceſſante, Beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos, pro ratâ omiſſionis Officii, & temporis: ſed eos tamquam injuſte perceptos in fabricas Eccleſiarum hujuſmodi Beneficiorum, vel pauperum eleëmoſynas erogare teneatur.* Hanc Conſtitutionem poſtea innovavit, & explicavit Pius IV. in Bulla 1381. quam refert Navarrus *Cap.* 25. *Manualis num.* 122. Nos, ordine omnia indagabimus, ac primò quinam Beneficiati ad illud obligentur: 2. Quando cenſeatur obtentum eſſe Beneficium: 3. Quid intelligatur nomine Officii divini: 4. Quod ſit legitimum impedimentum à dicta recitatione abſolvens: 5. Quæ ſit hìc rata omiſſionis Officii, & temporis: 6. Quomodo ea reſtitutio ſit facienda.

Omnes Beneficiati obligantur ad Horas.

Quod ad primum attinet, ſatis difertè exprimit Concilium obligari omnes omninò Beneficiatos, ſive habeant beneficium cum cura animarum, ſive ſine curâ. Idem tamen magis explicat Pius V. in prædicta Bulla dicens: *Declarantes Præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò ſervitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* Ex his colligi poteſt: 1. Quòd omnes illi, qui veri nominis beneficium obtinent, etſi nullum omninò ſervitium habeant annexum, teneantur ad recitationem Horarum, etſi in minoribus ſint conſtituti. Et ratio eſt, quòd omne beneficium detur propter Officium ſpirituale ſub titulo juris ſpiritualis; ideoque Eccleſia voluit Officium recitandi omnibus Beneficiatis eſſe commune. Sub nomine *beneficii* comprehenduntur etiam *Præſtimonia*; etſi enim juxtà varios illa propriè beneficia non ſint; tamen ad hunc effectum voluit Pius V. eadem beneficia recenſeri. Comprehenditur quoque Cappellania authoritate Epiſcopi erecta, & quæ ab illo confertur, etſi ex patrimonialibus conſtituta, & præſentatio ejuſdem ſit Laïcis reſervata; eò quòd ſit verum beneficium. Secùs cenſet de Cappellania ab Epiſcopo non erecta, etſi ab eodem conferatur; cùm illa inter beneficia non ſoleat computari. Undè generaliter Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. per beneficium intelligit quemcumque

Præſtimonia quomodo obligent ad Horas.

re-

reditum Eccleſiaſticum, qui habetur ſub titulo Clericali: nimirùm, qui non poteſt, niſi Clericis dari. Aliud eſt de reditibus Eccleſiaſticis, qui habentur titulo ſæculari, quales ſunt, quæ conferuntur ad pulſanda organa, ad pulſanda alia inſtrumenta, ad docendum, ad ſervanda ornamenta Sacriſtiæ, aut ad alia ſervitia non Eccleſiaſtica. Talia enim non dicuntur propriè *beneficia*, ſed quoddam ſtipendium ex fructibus Eccleſiaſticis deductum ob aliquod ſervitium temporale, atque adeò Clericatum non exigunt. Idem ait Soto *lib.*10. *q.*5. *art.*3. eſſe de Regibus, & Equitibus, qui ſæculari titulo decimas percipiunt.

Quomodo penſiones. *Penſionarii* verò eodem ferè modo ad perſolutionem Officii obligantur: ſi enim penſio ſit merè laïcalis conceſſa alicui ob aliquod obſequium ab ipſo, vel parentibus ejus Eccleſiæ præſtitum, ad nullam Officii recitationem obligantur: ſi verò ſit penſio Clericalis, data Clerico ut tali, ſeu, quæ Ordinem aliquem exigit, vel tonſuram, etſi verè beneficium non ſit, ſed ſolùm jus percipiendi partem fructuum à Beneficiario: tamen ex conſtitutione Pii V. ad recitationem parvi Officii B. Virginis Mariæ obligat, etiam ſub pœnâ reſtitutionis fructuum. Si tamen Penſionarius ex vi Ordinis ſacri, aut alterius beneficii recitet Officium Canonicum, non obligabitur ad parvum Officium B. Virginis, eò quòd Pius V. Penſionarios voluerit ab Officio majori liberare, & iis loco illius gravioris imponere recitationem Officii de Dominâ. Idem docent, de Penſionario Ordinis militaris, qui ſatisfacit etiam recitando preces in ſua regula præſcriptas; eò quòd Pontifex illis injunxerit dicti Officii recitationem, qui aliàs ad ſpecialem orationem non erant obligati. Ità Bonacina cum aliis.

Quomodo Commenda & Vicaria. *Commendatarii* quoque perpetui, cùm vix à Beneficiatis in titulum differant, ſicuti eorum proprietates omnes obtinent, ita & annexam habent obligationem recitandi Officium divinum ſub eiſdem pœnis. Aliud docent de Commenda temporali, quæ ſolam cuſtodiam, ſeu adminiſtrationem tribuit beneficii, non plenum jus de fructibus diſponendi. Idem dic de Vicariis: ſi enim ſint perpetui, ut alii Beneficiati, obligantur ad Horas: dum omnes proprietates, & effectus beneficii obtinent. Secùs eſt de temporali, qui nullum jus, ſeu titulum beneficii obtinet, ſed ſolam adminiſtrationem ad tempus. Vide de hac re latiùs agentem Layman *lib.*4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. *&* 9.

An, qui habet plura beneficia, debeat pluries dicere Horas Canonicas. Habens autem plura beneficia juſta de cauſa, non obligatur ad pluries recitandum divinum Officium, uti conſtat ex praxi, & conſuetudine, dum titulorum multiplicatio non inducit multiplicationem Officiorum divinorum, prout patet in Religioſo profeſſo ad Chorum, & ordinato Beneficiario. Undè etiam omittendo Horas ſuas unum peccatum committit, quia facit contrà plures obligationes ejuſdem rationis reſpectu ejuſdem materiæ. Hoc tamen videtur juxtà varios deficere in Beneficiato, qui ratione Ordinis ex motivo Religionis obligatur ad Horas; & ratione beneficii, obligatur ex motivo juſtitiæ, dum accipiendo ab Eccleſia beneficium, quaſi ex virtuali contractu ſe obligat ad recitationem Horarum: quod maximè verum eſt, ſi velit ille retinere fructus, etiam dum Horas omittit. Si tamen impoſita foret obligatio recitandi plu-

ries

ries Canonicas Horas, credo non adeò ambienda fore plura beneficia. Sed quid, ſi beneficium ſit adeò tenue, ut vix ullos fructus, aut etiam planè nullos reddat? Reſp. Varia eſt hîc Authorum opinio. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 31. num. 169. aſſerit probabile, excuſari illos Beneficiatos ab obligatione recitandi Officii, qui valde parùm recipiunt; ut ſi beneficium ſit adeò tenue, ut non habeat ſuprà 8. aureos. Ità & tenet Soto, cum aliis multis; & Navarrus aſſerit, multos pios, & doctos ità ſentire; etſi ipſe cum pleriſque aliis aliter ſentiat. Ratio illius eſt, 1. Quòd juxtà Apoſtolum 1. *Corinth.* 9. qui Altario ſervit, de Altario debeat vivere, quod hoc caſu non fieret. 2. Qui nihil accipit, ad nihil tenetur; ergò qui parùm, non tenebitur ad totum. 3. Ille non tenetur ad Horas vi Ordinis, ut ſupponit, ſed tantùm ratione mercedis, quam recipit: atqui non videtur rationabile, ut ille, qui 7. vel 8. aureos accipit pro mercede, ad tantumdem obligetur, ad quantum, qui accipit 100. 4. Quòd beneficium inſufficiens alendo debitè Miniſtro, ſit ſolummodò imperfectè beneficium. Addit tamen, ſe ſentire, quòd illi, qui aliquid accipiunt, aliquoties teneantur ad Horas legendas per annum, v.g. Feſtis, & Dominicis, prout ratio dictaverit. Ità ille. Huic ſententiæ accedit Wiggers *Tract.* 8. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 4. referens Malderum, dicentem tum cenſeri beneficium hîc eſſe tenue, ſi fructus ſint inferiores tertiâ parte mediocris ſuſtentationis pro Clerico communis conditionis. Si verò tantum recipiant, ait Malderus, certum eſſe, quòd Beneficiarii ab obligatione Horarum non eximantur. Porrò, tertiam partem ſuſtentationis, videtur Suarez (ait ille) æſtimare ad minus ad 30. aureos: undè, quia ſic nimis multi Beneficiati liberarentur ab obligatione legendi Horas; ideò ab illorum ſententiâ recedit, qui tertiam partem ſuſtentationis requirunt. Sed in his partibus, videtur, quòd tertiâ pars poſſit æſtimari ad 12. aut 15. aureos, æſtimando aureum ad 3. florenos. Ità Wiggers. An etiam beneficium maximè tenue.

Vaſquez *Opuſculo de beneficiis cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 24. docet, quòd ſi beneficium ſit tenue, & ſi aliud habeat officium ſpirituale annexum, quàm legere Horas Canonicas, v.g. ſi ſit Cappellania, quâ quis obligatur ad dicendas aliquot Miſſas certo tempore per ſe, ſive per alium, interim dum ipſe ordinatur, non teneatur eo caſu ad Horas: quia, ait, cùm tenue ſit, ſufficienter ſolvitur Officium ſpirituale celebrando Miſſas. Si tamen nullum aliud Officium ſpirituale annexum habeat, ut ſunt Præſtimonia, neſcit ipſe, quâ ratione excuſari poſſit ille ratione exiguitatis beneficii à perſolvendis Horis. Ratio ejus eſt, quòd omne beneficium jure ſpirituali habeat annuos reditus: ſed jus ſpirituale intelligere non poteſt, niſi ratione Officii ſpiritualis: ergò ex ſuâ inſtitutione beneficium etiam tenue ratione officii datur, & ideò ad Horas obligabit. Ità Vaſquez.

Alii in univerſum docent rectiùs, beneficium etiam tenue obligare Beneficiatum ad Horas Canonicas. Pro quo notandum eſt, quòd perſolutio Horarum non ſit merum obſequium perceptioni fructuum correſpondens; ſed etiam ſit miniſterium aliquod Clerico ratione propriæ ſuæ inſtitutionis competens:

Kkkk undè

undè etiam olim omnes omninò Clerici ad Horas conſtringebantur, ut patet ex *Synodo Toletanâ* 1. *Can.* 5. quo poſito probatur dicta concluſio, quia Beneficiatus ſuâ ſponte accipiens beneficium tenue, acceptat etiam onus illi annexum: ſicuti accipiens Ordines ſacros, etiam acceptat ſimul onera Ordinibus annexa, etſi nullum ex ordinatione ſperet emolumentum: hinc, ſicuti ſic tenetur ad Horas, ita & ille. Patet in ſimili de Milite, qui eo ipſo, quo ſeſe voluntariè ſinit inſcribi militiæ, tenetur onera militiæ adimplere, etſi ſubindè ſuo ſtipendio non fruatur. Deindè, beneficium tenue reddit Beneficiatum exemptum, & privilegiatum, ſicuti reddit pinguius; ergò eodem modo obligabit ad Horas; qui enim ſentit commodum, ſentiat & onus. Præterea, ut argumentatur Proſper Fagnanus in *Cap. Conquerente*, *de Clerico non recidente*. Sicuti non excuſatur Clericus à reſidentiâ ex eo, quod ex beneficio vitæ neceſſaria non percipiat; ità nec excuſatur ab Horis dicendis. Imputet namque ſibi, ſi beneficium non ſit competens, quia nihilominuùs tenebitur ad Horas, ex quo fecit ſe ad hoc intitulari. Addit ulteriùs, quòd multa ſint beneficia, quæ nullum exigunt ſervitium, qualia ſunt Præſtimonia, quæ tamen obtinentes tenentur ad Horas, ut patet ex conſtitutione Pii V. qui dicendo, *qualiacumque beneficia* ad Horas obligari, comprehendit etiam minima. Poſtrema, eaque à priori ratio eſt, quam etiam advertit *Wiggers*, quia non ſoli fructus beneficii concurrunt ad inducendam obligationem legendi Horas, ſed & ipſa conditio Clerici, & titulus beneficii, quæ Beneficiatus retinet, etſi beneficium ejus ſit tenue. Et hæc ſententia juxtà Toletum in addit. *lib.* 2. *cap.* 12. eſt communis, tam Theologorum, quàm Canoniſtarum.

Quid ſi beneficium nullos fructus ferat.

Quando autem nullos omninò fructus accipit Beneficiatus, ſolent Authores docere cum Navarro *Manualis cap.* 25. *num.* 103. quòd, ſi de beneficio ſuo nullos fructus recipiat, nec per ſe, nec per alium, nec impoſterum recepturus ſit, non obligetur ad Horas dicendas. Ratio eorum eſt, quòd ille non habeat beneficium ſecundùm ſuum effectum; id eſt, ſecundùm perceptionem fructuum. Et talem caſum eſſe aſſerunt, ſi fundi Eccleſiæ ab hoſtibus occupentur: ſi reditus primi, vel ſecundi anni Eccleſiæ fabricæ, aut alio fini applicentur. Tenetur tamen recitare, ſi ſuâ culpâ fructus nullos percipiat, ut quia juſtè eſt excommunicatus, aut aliàs juſtè iiſdem privetur. Idem eſt de eo, qui ob inidoneitatem omnes fructus alteri pro ſervitio Vicarii debet contribuere, niſi fortè ex eo, quòd necdum habeat ætatem competentem: idem eſt, de illo, qui etſi fructus non percipiat, percipit tamen diſtributiones. Idem eſt de eo, qui ſperat poſteà fructus conſequi; puta, quia lis eſt de beneficio, & interim fructus ſequeſtrantur. Verum enimverò, mirum eſt, varios Authores ità inconſideratè loqui, & ità inconſequenter, qui ſententiæ noſtræ mox datæ ſubſcribunt. Si enim ille, qui beneficium, tametſi tenue obtinet, non liberetur à dicendis Horis, quia obligatio Horarum oritur ex ſtatu Clericali, & titulo beneficii: quare non eâdem planè ratione dicendum eſt, etiam illum teneri ad Horas recitandas, qui nullos de beneficio fructus poteſt

teſt obtinere, ſive id ſuâ culpâ eveniat, ſive ſine illâ? Hinc rectius docent, quod qui voluntariè tale beneficium ſuſcepit, quod nullos fructus reddit, & voluntariè illud retinet, teneatur ad onus beneficio annexum; ſibique imputet, quòd ſine fructuum perceptione teneatur ad Horas, eo ipſo, quo ſeſe fecit illi beneficio intitulari, & illi inſiſtit. Sic etiam alii docent, quod qui à reſignante accipit beneficium, eâ conditione, ut omnes beneficii fructus pro penſione reſignanti reddet, teneatur ad Horas; eò quòd recipiens beneficium, illud accipiat cum omni onere, adeoque etiam cum onere legendi Horas. Idem docent de Canonicis, & aliis Beneficiatis, qui alibi primo anno, vel ſecundo nullos fructus, aut diſtributiones percipiunt, etſi etiam Eccleſiæ inſerviant, ſed ea fabricæ deputantur, aut aliis præbendatis: tum, quod volenti, & ſcienti nulla fit injuria, & ipſi ſcienter, & volenter tale onus ſine ſtipendio in ſe ſuſcipiant: tum etiam, quòd poſteà fructus recipient, ut cæteri: tum denique, quia ſunt verè Clerici, & Beneficiati, quos omnes ad Horarum lectionem aliquoties diximus obligari vi ſuæ inſtitutionis, & ſui ſtatûs.

SECTIO III.

Quomodo, & quando Horæ Canonicæ à Beneficiato ſint recitandæ.

Varia hîc ſunt examinanda: 1. An Horæ Canonicæ publicè ſint recitandæ, an privatim. 2. Quo orandi ritu externo. 3. Quò loco. 4. Quo ordine. 5. Quo tempore. 6. Quàm integrè. 7. Quâ attentione. 8. Quâ intentione.

Quod ad primum attinet, conſtat aliquos ad publicam recitationem Horarum non eſſe obligatos; ſed ſatisfacere, ſi privatim, vel cum ſocio eas perſolvant. Publicè tamen eaſdem perſolvere debent ii, qui ſunt Choro ſpecialiter deputati, ut ſunt Religioſi plerique, Moniales, ac Canonici, quorum proprium inſtitutum eſt in Choro pſallere Officium Canonicum per ſe ipſos, & non per inſtitutos. Hinc Concilium Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 12. *Reform.* Canonicos ſollicitè admonet, ut in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudent. Et Gongregatio ejuſdem Concilii Interpres, teſte Fagnanto, *in Cap. cum percuſſio, de Clerico ægrot. num.* 9. cenſuit, quoad Canonicos S. Petri in Urbe, propriam Canonicorum obligationem eſſe pſallere in Choro. Ne autem cauſari poſſent, ſeſe obligationi dictæ ſatisfacere, ſi id fiat per ſubſtitutos, ideo idem Concilium Seſ. dicta *Cap.* 12. ità ſtatuit: *Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia ...... atque in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare.* Cùm verò ibidem ſacra Synodus addat ut cætera, quæ ad debitum in divinis Officiis regimen ſpectant, deque congruâ in his canendi, ſeu modulandi ratione, deque certâ lege in Choro conveniendi, & permanendi, Synodus Provincialis pro cujuſque Provinciæ utilitate, & moribus præſcribat certam

Canonici debent per ſe in Choro pſallere.

 cui-

cuique formulam : illud idem diverſa Synodalia Statuta præſcripsêre inter cætera, ut Canonici *per ſe ipſos* ad pſallendum in Choro eſſent obligati. Videri poſſunt varia ejuſmodi Statuta, tam Conciliorum Belgicorum, quàm aliorum apud Clariſſ. D. van Eſpen, *de inſtit. & offic. Canonic. p. 3. cap. 2.* nuperrimè in lucem edito. Ejuſdem expreſſæ ſententiæ eſt Barboſa de Canonicis, & Dignit. cap. 34. num. 9. ità ſcribens : *Obligantur quoque Canonici ſub onere, & obligatione reſtitutionis diſtributionum pſallere, ſeu canere in Choro cum aliis ; & non ſatisfaciunt, ſi ſolùm aſſiſtant, & interſint Horis, & per Capellanos, & alios Beneficiarios pſallant ; ipſi verò, vel ibi, vel domi privatim recitent Horas : quia inſtitutio Canonicatuum eſt, non ut adſint tantùm in Choro, ſed & canendo aſſiſtant, & ob id eis dantur diſtributiones.* Et pro eâdem opinione citatis Caietano, Sylveſtro, Navarro, Suarez, Comitolo, Azorio, Ledeſma, Leſſio, Layman, Aſc. Tamburino, Palao, &c. refert S. Congregationem Concilii ad quæſitum, an Canonici, & alii, qui interſunt divinis Officiis, ſatisfaciant eorum muneri exhibendo ſuam præſentiam in Choro, etiam quod non cantent, neque pſallant ; maximè, ſi allegarent ſe eo tempore meditari, vel ſubmiſsâ voce dicere, quæ ab aliis cantantur, vel alias pias preces tunc recitare : an verò teneantur præcisè altâ, & conſonâ voce divina Officia, & Horas Canonicas recitare, cantare, & pſallere, & aliter non ſatisfaciant muneri, & obligationi : eadem S. Congregatio ſub die 20. Aprilis 1602. cenſuit omninò teneri pſallere, alioqui obligationi ſuæ non ſatisfacere. Altâ autem voce debent Canonici cantare in Choro, & Epiſcopus poteſt illos ad hoc hortari, ſed non cogere. Hæc ibi. Addit tamen ille, *num.* 12. quod contraria ſententia retineri poſſit in eis Eccleſiis, in quibus viget conſuetudo, aut ſtatutum, ut Canonici, & Beneficiarii Choro ſatisfaciant intereſſendo, & faciendo ut Capellani, & Cantores cantent, & pſallant, & reliqua munera exequantur. Alii adjungunt excipiendo, id quidem verum eſſe, quando in Eccleſia aliqua non eſt lex, ſeu ſtatutum obligans ad canendum per ſe ſub pœnâ amiſſionis diſtributionum. Verum, cùm dicta Canonicorum obligatio ex ipsâ Canonicorum inſtitutione proveniat, & Conciliorum authoritate fulciatur, ac confirmetur ; rectius alii inferunt, particularia Eccleſiarum ſtatuta, multò minus conſuetudines, præjudicare non poſſe ſtatutis ſuperiorum. Hinc toties Synodus Tridentina reformationi intendens, contrarias conſuetudines ſolet rejicere, tamquam meras corruptelas. Si enim particularium ſtatuta, aut conſuetudines hîc conſulere liceat, & imitari ; ſæpè ſequendum erit illud, quod quæſtum magis ſapiat, quàm pietatem. Si ergo non ſatisfaciant ſuæ obligationi Canonici, qui per ſe in Choro non pſallant, etſi ibidem meditentur, aut ſubmiſsâ voce recitent, ut declaravit S. Congregatio : quantò minus ſatisfacient illi, qui ibidem dormiunt, rident, fabulantur, legunt litteras, aut alia ad Chorum impertinentia ? *Illud tamen pro Canonicorum causâ diſſimulandum non eſt*, ait Comitolus lib. 1. q. 62. in fine, *diebus Feſtis, ſive profeſtis, cùm aliqua divini Officii*

ficii pars, cum harmonicâ modulatione à Cantoribus, qui Canonici non ſunt, perſolvitur in Choro, eos tunc à pſallendo magnâ voce tutò poſſe ceſſare. Idem contingere poſſet ex eo, quod ratione officii particularis in aliqua Eccleſia ex veteri more perſolvendi, Canonici utentes Breviario communi, non poſſent tali officio ſeſe conformare, etſi de cætero Choro deberent intereſſe, qualiter fieri ſolet in Eccleſia Cameracenſi.

Modum verò in Choro aſſiſtendi præſcripſit S. Congregatio Epiſc. ac Regul. anno 1617. quem refert Barboſa ibi ſuprà num. 17. in hunc modum: *Nemo etiam officio expleto è Choro egredi valeat, vel audeat, antequam finis ſignum per Archidiaconum detur. Canonicis in Choro exiſtentibus ſub quovis prætextu exindè exire non valeant plures, quàm duo pro quâlibet vice, & in egreſſu, & regreſſu Archidiacono reverentiam exhibeant, eorum egreſſus cauſam ei notam facientes, ut in pleno Capitulo, an ſit juſta, vel ne, diſcuti valeat, & contrà faciens punctetur.* Alia ſtatuta in Choro obſervanda habent aliorum Eccleſiæ.

Concludit Dionyſius Carthuſ. lib. de Canonicorum vitâ art. 19. ſimul prædicta confirmans, dum ita ſcribit ex S. Bernardo: *Moneo vos dilectiſſimi purè ſemper, & ſtrenuè laudibus intereſſe divinis: ſtrenuè quidem, ut ſicut reverenter, ita & alacriter Domino aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quoddam balba de nare ſonantes, ſed virili (ut dignum eſt) ſonitu, & affectu voces S. Spiritûs depromentes: purè verò, ut nihil aliud, dum pſallitis, quàm quod pſallitis, cogitetis. Sed heu, heu, in his inveniuntur multi Canonici non mediocriter defectuoſi, quia & nimis curſoriè pſallunt, nec convenienter pauſant in medio, nec diſciplinatè, reverenter, ac timoratè ſtant coram Deo, ſed potius diſſolutè. Incuſtoditi in viſu, incompoſiti in moribus, proni ad levitates, ad riſus, ad fabulationes: qui & faciliter ſe à divinis abſentant, tardè veniunt, & exeunt ante finem. Et quomodo poſſunt ad ſenſum eſſe intenti, qui tam indiſtinctè, atque celerrimè proferunt verba ſacra? Utinam hi attendant, quod dictum eſt: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Et quod per Iſaiam Dominus dixit, & ipſe-met Chriſtus in Evangelio allegavit: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Quid reſponſuri ſunt iſti Judici ſummo, qui ea, quæ carnis ſunt, tam exquiſitè exercent, tamque diuturnè talibus immorantur, qui tardè nimis cantant Matutinas, eaſque, ſicut & cæteras Horas velociſſimè abſolvunt? in ſuis autem prandiis, cœnis, conviviis, ſocietatibus, confabulationibus, ludis, & jocis, multò diutius ſedent, quàm natura exquirat, neceſſitas poſtulet, ratio dictet. Porrò, qui de his, quæ Dei ſunt, & animarum concernunt ſalutem, citò nimis expediunt ſe, omninò perverſa eſt vita ipſorum. Ideo reſipiſcant, nec divino obſequio, & honorificentiæ Creatoris ſubtrahant debitum tempus, ſed principaliora principalius, diligentius, maturius exequantur. Prætereà, quidam Canonici*

Digitized by Google

nici omninò non cantant, quamvis in Choro ſtent; ſed pueris, & Cantoribus id committunt. Conſuetudo illa videtur eſſe corruptela, non lex: nec ex humilitate, & devotione, ſed magis ab elatione, abuſu, & acediâ proceſſiſſe videtur: cùm & olim, non ſolum Cathedralium Eccleſiarum Canonici, ſed & ipſi Præſules ſancti cum Choro pſallere ſoliti fuerint. Attendant hi, quod ait Apoſtolus: Qui non laborat, non manducet. Non beneficium ad officium ordinatur, nec Eccleſiaſtici reditus, niſi officiantibus, ac laborantibus in divinis debentur? Ita ille, & veriſſimè.

Quomodo externè ſit perſolvendum Officium. Quod ad ritum orandi externum attinet, certum eſt ab Eccleſiâ hîc præſcribi orationem vocalem, neque ſufficere mentalem; ad quam requiritur inter alia, ut verba diſtinctè proferantur, ſive recitatio privatim fiat, ſive in Choro. Unde proſcribitur omnis ſyncopatio celeriter cantantium, & recitantium, ſyllabas abſorbentium, quibus ſi in magnâ quantitate deperdatur ſenſus verborum, erit peccatum mortale, nec ſatisfiet obligationi recitandi. Singulæ inſuper Horæ recitandæ ſunt continuè, ac ſine notabili interruptione, ut habetur *Cap. Nihil* 7. *q*. 1. aliter enim unitas, & quaſi forma orationis ab Eccleſiâ inſtitutæ diſſolvitur; neque id caret irreverentiâ in Deum, cœptam cum eo collocutionem leviter interrumpere; eritque hîc culpa eò gravior, quò longior interruptio, aut cauſa deformior interrumpendi acceſſerit. Aliud eſt, ſi juſta interrumpendi cauſa advenerit. Poterit autem recitatio privata fieri ſe ſolo, ſive cum ſocio, quod aliqui cenſent eſſe expedientius, tamquam conformius primæ inſtitutioni Officii Canonici, & publico orandi ritui; cui, quantum fieri poteſt, oportet privatim conformari: tum etiam, quod eo modo labor minuatur, quò commodius devota mens in Domino delectetur. De cætero obſervandum hîc eſt, quod monet Synodus Baſileënſis Seſ. 21. cap. qualiter Horæ Canonicæ, &c. monens, *quoſcumque Beneficiatos, vel in ſacris conſtitutos, ut ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, vel verba, ſed reverenter verbis diſtinctis, ſive ſoli, ſive ſociati cum aliis, Officium diurnum, nocturnumque perſolvant.* Cætera huc ſpectantia videri poſſunt apud Theologos.

Ubi perſolvendum. Ad tertium quod attinet, ſcilicet, quo loco dicendæ ſint Horæ; ſi publicè dicendæ ſint, in Choro ſunt perſolvendæ; ſi privatim, in loco decenti, adeo ut alii cum Bonacina *Diſp*. 1. *q*. 3. *puncto* 5. *num*. 5. doceant, quod ſine cauſâ, & abſque neceſſitate eas legere in loco immundo, ſit peccatum veniale ob aliquam indecentiam. Et Toletus *lib*. 2. *cap*. 3. *num*. 8. ait laudabilius eſſe, ut unuſquiſque domi habeat locum aliquem ſecretum, vel oratorium, in quo dicat Officium.

Quo ordine. Quo autem ordine dicendæ ſint Horæ, debent eo ordine recitari, quo eaſdem proponit Eccleſia, ut primò Matutinum cum Laudibus, deindè Prima, Tertia, &c. adeo ut eadem ſine cauſâ invertere, ſit peccatum. Ordo ille non eſt obſervandus reſpectu Miſſæ, & Matutini; quaſi illud prævię deberet eſſe abſolutum, & quidem juxtà aliquos ſub mortali: nulla enim connexio Miſſæ

cum

cum Matutino. Et licet Pius V. illud præſcribat in Rubricis; tamen dicta Rubrica eſt directiva dumtaxat, non obligativa. Neque etiam tanta obligatio peti poteſt ex conſuetudine, quæ ideo introducta eſt, quod ita ſoleat fieri, ut Miſſam præcedat Matutinum, uti Miſſa Veſperas: unde per accidens eſt, quod priùs dicatur Matutinum, non ratione ordinis ex obligatione ſervandi. Dictum eſt ante, *ſine causâ*; quià juſtâ de causâ ſubindè licitum eſt, Horarum ordinem intervertere.

Tempus recitandi quoad Horas publicas, eſt illud, quod Eccleſiæ ſtatuta, aut conſuetudo cuique horæ præſcribunt: quoad privatas verò, debent omnes Horæ dici ſingulis diebus, computando diem ab occaſu Solis diei præcedentis, uſque ad mediam noctem ſequentis. Ut tamen legitimè dicantur Horæ, obſervanda ſunt tempora, adeo ut Matutinum dicatur poſt occaſum, uſque ad principium Solis diei ſequentis, Prima ante Solis ortum, Tertia aliquantò poſt ortum: Sexta propè prandium: Nona, Veſperæ poſt prandium: Completorium Veſperi. Ita Toletus ſuprà. Sic enim habebitur Horarum ſignificatio, quod & officia ſubindè indicant, dum Hymni matutini ſubindè dicunt, *moraſque noctis rumpimus*: & Primæ, *Jam lucis orto ſidere*, *&c.* conſuetudo tamen habet, ut Matutinum dici poſſit, maximè ob aliquam cauſam, ab horâ 4. diei præcedentis. Quod autem Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 9. dicat id poſſe fieri ab horâ 2. diei præcedentis, nec conſuetudine, nec alio fundamento id oſtendet. De reliquo rectè hîc notat Toletus ibi, laudabilius ſemper eſſe anteponere, quàm poſtponere; quia illud indicat magis providentiam, hoc verò negligentiam, & melius eſt prævenire, quàm præveniri. Quando perſolvendum.

Quod attinet ad integritatem officii, requiritur, ut ſingulis diebus totum Officium Canonicum recitetur, adeo ut mortaliter delinquat, qui notabilem ejus partem omittit. Quænam autem ſit materia notabilis, non adeo convenit inter DD. & quidem Caramuël apud Dianam 3. *p. tract.* 11. *reſolut.* 2. conſiderat cum aliis ejus ſequacibus reſpectu totius Officii divini in Dominica Pſalmos decem, vix conſtituere partem Octavam totius Officii, adeoque illius omiſſionem non eſſe notabilem. Et ratio illius eſt, quod cenſeat eſſe unicum præceptum de legendis Horis, afficiens ſimul omnes Horas. Undè etiam alii; illi ſimiles Caſuiſtæ, docent, omiſſionem parvæ horæ v. g. Tertiæ, Sextæ, vel Nonæ., non eſſe notabilem. Alii tamen communiter cenſent, & rectè, quod omiſſio parvæ horæ, aut quantitatis, illi æquivalentis ſit notabilis; quia, etſi ſit parva quantitas reſpectu totius Officii, eſt tamen ſecundùm ſe verè gravis, & notabilis.

Dubitant aliqui, an ad integritatem Officii non ſpectet parvum Officium B. Mariæ, Officium Defunctorum, 7. Pſalmi Pœnitentiales, Graduales, &c. & quidem Officium B. Mariæ; ſi hiſtorias conſulas, non eſt novum quid, ſed ſatis antiquum, uti obſervat Soto, *lib.* 10. *q.* 5. *art.* 4. hujus tamen recitationem conſuetudo induxit, non ex præcepto obligans, ſed ex pietate ad id inducens. Unde ait in Ordine Prædicatorum jubetur, ut Fratres ſurgentes in cubi- Officium B. M.

Digitized by Google

cubiculis illud recitent : ſi verò obligaret , in Choro ; ait , juberetur ſolvi : quod & modò ibi fit. Hinc videtur hîc maximè attendendum eſſe ad ſtatuta, & conſuetudines uniuſcujuſque : ſic apud noſtros idem Officium ſub peccato mortali in Choro eſt abſolvendum : an etiam extrà Chorum, non adeo conſtat. Statuta quidem videntur injungere ſub veniali illud extrà Chorum eſſe abſolvendum : ſed contrà facit , quod Officium illud , utpote notabile, non poſſit injungi ſub parvâ obligatione, uti alibi deduximus de legibus agendo. Adde , quod ſtatuta expreſsè illud injungant ſolummodo ſub *pœna* peccati venialis. Quod ad alios attinet, qui utuntur Breviario Romano, Pii V. conſtat ex Bulla Breviario annexâ, Pontificem quidem omnes invitare ad Officium illud perſolvendum , etiam propoſitis Indulgentiis, non tamen obligare : ita tamen, ut nolit per hoc derogare aliorum conſuetudini laudabili illud Officium quotidie legentium.

Officium defunctorum. De Officio Defunctorum notat Soto ibi ſuprà ; ex D. Thoma *quodlib. 6. art.* 8. illud introductum potius eſſe ratione Præbendarum , quas Clerici poſſident , quàm ratione meri ordinis. Unde infert, quod ad illud ſolummodo obligentur illi, qui ex decimis vivunt ; puta Beneficiati, etiam illi, qui in ſcholis degunt ; nam retribuitur de bonis, quæ mortui Eccleſiis reliquerunt. Subditque, & ideo in Religionibus tenentur ſinguli Clerici, ſecundùm ſua ſtatuta, ut reor, ſub pœnâ peccati mortalis, illud exſolvere. Sæculares autem Clerici , qui nullum Eccleſiaſticum habent beneficium, non eſt ita conſtans, ad ejuſmodi onus lege cogi. Verùm, videntur hîc rurſum multum conferre ſtatuta, & conſuetudines. Si enim illa interpretentur, ſatisfactum eſſe obligationi, quando Officium illud perſolvitur in Choro, uti fit apud noſtros; cenſendum eſt, non obligare extrà Chorum. Et Pius V. in Bulla, relinquit illud liberum privatim legenti. In die tamen Defunctorum obligat ſub mortali, cùm ſit pars notabilis Officii illius diei ; unde & more aliorum Feſtorum legitur in Martyrologio, *dies Commemorationis Fidelium Defunctorum* ; quod & praxis communis confirmat. Cùm verò dicta obligatio oriatur ex jure poſitivo, poterit idem jus contrarium hîc ſtatuere, & declarare ; ſtatuendo etiam ſatisfieri hîc poſſe, ſi Officium illud abſolvatur à communi Choro. Idem pariformiter dicendum erit de 7. Pſalmis, &c. Ita tamen, ut etiam illi obligent in Litaniis majoribus illos, qui publicæ ſupplicationi non interſunt, cùm ſint quoque pars illius diei Officii, uti conſtat ex Cap. *Rogationes, de Conſecratione diſt.* 3.

Uſus Breviarii. Quod ad Breviarii uſum attinet, tenentur omnes, tam Sæculares Clerici, quàm Regulares poſt Pium V. conformare ſeſe Breviario Romano, niſi à 200. annis alio Breviario fuiſſent uſi : poſſent tamen tales cum conſenſu Capituli, vel ſuorum Superiorum, illud Breviarium aſſumere. Illi autem, qui eo utuntur, non ſatisfaciunt legendo ex alio, cùm dicat Pontifex : *Statuimus quoſcumque, qui tenentur ad Horas Canonicas, teneri ad dicendum ex præſcripto hujus Breviarii, & neminem ex his, niſi hâc ſolâ formulâ, ſatisfacere poſſe.* Debet autem dici Officium, prout cuique dici præſcribit Breviarium : adeo ut propriâ autho-

Digitized by Google

authoritate illud mutare in aliud brevius v.g. ſit peccatum mortale. Plurimi quidem cenſent illud eſſe veniale dumtaxat, eò quòd equidem quoad ſubſtantiam ſatisfiat præcepto recitandi Horas, dum ſeptem Horæ Canonicæ juxtà formam Breviarii recitantur; quòd verò de hoc, vel illo Feſto, aut feriâ fiat officium, pertinet ad ritum accidentalem, cujus tranſgreſſio non cenſeatur eſſe notabilis, adeoque inſufficiens ad mortale. Ità Leſſius cum aliis multis, ſed infundatè. Unde alii cum Toleto ſuprà, *num.*5. cenſent illud eſſe mortale, quod vel ex eo probant, quòd præceptum ſit legendi Officium, non in genere, ſed juxtà formam in Breviario expreſſam; nimirum, tali die de tali Sancto, tali de feria, tali de Dominica: quod totum cadere etiam in ſubſtantiam hujus præcepti, non ſolùm in ritum aliquem accidentalem, patet ex verbis Pontificis in Bulla Breviarii: *Omnes Presbyteri, & Clerici Sæculares, & Regulares utriuſque ſexûs, nec non & milites exempti, quibus Officium dicendi, aut pſallendi quomodocumque injunctum eſt, ut ex noſtri hujus Breviarii formulâ, tam in Choro, quàm extra illum dicere, & pſallere procurent.* Hoc autem grave eſſe, per ſe patet, cùm grave ſit non ſervare formam à Papa ſtatutam in re majoris momenti. Si tamen merè ob inadvertentiam Officium unius diei recitaverit pro alio, juxtà Toletum *num.*6. non erit opus omnia repetere; ſed tantùm illud, quod fuit Feſto particulare; ut puta Lectiones, Reſponſoria, Orationes, Capitula, &c. & ratio eſt, quod prætermiſſio, vel inverſio bonâ fide facta, non videatur res adeo gravis, ut inducat obligationem oneris tam gravis, repetendi totum Officium. Cætera hanc rem concernentia videri poſſunt apud Theologos, cùm non ſit noſtri inſtituti omnia, & ſingula hîc proſequi. Addit tamen Dominicus Soto, *de jure, & juſtitiâ lib.*1. *q.*7. *art.*1. quod ardenter deſideraret, ut unica eſſet ratio Breviarii in toto Chriſtianiſmo. *Nam varietas Eccleſiæ*, ait, *quâ tamquam Regina circumamicta à dextris Sponſi ſedet, in varietate Religionum, aliarumque cæremoniarum Chriſtianæ familiæ ſatis ſplendet. Quod autem ad Horas Canonicas in lingua Latina tanta diverſitas obtinuerit, nullum forſan, ſi fas eſt dicere, decus eſt.* Et conſentiunt hîc plurimi.

Quod demum ad intentionem, & attentionem in lectione Horarum adhibendam attinet; ante omnia notanda ſunt verba Capituli, *dolentes*, de celebrat. Miſſ. ubi dicitur: *Diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent, pariter, & devotè.* Et Concilium Trid. antea aliquoties allatum ſtatuit, ut Canonici, in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis, & Canticis nomen Dei reverenter, diſtinctè, devoteque laudarent. Ex his rectè notat Proſper Fagnanus ad dictum Cap. Eccleſiam hîc injunxiſſe attentionem internam, adeo ut ſine eâdem prrſolvens Officium; puta, cum voluntariâ diſtractione, non ſatisfaciat; teneaturque, vel Officium repetere, vel fructus reſtituere pro ratâ, de quo poſtea. Et ratio eſt, quod Eccleſia hîc præcipiat veram orationem; quæ cùm ſit aſcenſio mentis in Deum, ſine internâ attentione non poteſt exerceri. Pro cujus majori confirmatione notandum eſt ex D. Thoma

Quæ attentio hîc requiſita.

LIII 2.2.

2. 2. *q.* 83. *art.* 13. *in Corp.* aliam eſſe attentionem ad verba, ut ea reverenter, & diſtinctè proferantur, & ſine errore: aliam ad ſenſum verborum: aliam denique, quæ ſit ad Deum, & ad res, quas orando poſtulamus, ut dum inter orandum contemplamur Dei miſericordiam, juſtitiam, &c. deindè, alia eſt attentio actualis, alia virtualis: actualis eſt, quando quis actualiter attendit ad actum: virtualis, dum ex intentione præviâ virtualiter remanente cenſetur actus exerceri: ſic actualiter motio moventis lapidem cenſetur remanere, dum actu brachium movet, & projicit: virtute verò remanet, dum lapis è manibus emiſſus in altum projicitur.

His poſitis, cenſent aliqui, ſed perperam, ab Eccleſiâ ſolummodo hîc præcipi attentionem externam, ut dicendo Horas non fabuletur, aut aliquid operis agat, quod cum lectione ſit incompatibile: imo, quod Eccleſia actum merè internum præcipere nequeat, cùm nequeat de eo judicare. Verum aliud ab Eccleſiâ hîc præcipi, probatur primò, quod ut ante dictum eſt, Eccleſia præcipiat orationem veram, quæ ſine aſcenſu mentis in Deum fieri nequit. Secundò, Gloſſa in illud Cap. *dolentes*; *devotè*, inquit, *ſecundùm affectum mentis.* Quid enim prodeſt devotio externa ſine interiore correſpondente? Prætereà, cùm Eccleſia tria injungat, puta ut Officium divinum reverenter, diſtinctè, & devotè perſolvatur; ſequitur, quod poſt reverentiam, quæ in corporis debita compoſitione externa ſita eſt; & poſt diſtinctionem, quantum ad pronuntiationem debitam, requiratur devotio quantum ad mentis elevationem. Denique præcipitur, ut devotè recitent Officium, *quantum Deus dederit*; Hæc verba autem, ait Proſper Fagnanus, ibi *num.* 40. oſtendunt Concilium præcepiſſe devotionem illam, quæ eſt donum Dei, & ſic devotionem formalem, & internam: non autem nudam devotionem materialem, & apparentem, quam habent etiam hypocritæ, de quibus Marci 7. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.*

Ex dictis ſequitur. 1. Quod voluntariè diſtractus, non ſatisfaciat obligationi de recitando, & conſequenter teneri talem Beneficiatum ad reſtitutionem. Per illam enim diſtractionem tollitur voluntariè attentio requiſita ad orandum, quidquid in contrarium dicant plurimi, qui putant obligatum ad Horas, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ recitando etiam cum voluntaria diſtractione, quâ doctrinâ, refert inaniter Diana *reſolut. mor. lib.* 10. *tract.* 12. *reſolut.* 1. ſeſe liberaſſe à reſtitutione Clericum quemdam beneficiatum, qui per 7. annos Officium voluntariè ſine debitâ attentione recitaverat. 2. Sequitur, quod illud aliquorum axioma, ut pſeudo-axioma ſit rejiciendum, quod *modus legis non cadat ſub legem*, dum modus ille ſæpè eſt anima actûs præcepti. Quis enim dicet, quod Eccleſia quæ ſubditos ad finem ſupernaturalem dirigere ſatagit, injungendo orationem, contenta ſit motu labiorum ſine attentione correſpondente, & precibus hypocriticis? Idem dic de auditione Miſſæ, & ſimilibus. 3. Sequitur, quod Eccleſia poſſit præcipere actum internum, & eumdem abſolutè hîc præceperit, præcipiendo devotio-

tionem. Neque id ſolummodo verum eſt, quod actum internum Eccleſia præcipiat, quando præcipit actum externum, qui ſine interno nequit exerceri: ſed quod etiam actum internum ſecundùm ſe præcipere poſſit, prouti latius alibi deduximus in principiis noſtris Tom.1. de Legibus.

Hoc tamen notandum eſt, ad excludendam diſtractionem, non requiri hîc attentionem actualem, ſed ſatis eſſe virtualem, ſive attentionem, quæ virtute remanet, quamdiu oramus; & quæ tamdiu tunc manere cenſenda eſt ſecundùm virtutem, quando quis ad orandum accedit, ut à Deo aliquid impetret, aut ut Deo debitum ſolvat, etſi in proſecutione Officii mens ad alia rapiatur; niſi tanta fiat evagatio, ut omninò depereat vis primæ intentionis: & ideo oportet, ut frequenter homo cor revocet ad ſeipſum. Ità Fagnanus *num.*48. Non malè etiam alii docent, ſignum eſſe virtualis intentionis remanentis, quando in orando ita ſumus conſtituti, ut ſi rogaremur, an vellemus verba proferre per modum orationis, deprehenderemus conſcientiam noſtram reſpondentem omninò ſic velle, etſi fortè ad alia nos reflectamus. Quod verò ejuſmodi attentio virtualis ſufficiat, patet tum ex eo, quod actualis ſit moraliter impoſſibilis: tum, quod eadem attentio in aliis actibus moralibus, & meritoriis ſit ſufficiens. Neque ideo etiam dictam attentionem evaneſcere dicendum eſt, quod quid aliud inter orandum agamus, aut etiam, quod clarè advertamus objectum diſtractionis noſtræ: nec enim omne, quod inter orandum agimus, eſt incompatible cum oratione, prouti patet in Sacerdote ſeſe ad Miſſam veſtiente, ſimul & orante, &c. Deinde, ex eo non dicitur quoque diſtractio voluntaria, & orationi contraria, quia advertimus clarè objectum, circà quod diſtrahimur: ſed ad hoc inſuper requiritur, ut advertamus nos ab orando diſtractos, ut nos ad orandum revocare poſſimus, prouti obligamur. De cætero, multò minus officiunt dictæ attentioni diſtractiones involuntariæ, quibus mens hominis continuò ſubjacet, unde S. Thomas 2. 2. q.83. art.13. in ſpiritu, & veritate orat, qui ex inſtinctu ſpiritûs ad orandum accedit, etiamſi ex infirmitate mens poſtmodum evagetur. Mens enim humana, propter infirmitatem naturæ, diu ſtare in alto non poteſt, quia pondere infirmitatis deprimitur ad inferiora: evagatio verò mentis, quæ fit præter propoſitum, orationis fructum non tollit. Quod referens Cardinalis Bona de diſciplina pſallendi cap.19. §.6. ità ſubdit: *Ego autem amplius dico: Mentis diſtractio præter voluntatem orantis eveniens, non ſolùm orationis ſalutares effectus non tollit, imo plerumque ob continuam luctam, ob cognitionem, & depreſſionem ſui auget meritum, duplicat coronam.* Plurimum tamen ad vitandas diſtractiones, & procurandam debitum orandi modum conducit diligens ante orationem præparatio, quam præſcribit Eccleſ.18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum:* de qua agit idem Cardinalis ibid. §.1. ejuſque piam methodum ſubminiſtrat Antonius Molina de Sacerdotio, *tract. de Officio divino cap.*3. & 4. quem lector conſulat.

Attentio virtualis ſufficit.

Quænam à legendis Horis excuſent.

Varia tamen ab Horarum lectione poſſunt excuſare : 1. Infirmitas ; non quæcumque , ſed tanta, ut quis ſine gravi corporis incommodo, aut dolore recitare non poſſit : hæc enim reddit hominem moraliter impotentem ad actum præcepti, & pia Mater Eccleſia non intendit addere afflictionem afflictis. Aliæ infirmitates non adeo graves , ut febris tertiana, quartana , dolor capitis, ſtomachi, &c. minimè excuſant , maximè ſi intermittantur. Neque tamen ſtatim remiſſo dolore , aut morbo recitandi obligatio reviviſcit ; ſed arbitrio prudentis poterit ab eo abſtinere , ne fortè fatigatus reincidat, cùm lex poſitiva , neque cum eo periculo ſoleat obligare. Et quamvis aliqui ad confabulandum ſint ſatis apti , uti & ad legendum in libro hiſtorico , &c. non ideo ſtatim apti cenſeri debent ad legendas Horas ; cùm illa confabulatio , aut lectio morbum non augeat , ſed minuat , tamquam animi recreativa , nec illam attentionem exigant , quam exigit recitatio Horarum. In dubio autem de ſufficientia morbi , conſultiſſimum eſt ſtare judicio Medici , vel Superioris. Advertit tamen Navarrus *Manualis Cap.*25. *num.*100. multos nimis facilè ſe hîc excuſare : & ſubdit : *Equidem non ſum auſus excuſare me ob ægritudinem à pronuntiandis Horis , niſi uno , vel altero die , ſpatio* 70. *circiter annorum , quibus recito , licet quinquies conclamatus fuerim.* Denique , non eſt opus , ut ſi ob ægritudinem omittantur Horæ , eaſdem ab alio audiat æger ; aut loco earum aliquid aliud recitet , ut ibidem notat dictus Author.

Alia cauſa hîc excuſans eſt occupatio repentina , & honeſta , quæ ſine ſcandalo , peccato , aut gravi damno noſtro , vel proximi nequeat prætermitti. Sic varios eâ de cauſa excuſant DD. ut , qui ſe præparare debent ad Concionem , occupare ſe Confeſſionibus audiendis , Lectionibus prælegendis , ægrotis aſſiſtendo , &c. Verùm , ſi commodè præveniri poſſit , aut ſubſequi recitatio Horarum (prouti plerumque poteſt) minimè excuſabit hæc cauſa : quod maximè tenet reſpectu illorum , qui voluntariè , non ex officio , ſimili negotio ſeſe ingerunt. Enimverò in Concionatoribus , & Lectoribus id rariſſimum eſſe , eſt in comperto : unde rurſum Navarrus num. ſeq. teſtatur , numquam ſe toto tempore , ratione ſimilium Horas omiſiſſe , ubi tamen indies binas de die lectiones in Hiſpania , & quaternas toto anno in Galliis prælegiſſet.

Tertia cauſa excuſans eſt defectus Breviarii ſine culpâ contingens. Quarta eſt diſpenſatio Papæ , qui in hoc , teſte eodem , rariſſimè diſpenſat , neque credit expedire. Addit Toletus *lib.*2. *cap.*14. *num.*6. id numquam à Papa fieri , niſi ſimul commutando dictam obligationem in alias preces. Idem poſſunt pro parvo tempore Superiores , ut Epiſcopi , & Prælati , uti poſſunt in lege Jejunii , qui ita mentem Pontificis pro occurrentibus neceſſitatibus poſſunt meritò interpretari.

S E-

SECTIO IV.

De obligatione reſidendi, & ex quo jure illa ſit.

NOtat Dominicus Soto *de Jure, & Juſt. lib.* 10. *q.* 3. *art.* 1. uti & Caietanus, vix apud antiquos in dubium vocatam eſſe obligationem reſidendi, eamque quæſtionem introductam eſſe per temporum iniquitatem, & variorum Præſulum, ac aliorum evagationem; adeo ut illorum Authorum tempore eouſque in dubium revocata fuerit reſidendi obligatio, ut non poſſet facilè perſuaderi; donec tandem clariſſimè, ac ſtrictiſſimè obligationem illam indixerit Concilium Trid. & alii Authores cum prædictis.

Reſidere autem non importat nudam Beneficiati præſentiam in loco ſui beneficii, ſed etiam mentis ſollicitudinem, & charitatis ſtudium, Sacramentorum adminiſtrationem, ovium inſtructionem, in illis, quibus animarum cura incumbit: uti quoad alios importat diligentem executionem Officii, quod beneficium requirit; uti in Canonico eſt frequentare Chorum, ibidem pſallere devotè, & reverenter: in Capellanis, Miſſas debito tempore, & loco celebrare, &c. Unde rectè notat Fagnanus *in Cap. Conquerente, de Clerico non reſid. num.* 16. quod reſidere nihil ſit aliud, quàm deſervire, ut ibidem loquitur textus. Et in *Cap. Ex parte, eod. tit. num.* 15. ita refert à Concilio Aquileienſi dictum eſſe de reſidentia Epiſcoporum tom. 9. Concil. pag. 698. *Quod verò de Epiſcoporum reſidentia à Sacro Tridentino Concilio, & ſummorum Pontificum conſtitutionibus cautum eſt; hoc non intelligendum, ut præſentia aſſideant, nihil prætereà agant: cùm ex Sacris Canonibus reſidentia ſit accipienda in eum ſenſum, ut ſit laborioſa, non otioſa.* Quid enim, ait Barboſa *de Officio, & poteſt. Epiſcopi alleg.* 53. *p.* 3. *num.* 20. ſi habitans in Eccleſia ſua Epiſcopus, in eadem, cùm concionandi tempus inſtat, obmuteſcat? quid ſi de ſceleribus profligandis, de virtutibus diſſeminandis, de ſublevanda inopia, de diſciplina reſtituenda, de blaſphæmis, de aleatoribus, de luxu, & obſcœnitate ablegenda, nihil, aut parum laboret? quid ſi in ejus Eccleſia Synodus Diœceſana quotannis non habeatur, non Confirmationis Sacramentum, in locis remotioribus miniſtretur, imo nec Diœceſis ipſa, niſi perrarò, & non integrè viſitetur, &c. Quid ſi Canonicus in Eccleſia habitans tempore Matutini ſtertat in lecto, tempore Veſperarum ſedeat in cella vinaria? Quid ſi alii præſentes quidem corpore, ſed in Officio ſuo deſides ſint, & otioſi? Unde, non malè Poſſevinus de Officio Curati Cap. 1. num. 3. *Non reſidet, qui cùm debet, & poteſt, non ſervit Eccleſiæ, ſi ſegniter, oſcitanterque, Paſtorale munus obeat, nihil refert, an adſit, an abſit.*

Quid reſidentia.

Ejuſmodi reſidentiam de jure communi requirunt omnia beneficia, etiam ſimplicia, etiam maximè tenuia, uti patet ex *Cap. Conquerente:* imò Synodus Valentina in Hiſpania ſtatuit *Can.* 5. & 6. ne quis Epiſcoporum aliquem ordinaret,

Quæ beneficia requirant reſidentiam.

naret, qui localem ſe futurum primitùs non ſpopondiſſet, ut ſinguli in delegatâ ſibi Eccleſiâ aſſiduum pendant obſequium. Contrariâ tamen conſuetudine generali, & ut ait Lotherius *lib.* 1. *q.* 10. totius orbis, ſimplicia beneficia non requirunt reſidentiam, niſi certis caſibus, de quibus poſteà. alia beneficia habentia annexam animarum curam, eamdem exigere eſt in confeſſo, idque omni jure, tam naturali, quàm poſitivo; tam divino, quàm humano. Quòd jure naturali ejuſmodi obligentur ad reſidendum, probari poteſt ex vi officii eorumdem, quod ex natura ſua exigit ſubditorum curam, & ſollicitudinem aſſiduam: quæ ſine reſidentiâ haberi nequit. Undè & dictam obligationem ipſum eorumdem nomen importat, tamquam ex vi officii ad illud, & & per ſe obligentur, dum vocantur *Epiſcopi & Paſtores*, aut alio quovis nomine curam animarum ſignificante; juxtà id, quod ait Iſidorus Peluſ. *lib.* 1. *epiſt.* 149. quod ex ipſo ſuo nomine, quod ipſorum muneris eſt, atque officii, debeant intelligere, conſiderare, & exercere. Hinc rectè Soto ibi ſuprà: *Ecquis*, ait, *mente ſanus in quæſtionem compellet, utrum Janitor, cui cura claudendi, recludendique commiſſa eſt, ad januam aſſiſtere debeat? & cui navis gubernatio incumbit, ad clavum ſedere? & utrum Dux in bello, dum geritur, & miles in acie debeat exiſtere.... paſcere autem, nonnè naturale jus apertè clamat perſonalem requirere præſentiam?* Deindè, jure naturali tenetur ſponſus reſidere cum ſuâ Sponsâ; atqui Epiſcoporum, & Parochorum Sponſa eſt eorumdem Eccleſia, ut quod Deus conjunxit, homo ſeparare non præſumat. inſuper ad illud idem tenentur eo ipſo, quò jure naturæ obligatur quilibet ad avertenda damna proximorum, dum poteſt: ex non reſidendo autem graviſſima populo damna evenire eſt manifeſtum. Hæc omnia inſinuat ſufficienter Pius V. Bullâ 64. *Sanè*, inquit, *licet in Concilio præfato* (Tridentino) *ſaluberrimâ fuerit ordinatione decretum, quod omnes, & ſinguli venerabiles Fratres noſtri Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alii Beneficiati apud Eccleſias ſponſas ſuas reſidere teneantur, nonnulli tamen (quod non ſine animi noſtri mœrore referimus) adeò ſui, gregumque, quos olim deperditos Salvator noſter proprio ſanguine redimere dignatus eſt, ſibi creditorum obliti ſunt, ut etiam nunc in almà Urbe, vel alibi commorantes, & ſacroſancta ſpiritualis Matrimonii jura, inter eos, ſuaſque Eccleſias ſolemniter contracta, confundentes Sponſas ſuas in longa quaſi viduitate relictas, ac prædictas Eccleſias quomodocumque ſibi conceſſas inviſere, & apud illas, ut probos, & providos Patres familias decet, reſidere non curent, in perditionem animarum ſuarum, ac ſubditorum ſuorum, ac pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum.*

Beneficia curata omni jure requirunt reſidentiam. Primò de jure naturæ.

Quod ad jus divinum ſpectat, ante Concilium Trid. non adeò inter omnes conſtitit, reſidentiam eſſe de tali jure; adeò ut Ambroſius Catharinus, *de reſidentia*, idipſum negaverit: cum paucis aliis, quorum rationes poſteà adferentur. De eo tamen ita ſtatuit Synodus Tridentina Seſſ. 23. cap. 1. Reform. *Cùm* PRÆCEPTO DIVINO MANDATUM SIT OMNIBUS, *quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione,*

Et jure divino.

Digitized by Google

dicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera paſtoralia munia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed Mercenariorum more deſerunt: Sacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut DIVINORUM PRÆCEPTORUM *memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate paſcant, & regant, &c.* Hoc tamen notandum eſt, quod quidem expreſsè in Sacrâ Scripturâ traditum non ſit, quod ejuſmodi perſonaliter debeant reſidere; ſed ut notat Soto ibi ſuprà, traditum in eâ ſit per verba æquipollentia præcepto expreſſo, quod ad obligationem juris divini debeat ſufficere. Fundatur autem primò tale præceptum in eo loco *Joan.* 20. ubi Salvator ait Petro, *paſce oves meas*, quod non ſoli Petro, ſed omnibus Paſtoribus dictum docet S. Auguſtinus *cap.* 13. *de Paſtoribus.* Et quid Paſtoris officium, niſi paſcere per ſe oves, eaſdem cognoſcere, ut illæ noſcant Paſtorem, eum ſequantur, vocem ejus audiant, quæ non poſſunt fieri ſine reſidentiâ Paſtorum? Sic & Proverbiorum 27. dicitur: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera*: ad quæ verba doctè ſcribit Janſenius in hunc modum: *Hæc doctrina pertinet ad Doctores populorum, tum Eccleſiaſticos, tum Sæculares, quos Scriptura ſæpius Paſtores vocat, moneanturque omnes diligentem habere curam gregis ſibi commiſſi; ità ut diligenter ſtudeant, & ſuas oves agnoſcere, & earum qualitatem, mores, atque vitam, idque per ſeipſos præſtent, non per mercenarios, ut unicuique pro ejus neceſſitate, & exigentiâ provideant.* Hac ratione, ait Concilium Trid. jure divino mandatum eſſe, illis, quibus animarum cura incumbit, oves ſuas cognoſcere. Idem ait Petrus 1. cap. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.*

2. Idem patet ex Apoſtolo, qui 2. Timoth. 4. ita ait: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Quæ indubiè de ipſis Epiſcopis, eorumque perſonali miniſterio ſunt intelligenda. Præterea, 1. Timoth. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, &c.* Et ad Titum 2. *In omnibus præbe teipſum exemplum bonorum operum, &c.* Quomodò autem illud præbere ſubditis poterunt illi, quos populus vixdum videt? Sic & CHRISTUS Matthæi 5. ait eiſdem: *Vos eſtis lux mundi: & ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, &c.* ubi notant non dici, ut *audiant* opera veſtra bona ſubditi veſtri, ſed ut præſentes *videant.* Deindè, nonne ridiculum eſt, affirmare Epiſcopum, & Paſtorem, miniſterium ſuum implere, opus facere Evangeliſtæ, eſſe prudentem, ornatum, ſobrium, denique eſſe exemplum bonorum omnium per ſuum Vicarium, aut ſubſtitutum? Unde iterum rectè Tridentina Synodus Seſ. 6. cap. 1. Reform. *Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſo Mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo Judice requirendus, cuſtodia minime incumbant,*

cumbant, cùm certiſſimum ſit, non admitti Paſtoris excuſationem, ſi Lupus Oves comedit, & Paſtor neſcit.

3. Apoſtolus ait 1. Tit. 3. oportet Epiſcopum eſſe Doctorem: & 2. Tim. 4. ait, *prædica verbum*: & Concilium Trid. Seſ. 5. cap. 2. aſſerit officium prædicandi, eſſe Epiſcoporum proprium: unde etiam in eorumdem conſecratione dicitur, *vade, & prædica*. Quomodo autem erit Doctor, quomodo prædicabit, niſi populo præſenti, & reſidendo? Nec enim alibi dicitur, *vade, & mitte alium, qui doceat, qui prædicet*; ſed jubetur, ut prædicent ipſi in perſonâ.

Aliqua ſunt, quæ hîc objici poſſent, 1. Illa omnia æquè commodè, imò ſubindè commodiùs fieri poſſe per Vicarios, aut Epiſcopos titulares. 2. Quod Epiſcopi acquirant poteſtatem ſuam à Pontifice, ergo jure poſitivo ſolummodo tenentur reſidere. 3. Quod Pontifex ſuper reſidentiâ illorum, poſſit diſpenſare; ubi tamen hoc nequit in jure divino. Ad hæc reſponderi poterit, ad 1. quidem, quod etſi aliquando Eccleſiæ alicui melius provideri poſſit per idoneum Vicarium, quàm per Epiſcopum proprium, ideo non eximeretur Epiſcopus proprius ab obligatione reſidendi, cùm ex lege divinâ teneatur Eccleſiæ providere, non quocumque modo, ſed per ſeipſum. Unde Bernardus alibi: *Qui per Vicarium inſervit, per Vicarium remunerabitur*. Et ſimiles comparat Damaſius Papa Epiſt. 4. meretricibus, quæ ſtatim, ut pariunt infantes, aliis nutricibus tradunt alendos, ut ſuam citius libidinem explere valeant: ita & iſti infantes ſuos, id eſt, populos ſibi commiſſos aliis educandos tradunt, ut pro ſuo libitu Curiis ſæcularibus inhient, & ad Principes, & eorum favores confugiant, & quod unicuique viſum fuerit, liberiùs peragant, &c. Quæ verba in decurſu pleniùs ſunt referenda. Ad ſecundum dici poteſt, primò quidem, quòd etſi Epiſcopi immediatè à Pontifice accipiant poteſtatem juriſdictionis; poteſtatem tamen Ordinis, quam vi conſecrationis accipiunt, accipiant à CHRISTO: atqui ex præcepto divino, juxtà Tridentinum ſuprà, tenentur Epiſcopi paſcere plebem adminiſtratione Sacramentorum, quod ad poteſtatem Ordinis ſpectat: adeoque, quantum ad hoc ſaltem, tenentur ex jure divino perſonaliter reſidere. Deinde, etſi Epiſcopus acquirat ſuam poteſtatem juriſdictionis à Pontifice, tamen ipſa Epiſcoporum inſtitutio eſt à Deo, & gradus Epiſcopalis, uti definit Trid. *Seſ. 23. de Sacram. Ord. Can. 6.* cui gradui à Deo annexum eſt onus paſcendi oves: adeoque, etſi Epiſcopus à Pontifice promoveatur, & ab illo accipiat juriſdictionem, non poteſt tamen illi conferre illud Officium ſine tali onere, ex divinâ lege illi Officio annexum. Quod denique ad tertium attinet, Reſpondendum eſt cum communi ſententiâ, diſpenſationem eſſe duplicem; una eſt propriè juris relaxatio: alia ſolummodo eſt interpretatio, quâ Superior interpretatur, jus aliquod pro certo caſu non obligare. Hoc modo Pontifex diſpenſare poteſt in reſidentiâ Epiſcoporum, interpretando jus divinum reſidendi, in aliquibus caſibus occurrentibus non obligare. *Sunt enim quædam actiones*, ait D. Thomas Quodlibeto 9. art. 15. *quæ*

Quomodo in reſidendo poſſit diſpenſari, etſi ſit juris divini.

15. *Quæ abſolutè conſiderata inordinationem, & deformitatem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bona efficiuntur, ut non reſidere propter incompatibilitatem in beneficio curato eſt per ſe malum, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire, ita honeſtantes actum, ut prædicta inordinationes totaliter evacuentur: ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequi, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quam alius præſens, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi.* Poterit ergo Pontifex in his, aut aliis circumſtantiis occurrentibus diſpenſare interpretando jus divinum de reſidendo dictis caſibus non obligare. Vide latius Authores hoc deducentes. Vaſquez *opuſc. de benef. cap.* 4. §. 2. *dub.* 1. & Soto ibi ſuprà. Uti & Fagnanum in Cap. *Ex parte de Clerico non reſid. num.* 60. & ſeq.

Et quamquam plurima jam adducta propriè, & expreſsè concernant Epiſcopos; tamen pleraque concernunt & Parochos, qui & familiariter *Paſtores* vocantur, adeoque prædicta paſcendi cura ab illis particulariter exigitur: atque ideo Concilium Trid. ſupra ait, jure divino mandatum eſſe omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, Oves ſuas agnoſcere, verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, quod indubiè Parochos, & alios curæ animarum deputatos concernit. Specialius tamen Epiſcopos præ aliis ad reſidentiam eſſe obligatos, docet S. Thomas 2. 2. *q.* 184. *art.* 5. eò quòd Epiſcopi in conſecratione voveant, ſaltem implicitè, numquam gregem ſuum deſerere; adeoque indigeant diſpenſatione Pontificis, ut poſſint Eccleſias deſerere, Religionem ingredi, &c. quod tamen ad Parochos noſcitur non pertinere.

Quæret aliquis, an ergo modò ſit fidei, quod jure divino reſidentia ſit præcepta. Ad hoc reſpondet Proſper Fagnanus *Cap. ex parte, de Clerico non reſidente num.* 18. Concilium noluiſſe formaliter hunc articulum definire: nam ſi voluiſſet, diſertis verbis expreſſiſſet, ut moris eſt Patrum in definitionibus fidei, & idcirco decreta de Paſtorum reſidentiâ non poſuerunt inter Canones, ad dogmata pertinentes, ſed inter alia decreta de reformatione. Deindè, Eccleſia hactenus neminem condemnavit ex eo, quod docuerit, vel affirmaverit etiam cum pertinaciâ, reſidentiæ præceptum eſſe tantùm de jure poſitivo Eccleſiaſtico; quod tamen feciſſet, ſi ejuſmodi articulus eſſet de jure divino. Ita Fagnanus: quæ illius ratio attendenda eſt in aliis multis, in quibus quæritur, an ſit à Concilio aliquo definitum, & conſequenter de fide. Huc accedit, quod teſte Cardinale Pallavicino in ſua Tridentina hiſtoria, inter Patres Concilii ingens fuerit controverſia, an reſidentia Epiſcoporum, & Curatorum eſſet de jure divino, & diuturnam de eo altercationem; adeoque eâ de cauſa, tali verborum forma decretum eſſe conceptum, ut neutri ſententiæ formaliter adverſaretur.

Quod ad jus Eccleſiaſticum attinet, ultrà dictam Tridentini legem in primis *Cap. Quia nonnulli, de Clerico non reſid.* ſtatutum eſt, ne Eccleſiaſticum miniſterium alicui committatur: niſi tali perſonæ, quæ reſidere in loco, & cu-

ram Eccleſiæ, per ſeipſum valeat exercere. Idem præcipitur aliis Capitulis eodem titulo. Qui plura deſiderat, adeat Dominicum Sotum ibi ſuprà art. 3. qui ex profeſſo ibidem eam quæſtionem indagat, & plurima Juris Canonici jura de hac eâdem re commemorat: quibus & adde omnes particularium Eccleſiarum de hac re Conſtitutiones.

SECTIO V.

De cauſis à reſidentiâ excuſantibus.

POſtquam S. Tridentina Synodus omnibus curam animarum obtinentibus, etiamſi Cardinalatûs honore fulgeant, ex mandato divino reſidentiam injunxiſſet; excepit quaſdam cauſas, ex quibus Epiſcopi, & alii poſſent à reſidentiâ ſuâ excuſari: puta, cùm Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulant. Intelligit hoc Synodus illa de abſentia longiori; cùm, qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententiâ non videantur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt, dum tamen id æquâ ex cauſâ fiat, & abſque ullo gregis detrimento, quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ derelinquit.

Quid Chriſtiana charitas.

Prima cauſa non reſidendi ait Concilium eſſe *Chriſtianam charitatem*, ut ſi Eccleſia aliqua verſetur in periculo hæreſis, cui Epiſcopi alterius prædicatione poſſet ſuccurri: item ob pacem Magnatum componendam. Sic Paulus, Timotheum, & alios Diſcipulos juſſit ire ad alias Eccleſias ad diſſeminandam fidem, ut ex Caietano refert Fagnanus *Cap. Ex parte num.* 82. addens, hâc etiam de cauſa licitè mitti Epiſcopos tamquam Legatos ad Reges, & Principes pro componendâ pace: quia, ſi cujuſquam (inquit Ambroſius) officium eſt pacem facere, Sacerdotis maximè eſt: & ut Apoſtolus ait 2. *Cor.* 5. Dedit illis miniſterium reconciliationis. Quod autem Epiſcopi promiſcuè legationem ſuſcipiant ad temporalia negotia, abuſionis eſt, ait Caietanus; dum *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*, ut ait Apoſtolus 2. Tim. 2. Hæc tamen cauſa intelligenda eſt, ait Toletus *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. dum in propria Eccleſia non ſequitur notabile detrimentum ſpirituale. Tunc enim abeſſe non poteſt, ſed debet attendere Eccleſiæ propriæ, licet minus indigeat, eſſetque contra ordinem charitatis aliud facere. Prudentiæ autem humanæ relinquitur penſanda quantitas alienæ neceſſitatis, cum quantitate damni ſpiritualis Eccleſiæ propriæ: adeo ut, ſi bonâ fide prudens propter aliquod pietatis, aut charitatis opus Eccleſiam ſuam ad tempus corporaliter deſerit, etiamſi minus rectè judicaret, non imputaretur ei ad culpam mortalem ab eo, qui intuetur, quod cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Ita Caietanus.

Quid urgens neceſſitas.

Excuſat etiam à reſidendo *urgens neceſſitas*, ad quam referunt periculum vitæ; quo caſu licitum eſt ab Eccleſia diſcedere in infirmitate ad mutandum aërem,

ad

ad balnea, &c. Idem eſt in perſecutione tyranni, aut manifeſtorum inimicorum, niſi fortè damnum aliquod ſpirituale Eccleſiæ pateretur ex abſentiâ; quod ſi meritò timeri poſſet, ut quia hoſtes nocere ſtudent Eccleſiæ in ſpiritualibus, debet eo caſu potius mori, quàm recedere, juxtà illud CHRISTI Joan. 10. *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro Ovibus ſuis.* Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, videt Lupum venientem & fugit, ac dimittit Oves. Quod tamen in perſecutione liceat aliquando ab Eccleſiâ recedere, exemplo ſuo docuit Apoſtolus, qui in ſportâ dimiſſus effugit manus Judæorum: docuit Athanaſius, Thomas Cantuarienſis, & alii; imo ipſe Salvator monet, *Matth.* 10. cùm perſequentur vos in unâ Civitate, fugite in aliam. Oportet tamen nullum imminere, aut timeri damnum ſpirituale Ovibus obventurum ex non reſidendo: ſic etiam tempore peſtis, in defectu aliorum, tenetur Epiſcopus non tantùm reſidere, ſed etiam ipſe peſte infectis Sacramenta adminiſtrare, prouti exemplo ſuo præivit inſignis Eccleſiæ ſuæ zelator S. Carolus, dum peſtis Mediolani graviſſimè gliſceret, non ſine manifeſto vitæ periculo, uti narrat ejus vita. Debet autem dicta neceſſitas eſſe notabilis, & uti ait Concilium, debet eſſe *urgens*: quod meritò contra illos dictum eſt; qui Mercenariorum more ad primum mali rumorem Oves deſerunt, quos vocat meritò Tertullianus lib. de fugâ, *in pace Leones, in Prælio Cervos.* Sic rectè ſeſe excuſavit S. Auguſtinus populo Hipponenſi de abſentiâ ſuâ his verbis Epiſtolâ 138. *Peto charitatem veſtram, & per* JESUM-CHRISTUM *obſecro, ne vos contriſtet mea abſentia corporalis; nam ſpiritu, & cordis aſpectu puto vos non dubitare, nullo modo me à vobis poſſe diſcedere, quamvis me amplius contriſtet, quàm fortè vos ipſos, quod infirmitas mea ſufficere non poteſt omnibus curis, quas de me exigunt verba* CHRISTI, *quibus me, & timor ejus, & charitas ſervire compellit. Illud verò noverit dilectio veſtra, numquam me abſentem fuiſſe licentiosâ libertate, ſed neceſſariâ ſervitute, quæ ſæpè ſanctos fratres, & collegas meos, & labores marinos, & transmarinos compulit ſuſtinere.*

Excuſat inſuper à reſidendo *debita obedientia*, quam omnes Prælati Eccleſiæ debent Summo Pontifici: hinc, ſi ab eo evocentur ad Curiam Romanam, aut deſtinenter ad aliqua negotia ad alias partes, excuſabuntur à reſidendo. Huc etiam ſpectat, quod poſſint à reſidendo excuſari, ſi ipſi ex proprio officio Romam petant, ut univerſalis Eccleſiæ bono poſſint prodeſſe. Videndum tamen hîc eſt, ut notat Caietanus, an bonum univerſalis Eccleſiæ, præſentiam alicujus Epiſcopi requirat: debet quoque Prælatus finito negotio ad Eccleſiam reverti, tametſi Pontifex diſpenſare poſſet cum aliquo ad ſtabiliter ibidem commorandum, ſi ejus induſtriâ, & conſilio Eccleſia indigeret, qualiter aliquos Epiſcopos evocarunt Leo, Gregorius, & Urbanus III. uti refert Fagnanus *in Cap. Qualiter, num.* 85. *in fine.* Talem interpretativam licentiam habere Epiſcopos à Summo Pontifice tempore Jubilæi Romani, tradunt varii apud Barboſam *de Offic. Epiſcopi p.* 3. *alleg.* 53. *num.* 10. ut poſſint viſitare limina Apoſtolorum. Notat quoque Toletus ſuprà, dictum eſſe à Concilio Trid. *debita* obedientia; Debita obedientia.

quia, ait, *cùm abſque cauſâ rationabili aliquid præcipitur, non debemus obedire: nec Papa pro ſolo debito excuſat à præſentiâ ſuæ Eccleſiæ Epiſcopum, niſi cum neceſſitate aliquâ.* Cardinales autem, cùm ſint pars corporis Papæ, & illi debeant aſſiſtere, juſtâ de causâ à reſidentiâ ſuarum Eccleſiarum de conſenſu Papæ liberantur, juxta varios Canoniſtas; & dum Romæ commorantur, cenſentur reſidere, poſſuntque Romæ tamdiu morari, donec diſcedere à Summo Pontifice jubeantur. Hoc tamen Dominico Soto, Caietano, Vaſquez, & aliis diſplicet, niſi fortè eorumdem conſiliis Pontifex indigeret. Hinc S. Carolus Borromæus, etiam à variis Pontificibus requiſitus, ut Romæ reſideret, ſemper ſe ſummâ modeſtiâ excuſavit, ut gregem ſibi commiſſum ipſe gubernaret, & Archiëpiſcopatum Mediolanenſem tantummodo ſibi retinuit, renuntiatis cæteris beneficiis. Deindè, ſatis expreſsè eoſdem comprehendit S. Synodus Tridentina, prouti illud comprobavit Gregorius XIII. de quo vide Barboſam ibi ſuprà num. ſeq.

Eccl. aut Reipub. utilitas.

Ultima excuſatio à reſidendo allegatur *evidens Eccleſiæ, aut Reipubl. utilitas.* Quod ad utilitatem Eccleſiæ attinet, quædam de eâ dicta ſunt in prædictis; ut puta, dum eundum eſt ad Concilium Generale, aut Provinciale: dum pro conſervandis Eccleſiæ juribus neceſſarium eſt non reſidere, &c.

Utilitas denique Reipublicæ evidens, dum ob bonum Regni, Provinciæ, aut ſuæ Civitatis jubetur Epiſcopus abeſſe à ſuâ Eccleſiâ. Debet autem iſta cauſa eſſe cum neceſſitate, ait Toletus; cùm enim aliter, quàm per Epiſcopum poteſt id fieri, non poteſt Epiſcopus abeſſe: unde iſti Epiſcopi, qui curam rerum ſæcularium Regni gerunt, cùm id ex neceſſitate fit, licitè abeſſe poſſunt: cùm verò non ex neceſſitate, quia æquè per non Epiſcopos fieri poteſt, non videntur excuſari. Ita ille, qui & addit: debet autem iſta utilitas eſſe evidens: nam cùm non ita nota eſt, melius eſt, ut Epiſcopus in ſuâ maneat Eccleſia, imo manere tenetur. Neque hîc excuſabit Epiſcopos Regis, aut etiam Imperatoris juſſio, prout declaravit Urbanus VIII. referente Fagnano *in Cap. Qualiter num.* 14. tum, quod Epiſcopi ab Imperatore vocati ad Curiam Imperialem de jure communi ire non teneantur, niſi fortè ab eo habeant regalia, id eſt, bona feudalia; tum, quod cauſa reſidentiæ ſit planè ſpiritualis, cui ſeſe ingerere nequit poteſtas ſæcularis; nec jus divinum de reſidendo tradidit Deus interpretandum ſæculari Poteſtati, ſed Summo ipſius in terris Vicario. Poſſunt tamen Reges, & Imperatores ex Privilegio illis à S. Sede conceſſo Epiſcopos, & Prælatos ad ſe evocare, dum libet: vel etiam ut notat Azorius *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *q. ult.* poſſunt eoſdem convocare, quia ſolent eſſe Proceres Regni, quale etiam Privilegium dedit Regi Catholico Clemens VIII. ut refert Hurtado *de reſidentiâ reſolut.* 17. *num.* 31. Sic etiam in Belgio, quia Epiſcopi ſolent eſſe Status, aut membra Provinciæ, poſſunt ad Comitia Regis nomine evocari, uti & praxis habet in Germaniâ. Cæterum, non oportet Epiſcopos ſeſe ingerere de facili merè temporalibus negotiis, aut eadem ambire, ſæpè cum detrimento ſubditorum; de quâ re ita ſcribit Turrecremata in Cap. Si vobis 23. q. ult. *Turpe eſt, ut Epiſ-*

Digitized by Google

Epiſcopi ſe inſerant ad ſervitia Imperatoris, vel alterius Principis ſæcularis, & deſerant cauſam ſubditorum, & officia devotionis. Hoc non facerent, ſi mortem ſpiritualem timerent, & intelligerent ſe reddituros rationem de ovibus ſuis Deo ſummo Judici. Utinam etiam de Curia Romana hàc in parte obſervaretur, in qua plures Epiſcopi conveniunt, non devotionis gratiâ, ſed ambitionis ſpiritu propulſati, ut ampliora quærant, aut beneficia addant beneficiis, aut honores honoribus, utque officia, & legationes quærant, quæ cura animarum ſibi commiſſarum afferunt plurimum impedimenti. Vide de eadem re acrius ſcribentem Rebuffum *prax. tit. de diſpenſ. de non reſidendo num.* 5.

Eaſdem cauſas à reſidendo excuſare Abbates, tradit Tamburinus *de jure Abbatum tomo* 1. *diſput.* 14. *quæſito* 4. Quod enim illi teneantur ad reſidentiam, jure naturali eſt manifeſtum, prout ex ante dictis poteſt ſufficienter demonſtrari. Negat interim Leſſius *lib.* 12. *cap.* 34. *dub.* 29. *num.* 161. Abbates, & Priores curam animarum habentes ſuorum tantùm Religioſorum, & non aliquorum ſæcularium per ipſos-met adminiſtrandam, comprehendi ſub ſæpè allegato Concilii Trid. Decreto, prout, ait reſpondiſſe S. Congregationem ejuſdem Concilii. Quod, etſi verum ſit, certum tamen eſt, etiam eos jure ſuorum ſtatutorum, imo, & jure naturæ ad reſidentiam obligari, eo ipſo, quo illis cura animarum, etiam ſolorum Religioſorum incumbit. Et quidem Statuta Ordinis noſtri ita habent Diſt. 2. cap. 2. de officio Abbatum; *Omnes Prælati, prout i* OMNI JURE (Nota) *obligantur, ſtrictè reſideant, ut ſuo gregi, cujus ſanguis à ſupremo Paſtore, de ipſorum manibus requiretur, vigilanter intendere queant. Rariſſimè autem abſint, niſi aliud officii eorum ratio poſtulet: quo in caſu domui ſuæ bene proſpiciant, ac aſſiduè curent, ne ſubditi per eorum abſentiam aliquod detrimentum patiantur: Scientes, quod non ſit admittenda Paſtoris excuſatio, ſi Lupus Oves comedit, & ipſe earum cuſtodia minimè intendens neſcit.* Idem injungunt aliarum Congregationum Statuta. Unde, etſi Abbates non comprehendantur juxtà Leſſium ſub Decreto Concilii Trid. de reſidentia quoad modum reſidentiæ, & pœnas non reſidentium in eo Decreto contentas: tamen eo ipſo, quo illis incumbit cura animarum, omni jure ad reſidendum obligantur. Imo addit Tamburinus ſuprà *quæſito* 6. quod etiam Abbates habentes Prælaturas, aut Monaſteria commendata, etiam quoad ſpiritualia, teneantur reſidere; eò quòd habeant idem onus annexum, quod habent illi, qui Abbatias obtinent in titulum. Excipe tamen, niſi Commendatarius ille, eſſet ſæcularis; quo caſu tota cura eſt penes Priorem, ſeu Vicarium à Generali conſtitutum. Reſidentia Abbatum.

Porrò, eædem rationes excuſant Abbates à reſidendo, quæ excuſant Epiſcopos, & quas ante ex Concilio enumeravimus; puta, Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas, de quibus cauſis hîc eodem modo eſt disjudicandum, prouti dictum eſt in anterioribus de cauſis excuſantibus Epiſcopos. Hinc etiam varii Abbates Belgici, quia ſunt de Statu, aut membris Provinciæ, tamquam tales convoca-

ri.

Digitized by Google

ri ſolent ad Comitia : imò, duo illorum deputantur, ut aſſiduè Statuum negotia peragant : quâ de causâ in Curiis reſidere compelluntur, exigente illud ipſum Reipublicæ utilitate. Tenentur interim in conſcientia, dum legitimè eos abeſſe continget, domui ſuæ bene providere, maximè de ſuperioribus illis, quibus curam domûs, ſepoſito omni affectu, poſſent tutò committere, & propriam conſcientiam exonerare. Nec ſatis hîc eſt, ut alibi diximus, quod quandoque aliqui apud externos ſine legitimâ causâ commorantes, ad ſuos revertantur, ac more cuſtodum carceris videant, ſi omnia ſint in tuto, quibuſque ſatis eſt, quod oves ſtabulo includantur, ipſi vagentur pro ſua libidine. Unde & Laurentius Pereinis tom. 2. R. P. q. 1. cap. 7. num. 29. ita de ea re ſcribit : *Ex quibus collige, quod ſuperiores locales, qui quotidie curſitant per civitates, & loca ſuorum diſtrictuum relictis ſuis Conventibus, non ſunt in bono ſtatu, etiam abſtrahendo à conſtitutionibus Regularibus. Tenentur enim ſuis curis perſonaliter inſiſtere; & illa continua ſuperioris abſentia fratres relaxat, & Conventum perdit : unde à quodam ſeniore noſtri Ordinis, qui cùm eſſet ſuperior, numquam egrediebatur de Conventu, audivi, quod interrogatus, quare numquam exiret, reſpondit per exitum ſuperioris è domo, Conventus multum perdit, & Dæmon multum lucratur.*

Reſidentia Paſtorum. Strictiſſima quoque eſt obligatio reſidendi in Parochis, ſive Paſtoribus : imo, ut ex mente Concilii Trid. apparet, ſtrictior, quàm ſit obligatio Epiſcoporum, quibus Concilium indulget abſentiam trimeſtrem; illis verò ultrà bimeſtrem non permittit. Obligatio hæc etiam ligat Parochos tenuiſſimæ Parochiæ, etſi pauciſſimos habeat Parochianos, niſi fortè Parochiani penitus deſeruiſſent Parochiam : Barboſa *de Officio, & Poteſtate Parochi p.* 1. *cap.* 8. *num.* 4. addens, quod ſi Parochus ſit alicujus oppidi, & pagi ſimul, debeat reſidere in oppido : ſi habeat duas Eccleſias unitas, reſidere debeat in digniori : ſi non conſtet, quænam ſit dignior, in frequentiori. Obligatio hæc reſidendi adeò arcta eſt ſecundùm Sotum, ut ex ea Parochus quaſi continuò ſit in compedibus, ſaltem moraliter loquendo. Varia tamen quoque occurrere poſſunt, quibus poſſent à reſidendo excuſari, de quibus mox in ſequentibus. Solent autem tria ad reſidentiam Parochi eſſe requiſita; primò, ut reſideat in propria Eccleſia : ſecundò, ut perſonaliter : tertiò, ut continuò. Quod ad primum attinet, debet Parochus reſidere in domo Parochiali; quâ deficiente, reſidere debet in domo aliqua, quæ ſit intrà Parochiæ limites, & ita Eccleſiæ ſuæ contigua, ut commodè poſſit Eccleſiæ ſuæ deſervire. Fuit tamen, teſte Barboſa *de Officio Parochi parte* 1. *cap.* 8. *num.* 36. aliquando diſpenſatum, ut quando Parochus non poſſet commodè habitare in Parochia, poſſet in loco vicino, ſubſtituto habitante in Parochiali : quod modò, ait, ægrè concederetur, uti didicit ex variis repulſis. Requiritur ergo, ut habitatio Parochi ita ſit ſita, ut Eccleſiæ ſuæ, & ovibus ſuis commodè poſſit inſervire : in qua parte præſtaret, omnes domos Paſtorales Eccleſiæ Parochiali eſſe quàm maximè contiguas, ut neceſſitate compellente, ex im-

improviſio moribundis poſſet Parochus ſtatim Sacramentis de ſacrario quærendis ſubvenire; & ad Eccleſiam quæſitus, commodius (adeoque & lubentius) poſſet advenire.

Secundò requiritur in Parocho reſidentia perſonalis, quâ fit, ut muneri ſuo non ſatisfaciat, niſi per ſe ipſum munia paſtoralia exerceat. Hoc autem etiam fieri cenſetur, dum per Vicarium ſuum illud agit, quem habet ut ſocium laboris, non ut oneris ſui bajulum, & ſervum: adeo ut muneri ſuo non ſatisfaciant ejuſmodi, qui torpentes otio, proprio tantùm ſtudentes commodo, imponunt Vicariis ſuis totum pondus diei, & æſtûs; lautè manducantes de Altario, & Altario vix inſervientes. Vide Barboſam ibi ſuprà *num.* 41. ubi alios hâc de re differentes adducit. Addit, ſe à veniali gravi non excuſare Parochum, qui nominatim vocatus, & expectatus à ſubditis, nollet ire; cùm debeat populi ſui amori cum comitate reſpondere: imò verò, non videtur mihi excuſandus ille à mortali, ſi ex illâ negatione omittatur debita Sacramentorum adminiſtratio, aut aliàs graviter noceat ſubditis: quibus accedit, quod ex dictâ negatione natum ſit oriri grave ſubditorum ſcandalum, murmura, & alia obloquia, quibus authoritas Parochi ſolet vilipendi, & omnis ſpiritualis profectus impediri. Nihil enim ita ſubditorum animos conciliat, quàm ut rogati legitimè, ſine morâ reſpondeant Parochi ſine ullâ acceptione perſonarum.

Debet denique Parochorum reſidentia eſſe continua, qualiter cenſetur eſſe, dum modico tempore cogitur abeſſe, & modicum pro nihilo reputatur. Interim hîc tempora ſunt attendenda, ut ſi qui ſubditi graviter decumbant, ſi inſtet feſtum ſolemnius, aut aliud obligans Parochum timeatur adfuturum, etiam parvi temporis abſentia, cenſenda erit verè notabilis, minus quoque arctabit hæc obligatio, ſi Vicario ſuo curam ſuam paſtoralem tutò confidat. Ex quibus apparet, quàm ſtricta ſit Parochorum obligatio ad reſidendum. Permittit tamen habentibus animarum curam, Concilium Trid. abeſſe duobus menſibus in anno, ſive continuis, ſive interpolatis; dummodo id fiat æquâ ex cauſâ; quæ an talis ſit, ipſorum conſcientiæ relinquitur, & ſine gravi gregis detrimento, & dummodo præſentes in ſuis Eccleſiis adſint, quo tempore Anniverſaria, adventus Domini Natalis, Quadrageſima, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & celebritatis Corporis Chriſti memoria celebratur. Quæ, etſi propriè ad Epiſcopos directa ſint, eodem tamen jure ſolent Authores illud referre ad Paſtores. Presbyteris item curam animarum habentibus expreſsè datur facultas, ut poſſint ad duos tantùm menſes recedere: alioqui diſcedendi licentiam ultra bimeſtre tempus non obtineant, niſi ex juſtâ, & gravi cauſâ cognitâ, & approbatâ ab Epiſcopo, & dummodo facultas in ſcriptis detur. Quod, ſi eâ de cauſâ eos abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debitâ mercedis aſſignatione relinquere obligentur. Ex quo Concilii Statuto varia colligunt DD. 1. Quod, quotieſcumque Parochi abeſſe volunt, debeant relinquere

in

Digitized by Google

in ſuâ Eccleſiâ Vicarium idoneum. Ubi notari poteſt, non ſatisfacere huic obligationi, qui domo abeuntes curam animarum vicino Paſtori ſatis diſſito committunt, ſubindè ad unum milliare, aut duo, non ſine animarum periculo. 2. Debet Vicarius ille ab Ordinario loci approbari; etſi conſuetudo alibi abeat, id neceſſarium ſolummodo eſſe in longiori Parochi abſentiâ. 3. Quod debita huic Vicario aſſignanda ſit merces, niſi fortè velit ſervire gratis. 4. Quod ne quidem ad bimeſtre abeſſe poſſint ſine licentiâ Epiſcopi, uti habet Tridentinum, etſi Leſſius *cap.* 34. *dub.* 29. velit illud non eſſe uſu receptum: illud tamen ſolent iteratò ſtatuere variarum Eccleſiarum conſtitutiones. 5. Si ultrà 2. menſes abeſſe velint Parochi, requiritur 1. Ut adſit juſta, & debita cauſa. 2. Ut cauſa illa ab Epiſcopo cognoſcatur, & approbetur. 3. Ut obtentâ licentiâ relinquatur Vicarius idoneus ab Ordinario approbandus, ut ſuprà. 4. Ut licentia habeatur in ſcriptis, & detur gratis.

Ex his rurſum deducit Barboſa: 1. Quod ſi Parochus nolit cauſam Epiſcopo exponere, aut falſam pro verâ aſſignet, aut Prælatus etiam veram nolit approbare, non poſſit abeſſe ſub pœnâ non reſidentibus poſitâ; cùm debeat cauſa eſſe juſta, eaque ab Ordinario cognita, & probata. Si tamen nitatur rationibus debitis, & Ordinarius nolit conſentire, recurſum habet ad ſuperiorem. 2. Quod non tantùm Epiſcopus poſſit dare ejuſmodi licentiam, ſed etiam Prælati, qui gaudent Juriſdictione quaſi Epiſcopali: imo & Capitulum Sede vacante. 3. Quod licentia illa debeat eſſe expreſſa; puta in ſcriptis, ut exigit Concilium. Poſſet tamen occurrere caſus, quo non poſſet licentiam quærere; puta, ſi ab hoſtibus ex inopinato impetatur: ſic quoque poſſet eſſe caſus, quo nullâ de causâ poſſet abeſſe; puta, ſi ex abſentiâ Parochi paterentur ſubditi ſpirituale animæ detrimentum. De dictis cauſis videri plenius poterit Fagnanus in Cap. *Relatum, de Clerico non reſid.*

Ex quibus cauſis poſſet abeſſe Parochus.

Quærunt alii de variis abſentandi cauſis quoad Parochum. 1. An ratione morbi abeſſe poſſit: 2. An ratione inimicitiarum capitalium, quas habet cum ſubditis, aut aliis: 3. An ratione litis ſuper ſuo beneficio: 4. An ratione peſtis, ſimiliſvè contagionis. Quod ad primum attinet, reſolvit dictus Author in Cap. *Clericos num.* 9. quod ſi Parochus extrà ſuam Parochiam inciderit in morbum, poſſit ibidem remanere, nec jure poſſit contrà eumdem non reſidentem procedi. Si verò ægrotet in ſuâ Parochiâ, cenſuit S. Congregatio, quod infirmitas à reſidendo non excuſet: quod ſi ibidem fortè curari non poſſit defectu Medicorum, aut medicamentorum, poſſet ab Ordinario dari licentia trium, aut quatuor menſium, ut in locis vicinioribus, & commodioribus poſſit curari, aſſignato interim Vicario idoneo, ut ſuprà. Quod ſi etiam hâc de causâ, non petitâ licentiâ ſecederet ad longum tempus, non excuſaretur Parochus, niſi fortè fuiſſet periculum in morâ petendi licentiam, prouti cenſuit S. Congregatio.

Quod verò ad ſecundam rationem attinet, cenſet idem Author *num.* 22. quod capitales inimicitiæ, quibus fit, ut ad Eccleſiam redire non audeat, excu-

excuſent à reſidendo, uti colligitur ex *Cap. Paſtoralis* 7. *q.* 1. ubi dicitur, quòd Prælatus ob inimicitias poſſit ab Eccleſiâ ſuâ recedere. Et ad hoc ſolet S. Congregatio Concilii litteras diſpenſationis concedere, ſi cauſa illa verè ſubſit; ita tamen, ut Vicarium idoneum relinquat Eccleſiæ ſuæ, & factâ concordiâ ad Eccleſiam revertatur. Et quidem primâ vice ſolent concedi 6. menſes: quo tempore, ſi necdum ſopitæ ſint rixæ, reſcribit Congregatio dando 6. menſium prorogationem, quæ, teſte Fagnano, eſt ultima, & ulterior prorogatio rariſſimè ſolet concedi: dum enim prævidetur, quòd inimicitiæ ſint veriſimiliter duraturæ, inducitur Parochus ad reſignandum, aut permutandum, ut conſulatur curæ animarum: quo caſu punitur Parochus ſine culpâ quidem, ſed non ſine causâ. Sub dictis inimicitiis non comprehendi ſubditorum odia, cenſuit inſuper S. Congregatio. Excuſat inſuper à reſidendo intenta lis ſuper beneficio, ut dicitur Cap. *Ex parte: ſi te non abſentando in fraudem Præpoſituræ tua jura fideliter proſequeris, cùm per hoc cenſeri debeas reſidens, &c.* Et in hoc caſu, teſte eodem, ex ſtylo Curiæ ſolet dari ultrà 2. menſes dilatio ad proſequendam litem, quòd & obſervari conſuevit in criminalibus.

Ratione Peſtis, ſimiliſvè contagionis, Parochum non excuſari à reſidendo, ſæpius declaravit S. Congregatio; ſed quòd poſſit per alium idoneum Sacramenta adminiſtrare, ne alii, qui ſani ſint, Parochum averſentur. Quòd ſi renuat reſidere Parochus, ſtatuit contumaces non illicò beneficio eſſe privandos, ſed præviâ monitione, procedendum eſſe cenſuris, & ſequeſtratione fructuum; quæ ſi non ſufficiant, poſſe procedi ad privationem. Hanc autem moderationem adhibere voluit S. Congregatio, eò quòd aliqui, tum Theologi, tum Canoniſtæ doceant, quòd tanta ſit ratio non reſidendi ob contagium peſtis, quàm ob capitales inimicitias; quas tamen excuſare à reſidendo cenſuit S. Congregatio. Providè tamen huic difficultati occurrunt illi, qui Religioſos, alioſvè Sacerdotes ſeſe ex puro zelo proximorum ultrò offerentes (quod tamen ſolet eſſe perrarum) aut etiam mercede conſtitutâ, huic operi deſtinant, prouti ſolet fieri in Belgicis Civitatibus, & alibi. Ideo autem potius fugere licet Parochis in perſecutione, & non tempore peſtis; quia priori caſu non deſunt alii à periculo immunes, per quos animarum ſaluti poteſt ſufficienter conſuli: poſteriori verò caſu, ſcilicet tempore peſtis, non poteſt fugere Parochus; quia cùm periculum ſit omnibus commune, nec alii ſint, qui tutò poſſint gregi aſſiſtere, debet ipſe Parochus, ut bonus Paſtor ponere animam ſuam pro ovibus ſuis, non alii, ad quos non pertinet de ovibus, idque exemplo Chriſti, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui fecit, quod docuit; & docuit, quod fecit. Vide Fagnanum in Cap. *Clericus, in fine.*

Olim etiam ratione ſtudii ſolebat Parochis concedi licentia non reſidendi, uti datur Canonicis, de quo poſteà: idque ideo jam noſcitur eſſe ablatum, eò quòd Parochiales Eccleſiæ poſt Trid. præviâ formâ examinis ſint conferendæ

magis idoneis per viam concursûs: *Seſ.* 24. *cap.* 18. Nec etiam hîc excuſat conſuetudo non reſidendi, de quâ re latius agam in ſequentibus, de reſidentiâ Canonicorum Sect. 7. Sufficiet hîc notare, nullam hîc locum habere conſuetudinem, cùm jure divino illis reſidentia præcepta ſit, quibus incumbit cura animarum, cui juri nulla conſuetudo poterit præjudicare.

SECTIO VI.

De pænis non reſidentium.

SI quis autem (quod utinam numquam eveniat) contrà hujus decreti diſpoſitionem abſuerit: ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes, ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro ratâ temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tutâ conſcientiâ, aliâ etiam declaratione non ſecutâ, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut ipſo ceſſante, per ſuperiorem Eccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare: prohibitâ quâcumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur: ex quâ etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ conceſſis. Hactenus Concilium Trid. ſuprà. Pœnæ autem à Paulo III. impoſitæ erant, *Seſ.* 6. *cap.* 1. *Reform.* ut quiſquis Epiſcopus ſine legitimâ causâ ſex menſibus continuis extrà ſuam Diœceſim morando abeſſet, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci per ſuperiorem Eccleſiaſticum pœna indiceretur: quod ſi per alios 6. menſes abſens perſeveraverit, alia quarta pars fructuum ſimili fini applicetur: creſcente contumaciâ ingreſſus Eccleſiæ ei interdicatur, quam pœnam ipſo facto incurret. Quod autem ibidem in Conc. Trid. ſtatuatur, ut Epiſcopi creſcente contumaciâ amoveri poſſint, & alter ſubſtitui, intelligitur hîc in Belgio, ſalvo jure nominationis Regio, & aliis juribus, ac privilegiis. Et hæc eſt Epiſcoporum non reſidentium pœna, lata à Tridentino. His addidit Urbanus VIII. in ſuâ Conſtitut. *Sancta Synodus* 1634. alias pœnas iiſdem non reſidentibus, privando eos facultate teſtandi, & de bonis ſuis diſponendi, illis aliàs à S. Sede conceſſis; inſuper privando eos regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum: quam Bullam adfert Barboſa *de Officio Epiſc. parte* 3. *alleg.* 53. *num.* 23. Inſuper declaravit S. Concilii Congregatio, teſte eodem *num.* 34. Epiſcopum in ſua Diœceſi non reſidentem, non gaudere alternativâ. De reſtitutione fructuum dicetur in decurſu.

Similiter Abbatibus non reſidentibus eaſdem pœnas poſitas eſſe, quas Epiſcopis indixit Synodus Tridentina, docet Tamburinus, *de jure Abb. tom.* 1. *diſp.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 2. ſi habeant territorium cum juriſdictione Epiſcopali, & nullius ſint Diœceſis, cùm hi ſe habeant Epiſcoporum loco. Cæteros Abbates Regulares, niſi habeant curam animarum ſæcularium, à dictis pœnis

pœnis abſolvit idem Author; ſed ſubjacent pœnis ab Ordine conſtitutis.

Parochis quoque non reſidentibus eadem omninò, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, S. Synodus declarat, & decernit. Deindè, ſi per edictum citati etiam non perſonaliter contumaces fuerint, liberum vult eſſe Ordinariis, per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſequeſtrationem, & ſubſtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem compellere; nec executionem hanc, quolibet Privilegio, licentiâ, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuſcumque Beneficii, pactione, ſtatuto, etiam juramento, vel quâcumque authoritate confirmato, conſuetudine etiam immemoriali (quæ potius corruptela cenſenda eſt) ſive appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Conſtitutionis ſuſpendi poſſe.

Aliqua circà dictas pœnas advertunt Authores, & quærunt, an ſepoſita lege Tridentini, eſſent fructus reſtituendi à non reſidentibus: deindè, an non reſidentes ſtatim ſint privandi, etiam nullâ aliâ monitione, ſeu remedio prævіè adhibito. Quod ad prius attinet, aliqui apud Vaſquez *dubio* 4. *cap*. 4. §. 2. *num*. 151. cenſent, quod Parochi, & Epiſcopi non reſidentes, etſi peccent non reſidendo, tamen poſſint in conſcientia retinere fructus, modò per ſubſtitutos ſufficienter Eccleſiæ provideatur. Nec enim ille fructibus privari debet defectu tituli, quem verè retinet: nec ex eo, quòd non reſideat; quia ex eo ſequitur, quòd ſit condemnandus, non quod ante ſententiam debeat fructus reſtituere. Ita cum aliis Navarrus *ſumma cap*. 25. *num*. 120. Aliud tamen colligitur in primis ex Concilio Tridentino *Seſſ*. 23. *cap*. 1. ſæpè allegato, quod ipſo facto, etiam ante ſententiam Judicis vult fructus eſſe reſtituendos à non reſidentibus, dicitque eos non facere fructus ſuos. Deindè, Vaſquez ibi, cenſet etiam attentâ ratione naturali, quòd non reſidentes non faciant fructus ſuos, eò quòd fructus beneficii dentur propter officium, ac laborem beneficiati, adeoque ſi ille non laboret, non poteſt juſtè obtinere laboris ſtipendium; ratio enim poſtulat, ut qui non laborat, non manducet: & qui laborat per Vicarium, per Vicarium & manducet. Addunt alii, quod in adeptione beneficii curati intercedat virtualis contractus, quo beneficiatus ſe obligat ad adminiſtrationem, adeoque ad reſidendum: cui obligationi correſpondet obligatio Parochiæ ad dandum beneficii fructus: ſi ergo Parochus ex ſua parte obligationi ſuæ deſit, quâ juſtitiâ poterit retinere fructus beneficii? Hinc ulterius collige, quòd ad eamdem reſtitutionem obligetur Parochus ille, qui quidem præſens eſt Eccleſiæ, ſed nullum officium, aut vix ullum perſonaliter exercet, tametſi officia ſua exerceat per alium, cùm talis non verè reſideat, ut antea notavimus. Patet etiam ex dictis reſponſio ad fundamentum aliorum, puta, quòd ad faciendos fructus ſuos, non ſufficiat beneficii titulus; ſed oporteat ſubire ea onera,

An non reſidentes debeant reſtituere ipſo facto, & de jure naturæ.

Digitized by Google

ra, & labores, ob quos dantur fructus beneficii. Debet autem fieri dicta reſtitutio fructuum pro ratâ temporis abſentiæ, puta fructus illi, qui correſponderent tanti temporis præſentiæ, ſi adfuiſſent, & ſi fructus dividerentur. Eodem modo decernitur, ut Horas omittentes reſtituant fructus pro ratâ, id eſt, ut ſi uno die eas omitterent, reſtituerent fructus uni diei correſpondentes: ſi Matutinum, reſtitueret dimidiam partem unius diei, &c. ita determinavit ipſe Pius V. Conſtitut. *Ex proximo.* Debet inſuper illa reſtitutio fieri fabricæ, vel pauperibus Eccleſiæ, etſi etiam non indigerent; dum ejuſmodi bona nulli melius congruunt applicanda. Nulla quoque hîc valet compoſitio, unde inanis hîc eſt Bulla compoſitionis, nullum privilegium, nulla exemptio.

Ad privationem verò beneficii ob non reſidentiam quòd attinet, notandum eſt, de jure communi olim non reſidendo incurſam eſſe pœnam privationis beneficii à Parocho: *Cap. Conquerente, de Cleric. non reſid.* Hodie tamen Parochus non reſidens, etiam monitus, non eſt ipſo jure privatus ſuâ Eccleſiâ, aliàs enim ſtatim procedendum eſſet ad declarandum, eum eſſe privatum, neque eſſet in arbitrio Epiſcopi uti eo remedio, quo vellet. Ita Barboſa *de Officio Parochi parte* 1. *cap.* 8. *num.* 72. addens num. ſeq. quòd ad privationem Parochi ob non reſidentiam, non ſit neceſſe prævié procedere per cenſuras, ſequeſtrationem, aut ſubſtractionem fructuum, aliavè juris remedia, etſi id de jure communi videatur requiri: Concilium tamen Trid. relinquit hoc liberum arbitrio Ordinarii, ſi velit illa prævié adhibere, aut iis non adhibitis abſolutè ad privationem procedere. Si tamen viam ingreſſus ſit ad privationem beneficii incipiendo per ſubſtractionem fructuum, teneatur obſervare ea intervalla, quæ Epiſcopis nôn reſidentibus præſcribit Concilium, nec liberum erit illi illicò ad privationem procedere. Ita Fagnanus in Cap. *Ex tuæ num.* 30. addens, quod cùm Epiſcopus Imolenſis Parochum privaſſet ob non reſidentiam, & hic appellaſſet ad S. Congregationem: reſponderit illa, privationem eſſe nullam, & reſtituendum eſſe Parochum Eccleſiæ; quia in ultimo præcepto ante ſententiam, quo illum revocabat ad reſidendum, fuerat comminatus Ordinarius fructuum amiſſionem, non privationem. Ex quibus patet, quomodo varié hîc à Concilio ſit immutatum jus commune, tam quoad fructuum amiſſionem, quàm quoad beneficii privationem: 1. In eo, quòd mox diximus de privatione ſine prævià monitione. 2. In eo, quòd jure communi Parochus debeat citari perſonaliter, ſi ſciatur, ubi ſit: vi Concilii poterit etiam citari non perſonaliter. 3. Quòd latitans alibi debeat de jure communi citari tribus edictis: poſt Concilium autem ſufficit unicum edictum peremptorium cum competenti termino ad redeundum. 4. Quòd edicta illa debeant ſolemniter publicari, quod poſt Concilium non requiritur. 5. Quòd jure communi, ſi poſt 3. edicta non compareat, poſt 6. menſes tantùm poſſit privari; modò autem elapſo termino conceſſo poſſit privari ſtatim. 6. Quòd Parochus non reſidens jure communi non perdat fructus ipſo jure,

jure, prouti privatur modò poſt Concilium. Vide latius Fagnanum loco citato.

SECTIO VII.

De reſidentia Canonicorum, & aliorum Beneficiatorum.

Circà Canonicorum reſidentiam multa ſtatuit Concilium Trid. Seſ. 24. cap. 12. in hunc modum: *Prætereà obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, ultrà tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.* Et prævaricantibus indictâ pœnâ, addit: *Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adſiſtere, & inſervire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare.* Patet ex his Concilii verbis, ſtrictam reſidendi obligationem Canonicis, Dignitatibus, ac Præbendis Cathedralium, ac Collegiatarum Eccleſiarum eſſe injunctam: imò ut notat Comitolus, *lib.* 1. *reſp. q.* 61. *num.* 2. Ex Hoſtienſi arctior quodammodo lex reſidendi in ſuis Eccleſiis indicta eſt Canonicis, quàm Eccleſiarum Parochialium Curatis; quandoquidem ab illis, ſingulis diebus, ac ratis temporibus certum obſequium flagitetur.

Qualis verò reſidentia Canonicorum eſſe oporteat, ſatis conſtat ex ante dictis, & innuit Concilium Tridentinum mox citatum; puta, Epiſcopo celebranti, aut Pontificalia exercenti aſſiſtere, & Hymnis, ac Canticis in Choro Dei nomen collaudare. Quomodo autem id legitimè fiat, ut obligationi ſatisfaciant, antea deduximus; ſcilicet per ſe, altâ voce, & attentè pſallendo, quod Canonicorum obligatio importat. Unde egregiè Sanchez lib. 2. Conſil. cap. 2. dub. 100. num. 2. ait: *Canonicos confabulantes in Choro lucrari diſtributiones: iſta enim illis dantur pro aſſiſtentiâ in Choro, & ut Chorum ſuâ præſentiâ authoriſent, ſicut Clerici funus aliquod comitantes, licet confabulentur, licitè acquirunt ſtipendium; quia datur illis, ut comitentur, & authoriſent.* Egregiam hanc ſimilitudinem remonſtrabo in decurſu. Hic tamen notaſſe ſufficiat, Canonicorum munus non eſſe ſitum in ſolo titulo honorifico, neque eorumdem obligationem impleri quoad debitam reſidentiam per ſolam præſentiam authoriſabilem, ſed per devotam, ac reverentem in Choro pſalmodiam, & alias functiones à jure illis præſcriptas.

Concedit tamen Concilium Tridentinum Canonicis abſentiam trium menſium per annum, & non ultrà, non obſtantibus ullis in contrarium ſtatutis, aut conſuetudinibus, & ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt. Ex hoc Concilii ſtatuto colligit Barboſa ex aliis, *de Officio Canonicorum cap.* 20. *num.* 2. 3. 4. quòd men-

Digitized by Google

menſes illi poſſint eſſe continui, & interpolati: quod ad illam abſentiam non requiratur licentia Epiſcopi; tametſi poſſit ille abſolutè ſtatuere, ne Canonici ſine ejus licentia abſint, prouti declaravit S. Congregatio; quòd Epiſcopus providere poſſit, ne 3. dicti menſes incidant in Paſcha, Pentecoſtes, aut alia feſta ſolemniora; & ne plures ſimul abſint cum præjudicio Chori. Ultrà hos tres menſes tenentur deinceps novem aliis menſibus reſidere, peccantque mortaliter, ſi ſine legitimâ causâ longiori tempore abſint; neque excuſantur ex eo, quòd velint diſtributiones amittere: nec quidquam eis prodeſt, ait Barboſa *num.* 10. quod in civitate maneant, niſi Eccleſiæ debitis horis inſerviant.

Quibus caſibus poſſint abeſſe Canonici.

Varii autem in jure exprimuntur caſus, quibus Canonici non reſidere poſſint, ſicut interim gaudeant Canonicatûs ſui proventibus. Pœna etenim à Concilio Trid. ſtatuta non reſidentibus primo anno, eſt privatio dimidiæ partis fructuum: deindè fructuum totius anni: creſcente denique contumaciâ procedendum erit juxtà Canonum ſtatuta, de quâ re poſtea. Primus caſus eſt, quando Canonicus eſt in ſervitio Papæ, quo caſu lucratur fructus ſuos, non tamen diſtributiones: ita exprimitur in Cap. *Cùm dilectus, de Cleri non reſid.* tales enim inſerviendo Papæ, cenſentur inſervire Eccleſiæ univerſali. Idem eſt de illis, qui ſunt in ſervitio Cardinalis Legati. Zerola 5. *reſidentia* §. 4. Secundus caſus eſt, quando ſunt in ſervitio Epiſcopi, quo caſu etiam gaudent fructibus beneficii, non tamen diſtributionibus: *Cap. de Cætero, eod. tit.* ubi ex Hoſtienſi notat Fagnanus *num.* 4. & ſeq. hoc eſſe privilegium Epiſcopo ut tali ſpeciale; quo poſſit pro ſervitio ſuo uti operâ duorum Canonicorum, etiam ſine conſenſu Capituli, nec probatâ utilitate Eccleſiæ: ultrà duos nequit aſſumere, uti reſtringit *Cap. Ad audientiam.* Hoc autem etiam locum habet in illis Canonicatibus, qui totaliter conſiſtunt in perceptione diſtributionum, nec ullos habent fructus groſſos: tum, quòd hoc caſu diſtributiones ſuccedant in locum fructuum; tum, quòd contrarium videatur eſſe contrà intentionem juris, quòd tale privilegium concedit, dum pro ſervitio aliàs acciperetur detrimentum. De qua re vide latius agentem Proſperum Fagnanum ad dictum Cap. eumdem caſum in Galliis excipiendum eſſe, declaravit Parlamentum Pariſienſe, teſte Deſpeiſſ. *tit.* 9. *Sect.* 11. *num.* 10.

Tertius caſus eſt, cùm Canonicis abeſſe oportet pro bono Eccleſiæ, prouti habet *Cap. Cùm non deceat, de Election. in* 6. Idem eſt de eo, qui abeſt causâ proſequendæ litis ſuper proprio beneficio, uti dicitur, *Cap. Ex parte. Prapoſituræ tuæ jura fideliter proſequens, cùm ex hoc cenſeri debeas reſidens, perjurium non incurris, &c.* Quartus caſus eſt causâ ſtudii, juxtà id, quod ſtatuit Concilium Trid. *Seſ.* 5. *cap.* 1. *Reform. in fine*: ut docentes ipſam ſacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint; & Scholares, qui in ipſis Scholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum ſuorum, in abſentia à jure communi conceſſis, planè gaudeant, & fruantur. Idem collige ex *Cap. Tuæ de Cleric. non reſid.* & *Cap. finali*

nali de magiſt. declarat, quod docentes in Theologicâ Facultate per 5. annos poſſint percipere fructus Beneficiorum, & Præbendarum; cùm denario fraudari non debeant, qui in vineâ Domini laborant. Non ſolùm tamen ad quinquennium, ſed ſine termino tale privilegium conceſſit Martinus V. & Eugenius IV. legentibus in Academia Lovanienſi; hoc verò privilegio ii gaudent, etſi etiam in ipsâ doceant civitate, ubi ſunt beneficiati. Notat tamen Fagnanus ad dictum Concilii locum, quòd dicatur, *dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares, &c.* & ſcribens *in Cap. Tua*, quod ſtudium illud debeat eſſe in Univerſitate publicâ: itidem, quod requiratur licentia Epiſcopi, & quidem obtenta: inſuper, quod ſtudens in Villis, aut Caſtris, aut aliis locis ſine ſtudio competenti, non gaudeant dicto privilegio. Idem ferè repetit Cap. *Cùm ad hoc, eodem tit.* ubi *num.* 9. addit, quòd ad hoc non ſufficiat licentia à Capitulo obtenta. Ideo autem requiritur Epiſcopi licentia, ut poſſit inquirere, an ſint dociles, ætate competenti, & ſtudio ſatis apti: quo fit, ut ad reſidendum revocari poſſint illi, qui manentes in Univerſitate de Epiſcopi licentiâ negligenter, ſine fructu ſtudiorum commorantur. Notent hoc Domini illi Abbates, Canonici, & alii quicumque beneficiati, in Univerſitatibus vagabundi, plus potui, & aliis mundanis, quàm ſtudio intendentes. Juvaret hâc in re, ſi Præſides, aliique, quorum intereſt, teſtimonium ſimilibus denegarent, quo poſſent de ſufficienti causâ non reſidendi Epiſcopo reſpondere. Scholares etenim non ſtudentes, non gaudent privilegio Scholarium, nec *Scholares* ſunt nominandi, cùm id facere cenſeantur in fraudem legis; puta, ut fugiant Epiſcopi correctionem, & liberius vivant, ait Fagnanus ibi *num.* 13. Inſuper etiam illi, qui ſtudiorum cauſa non reſident, revocari poſſunt, ſi Eccleſia debito miniſterio deſtituatur, unde etiam non poſſunt nimis multi à reſidendo excuſari, ſive hâc, ſive aliâ de causâ.

Quintus caſus eſt, ſi ex fundatione Canonicatuum poſſint Canonici ultrà 3. menſes abeſſe: quam fundationem per Decretum Concilii Tridentini ſublatam non eſſe, cenſuit particularis Congregatio, uti refert idem Author in Cap. *Licet, de Præbendis, num.* 58. Idem eſt, ſi indultum à S. Sede longiorem abſentiam indulgeat, & quod à Papa immediatè procedat ex certa ſcientia, & cognitione cauſæ. Ita idem *num.* 59. & ſeq. Sextus caſus eſt, ſi Canonicus ex diſpenſatione Apoſtolicâ obtineat Eccleſiam Parochialem, quo caſu reſidere debet in Eccleſiâ Parochiali, prout declaravit Pius V. Bullâ *Cupientes.* Septimus eſt caſus infirmitatis, quo caſu non ſolùm fructus, ſed etiam diſtributiones recipit non reſidens, ut dicitur *Cap. Ad audientiam, de Cleric. non reſid.*

Quouſque excuſet conſuetudo non reſidendi per 9. menſes.

Quæres, an hîc conſuetudo non excuſet, quâ quatuor, aut quinque menſibus alibi ſolent abeſſe, qualis, teſte Layman *tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 2. ſolet eſſe in Germaniâ, ubi alibi medio tantùm anno, alibi 3. tantùm menſibus reſidere coguntur; imo, qui unico S. Michaëlis die reſident, & divinis interſint, totius anni reditus percipiunt. Reſp. Varii Canoniſtæ veteres, cenſuerunt Canonicos vi conſuetudinis introductæ in abſentia poſſe percipere ſuos fructus,

ctus, ſi per Vicarium ſatisfiat miniſterio Eccleſiæ, aut ſaltem, ſi ex abſentia, Eccleſia non patiatur. Hoc tamen à Concilio Trid. eſt ſublatum, dum Canonici *per ſe, & non per ſubſtitutos* jubentur obire ſua miniſteria, neque virtute alicujus indulti, ſtatuti, aut conſuetudinis immemorialis ab Eccleſiâ poſſint abeſſe ultra três menſes. Zypæus tamen *Juris Pontificii lib.* 3. *de Cler. non reſid. num.* 13. exiſtimat, quòd Concilium ibi tantùm derogaverit Conſuetudinibus contrariis ante Concilium exiſtentibus, non verò poſt illud Concilium introductis; eò quòd obligatio reſidendi in Canonicis non ſit juris naturalis, aut divini, adeoque cui per conſuetudinem poteſt derogari. Hinc etiam Authores Hiſpani, & ſignanter Hurtado *reſolut. mor. de reſidentiâ Canonic. reſolut.* 3. *num.* 14. cenſet, Canonicos Toletanos novem menſes non reſidentes tueri ſeſe cum conſuetudine immemoriali, quæ præſumitur ex fundatione, aut privilegio dimanaſſe: nec putat, quòd tam ſanctarum Eccleſiarum Capitula, ubi ſunt homines potentes virtute, & litteris famoſi, in praxi illud retinerent, ſi hoc eſſet contrà Concilium Trid. quòd in Hiſpania ſumma veneratione colitur: neque, quòd Summi Pontifices, qui hanc praxim non ignorant, illam non inhiberent, niſi foret juſtus titulus. Et quamquam ſoleat proferri declaratio S. Congregationis, quâ declaratur immemorialem conſuetudinem non excuſare à reſidentia in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus; ratione cujus, ait Barboſa de Canonicis, *cap.* 23. *num.* 2. dictam conſuetudinem Eccleſiæ Toletanæ, & aliarum in Hiſpania non excuſare. Tamen Hurtado cenſet è contrà, eam declarationem in Hiſpania non eſſe receptam, ſed ſolummodò Concilium, prouti jacet, & quæ conſuetudinem immemorialem non exprimit. Fagnanus tamen ſcribens in Cap. *Ad audientiam: de Cleric. non reſid. num.* 11. aut tutiorem hîc eſſe viam mediam; puta, quòd Concilium, nec præſervaverit, nec ſuſtulerit dictam conſuetudinem, ſed eam reliquerit in illis terminis, in quibus erat ante Concilium, cui, ait, concordare mentem, & verba Concilii, & vitari varia abſurda. Et ratio illius eſſe poteſt, quòd Concilium hîc meminerit ſolius conſtitutionis, non verò conſuetudinis, quæ ſunt longè diverſa: adeoque, etſi ſublatæ ſint à Concilio conſtitutiones contrariæ, non tamen ſublatæ dicendæ ſunt conſuetudines immemoriales, quæ poſſunt præſumi eſſe rationabiles. Vide Fagnanum in dictum locum. Ex quibus colligi poteſt, quòd quamquam ex conſuetudine immemoriali videatur poſſe præſumi juſtus titulus non reſidendi, ad novem menſes, tamen ſimilis titulus præſumi non poteſt ex conſtitutionibus, quibus expreſsè Concilium derogavit.

Alibi etiam à reſidendo excuſat Canonicos miniſterium Regi exhibendum, qualiter Sacellani Regii, ſeu Principum noſtrorum gaudent fructibus beneficii, dum apud Principem commorantur. Ita Zypæus ſuprà *num.* 19. addens *num.* 21. indultum Leonis X. datum hâc de re Carolo Archiduci Auſtriæ, & Principi Hiſpaniæ: quod indultum non ſolos domeſticos Sacellanos comprehendit, quibus ſolvuntur ſtipendia; ſed & quotquot alios Eccleſiaſticos, qui miniſterio Principum ſolent inſiſtere. Idem in Galliis obtinere Conſiliarios Clericos,

ricos, & Beneficiatos Curiæ Franciæ, dum actualiter intendunt miniſterio Regio, tradit Deſpeiſſ. *tit.* 9. *Sect.* 11. *num.* 5. aſſerens ita à variis illius Regni Parlamentis eſſe judicatum: itidem, illud privilegium, ait, non eſſe conceſſum Conſiliariis honorariis, & non actualiter inſervientibus: imo neque & illis actualiter inſervientibus tantummodo in Curia ſubalterna.

Pœnæ autem Canonicorum non reſidentium, ut ante inſinuavimus, ſunt 1. ut primo anno ultrà 3. menſes abſens privari debeat dimidiâ parte fructuum; ſecundo anno fructibus omnibus, quos ratione Præbendæ fecerant ſuos; deinde contumaces per pœnas Canonicas eſſe coërcendos, puta, ut poſt 3. annos Canonicatu priventur. Docet Barboſa *de Canonicis cap.* 20. *num.* 18. quod debeant ante privationem perſonaliter citari, aut ſi neſciatur, ubi ſint, debeat in eorum Eccleſia edictum trinæ citationis publicari, & poſt ultimum edictum per 6. menſes expectari. Addit ille *num.* 20. quod Epiſcopus prædictas pœnas poſſit ante ſententiam minuere, etſi non in totum tollere. De cætero notandum eſt, quod Concilium velit manere in ſuo robore illarum Eccleſiarum ſtatuta, quæ longius tempus requirunt, quàm 9. menſium; ex quo apparet, quòd abſentia 3. menſium à Concilio non tam approbetur, quàm toleretur.

Pœnæ Canonicorum non reſidentium.

SECTIO VIII.

De diſtributionibus à Canonicis, & aliis percipiendis.

Diſtributiones quotidianæ ſolent diſtingui contrà fructus groſſos (ut vocant) & alio nomine *manualia* ſolent vocari, & *victualia*, eò quòd quotidie quaſi in manum beneficiatorum dari ſoleant, & pro quotidiano illorum victu nihil interim ſunt aliud, quam certi reditus, pro cujuſque merito, & labore diſtributi, adeoque juxtà Stephanum Weyms Anteceſſ. Primarii Academiæ Lovan. *ad Conſtit.* 24. *Conſt.* 11. *num.* 5. ſic dicuntur *à diſtribuendi actu*, cùm quotidie, & per ſingulos dies, imo etiam per ſingulas ferè horas diſtribuantur. Solent juxtà eumdem Authorem eſſe in triplici differentia. Prima, quando Præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſive quando omnia bona adhuc ſunt in communi, atque ita ex communi maſsâ aſſignatur ſingulis beneficiatis certa portio in cibo, & potu, nec ſingulis ea diebus diſtribuantur; ſed fiat aliqua ſeparatio de bonis communibus pro ſingulis annis, vel ſemeſtribus: quod diſtributionum genus magis ſimile eſt Præbendæ, & fructibus groſſis, quàm diſtributionibus quotidianis. Altera eſt, quando Præbendæ quidem ſunt diſtinctæ, ſed bona adhuc ſunt communia, ex quibus diſtributiones dantur illis, qui reſident. Tertia denique, quando ſingulis diebus, vel etiam horis diſtributiones aſſignantur perſonaliter præſentibus in Officio divino, quod (ait) moribus hodiernis paſſim fit per plumbetum, vel teſſeram; & verè habentur pro diſtributionibus quotidianis, dum ſolis præſentibus dantur. Hinc quoad diſtributiones quotidianas non attendendum eſt præcisè tempus diſtributionis; ſed magis attendendus eſt finis, & motivum ejuſdem: adeo ut, etſi in fine anni illæ dari

Quid ſint diſtributiones, & quotuplices.

Digitized by Google

ſoleant præſentibus in officio divino, ſint veræ diſtributiones, ut docet Fagnanus in Cap. *Olim. de verb. ſignif. num.* 49. quia, etſi in fine anni dividantur, hoc fit gratiâ commodioris ſolutionis.

Diſtinguuntur autem diſtributiones contrà fructus beneficii, adeo ut Canonicus per ſententiam etiam condemnatus ad reſtituendos fructus beneficii, non teneatur reſtituere diſtributiones quotidianas. Idem dic de reditibus, & proventibus, contra quos diſtributiones ſolent diſtingui; niſi fortè omnes beneficii fructus, & proventus conſiſterent in diſtributionibus. Dum tamen agitur de æſtimatione beneficii alicujus, v.g. dum valor beneficii Papæ manifeſtatur, ſeu exprimitur, debeat haberi conſideratio diſtributionum, ut docet Barboſa *de Canonicis cap.* 21, *num.* 7.

Sollicitè verò non uno in loco providit S. Tridentina Synodus pro promovendis, & ampliandis diſtributionibus, ad animandos beneficiatos ad diligentiorem reſidentiam, dum in primis, ubi nullæ diſtributiones eſſent, vel minores, juſſit eas etiam ex groſſis fructibus Dignitatum, Canonicatuum, & Officiorum augeri: in quem finem voluit tertiam eorum beneficiorum partem ſeparari, & in quotidianas diſtributiones converti, divino Officio præſentibus proportionaliter diſtribuendas. Poteſtatem id exequendi concedit Concilium Epiſcopis, tamquam in hac re S. Sedis delegatis. Videri poteſt Concilium *Seſ.*21. & *Seſ.*22. *cap.*3. *Reform.* Varia autem de hac materia ſunt diſcutienda: 1. Quibus debeantur diſtributiones: 2. Quibus horis, aut officiis ſint illæ aſſignandæ: 3. Qui etiam in abſentia illas poſſint lucrari: 4. Qui eiſdem priventur, & quibus amiſſæ accreſcant. 5. An conſuetudine induci poſſit, ut quis in abſentia eas lucretur.

Quibus competit jus ad diſtributiones.

In primis jus percipiendi diſtributiones competit Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, divinis Officiis intereſſentibus, etiam illis, cum quibus in ætate fuit diſpenſatum; etiam ſupernumerariis Canonicis, & creatis cum expectatione Præbendæ, niſi alibi contraria foret conſuetudo. Ita Barboſa ſupra *cap.*21. *num.*13. *&* 14. Idem jus habent illi, qui in dictis Eccleſiis obtinent Dignitatem, aut aliud beneficium; adeo ut, ſi ex legitima diſpenſatione in eadem Eccleſia haberent duplex beneficium, puta Dignitatem, & Canonicatum, obtinere debeant duplicatas diſtributiones, ut cum Barboſa ibi, docet Fagnanus in Cap. *Olim*, *num.* 53. Secundò, diſtributiones aſſignandæ ſunt ſingulis horis, Miſſæ ſolemniori, Supplicationibus, Conventibus capitularibus, & aliis Officiis ad divinum cultum pertinentibus à Canonicis, & aliis obeundis. Colligitur hoc ex Concilio Trid. *Seſ.* 21. *cap.* 3. quod diſtributiones ſtatuit promovendas, & diſtribuendas, *ne quà in parte* minuatur divinus cultus, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur. Ex quâ Tridentini conſtitutione varia poſſunt facillimè colligi: 1. Quidem, diſtributiones non ſolùm eſſe aſſignandas horis majoribus; puta, Matutino, Veſperis, aut etiam Miſſæ: ſed etiam minoribus; puta, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, &c. unde Synodus Mechlinienſis anno 1607. tit. 12. cap. 3. ſub R. D. Mat-

Quibus horis ſint aſſignandæ.

thia

Digitized by Google

thia Hozio, ſtatuit in hunc modum : *Ut verò minores Horæ non negligantur, pro illis certæ diſtributiones aſſignentur : aut minores illæ Horæ majoribus adjungantur : ita ut, in majoribus illis Horis nemo diſtributione gaudeat, niſi qui in minoribus quoque Horis debitè interfuerit.*

Colligitur ſecundò, conſuetudinem illam, etiam Capitularium conſenſu firmatam, ut corruptelam eſſe tollendam, quâ in unâ horâ dumtaxat præſens, totius diei diſtributiones recipit, prout conſtituit Synodus Baſileënſis *Seſ.* 21. *cap.* 4. Diſtributiones enim ſingulæ, ſingulis horis correſpondent, ſuntque inſtitutæ ad divinum cultum promovendum, ne quâ in parte ille minuatur; quod dictâ conſuetudine fieri, eſt manifeſtum.

Colligitur tertiò, non eſſe ſatis ad lucrandas diſtributiones quotidianas, ſi parvo horæ tempore, puta unico Pſalmo, quis interſit; ſed requiritur talis intereſſentia, ut moraliter loquendo poſſit quis dici, tali horæ legitimæ interfuiſſe, quod ſolent determinare Eccleſiarum Statuta. Et Synodus Mechlinienſis citata, Cap. ſeq. ſtatuit, ut careant quoque diſtributionibus, qui ante *Gloria Patri* primi Pſalmi, cujuſque Officii uſque ad finem eidem Officio actualiter non interſunt.

Colligitur quartò, diſtributiones non deberi illis, qui quidem corpore interſunt divinis Officiis, ſed ſub iiſdem fabulantur, dormiunt, legunt, meditantur, aut ſubmiſsâ voce recitant Officia; oportet enim pſallere altâ voce, ait Fagnanus in Cap. *Licet, de Præbendis, num.* 89. ut articulo diligenter diſcuſſo in Canonicis S. Petri de Urbe declaravit S. Congregatio. Unde refellitur inſulſa comparatio Sanchez, allata Sectione præcedenti, quâ prætendit, Canonicos in Choro fabulantes æquè, ac iidem ità funus comitantes lucrari diſtributiones. Enimverò, Concilium Tridentinum diſtributiones quotidianas promovet, & commendat, ad promovendum Dei cultum, & proindè eas aſſignat illis, qui illius promotioni collaborant : quis verò ſanæ mentis dixerit, divinum cultum promoveri fabulationibus in Choro? Inepta autem, & infundata eſt dicta comparatio, dum Canonici funus comitando adhibeantur primariò honoris gratiâ : Choro autem primariò interſunt non honoris, ſed orationis, ac pſallendi gratiâ, & quidem pſallendi reverenter, & devotè, ut ante diximus ex Conc. Trid. Adde, quòd nec illud videatur, Canonicos adhiberi funeri comitando merè, & ſolius honoris gratiâ; ſed etiam, ut pro defuncto orent, non ut fabulentur, & populum ſæpè inconditis fabulationibus ſcandaliſent. Sed tranſeat hæc Sanchez opinio cum cæteris ejuſdem parum fundatis.

Tertiò, varii etiam in abſentia gaudent diſtributionibus quotidianis, quales varios recenſet Barboſa *de Canonicis*, *Cap.* 24. & Fagnanus in Cap. *Licet, de Prabendis.* 1. Auditores Rotæ Romanæ, 2. Inquiſitores hæreticæ pravitatis pro eo tempore, quo actualiter inſerviunt. 3. Collector Cameræ, Advocati, Procuratores, Fiſcales, Notarii, eorum Officio durante. 4. Archidiaconus, aut Canonicus viſitans Eccleſiam. 5. Pœnitentiarius, qui ſub divino Officio in Eccleſia excipit Confeſſiones. 6. Theologalis Canonicus, ſive obtinens

Qui in abſentia gaudeant diſtributionibus.

Præbendam Theologalem, cenſetur Choro præſens pro ea die, quo docet. 7. Canonici, qui à Capitulo mittuntur ad Pontificem, aut Principem gratulandi causâ. 8. Intereſſentes Concilio Provinciali, ſeu Synodali. 9. Qui cum ſuo Canonicatu, aut Dignitate habet ſimul animarum curam in eadem Eccleſia, pro tempore, quo eidem curæ incumbit. 10. Qui à Pontifice ex diſpenſatione accepit facultatem gaudendi diſtributionibus in abſentia. 11. Qui ab Epiſcopo mittitur ad limina Apoſtolorum, aut eumdem eò tendentem comitatur. 12. Ille, qui pro Eccleſiâ datus eſt obſes, aut repreſaliarum causâ detinetur. 13. Ille, qui pro evidente Eccleſiæ utilitate abeſt, modò pro eo non ſit illi aſſignatum aliquod ſalarium, qualis eſt Procurator Capituli. 14. Ille, qui abeſt pro defendendis ſui beneficii juribus. 15. Qui ex fundatione ſuâ in abſentia eas poteſt percipere, quia fundationibus non derogavit Concilium. 16. Canonicis abſentibus tempore peſtis, ſi illud habeat conſuetudo. 17. Infirmi, qui ratione ægritudinis impediti divinis Officiis intereſſe non poſſunt, etſi non ſit infirmitas uſque ad mortem; imò etiam ratione podagræ, teſte Fagnano, *num.* 142. neque hîc obſtant contraria Eccleſiarum ſtatuta teſte eodem, quæ S. Congregatio rejecit tamquam irrationabilia, & contrà bonum Eccleſiæ. Notant tamen varii, & quidem meritò, quod infirmitas debeat eſſe cauſa, quare venire non poſſint ad divina Officia: quia ſi de cæterò non ſolebant venire, jam ob infirmitatem non cenſetur abeſſe, ſed potius ex mala conſuetudine, ut notat cum aliis Barboſa de Canonicis ſup. *num.* 36. qui & addit, quod debeat quoque ægrotare in loco reſidentiæ: adeo ut, ſi alibi ægrotet, diſtributiones illi ſint denegandæ. Et *de Officio Epiſc. p.* 3. *alleg.* 53. *num.* 167. ait, quod id quidem verum ſit, ſi ſine causâ illegitimè abſit: aliàs non tam ex infirmitate cenſetur abeſſe, quàm ex malitiâ, ſicuti mox dictum eſt de infirmo, qui ſolet abeſſe. Hinc inferunt, quod ſi quis tempore vacantiæ in morbum alibi incidat, omninò gaudeat diſtributionibus, quia per ipſum non ſtat, quò minus aſſiſtat. Id tamen negat Fagnanus *num.* 149. eò quòd tali caſu infirmitas non eſſet cauſa abſentiæ, quia equidem abfuiſſet. Aliud eſt, ſi ultrà tempus vacantiæ ægrotaret, pro quo tempore deberent illi diſtributiones aſſignari. Perinde quoque hîc eſt, ſive ſine ſuâ culpâ, ſive per illam, inciderit in morbum, v.g. vulnerato ex ſuâ culpâ: idem ampliatur in eo, qui conſilio Medici eſt minutus, ſumpſit potionem, vadit ad balnea, aërem mutat, &c. de quo vide Barboſam ibidem.

Quando infirmi gaudeant diſtributionibus.

Huc etiam referri poſſunt cœci, & ſenes. Priores quidem, uti à legendis Horis ſunt liberi, ita & eoſdem dignos eſſe diſtributionibus, cenſuit S. Congregatio, teſte Fagnano *num.* 144. Senes etiam, cùm in ipſis ſit continua infirmitas, ac debilitas, ut ait Steph. Weyms ſuprà, *num.* 20. juxtà illud vulgare, quod ſenectus ipſa morbus ſit; quodque ſenes, non ſolùm cenſeantur ægrotare, ſed ſemper in morte eſſe, communiter receptum eſt, in abſentia à divinis Officiis debere eos participare diſtributiones quotidianas. Unde etiam invaluit, ut qui per 40. annos reſederint, & (ut aiunt) Jubilarii eodem privi-

privilegio gaudeant, juxtà hæc S. Congregationis verba, quæ adſert idem Author: *Licet ſtatuta ſint ſublata, per quæ abſentibus dantur diſtributiones: nihilominus Gregorius XIII. ſenibus, & bene meritis miſertus mandavit Statutum Compoſtellanum tolerari, per quod debentur diſtributiones non ſervientibus, qui per* 40. *annos jam ſervierant.* Limitat prædicta iterum Barboſa *num.* 164. in illis ſenibus, qui ſoliti erant intereſſe Officiis divinis ob eamdem rationem antea allegatam in infirmis. Ubi etiam idem extendit ad alios quoſvis ſenes, etſi necdum Jubilarios, qui judicio Medicorum præ ſenio intereſſe non poſſunt.

18. Gaudent diſtributionibus illi, qui injuſtè incarceratus eſt, injuſtè ſuſpenſus, excommunicatus, expulſus. Denique excuſantur ab intereſſendo, & gaudent diſtributionibus, qui abſunt ob evidentem Eccleſiæ utilitatem, de qua cauſa in antedictis aliqua attigimus: ſic excuſantur ex hâc generali ratione Auditores, & alii Eccleſiæ Miniſtri, ut Pœnitentiarius, Canonicus Theologalis, &c. Huc ſpectat, quando Canonici abſunt pro ſervitio Capituli, quando aſſiſtunt Epiſcopo Pontificalia exercenti, ſive in Cathedrali, ſive extrà, prout deciſum refert Fagn. *num.* 168. An verò hîc requiratur utilitas Eccleſiæ propriæ, an verò ſufficiat utilitas Eccleſiæ univerſalis, non adeo convenit inter Authores. Hoc in primis aſſerunt omnes, quod qui abeſt ratione Eccleſiæ alienæ, diſtributionibus non gaudeat, ſed ab eâ ſtipendium quærat, pro quâ laborat. Deindè, teſte eodem Authore *num.* 160. requiritur hîc, ut abſentia contingat propter utilitatem Eccleſiæ, de cujus diſtributionibus agitur; ſecus, ſi abſentia ſit ob utilitatem Eccleſiæ alienæ, ſive univerſalis. Hinc non conceduntur diſtributiones illis, qui ſunt in ſervitio Papæ, etſi inſerviant Eccleſiæ univerſali, uti nec illis, qui abſunt causâ ſtudiorum, etſi hîc adſit eadem ratio.

Varia hîc etiam introduxit conſuetudo, juri communi non ſatis conformia. Et in primis, etſi generaliter jura negent diſtributiones abſentibus, niſi ratione infirmitatis, juſtæ, & rationabilis neceſſitatis corporalis, & evidentis Eccleſiæ neceſſitatis, ut dicitur Cap. *Unico*, *de Cleric. non reſid. in* 6. ſub quibus comprehenduntur dicti caſus particulares: tamen alibi diſtributionibus gaudent aliqui, qui nullâ earumdem causâ abſunt: tales ſunt Canonici, qui tempore Officii divini celebrant, qualis uſus eſt in Belgio, & permittunt Statuta Synodalia, ut teſtatur Zyp. *Notit. Juris Pontif. de Cleric. non reſid. lib.* 3. *num.* 31. Sic etiam, etſi jure communi, Canonici in ſervitio Epiſcopi exiſtentes ſolummodo fructus recipiant ſui beneficii: conſuetudo tamen, ait ille *num.* 40. in his ditionibus tranſiit quaſi in jus commune, aut ſaltem facta eſt generalis: unde & Concilium Provinciale Mechlinienſe à S. Sede approbatum, & ſervari mandatum ſtatuit in titulo de Officio divino, ut dum Graduati in Cathedralibus Epiſcopo inſerviunt, habeantur pro præſentibus. Sic etiam ſimile privilegium conceſſit Gregorius XIII. ut qui B. Carolo Borromæo in Epiſcopalibus verſanti aſſiſterent, diſtributionibus

In Belgio quid hic valeat conſuetudo.

bus gauderent. Inſuper juxtà varios, conſuetudine introduci poteſt, ut gauderent diſtributionibus illi, qui tempore vacantiæ abſunt: cùm enim iis aſſignentur fructus à Concilio Trid. ob eamdem cauſam aſſignari poſſunt pro eodem tempore diſtributiones; maximè, ſi illæ ex fructibus ſint extractæ. Generaliter tamen hîc notandum eſt, non facilè admittendam eſſe conſuetudinem, quæ vel ſit nutritiva deſidiæ, vel diminutiva divini cultûs, qualis eſſe poſſet, quòd Canonici ſibi invicem amiſſionem diſtributionum condonarent: quòd diſtributiones debeantur illis, qui Matutino non interſint, ſi dicantur de nocte: quando volunt aliqui, inter quos Palaus *punct.* 9. §. 12. *num.* 4. excuſari Canonicos ab intereſſendo, idque ad ſervandam valetudinem, quòd tam difficili horâ teneantur intereſſe. Talis quoque dici poteſt conſuetudo inſerviendi per ſubſtitutum, quæ teſte Fagnano in Cap. *Licet, de Prabendis, num.* 82. eſt ſublata, dum dicitur à Concilio Trid. *cap.* 12. *Seſ.* 24. Quod *omnes per ſe, & non per ſubſtitutos* ſua cogantur obire officia; & S. Congregatio declaraverit, quòd etiam obtinentes Dignitates debeant per ſe celebrare Miſſas, cæteraque Officia, neque hîc excuſare conſuetudinem contrariam. Hoc interim addit *num. ſeq.* Quod Epiſcopus debeat Capitularibus concedere facultatem ſeſe mutuo ſubſtituendi in ſervitio, tum Eccleſiæ, tum Chori; modò iis temporibus non ſubſtituantur, quibus ſervitio Eccleſiæ ſunt adſtricti. Et ita intelligendi ſunt varii Authores, qui docent poſſe introduci conſuetudinem, ut Canonici per ſubſtitutum inſerviant, quales ſunt Leſſius, Palao, & Bonacina, dicens in aliquibus Eccleſiis Italiæ eam eſſe introductam.

Beneficia ſimplicia an obligent ad reſidendum.

Reſtat, ut aliqua de reſidentia beneficiorum ſimplicium hîc annectamus. Circà quæ generaliter ſciendum, quòd etſi jure antiquo reſidentiam requiſierint; tamen, ut ante notavimus, generali totius orbis conſuetudine eam nunc non requirunt; adeo ut aliquando S. Congregatio cenſuerit, teſte Zypæo ibi ſuprà *num.* 30. quod Epiſcopus cogere non poſſit obtinentem beneficia ſimplicia, impendere aliquod beneficium perſonale, niſi diſertis verbis fundator id expreſſiſſet; adeo ut, ſi fundatio dicat, quod Sacellanus dicere debeat tot Miſſas, non poſſit cogi per ſe id facere; cùm ſalvâ fundatione illis oneribus ſatisfiat per ſubſtitutum. Idem habet Fagnanus in Cap. *Quia nonnulli, de Cleric. non reſid. num.* 5. & alii paſſim. Ne tamen hâc occaſione fundationes negligantur, providè ſtatuit Synodus Mechlinienſis anno 1608. *tit.* 19. *de Beneficiis, &c. cap.* 4. Ut beneficiati, qui neque ex fundatione, neque ex conſuetudine, vel aliter ad perſonalem reſidentiam ſunt obligati; nihilominus onera Miſſarum beneficiis ſuis incumbentia, in Eccleſiis, ubi ea fundata ſunt, plenè, ac debitè expleri curent; alioquin hoc ipſo, etiamſi in loco privilegiato reſederint, à fructibus beneficiorum ſuorum ſuſpendantur, & ſuſpenſi maneant, donec debitè docuerint de impleto onere Miſſarum, ob cujus omiſſionem ſuſpenſi fuerant. Quod autem Capellania aliqua reſidentiam in Choro requirat, ſatis arguitur ex diſtributionibus quotidianis,

ut

Digitized by Google

ut ait ſimile Concilium anni ſequentis *tit.*18. *cap.* 3. Quâ etiam ratione ſimilis Capellania eſt incompatibilis cum alio beneficio reſidentiam requirente, uti etiam à S. Congregatione aſſerit eſſe declaratum.

Quibus accreſcant diſtributiones, quas perdunt abſentes.

Pœna igitur Canonicorum, & aliorum à Choro abſentium eſt amiſſio diſtributionum, dum æquum eſt, ut qui non laborat, non manducet. Accreſcunt autem juxtà communem ſententiam, quam refert Barboſa ex aliis multis *de Canonicis*, *Cap.* 22. *num.* 15. & ſeq. illis, qui interſunt, tum quod Concilium Trid. *Seſ.* 21. *cap.* 3. & *Seſ.* 24. *cap.* 12. velit diſtributiones diſtribui intereſſentibus: tum, quod æquum ſit, ut qui plus laborat, plus lucretur: tum denique quod tali diſtributione promoveatur cultus divinus, dum alii ex ea animantur ad diligentiorem Chori frequentationem; qui eſt finis proprius diſtributionum. Excipiunt alii, niſi quando alibi eſſet conſuetudo, aut ſtatutum, quo illæ diſtributiones debentur fabricæ, aut pauperibus. Imo Step. Weyms ibi ſuprà, putat eaſdem ſemper illis accreſcere; adducitque S. Congregationem illud expreſsè ſtatuentem; ut, qui non interfuerint Horis, diſtributiones amittant, nec abſentibus ademptæ, inter præſentes poſſint dividi, ſed fabricæ Eccleſiæ, aut alteri loco pio pro arbitrio Ordinarii debeant applicari. Pro quo vult Author ille, quod diſtributiones abſentibus auferantur in odium, & pœnam abſentium, non in ſolatium præſentium, ne illi videantur ex delicto locupletari: imo hoc velle quoque apparet Concilium Trid. *Seſ.* 22. *cap.* 3. Verum Navarrus apud Barboſam *num.* 16. illud conciliat, docetque diſtributiones illas accreſcere fabricæ, ſi ſint extraordinariæ, & debeantur aliquibus Beneficiatis præſentibus, iiſque ſolis. Accreſcunt verò præſentibus diſtributiones illæ, quæ conſtituuntur de fructibus communibus lucrandæ ab obeuntibus communiter divina Officia. Barboſa tamen num. ſeq. aliter conciliat dicta Concilii decreta: ut ſcilicet debeantur fabricæ, quando à dignitatibus abſtractæ ſunt, neque ſint tenues, & in odium abſentiæ debent amitti: accreſcunt autem præſentibus, ſi ſint tenues, ut negligantur. Ut ut ſit, alii generaliter notant, hâc in parte ſervandam eſſe Eccleſiæ conſuetudinem. Quod ſi omnes abeſſent (quod tamen perraró fieri poteſt, niſi aliquando in caſu interdicti) accreſcunt Eccleſiæ, quæ debito ſuo cultu eſt fraudata. Si enim beneficiatis accreſcerent, reportarent ſubindè commodum ex delicto. Aliud eſt, ſi abeſſent ſine ſuâ culpâ, quia omnes infirmi, injuſtè interdicti, &c.

Prohibet inſuper S. Tridentina Synodus *Seſ.* 24. *cap.* 12. ne præſentes cum abſentibus componant, illis eas remittant, aut de eiſdem tranſigant; quæ compoſitio, aut remiſſio, non tantùm ſit illicita, ut quidam volunt; ſed etiam invalida; dum Concilium abſolutè vult, ut abſentes eiſdem careant, adeo ut referatur Congregationis declaratio à Garcia 3. *p.* *cap.* 2. quâ dicitur, quod nemo eas retinere poſſit; & ſi eas accipiat, eas non faciat ſuas, & eas reſtituere teneatur, applicandas fabricæ Eccleſiæ, ſi indigeat; aut alteri loco pio ad arbitrium Ordinarii.

Ex

Ex hucuſque dictis colligi poteſt, quantâ ſollicitudine providerit Eccleſia laudibus divinis, & univerſim omni divino cultui, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ; dum tertiam omnium Dignitatuum, Perſonatuum, & Officiorum partem in diſtributiones converti juſſerit: dum eaſdem negligentibus ſubtraxit, & aliis mediis ad intereſſendum Canonicos, & alios ſtimulavit. Noverat enim proprium Eccleſiaſticorum munus eſſe inſtare verbo prædicationis, & orationi, unanimiter glorificando Deum, & Patrem Domini N. JESU-CHRISTI. Hunc autem laudandi, & orandi modum ab initio obſervavit Eccleſia, ut notat Baronius ad annum Chriſti 34. tom. 1. & Eccleſiaſticis injunxit tamquam perfectionis exercitium, non ſolùm tamquam perfectionis inſtrumentum, ut vult Pater Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *de Inſtitut. Soc. cap.* 8. *num.* 8. Aliud enim innuunt tot Anachoretarum, Epiſcoporum, ac Fundatorum inſtituta; adeo ut omnes Religionum Mendicantium, & aliarum Fundatores, alumnos ſuos Choro applicuerint. Et hinc notat Hurtado *de reſid. Canonic. reſolut.* 3. *num.* 18. Religionem illam, quæ Choro deputatur, perfectiorem eſſe eâ, quæ eodem caret. Ea fortè ratione extat etiam opinio illa Soti, quam tradit *lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. *de Jure, & Juſtitiâ*, quod Ordo ille, qui Choro caret, vix mereatur nomen Religionis; contrà quem agit Leſſius *lib.* 1. *cap.* 41. *dub.* 2. *num.* 23. Ut autem omnes omninò Choro deputati habeant rectam eum frequentandi regulam, operæ pretium duxi hanc formam hîc conjungere ex Octavio Frangipanno Epiſcopo Tricarienſi *tit. de divinis Officiis*, ità præſcribente.

Cùm aderit hora divini Officii celebrandi (inquit) *quiſque cum omni alacritate primus in excubiis Domini inveniri ſtudeat, non vanum, nec inane reputans, aut in die æternæ retributionis negligendum, ſi alios ſemper prævenire ſtuduerit, ac prior Dominum ſalutare: & plus damnationis, quàm laudis habere, adeoque tepidi, faſtidioſi, negligentis, otioſique animi indicium eſſe, ad ultimum Campanæ motum exſpectare, & avari, irreligioſique hominis præ ſe ferre notam, deſinente campanarum ſono, ad Eccleſiam certatim accurrere, & inſtar venatorii Canis hiante ore ſpiritum trahere.*

Ubi quiſque Templum fuerit ingreſſus corpore, & mente ante Tabernaculum Corporis Dominici in genua provolutus, per virtutem, ac Myſterium illius Sacramenti, ſeſe Deo brevi, & ardenti oratione commendet, atque in illum tamquam unicum totius divini cultûs principium, medium, & finem, omnem intentionem, atque attentionem animi configat; indeque mox cum ſilentio, in Chorum ad locum ſuum ſe conferat.

Porrò, ſi uſquam vultu, moribus, affectu, totiuſque exterioris, & interioris hominis compoſitione declaranda in Deum pietas, atque religio eſt, ea in Templo, in Choro, in ipſis divinis Officiis, ac publicis Religionis exercitiis declaranda eſt: parum enim in Deum pius, ac religioſus eſſe convincitur, qui hic irreligioſus invenitur.

In Choro nemo privatim ſibi Officium dicat, & vocem Choro ſubtrahat; nemo

mo libros, litteras, aliaſque ſcripturas legat, nemo ut alterius errorem corrigat, murmurando, ridendo, contentioſe clamando, obſtrependo, vel alio modo publicum Officium interturbet: unus cum alio non colloquatur, non hàc, illacque vano animo, curioſoque oculo circumſpiciat, multò minus huc, atque illuc per Templum vagetur, aut confabulandi gratiâ in Sacriſtiam, aut Sacrarium, vel alium angulum ſecedat, ſed nec locum quidem mutet, nec è Choro egrediatur, niſi peractis ex toto divinis Officiis:

Angelicum cantandi Officium non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, neque parcentes vocibus, ſed alacriter perficiant, & quo majore funguntur honore, quove nobilitatis genere ſecundùm carnem fuerint clariores, eò clariori voce, & affectu omnes pariter, ſenes cum junioribus, ſine ullâ reprehenſibili verecundiâ, aut rubore, in Pſalmis, Hymnis, & Canticis laudent nomen Domini:

Singuli verſus, ſingula verba, ſingulaque ſyllabæ ad gloriam, honorem, & cultum Dei, ad cantantium, & audientium ædificationem, ſtudioſè, reverenter, diſtinctè, clarè, ac intelligibiliter, devotèque pronuntientur; ut canentium, & audientium mens, ſenſum verborum percipiat, priuſquam verba ipſa tranſmittantur: minimè verò ſyllabæ ſyllabis, verba verbis, verſus verſibus involvantur: præterquam enim, quod præceps, & inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat, quàm adjiciat:

Populum magis ſcandaliſet, quàm ad pietatem & devotionem excitet, magnam quoque animi impotentiam, atque imperfectionem Cantorum arguit, eoſque potius effrani quodam animi impetu rapi, quàm rectæ rationis imperio duci convincit.

Omnis cantus eâ moderatione inchoëtur, ut cum ſuavi vocis modulatione ſine reconditâ vociferatione, boatu, vociſque raucedine perfici queat, ita ut verè cantus ſit, & non clamor, aut diverſarum vocum ſtrepitus.

Sive ſtent, ſive in genua procumbant, ſive ſedeant, ab omni indecoro innixu, ſive in ſcamnum, ſive in murum, vel aliquid aliud abſtineant. Denique, ita ſe in omnibus religioſis officiis gerant, ab iiſque divinus cultus ſic peragatur, ut nihil in eo deſideretur, quominus, & Deo gratus ſit, & hominibus placitus, eoſque non modò aliquid in eo non offendat, ſed omnia ædificent, inſtruant, atque reficiant.

SECTIO IX.

De vitâ, & honeſtate Clericorum.

PRæclarè, & compendioſè hâc de re Synodus Trid. Seſ. 22. cap. 1. Reform. *Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cùm enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tamquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur.*

Quapropter ſic decet omninò Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant. Levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cùm igitur, quò majore in Eccleſiâ Dei, & utilitate, & ornamento hæc ſunt, ita etiam diligentius ſunt obſervanda: ſtatuit S. Synodus, ut quæ alias à ſummis Pontificibus, & à Sacris Conciliis de Clericorum vitâ, honeſtate, cultu, doctrinâque retinendâ, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis copioſè, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem impoſterum, iiſdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur. Idem injungunt Concilia Provincialia, & alia quarumlibet Eccleſiarum ſtatuta.

Exemplo ſint cæteris bonorum operum.

Primò ergo proponitur à Concilio Clericorum obligatio ex vi eorum inſtituti, ut cæteris ſint exemplo bonorum operum, nulli dantes ullam offenſionem, ne vituperetur miniſterium eorumdem, ſed alii videant opera bona eorum, & glorificent Patrem, qui in Cælis eſt. Obligatio illa Clericorum, eò eſt major, quò ſæcularium oculi, & animi in Clericorum vitam, ac mores obſervandos acuuntur, & aſſiduè quærant, quod reprehendant. Hinc etiam *facilè delinquit, qui aſſiduè obſervatur.* Requiritur ergò, ut vitam, & mores rectè componant, quod facit virtus modeſtiæ religioſæ, quæ juxtà S. Ambroſ. *lib.* 1. *offic. cap.* 18. ex optimâ quâdam animi diſpoſitione ortum ducens, exteriorem hominis habitum, geſtum, alioſque illius actus debitè componit, ut ex eâ compoſitione proximus queat ædificari. Quod enim ad compoſitionem habitûs attinet, etſi habitus Monachum non faciat, ut ait idem Concilium *Seſ.* 14. *cap.* 6. *Reform.* oportet tamen, Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitûs extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Sicuti enim, ait S. Baſilius *in reg. fuſ. diſp. q.* 22. peculiari quidam in veſtitu eſt ornatus Militis, alius Senatoris, itemque alius aliorum: ſic decorum eſt, hominem ſacris myſteriis addictum in veſtitu etiam aliquid à cæteris obſervare, per quod ab Apoſtolo traditum, modeſtum illum ornatum conſervet. Proprius interim Clericorum habitus, nullibi determinatur, ut notat Zypæus, *Juris Pont. lib.* 3. *de hoc tit. num.* 5. niſi, quod nimia brevitas, & longitudo reprobetur; ac debeat eſſe talaris, id eſt, dependens uſque ad talos; & color ruber, ac viridis prohibeatur: & Barboſa *juris Eccl. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 20. dicit, eas veſtes Clericis decentes, quæ à communi uſu, & conſuetudine Provinciæ, in quâ commorantur, reperiuntur admiſſæ. Synodus tamen Mechlinienſis 1607. ſtatuit *titulo* 18. *cap.* 4. ut Clerici in oppidis veſtes geſtent ſuo Ordini congruentes; puta, tunicas exteriores manicatas, & biretum Clericale, quod eſt Eccleſiaſticorum hominum proprium, ad formam Crucis confectum. Hujus tamen bireti obſervantiam Clericis ſuis remiſit

Modeſtia.

Habitus Clericorum.

Epiſ-

Epiſcopus Antverpienſis in acceptatione dicti Concilii, idque ob ſingulares illius loci reſpectus, ut ait Zypæus ibid. *num.* 6. Si tamen galero utendum ſit, vetat Synodus, ne ſit ſericus, aut inſtar militarium turbinatus. Qui verò ruri agunt, veſtem interiorem, ut minimum, ad dimidium tybiarum uſque promiſſam habere debeant. Et generaliter ſtatuit (eò quòd mundana curioſitas quotidianas adinveniat levitates) ut ille habitus Clericis cenſeatur eſſe interdictus, à quo Epiſcopus mandaverit abſtinendum; cui mandato ſi non obtemperaverint, poſſint etiam uſque ad privationem beneficiorum puniri. Poteſt tamen aliquando excuſare à geſtatione habitûs Clericalis neceſſitas; ut puta, in itinere per partes hæreticas, aut ibidem commorando: quo tamen caſu ſollicitè monet Illuſtriſſimus Caſtorienſis Clericos ſibi ſubjectos, ut caveant, ne veſtis ſæcularis ignominiâ, quam illis neceſſitas imponit, abutantur ad luxum, aut gloriam; ne inde aurigationes, obequitationes, diſcurſus, luſuſque magis ſibi licita arbitrentur; perindè, ac ſi exuti Ordinis pondere, etiam abſoluti forent à legibus Eccleſiaſtico ſtatui accommodatis, & impoſitis. De cætero, nec niteat toga, nec ſplendeat, & juxta S. Ambroſii monitum *lib.*1. *offic.* Veſtimenta ſint communia, ut honeſtati, & neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitoris: & ut monet S. Hieronymus Nepotianum: ornatus, & ſordes pari modo ſunt fugienda; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet: unde paſſim jure deridentur ii, qui ut fœmina compti, omnem curam in veſtibus ponunt, & ut ait idem Doctor ad Euſtachium, quos, ait, cùm videris, ſponſos magis æſtimares, quàm Clericos.

Ad formam habitûs, ſpectat & tonſura Clericalis, etiam à principio Eccleſiæ uſurpata, & à Nazaræis dimanans, ut tradit Iſidorus *lib.* 2. *de Eccleſ. offic. cap.* 4. Qualis verò quælibet tonſura eſſe debeat, pendet etiam ex uſu, & conſuetudine Provinciæ cujuſque. De eâ formâ ita habet Synodus Antverpienſis anni 1610. tit. 17. cap. 3. *Volumus omnes beneficiatos, & in ſacris ordinibus conſtitutos, ſemper geſtare tonſuram Clericalem conſpicuam, gradui ſuo convenientem, & crines non habere ſetarum inſtar (quæ juvenilis eſt vanitas laicorum) erectos ſupra frontem, neque barbam ſtudioſè comptam, aut ab utroque oris latere militum more alatam.* Ut enim Apoſtolus 1. Cor. 11. *Vir, ſi comam nutrit, ignominia eſt ei:* Quod maximè urget in Eccleſiaſticis. Hinc varii docent, Clericum nutrientem comam, aut barbam, mortaliter peccare, & ſimilibus negandam eſſe abſolutionem: imò & Cap. *Si quis hoc tit.* excommunicantur: quod tamen de eo intelligi debet, qui monitus nolit hîc obedire. *Eſt autem Clericis tonſuræ ſignum*, ait Concilium Aquiſgranenſe cap. 4. *quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur: ſcilicet, ut hoc ſigno in Religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, atque inde innovatis ſenſibus, & comis rudibus eniteſcamus, exſpoliantes nos juxta Apoſtolum veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei, quam renovationem in mente opor-* Tonſura Clericalis

tet fieri, ſed in capite demonſtrari, ubi ipſa mens noſcitur habitare. Alii addunt, tonſuram ſignum eſſe ſervitutis Dei, prouti olim ſervi tondebantur, dum ſervituti mancipabantur. Denique, quod radi olim ignominioſum cenſeretur, ut & modò apud Turcas, & alios: Clericorum verò, ſit eſſe ſtultos propter Chriſtum. Videri poteſt Franciſcus Hallier Doctor Sorb. *de tonſurâ Art.* 2.

Requirit inſuper modeſtia Clericorum, ut in geſtu, inceſſu, & ſermone nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum demonſtretur, & ut nobis præſcribit S. Auguſtinus in Regula: *Inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* Eſt enim etiam in ipſo motu, geſtu, inceſſu tenenda verecundia, dum habitus mentis in corporis ſtatu cernitur, ut ait S. Ambroſ. *lib.*1. *offic. cap.* 18. Inceſſus autem, ait Baſilius *Epiſt.*1. eſſe debet, nec ſegnis, ne animum diſſolutum declaret; nec rurſus inſolenter incitatus, ne concitatos impetus animi ſignificet. Subdit ibidem: quod, qui pietati ſtudent, cavere debeant, ne in riſum præter morem ſint effuſi, eò quòd riſus immoderatus, intemperantiam ſignificet mentis, & juxtà S. Scripturam fatuus in riſu exaltat vocem ſuam, ſapiens autem vix tacitè ridebit.

Inceſſus Clericorum.

Sermo quoque Clericorum, prudentiæ ſale ſit conditus: non ſit immoderatus, quia in multiloquio non deërit peccatum, omnis immunditia, nec nominetur inter illos, ſicut decet ſanctos. Mentiri Sacerdos CHRISTI perjurium putet, & ut ait S. Hieronymus, tantus ſit in eo amor veri, ut quidquid dixerit, juratum putet. Convitia, detractiones, & ſimiles maledicentias, non ſolùm neſciat, ſed & maximè adulationem, etſi eadem teſte eodem S. Doctore, humilitatis, ac benevolentiæ loco duci ſoleat; unde fit, ut qui adulari neſcit, aut invidus, aut ſuperbus reputetur. Apoſtolicum eſt, non inveniri in ſermone adulationis. De cætero, *ſi quis putet ſe Religioſum eſſe* (aut Clericum) *non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Jacobi 1.

Loquela Clericorum.

Interdicitur præterea Clericis omnis luxus, commeſſationes, aleæ, choreæ, luſus, & negotia ſæcularia, quibus nemo Deo militans ſeſe poteſt implicare. Quod ad luxum attinet, graviſſimè ſemper fuit ille ab Eccleſiâ condemnatus in Clericis, quorum profeſſio eſt humilitas. Hinc Concilium Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 1. *reform.* ſtatuit, ut non ſolùm modeſtâ ſupellectili, & menſâ, ac frugali victu contenti ſint; verùm etiam in quocumque vitæ genere, ac totâ domo caveant, ne quid appareat, quod à ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, & vanitatum contemptum præ ſe ferat. Alios graviter perſtringit, ut fures S. Bernardus nomine egenorum in Epiſt. ad Henricum Senon. quòd egenis crudeliter ſubtrahant, quod inaniter expendunt; & illorum neceſſitatibus detrahant, quidquid eorum vanitatibus accedit. Enimverò, nihil ita ſcandaliſat plebem, quàm vanitas, & luxus Eccleſiaſticorum, prouti exemplo declarat Gerſon de temperantiâ, & veſtitu Prælatorum.

Varia Clericis interdicta.

Luxus.

Digitized by Google

torum. *Audivi*, ait, *his auribus unum ex Principibus noſtri temporis praecellentem, coram quo, dum fieret ſermo de refrenatione, & moderatione pomparum ſtatuum in Regno Franciæ nimis exuberantium, & aliarum expenſarum, propter quas (niſi proviſum fuerit) fraudes, rapinæ, & injuſtitiæ, & odia, & ſeditiones ſaltem occultæ fiunt, propter quæ omnia, teſte Sapiente, regnum de gente in gentem transfertur: Reſpondit indignabundus Princeps ille: Incipiant Eccleſiaſtici, apud quos tota pompa eſt, tota ſuperbia, & in veſtibus, & in prandiis, & in omnibus.* Utinam illud idem regeri non poſſet his noſtris temporibus!

Commeſſationes quoque ſæpiſſimè interdixerunt Clericis ſacri Canones, ut *Cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi.* Idem monet Nepotianum Hieronymus dicens: *Convivia tibi vitanda ſunt ſæcularium, & maximè, qui honoribus tument. Rationem dat infra: quia facilè contemnitur Clericus, qui ſæpè vocatus ad prandium venire non recuſat.* Et S. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 20. *Convenire*, ait, *Eccleſiaſticis, & maximè miniſtrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia, vel ut ipſe hoſpitales ſuis peregrinantibus, vel ut eâ cautione nullus ſit opprobrii locus. Convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi habent cupiditatem, ſurrepunt etiam fabulæ frequenter de ſæculo, ac voluptatibus, claudere aures non potes, prohibere putatur ſuperbia, ſurrepunt etiam præter voluntatem pocula, &c.* Honeſtis tamen conviviis, quæ fiunt causâ charitatis, uti & Anniverſariis defunctorum intereſſe poſſunt Clerici; ita tamen, ut monet Synodus Mechlin. *tit.* 17. *cap.* 12. ut dum illis interſunt, ita ſe gerant, ut ſui Ordinis memores, & exemplo ædificent, enixeque dent operam, præſertim Paſtores, & qui authoritate aliquâ pollent, ne ſeſſio ſit nimis longa, vel in potu excedatur, aut inhoneſti aliquid fiat, aut dicatur. Additque cap. ſeq. ut in primitiarum celebritate à ſaltationibus, & omni aliâ inſolentiâ abſtineatur. Sic legimus in vita S. P. Auguſtini, eum aliquando conviviis interfuiſſe, ſed ut de rebus ſacris diſſereret, & difficiliores S. Scripturæ quæſtiones proponeret, & enodaret. Commeſſationes.

Variè etiam interdicitur Clericis intereſſe Comediis, ſpectaculis, choreis, haſtiludiis, &c. in *Auth. de ſanctiſ. Epiſc.* §. *Interdicimus*, *Cap.* 1. *diſt.* 37. & alibi. Barboſa tamen ibi ſuprà *num.* 59. putat non eſſe mortale intereſſe comediis ex ſolâ curioſitate, ceſſante ſcandalo; quia, ait, frequentiſſimum eſt Clericis comediis intereſſe. De ludu alearum, & taxillorum, vide, quæ dicta ſunt de ludis, & ſponſionibus.

Specialiter inhibetur eiſdem, ne graventur eorum corda crapulâ, & ebrietate, *Cap. A crapulâ*, ubi ebrioſus non deſiſtens admonitus ab officio, & beneficio ſuſpenditur. Quamquam enim ebrietas maximè hominem dedeceat, præ- Ebrietas. reliquis tamen dedecet Eccleſiaſticos; quâ ratione Apoſtolus damnat vinolentos; & Lex vetus Nazaræos à vino præcipit abſtinere: cùm enim caſtitatis voto ſoleant obligari, eidem voto nequeunt ſatisfacere ebrioſi, dum luxurioſa res ſit vinum; & ut ait rectè, & verè S. Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Epheſ. *Num-*

quam

Digitized by Google

quam ego ebrium caſtum putabo, qui etſi vino conſopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Imo SS. Patres, omnium ſcelerum matrem appellant ebrietatem; & Apoſtolus 1. *Cor.* 5. etiam ebrioſorum conſortia præcipit devitare, nec cum illis cibum ſumere, aut quovis modo commiſcere. Hinc providè Synodus Mechlinienſis tit. 18. cap. 7. *Ebrietas quemlibet hominem valde dedecet, quod mentis inducat exilium, ſed maximè perſonas Eccleſiaſticas, quod præter peccati, & ſcandali gravitatem, etiam libidinis fomitem ſubminiſtret. Quare & tantò diligentius omnes ab eà ſibi caveant, & in eam lapſi pro gravitate delicti, & ſcandali puniantur.* Et compendiosè Cap. *A crapulâ : de vitâ, & honeſt. Cleric. A crapulâ, & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant : unde vinum ſibi temperent, & ſe vino : nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cùm ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores : & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit, ab officio, vel beneficio ſuſpendatur.*

Frequentatio tabernarum

Et ut hujus criminis periculo Clerici opportunius ſeſe ſubſtraherent, interdicitur illis inſuper tabernarum frequentatio in cap. ſeq. niſi fortè in itinere ex neceſſitate eas oporteret intrare. Idem facit Conc. Trid. *Seſ.* 14. *cap.* 12. & Concil. Antverp. *tit.* 17. *cap.* 4. ita ſtatuit : *Ut tollantur ſcandala, pericula, ordinis Eccleſiaſtici contemptus, aliaque mala, quæ ex tabernarum viſitatione neceſſariò conſequi ſolent, diſtrictè obſervari volumus, ut quicumque Eccleſiaſticus (niſi peregrinationis, aut aliâ neceſſitatis causâ compulſus) tabernam bibendi causâ viſitaverit, incurrat pœnam* 3. *florenorum primâ vice, ſecundâ dupli, tertiâ quadrupli : quam pœnam inexcuſabiliter incurrere decernimus omnes, & ſingulos, qui id fecerint.* Idem fecit Synodus Mechlin. *tit.* 18. *cap.* 6. & habent alia omnium Eccleſiarum ſtatuta. Prudenter tamen Concil. Mediol. 1. *p.* 2. *tit.* 25. ſtatuit, ut Epiſcopi in ſuis civitatibus deſignarent pudicum, & honeſtum aliquod diverſorium, quo Clerici de foris venientes poſſent honeſtè hoſpitare.

Cella vinaria Eccleſiaſticorum.

Solent tamen etiam pleraque Canonicorum Collegia habere Cellam vinariam, ſive penuarium, ab acciſiis, & aliis oneribus immune, cui aliquis Eccleſiaſticus præſit, ut Canonicis bonum vinum procuret, ait Molanus *de Canonicis lib.* 2. *cap.* 18. Procuratur autem illud, teſte eodem, ad reverentiam Altari debitam, & ad Sacrificium Miſſæ, conſecutivè etiam ad victum Eccleſiaſticorum, non ad compotationes, & ebrietas : ubi etiam incuſat Clericos, qui confratres ſuos contra Concilii Lateran. Decreta cogunt ad æquales hauſtus; quam, ait, impietatem Guilielmus du Païs Abbas Floreffienſis Ord. Præmonſt. eleganter hoc Diſticho depinxit.

Is quater eſt latro, dum ſe, ſociumque trucidat,
Utriuſque animam, corpus utrumque necat.

Enim-

Enimverò, ſi Synodus Mechlinienſis anni 1609. *tit.* 17. *cap.* 7. decernat, ne ex Cellis vinariis ad Capitulorum, aut Cleri adminiſtrationem ſpectantibus lucra quærantur: & ſi ex eorum venditione omni expenſâ deductâ, emolumenti aliquid accreſcere contigerit, in pios uſus illud convertatur; credendum certè, multò minus eadem loca compotationibus, aut ebrietatibus eſſe deſtinata.

Severè etiam Clericis omnibus indicitur continentia, & ab omni ſuſpicione libidinis alienatio, idque ſub graviſſimis pœnis in jure contentis: quas quidem pœnas ad noſtra tempora ſine examine detorquendas non eſſe, docet Zypæus *lib.* 3. *Juris Pont. de cohabit. Cleric. & mul. num.* 2. addens *num.* 3. quod prohibitio cohabitationis Clericorum, & mulierum laudabilis ſit; ſed ob flegma hujus climatis hîc nunquam fuerit recepta: tametſi, cùm in Concilio Provinciali Mechlinienſi 1607. decretum eſſet, ut quilibet Sacerdos ancillam è domo, ab Epiſcopo juſſus, dimitteret; cùm Romæ ea Synodus probanda ſiſteretur, id circumductum, atque deletum eſt; non aliâ (ut credit) causâ, quàm ne per hoc videretur derogari Decreto, ne cum Clericis mulieres habitent. Nec enim Itali, aliique, poſſibile id credunt, quod nos indies obſervamus. Prohibent interim Statuta Belgica, omnem omninò ſuſpectam cum feminis converſationem. Synodus Mechlinienſis 1609. *tit.* 17. *cap* 6. ita ſtatuit: *Ut in hâc hominum malignitate omnis Cleri ſuggilandi occaſio adimatur, & ſcandalis tempeſtivè occurratur, non tantùm incontinentiam, ſed omnem quoque ejus ſpeciem unuſquiſque caveat: ideoque, ſi quis ancillam habeat, vel cum aliâ muliere ſic converſetur, ut obloquium, vel ſcandalum oriatur, admonitionem noſtram, vel etiam Capituli, ſub quo quiſque degit, hanc ancillam abdicare, ſeu ab hujus mulieris familiaritate ſe ſubſtrahere mox teneatur. Quod niſi fecerit, primùm unâ librâ groſſorum mulctetur, ad opus Seminarii Archiepiſcopalis: & pertinacius perſeverans, arbitrariam, eamque gravem pœnam ſubeat.* Hæc, & alia ſimilia hâc in re prohibet Synodus Antverpienſis 1610. *tit.* 17. *cap.* 6. puta, ne cum ancillâ umquam ad convivia, multò minus ad tabernas accedant; & Synodus Mechlin. anni 1607. *tit.* 18. *cap.* 8. ſtatuit, mulieres ſuſpectas ab Ordinario monitas, nec ſe ab eorum conſuetudine ſubtrahentes, extra oppidum, vel Diœceſim, invocato etiam, ſi opus ſit, brachio ſæculari, ejiciendas. Notat tamen Zypæus ſuprà *num.* 4. ſolarum ſuſpectarum conſortia Clericis eſſe interdicta. Conti-nentia.

Notari interim hîc poteſt, quod ſcribit S. Hieronymus ad Oceanum his verbis: *Prima tentamenta Clericorum ſunt feminarum frequentes acceſſus: iſte ſexus reprehenſibiles exhibet Clericos. Quid tibi revera cum feminis, qui ad Altare cum Domino fabularis? te in publico cuncti, te in agro Ruſtici, Aratores, ac Vinitores quotidie lacerabunt, ſi contra depoſitum fidei, cum feminis habitare contendis...... mihi crede, non poteſt toto corde cum Domino habitare, qui feminarum acceſſibus copulatur.* Credendum eſt illi tamen, qui antequam S. Paulæ domum noſſet, omnium penè judicio, ſummo Sacerdotio dignus decernebatur; dicebatur ſanctus, humilis, & diſertus, ut ipſe ſcribit ad Aſellam: ſed

ſed eâ cognitâ (in Chriſto tamen) Romam relinquere coäctus eſt, & obtrectatorum linguis cedere.

Negotia ſæcularia Clericis prohibita. Prohibentur denique Clericis negotia ſæcularia, dum nemo militans Deo poteſt ſe illis implicare. Similia negotia cenſentur, agere Advocatum, Procuratorem, &c. niſi in caſibus exceptis, de quibus egimus Sect. 27. de Judiciis. Notari poſſet, quod ſcribit Concilium Pariſienſe ſub Ludov. & Loth. quod ſit indecorum videre Sacerdotes pro forenſibus negotiis huc, illucque currentes, & diſcurrentes, interim dum ex eorum abſentiâ, & loca Deo dicata debito cultu privantur. Sacerdotum enim, & omnium Eccleſiaſticorum eſt ſtudere paci, & concordiæ, non litibus: vacare Eccleſiæ, non Curiæ, & Tribunali. Huc referuntur negotiationes quælibet, quas agendo de negotiatione, diximus Clericis eſſe prohibitas. De ſimilibus ità ſtatuit Concil. Aquiſgran. 2. p. 3. cap. 8. *Sacerdotes, qui contrà ſtatuta Canonum villici fiunt, turpia lucra ſectantur, & per diverſos mercatus indiſcretè diſcurrunt, ſummâ diſtrictione, & ſeveritate coërcendos eſſe: ne ſcilicet per eorum illicitam, indecentemque actionem, & miniſterium Sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant eſſe exemplum, in eorum deveniant ſcandalum.* Et Synodus Antverpienſis ſuprà cap. 7. *Nullus Eccleſiaſticus per ſe, vel per alium negotiationem vel aliud officium Clerico indignum exerceat, nec decimas, aut agros, vel ſylvas caduas ad lignorum venditionem conducto accipiat, neque alicujus teſtamentum conſcribat, extrà caſum neceſſitatis, aut niſi ad hoc ſpecialiter ſit admiſſus.* Idem facit Synodus Mechlin. anni 1607. *tit.* 18. *cap.* 5. & anni 1609. *tit.* 17. *cap.* 9. vetat, ne Eccleſiaſtici artem medendi exerceant, aut minus Tabellionatûs, niſi in caſibus à jure permiſſis. Cap. 10. Omnem interdicit venationem, quæ fit cum armis, aut non ſine ſtrepitu, Canes quoque ad venandum, Accipitres, aut Falcones alendos. Vide, quæ dicta ſunt de venatione Clericis interdictâ cap. 2. Sect. 3. tract. 1. Imò & Edicto 21. Feb. 1528. in Belgio, Eccleſiaſticis interdictum eſt negotiari, aut paſcua conducere, ſub pœnâ contribuendi onera adinſtar ſæcularium. Cod. Belg. 5. *Gheeſtelyckheyt* §. 33.

Tenentur inſuper Eccleſiaſtici abſtinere ab omni ſordido quæſtu, aut ignominioſis artificiis, etſi poſſint honeſtâ arte victum quærere, ſi neceſſitas urgeat, exemplo Apoſtoli Pauli, S. Lucæ, Antonii, & aliorum. Specialiter tamen illis interdicitur ars Alchimiæ, ars Medica, Legum civilium ſtudium, ut tradit cum aliis Barboſa *Juris Pontif. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 135. & ſeq. Prohibentur inſuper Eccleſiaſtici geſtare arma, niſi tempore neceſſitatis, ut quando tranſeundum eſt per loca periculoſa, in obſidione, &c. idem *num.* 139.

Quæ hucuſque de vitâ, & honeſtate Clericorum dicta ſunt, compendioſè collige ex Iſidoro lib. de vitâ Cleric. Cap. *His igitur*, 23. Diſtinct. his verbis: *His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vitâ ſecluſi, à mundi voluptatibus ſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint, convivia publica fugiant, privata, non tantùm pudica, ſed & ſobria colant, uſuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum fraudiſque cujuſquam ſtudium*

dium appetant, amorem pecuniæ, quaſi materiam cunctorum criminum fugiant, & ſæcularia officia negotiaque abjiciant, honoris gradus per ambitiones non ſubeant, pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant; dolos, & conjurationes caveant; odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant, non vagis oculis, non effrani linguâ, aut petulanti, fluidoque geſtu incedant, ſed pudorem, & verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſuque oſtendant, obſcœnitatem etiam verborum, ſicut & operum penitùs abhorreant: Viduarum, & Virginum frequentationem fugiant, & contubernia extranearum feminarum nullatenus appetant; caſtimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conſervare ſtudeant, &c. Cætera hanc materiam concernentia latius deducta videri poſſunt apud Authores Aſceticos de vitâ Clericorum agentes, ſignanter apud Ludovicum Abbelly in ſuo Sacerdote Chriſtiano.

SECTIO X.

De Penſionibus: quid ſint, & quomodo imponantur.

Binsfeldius in *Cap.* 9. *de ſummâ q.* 2. ſcribit *penſionis* nomen multis Canoniſtis eſſe incognitum, ſed in Romanâ Curiâ eſſe notiſſimum. Earum enim ratio ad novum jus referenda eſt, ut ait Zyp. *lib.* 3. *Juris Pontif.* quandoquidem nullo Canone ſtabilitæ ſunt, imo potius Canones dicunt, beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione eſſe conferenda. Dicitur autem *penſio* à *pendere*, ſive quod à beneficio formaliter dependeat, uti uſusfructus à proprietate: ſive, quod ſtatis temporibus pendi ſoleat, uti dicitur *penſum* illud, quod, vel in pœnam, vel in ſervitium pendi debet. Originem penſionis perquam obſcuram eſſe, tradit Barboſa *de Jure Eccl. lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 53. & ex eo ait potiſſimum deſcendere, quod de Eccleſiæ poſſeſſionibus, ac reditibus, neceſſitati, & meritis Clericorum, & aliorum cœperit ſubveniri. Solet autem definiri penſio, *quod ſit certa portio ex alieno beneficio Eccleſiaſtico juſtâ de causâ ad tempus detracta, & ſeparata.* Alii dicunt, penſionem eſſe jus ad talem portionem, prouti dictum eſt de beneficio; adeo ut dicta portio ſit objectum illius juris. Penſiones olim incognitæ.

Dividitur autem penſio in temporalem, ſpiritualem, & mediam, vel ut alii, in laicalem, & Eccleſiaſticam. *Spiritualis* eſt, quæ datur ob miniſterium ſpirituale Eccleſiæ, v. g. quæ datur Concionatori, Catechiſtæ, Confeſſario, Sacriſtæ, ob Concionem, Catechiſmum, Confeſſionum audientiam, &c. *Temporalis*, ſive *laica*, eſt illa, quæ datur etiam laicis ob miniſterium temporale, v. g. quæ datur Oeconomo Eccleſiæ, ejus Advocato, Protectori, &c. ſic Regi Catholico, ait Toletus *lib.* 5. *cap.* 83. data eſt ab Eccleſiâ tertia pars decimarum. *Mixta* eſt, quæ datur alteri reſignanti, aut cedenti ſuum beneficium, quæque hodie, ait ille, frequentatur; diciturque illa, quæ quidem datur in causâ ſpirituali, non tamen datur ad præſtandum ſervitium ſpirituale, v. g. quæ datur Clerico pauperi ob ſuſtentationem: & hanc quoque comprehendunt alii ſub penſione Eccleſiaſticâ. Penſio laica, non eſt res ſpiritualis, ſed tem- Quid ſit penſio, & quotuplex.

temporalis; ac pretio æſtimabilis; neque etiam in titulo ſpirituali fundatur, neque ad functionem ſpiritualem refertur, & conſequenter non eſt materia ſimoniæ juris divini, prouti eſt Eccleſiaſtica, quæ eſt quid ſpirituale, cùm more beneficii ſit annexa ſtatui ſpirituali, puta Clericali, & proximè datur ob miniſterium ſpirituale. Verùm de hac re latius de ſimoniâ.

Quis poſſit penſiones imponere.

Facultas imponendi penſiones de conſuetudine, & praxi Romanæ Curiæ regulariter competit ſoli Pontifici, eò quòd hic habeat pleniſſimam poteſtatem diſponendi de beneficiis Eccleſiaſticis, eorumque fructibus. Et notat Binsfeldius *in Cap. 9. de ſimoniâ* cum aliis, id expedire Eccleſiæ: ſi enim Epiſcopi, ait, poſſent conſtituere penſiones, Eccleſiaſtici maximè tenuiores opprimerentur, & multi miniſtri Eccleſiæ miſerè viverent: divites, & potentes ob facilem acceſſum Epiſcoporum, & importunas preces facilè ſuper quibuſcumque beneficiis penſiones impetrarent in maximum gravamen Eccleſiæ: cauſas fingerent, ubi non ſubſiſterent, & maxima confuſio oriretur in Eccleſia. Quò enim rariores ſunt hujuſmodi penſiones, eò melius ſe habet Eccleſia. Inceperunt enim eo tempore, quo maximè Eccleſiaſtici, in pietate, moribus, & Eccleſiaſticâ diſciplinâ cœperunt deficere. Ita ille. Conceditur tamen à Concilio Trid. *Seſſ. 21. cap. 6. Reform.* Epiſcopis tamquam S. Sedis Legatis, ut ſi quis Parochus ob imperitiam ſit inidoneus, modò ſit aliàs honeſtæ vitæ, poſſint eidem adjungere Coadjutorem, cui penſio de ejus beneficio ab Epiſcopo ſit aſſignanda. Idem habet locum, ſi hoc neceſſe foret ob Paſtoris alicujus morbum, ſenectutem, &c. Et *Seſſ. 23. cap. 18.* concedit Epiſcopis facultatem inſtituendi, ac erigendi in ſuis Diœceſibus Seminaria ad educationem, & inſtructionem, ad quorum ſubſiſtentiam poſſunt aſſignare certas penſiones de beneficiis ſuæ Diœceſis. Poſſunt itidem Epiſcopi admittere, & per ſe approbare tranſactionem factam ad bonum pacis, ut altera tranſigentium pars fruatur beneficio, ſub onere penſionis alteri parti ſolvendæ. Cap. *De cætero, de tranſact.* Cap. *Niſi eſſent, de Præbendis*: ubi notat Proſper Fagnanus *num.* 40. quod Epiſcopus ordinariâ ſuâ poteſtate, neque pro bono pacis, ſeu ex cauſa concordiæ ad extinguendas lites poſſit imponere penſiones perpetuas, ſeu tranſmiſſibiles ad ſucceſſores beneficii, quod ibid. multis uſque ad finem probat. Eamdem facultatem habet Legatus à latere, qui eamdem cum Epiſcopo habet facultatem in ſua Provincia, imo majorem, *Cap. Legatus, de offic. Legati.* Aliis Legatis, Nuntiis, ac Internuntiis id denegatur, niſi ſpecialiter id illis à S. Sede fuerit conceſſum. Poſſunt quoque ex dictis cauſis quilibet Regularium ſuperiores imponere penſionem in beneficiis ſuæ Religionis manualibus, & amovibilibus, quæ in proprietatem Religioſo non tranſeunt. Idem poſſunt Generales, & Præceptores militares reſpectivè quoad Commendas ſuorum Equitum. Ita Barboſa ibi *ſuprà num.* 61. *&* 62. nemo tamen poteſt propriâ authoritate ſibi imponere penſionem propriè dictam: etſi enim poſſit quis ſeſe obligare alteri ad ſolvendam certam portionem fructuum ſui beneficii; tamen portio illa non eſt propriè penſio; tum, quia non conſtituitur ab habente legitimam poteſtatem; tum, quod inde non exſurgat

ulla

ulla obligatio Clericalis, aut recitandi Officii : unde ſit, quod talis obligatio ſit potius contractus quidam civilis, qui poteſt cum beneficiario à quocumque lege non prohibito celebrari.

Ad penſionem requiritur juſta imponendi cauſa.

Requiritur etiam ad debitam impoſitionem penſionis legitima cauſa; *Sicuti enim*, ait Toletus lib. 5. cap. 83. num. 2. *Papa, cùm diſpenſat in voto, non facit hominem ſecurum in conſcientia, niſi cauſa adſit : ita in penſionum, & beneficiorum diſtributione. Cauſa autem hæc debet eſſe in utilitatem Eccleſiæ, cujus ſunt bona : ſi enim nullâ viâ in Eccleſiæ hujus, vel univerſalis utilitatem tendant, non eſt cauſa legitima.* Vide dicta Cap. 1. tract. 4. Sect. ult. ubi confirmavi, Pontificem non eſſe Dominum beneficiorum, ſed Diſpenſatorem, & ſi ſine causâ diſpenſet, juxtà S. Bernardum eſſe potius Diſſipatorem. Verum quidem eſt, quod Pontifex non debeat in impoſitione penſionis cauſam imponendi exprimere, ut docet Fagnanus in Cap. *Niſi eſſent*, *de Præbend. num.* 16. etſi ad illud teneatur Epiſcopus. Illud tamen ideo non cenſetur, quia Pontifex beneficiorum omnium habeat dominium, quo poſſit pro ſuo arbitrio de illis, eorumque fructibus, etiàm ſine causâ diſponere : ſed potius ex eo, quod Pontifex penſionem imponens ſupponi oporteat habuiſſe legitimam cauſam. Neque ſolummodo dicta penſionis impoſitio ſine causâ legitimâ eſt illicita, ſed & invalida. Ratio illius eſt, quod, uti mox diximus, Pontifex non ſit niſi Oeconomus, ac Diſpenſator fructuum Eccleſiaſticorum, ac beneficiorum : adeoque, ſicuti dum quis res Domini ab Oeconomo accipit ſine causâ datas, donatio eſt invalida in tantum, ut teneatur eas Donatarius in conſcientia reſtituere, ita & in hoc caſu. Addit Victoria *relect. de ſimoniâ, num.* 50. Sanè, ſi Pontifex legatum pium alicujus ad curandum ſibi Sacrum quotidianum perpetuum, transferret aliò ſine juſtâ causâ, daretque alicui non ſacrificanti, nec curanti Sacrificium per alium; donatio non modò eſſet illicita, ſed etiam nulla, & invalida, & Donatarius non eſſet in conſcientia ſecurus. Sed fructus Eccleſiaſtici nihil aliud ſunt, quàm legata pia, relicta in has, vel illas cauſas; adeoque ſi ſine causâ alteri fini inaniter profundantur, aut donentur, donatio erit invalida in foro conſcientiæ, etſi in foro externo infirmari non poſſet.

Quæ ſit cauſa imponendi.

Cauſa autem legitimæ impoſitionis juxtà Toletum ſuprà, eſt utilitas Eccleſiæ particularis, aut univerſalis. Specialiter hanc determinat Molanus *Theol. pract. tract.* 2. *cap.* 41. *num.* 12. *& ſeq.* 1. dicendo, quod ſit cauſa litis, *ſed colluſores*, ait, *puniuntur*. 2. Ex cauſa permutationis. 3. Propter miniſterium. 4. Propter paupertatem perſonæ Eccleſiaſticæ. Hæc enim omnia, & ſingula præbent juſtam cauſam, ſeu titulum imponendi penſionem; dum dignum eſt, & juſtum, ut lites, & diſcordiæ in Eccleſia ſopiantur; ne interea, dum litigatur, Eccleſia debito miniſterio deſtituatur : Deinde, æquum non eſt, ut abſque compenſatione permutet quis pinguius beneficium cum tenui; quæ proindè compenſatio fit per penſionem impoſitam, quæ eo caſu tam utilis eſt Eccleſiæ, quàm ipſa permutatio. Sic neque juſtum eſt, abjicere Miniſtrum Eccleſiæ, qui diu ſtrenuè laboravit, neque ampliùs præ ſenio, aut alio incom-

modo poteſt laborare. Si enim & milites benè meritos de militiâ, jam factos impotentes abjicere inhumanum ſit, & crudele: quantò magis id iniquum erit in Miniſtris Eccleſiæ? Enim verò, & Canes, & Equi poſt labores ſæpè ſuſtentantur jam facti impotentes: quid ni, & homines ejuſmodi id promerentur præſtito ſervitio condigno? ſed illa ſæpè eſt hominum ingratitudo, aut invidia, ut priſtini laboris non recordentur, & mercedis loco reddant perſecutiones. Neque ſolùm illud promeretur obſequium Eccleſiæ præſtitum, ſed & præſtandum. Sic juſtum eſt, ut Clerici non habentes, unde vivant, ſeſe ſtudiis coäptantes recipiant portionem de fructibus Eccleſiæ, ut jam idonei, poſſint eidem dignè inſervire. Et hunc caſum comprehendit quarta cauſa à Molano adducta.

Addit ille num. 16. *Sola autem cauſa reſignationis non ſufficit: quare, qui beneficium retinere non poteſt, is nec penſionem inde retinere poteſt.* Et ratio hujus eſt, quod deſit juſtus titulus penſionem imponendi: quia, ſi reſignans officio ſuo functus antea fuerit, pro eo accepiſſe ſupponitur debitam fructuum compenſationem; & poſt reſignationem nullum habet jus, vel ad minimam partem fructuum illius beneficii, quod dimittit; niſi de cætero allegetur juſtus titulus redundans in Eccleſiæ utilitatem; puta, paupertas, miniſterium Eccleſiæ poſtea impendendum, &c. Solum verò miniſterium hîc prætendi poteſt, ſi de cætero habeat, unde ſufficienter ſuſtentetur: cùm pro illo jam antea receperit fructuum mercedem; neque labor unus, duplici ſtipendio compenſatur. Viderint hîc illi, qui ſine ullo penitùs ſcrupulo, ex ſolâ reſignatione ſibi penſionem procurant, quàm ſint tuti in conſcientiâ in penſione tali obtinendâ, ſi habeant de cætero, unde competenter vivant. Neque enim talis cauſa reſervandæ penſionis à reſignante ratione ſolius reſignationis cedit in utilitatem Eccleſiæ, prouti debet cedere, ſi penſio ſit juſta. Quandocumque autem penſiones in privatorum aliquorum utilitatem diriguntur, ait Binsfeldius ſupra, *ut Domini magni, & Principes, tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares, nepotulos ſuos coronent, opibus augeant, & obſequia ſuarum familiarum præmio compenſent, aut eos à miniſterio promptiores, & in mercede mitiores ſentiant, graviſſimè peccatur, & bona Eccleſiæ, patrimoniumque* CHRISTI *miſerè diſſipatur, infideliterque adminiſtratur.*

Penſio debet eſſe moderata. Nec ſolùm exigitur in imponendâ penſione juſta imponendi cauſa; ſed requiritur etiam, ut penſio ſit honeſta, & moderata. Et quidem olim, juxtà Toletum ſupra, non aſſignabatur, niſi pars tertia, etſi in Romanâ Curiâ ſolerent aliquando taxari ad medietatem fructuum. In Galliâ rogantibus Eccleſiæ Præſulibus anno 1670. ſtatutum eſt, ne penſio excederet tertiam fructuum partem, & ut deducta penſione adhuc ſeper ſit proviſio ſolidus 300. librarum proventus, non computatis emolumentis caſualibus, & deductis omnibus beneficii oneribus: neque etiam reſignanti poſſit dari penſio, niſi 15. annis illi beneficio deſerviiſſet. Quæ intellige de penſionibus ſuper Præbendis Eccleſiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, aut Parochialium, ſeu, ſuper bene-

beneficiis curatis. Ita Cabaſſutius *Theoria*, *&c. lib* 2. *cap.* 14. *num.* 25. addens, hoc Edicto non præjudicari neceſſariis lituum circà beneficia tranſactionibus, quæ vix fieri poſſunt, niſi aſſignatâ penſione. Idem dic de cauſâ permutationis, & paupertatis. Eâ quoque ratione Concilium Trid. *Seſ.* 24. *Cap.* 13. *Reform.* vetuit gravari Eccleſias Parochiales, quæ ſummam 100. ducatorum annuè non excedunt. Idem ex aliis tradit Zyp. *lib.* 3. *Juris Pontif. de beneficiis ſine diminut. &c. num.* 8. de Canonicatibus Cathedralium eam ſummam non excedentium. Imo, generaliter aliqui eam penſionem dicunt eſſe immoderatam, quæ tanta eſt, ut beneficiario non relinquatur ſufficiens fructuum portio, quâ honeſtè queat ſuſtentari. Unde iniquiſſimum eſt, ait Toletus ibi, nec excuſabile, omnes fructus exigere pro penſione, & maximè ex beneficio habente curam. Hoc enim caſu illi, qui non laborat, contingit manducare, contra præceptum Apoſtoli, imò contra jus naturæ, quod ſtipendium vult aſſignari laboranti. Oportet in hunc finem maximè attendere ad conditionem temporis, dum penſio alicui beneficio, v. g. Abbatiæ impoſita hoc tempore erat moderata, deficiente Abbatiâ, aut ferè diruta, cenſebitur eſſe iniqua, niſi pro ratâ inopiæ penſio ipſa diminuatur. Ex aliâ quoque parte hîc ſolet aliquando graviter delinqui, ut notat dictus Author *dum tot cumulantur penſiones, ut ſuſtentationem excedant hominis Eccleſiaſtici. Unde*, ait, *mirabilis eſt abuſus eorum, qui multis hinc indè ſe onerant penſionibus, cùm unde vivere poſſint pro conditione ſuâ, ſatis multa habeant; & quod pejus eſt, nulla adſit cauſa, propter quam, vel unam poſſint habere: quibus vix poteſt perſuaderi, ut vel minima penſioni renuntiare ullo pacto velint, ſed morte tandem velint nolint, coguntur male poſſeſſa, & terrena dimittere.* Neque ejuſmodi hîc juvat diſpenſatio Pontificis ab illis ſæpè prætenſa, quæ juxta eumdem Authorem *lib.* 5. *cap.* 81. *num.* 4. poſſet quidem obtinere locum in foro externo, neutiquam verò in foro conſcientiæ, niſi innitatur juſtæ cauſæ utilitatis Eccleſiæ.

Obtinere autem penſiones quilibet poteſt, quotieſcumque ei legitimè aſſignantur, dummodo ſit Clericus, ætatis legitimæ, nullis cenſuris ſit irretitus, non irregularis, non conjugatus, nec illegitimus. Etſi enim de jure communi laicus ſit capax penſionis: tamen de ſtylo Curiæ non ſolet dari niſi Clericis, uti docet Flaminius *lib.* 6. *reſign. cap.* 2. *num.* 142. Et ſi aliquando illi detur, ſolet apponi clauſula, *quam primum Clericali charactere inſignitus fuerit.* Alii quoque ad penſionem requirunt 14. annos, prouti ad beneficium: verum 7. anni ſufficiunt, uti ex ſtylo Datariæ id probat Barboſa habitâ de eo experientiâ, *lib.* 3. *Juris Pontif. cap.* 11. *num.* 42. Conjugatis quoque adimitur penſio (Clericalis ſcilicet, de quâ hucuſque loquimur) imò etiam idipſum tradunt aliqui apud eumdem Authorem *num.* 30. fieri ſtylo Curiæ, etſi nullo ſpeciali onere ſpirituali adjecto ſint conſtitutæ. Excipiuntur tamen hîc varii ex indulto Pontificio, ut ſunt varii variorum Ordinum Milites, quibus ex ſpeciali gratiâ Pontifex concedit penſionum re-

Qui poſſint penſiones obtinere.

ten-

tentionem uſque ad certam taxam, etſi Matrimonium ineant, prouti aliquos adfert ibidem idem Author. Illegitimi etiam incapaces ſunt penſionum Clericalium, niſi ex diſpenſatione reddantur capaces. His adde filios Clericorum, qui ex illegitimo matrimonio nati ſunt, qui non poſſunt habere penſiones de fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel obtinuerunt. Videri poteſt Barboſa dicto loco latius eâ de re diſſerens; addens penſionem temporalem non amittere matrimonio junctos, neque etiam illegitimos, ut docet *num.* 26. & 35.

Porrò, etſi in permutatione beneficii, reſignatione, & unione beneficiorum requiratur conſenſus Patroni; non tamen requiritur ille in penſione imponendâ; cùm illud nullo jure ſtatuatur, nec impoſitione penſionis fiat ullum Patrono præjudicium, cùm illius ſit ſolummodo præſentare aliquem ad Beneficium. In Gallia tamen, teſte Deſpeiſſæo *tit.*7. *num.*12. aliud praxis obtinet, ſive jus Patronatûs Regi competat, ſive particulari, niſi fortè penſio tanto tempore fuerit perſoluta, ut meritò Patroni conſenſus cenſeatur tacitè adveniſſe. Videtur tamen in imponenda penſione neceſſarius eſſe conſenſus beneficiati: cùm enim penſio ſit onus beneficii; æquum eſt, ut qui beneficium illud ſuſcipit, ejuſdem oneris ſit conſcius: quo fit, ut quando abſolutè nollet ſuo beneficio imponi penſionem, eo ipſo cenſeatur nolle beneficium; quod ſi admittat, cenſetur quoque in penſionem conſentire, etſi ægrè, & repugnanter. Ratione hujus connexionis inter penſionem, & beneficium, cenſetur reſignans beneficium, cui annexa eſt penſio, reſignando transferre obligationem penſionis in reſignatarium, eò quòd obligatio ſolvendi penſionem annexa ſit beneficio, & res tranſeat ad alium cum ſuo onere. An autem Penſionarius etiam debeat ſolvere penſiones à reſignante, aut prædeceſſore omiſſas, mox dicetur.

Super quæ Beneficia poſſint penſiones imponi.

Poſſunt autem penſiones conſtitui ſuper omnia beneficia à Pontifice: regulariter tamen loquendo, non poteſt (ut ante inſinuavimus) imponi Parochiali, cujus fructus non excedunt ſummam 100. ducat. *Trid. Seſſ.* 24. *cap.*13. Nec etiam de jure antiquo illi beneficio, cujus omnes reditus conſiſtunt in diſtributionibus; & generalis regula obtinebat, quod, ubicumque requireretur certum ſervitium ad conſequendos fructus, non poſſet illis imponi penſio. Aliud tamen habet jus novum, ut notat Flaminius *q.*2. *lib.*6. & Galliæ praxis retinet jus antiquum, adeo ut penſio imponi nequeat beneficio reſidentiam requirenti, cujus fructus ſiti ſunt in diſtributionibus, quomodo in Parlamento Burdigalenſi judicatum refert Deſpeiſſ. ſuprà *num.*10. Addiderat *num.*9. Quod neque ibidem penſio imponi poſſet Præbendis Theologalibus. Neque Epiſcopatus etiam, cujus reditus mille aureos non attingunt, gravari poteſt aliquâ penſione: Concil. Trid. *Seſ.*24. *cap.*13. Beneficia quoque Commendata æquè penſionibus gravari poſſe, ac alia quælibet beneficia, conſtat ex praxi, & ex aliis docet Azorius *p.*2. *lib.*8. *cap.*8. *num.* 8.

Varia

Digitized by Google

Varia autem eſt Penſionarii obligatio, uti & titularis penſione obligati. Prima obligatio Penſionarii eſt, quod ex Conſtitutione Pii V. teneatur ad Horas parvas de Dominâ, idque ſub pœnâ reſtitutionis fructuum pro ratâ omiſſionis, de quo antea Cap. 3. Sect. 2. 2. Tenetur pro ratâ penſionis ſolvere onera beneficio impoſita, niſi fortè penſio ſit reſervata libera, & ab omni onere exempta: quo caſu gravamina beneficii redundant in titularem. Ita Pariſ. *l.* 2. *q.* 2. *num.* 135. *de reſign.* Imo clauſula exemptionis ab omni onere, etiam videtur excludere onera extraordinaria, ut contrà alios tradit Azorius *cap.* 12. 3. Tenetur Penſionarius, teſte Fagnano in Cap. *Ad audientiam*, *de reſcriptis*, & aliis, ad charitativum ſubſidium Epiſcopo contribuendum pro modo penſionis, item ad partem annatæ in nova proviſione ſolvendam, & cætera onera, vel Regi, vel ſummo Pontifici tribuenda; idque ex eo, quod penſio ſit pars fructuum beneficialium, adeoque ſubjicitur ea oneribus beneficii fructibus impoſitis: quâ ratione etiam Concilium Trid. *Seſ.* 23. *cap.* 18. Penſionarios cum Beneficiariis obligat ad contribuendum Epiſcopis pro erectione Seminariorum. Quæ omnia intellige, niſi juxtà mox dicta, penſiones ſint liberæ ab omni onere. Ex dictis ſequitur, quod 4. Penſionarius non poſſit pro ſuo libitu diſponere de penſione, ſed ut diſponendum eſt de fructibus beneficii, quales ſunt & penſiones. Hinc graviſſimè peccant illi, qui penſionibus abutuntur ad luxum, & commeſſationes, qui de iiſdem conſanguineos locupletant; & generaliter, qui in uſus prophanos eas expendunt. Imo, tenetur Penſionarius, æquè ac Beneficiarius, id quod ſibi ultrà debitam ſuſtentationem ſupereſt, ex lege juſtitiæ elargiri in pios uſus, idque ex eiſdem planè rationibus, ex quibus illud affirmavimus de Beneficiatis in ſimili caſu Cap. 1. Sect. 9. Tract. 1. Quidquid hîc aliqui dicant in contrarium cum Azorio cap. 12. num. 4. cui hæc ſententia videtur eſſe duriuſcula; idque ideo, quod penſio detur Penſionario tamquam alimentum vitæ neceſſarium, non ratione miniſterii alicujus ſpiritualis: quod, ſi quid ex hoc alimento ſibi conceſſo ſuperfuerit, ipſi acquiritur, & nulli alteri juſtitiæ lege debetur. Enimverò, planè impertinens hîc eſt, an ratione miniſterii dentur Eccleſiæ bona, an non; cùm hoc directè oriatur ex voluntate fundatorum, quæ principaliter providet beneficiatis, & Penſionariis de neceſſaria ſuſtentatione, & id quod hîc ſupereſt, intendit piis uſibus applicari. Vide quæ dicta ſunt cap. dicto. Neque etiam dici poteſt, quod illa ſit Eccleſiæ intentio, ut Penſionarius de bonis Eccleſiæ, quæ ſunt patrimonia pauperum, aliter diſponat, quàm ſint ex ſua fundatione expendenda, & diſpenſanda. 5. Non apparet, quomodo Penſionarius poſſit tutò in conſcientia penſionem exigere, ſi nullam habeat cauſam eam poſſidendi; cùm proviſio talis penſionis ſit planè nulla, ut ex dictis ſatis conſtat.

Obligatio Penſionarii & titularis.

Titularis obligatio eſt in primis, ut de Beneficio, quod penſione gravatur, jam proviſus, teneatur ſolvere penſionem Penſionario. Imo, ſi in litteris proviſionis habeatur, ut penſionem ſolvere debeat, ſive poſſeſſione habitâ,

bitâ, ſive non habitâ, tenetur etiam ante poſſeſſionem Beneficii penſionem ſolvere, ut docet Flaminius *lib. 6. q. 2. num.* 146. 2. Si culpâ Beneficiarii non percipiantur ulli fructus, tenetur nihilominus ad ſolvendam penſionem, ne alter ob illius negligentiam debeat ſubire jacturam. Aliud eſt, ſi ſine ſuâ culpâ nullos fructus recipiat, ut puta, quia id fit ob incurſionem hoſtilem. Ita Pariſius *l. 6. q. 2. num.* 101. Sic etiam teſte eodem *num.* 143. ſolet penſio reduci ad minorem quantitatem, ſi fructus Beneficii ſint diminuti, quod & rationi, ac æquitati eſt conforme. 3. Si reſignatarius penſionem non ſolvat, perdit Beneficium, dum juxtà ſtylum Curiæ datur regreſſus reſignanti ob penſionem non ſolutam, ita idem Author *q.* 3. qui regreſſus hodie, ait, ſolent practicari; addens *num.* 17. hunc regreſſum in Galliis non obtinere. 4. Cenſetur inſuper hîc Penſionarius in creditoribus privilegiatus, ſi Beneficiarius ære alieno gravatus, non habeat alia bona, præter ſui Beneficii fructus, qui cenſentur Penſionario eſſe quaſi hypothecata. 5. Ipſe ſucceſſor Beneficii penſione gravati, tenetur ſolvere penſiones decurſas tempore Prædeceſſoris, ſi fructus ſuperſint. Secus eſt, ſi nulli fructus ſuperſint; eò quòd Penſionarius non habeat jus in Beneficio, ſed in ſolis Beneficii fructibus. Cùm ergo ſucceſſor ille, neque jus, neque proprietatem, neque uſum habuerit fructuum, qui ſuam Beneficii poſſeſſionem præceſſerunt, nullâ obligatione poteſt circà ejuſmodi fructuum, aut penſionum reliquâ adſtringi, etſi de poſt idem Beneficium poſſideat. Neque hîc objici poteſt *L. Imperatores ff. de Publicanis*, ubi novus poſſeſſor obligatur ad tributa à Prædeceſſore non ſoluta: eò quòd ibi agatur de oneribus merè realibus, quæ ſequuntur rem ipſam, adeoque & obligant perſonam, rem illam poſſidentem, dum res ad illam tranſit cum ſuo onere. Obligatio autem penſionis non eſt merè realis, ſed partim eſt realis, partim perſonalis, adeoque non aliter obligat, quàm quatenus ad ſucceſſorem aliqui fructus per prædeceſſorem ſolvendi devenerunt.

Ceſſatio Penſionum.

Variis autem modis ceſſare poſſunt penſiones; exſpiratione, privatione, ceſſione, tranſlatione, & extinctione. *Exſpiratione* ceſſant per mortem Penſionarii, ſicuti uſusfructus ceſſat per mortem uſufructuarii, & aliæ ſervitutes perſonales. *Privatione* ceſſant, dum jura in quibuſdam caſibus Penſionarium privant ſuâ penſione, v. g. quando contrahit Matrimonium, aut profitetur quis in Religione mendicantium. *Ceſſione* ceſſant, dum Penſionarius poteſt cedere juri ſuo, quod habet ad penſionem. *Tranſlatione* autem ceſſant, ſi ad transferendam penſionem habeat Penſionarius facultatem legitimam, quæ à Papa ſolet obtineri: cumque teſte Flaminio *lib. 6. q. 4. num.* 16. hæc tranſlatio penſionum ſit odioſiſſima; ideo, non niſi raro, & perſonis ſpeciali indulto dignis facultas transferendi ſolet concedi, de quibus ibidem agit dictus Author; addens *num.* 24. Quod tempore Sixti V. non concederetur dicta transferendi facultas, niſi Cardinalibus, aut aliis perſonis optimè de Eccleſiâ meritis, & non niſi juſtâ de causâ. Denique *extinctione* ceſſat penſio, dum anticipatâ aliquot annorum ſolutione illa redimitur, de quo poſtea agendo de ſimoniâ in penſionibus. Ex

Ex omnibus hucuſque dictis ſufficienter apparet, penſionum impoſitionem eſſe rem admodum odioſam, adeoque non niſi legitimâ de causâ beneficio eſſe imponendam. Convenit enim, ut ſine ullâ diminutione conferantur beneficia Eccleſiæ, ut qui laborat, gaudeat ſui laboris ſtipendio. Hinc S. Carolus, ut habet ejus vita lib. 7. cap. 35. *Fructus ſuos unicuique Eccleſiæ, Presbyteriſque ſingulis integros relinqui curavit vehementer, & effecit. Eo namque primum capeſcente Eccleſiam; vel magna ex parte, vel toti alienis hominibus erant reſervati: ex quo fiebat, ut qui eſſent aliquo numero Preſbyteri, Sacerdotia recuſarent, quorum facultatibus pro dignitate vitæ, cultum minimè poſſent conſervare. Qui verò accipiebant, parvi pretii homines, neque doctrinâ, neque authoritate ſatis muneri ſuo facere valebant, ut præter Sacerdotis (ut tempora ſunt) ex eâ re contemptum, neque ſacra ſuppellex pro decore parari, neque reſici, vel ornari Eccleſiæ, neque ſarta tecta haberi poſſent. Igitur, neque penſionis onus, vel minimum cuiquam Eccleſiæ impoſuit unquam: & ſi quis fortè per authoritatem ſuperiorem obtinere vellet, contrà totis viribus pugnavit.* Hæc ejus ſancti Zelatoris vita.

SECTIO XI.

De legitimâ diſpenſatione fructuum Eccleſiaſticorum.

RES hæc abſtruſa eſt, ait Soto lib. 10. q. 4. art. 1. & perplexa, utrimque ſuis innixa rationibus, ac teſtimoniis; cognitu tamen perquam neceſſaria, ratione cujus maluerit alios audire docentes, quàm ſuam explicare ſententiam. Et recollectis iis, quæ de diſtinctione bonorum Eccleſiaſticorum, & de diverſis eorum adminiſtrationibus, & aliis huc pertinentibus dicta ſunt Cap. 1. Sect. 9. rem illam ſuo ordine hîc planius indagabimus.

Fructus Beneficiorum intelligimus hîc omnes proventus, qui Clericis ratione Beneficii, aut Officii obveniunt, ſive ſint reditus, ſive decimæ, ſive ſtipendia, ſive diſtributiones, ſive penſiones. Olim eoſdem vocabat Apoſtolus *honoraria*, dum 1. Tim. 5. aſſerit duplici honore dignos eſſe Sacerdotes, qui laborant in verbo, & doctrinâ. Fortè, ad imitationem ſtipendii Medicorum, & Advocatorum, quæ vocari ſolent *honoraria.* Volebat Wiclef fructus Beneficii, & ſignanter decimas eſſe puras eleëmoſynas, quæ ejus opinio in Concilio Conſtant. Art. 18. eſt damnata. Eleëmoſyna enim datur miſericorditer, & gratis, intuitu paupertatis, abſque obligatione pauperis ad aliquod officium, etſi lege naturæ debeat eſſe gratus largienti: quæ autem dantur Clericis, non dantur illis præcisè ratione paupertatis, neque etiam ſine obligatione ad aliquod Officium. Vocantur interim fructus Beneficii *eleëmoſynæ*, eò quòd tales ſint ex parte dantium, qui ſæpè per legata, & alias donationes eadem conceſſerunt, ſine reſpectu ad officium præſtandum: ſed quia, poſtquam Clerici fecerunt miniſterium ſuum, debetur eis ſuſtentatio; ideo non ſunt puræ eleëmoſynæ ex parte accipientium. Deindè, dicuntur

Origo fructuum Eccleſiaſticorum.

Digitized by Google

cuntur eleëmoſynæ, quia relinquuntur misericorditer pro refrigerio deſunctorum. Vide Eſtium in 4. diſtinct. 24. §.13. Quamquam tamen Beneficii fructus non ſint propriè eleëmoſynæ; cenſentur tamen eſſe res ſacræ, & Deo dicatæ, res Dei, patrimonium Crucifixi, peculia pauperum, &c. prouti paſſim vocari ſolent à Conciliis, & SS. Eccleſiæ Doctoribus. Et hinc ſequitur primò evidenter, quod legitimè ſimilia bona ſint à Clericis diſpenſanda, & ut ait Canon 39. Apoſtolorum, ut Epiſcopus eorumdem curam gerat, & eadem, ut Deo contemplante diſpenſet; neque illi liceat ex his aliquid omninò contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei ſunt, condonare. Videndum ergo, quæ ſit legitima illa diſpenſatio.

Fructus beneficii debent primò erogari in honeſtam Clerici ſuſtentationem: quæ illa ſit.

Prima ſolet aſſignari, quæ ſit ad decentem ſtatum, & ſuſtentationem Beneficiati: ideo enim Clericis aſſignantur reditus, ut ex illis honeſtè poſſent vivere, Cap. *Cùm ab omni, de vita, & honeſt. Cleric.* dum dignus eſt, ut qui Altario ſervit, de Altario vivat. Quæ autem ſit decens Clerici ſuſtentatio, diximus Cap. 1. Sect. 10. quò Lectorem remittimus. Varia autem complectitur dicta ſtatûs exigentia, ut propriæ perſonæ quoad victum, & veſtitum debitam intertinentiam: debitam familiæ ſuæ conſervationem: debitam hoſpitalitatem, & eleëmoſynarum elargitionem. Et generaliter Dyoniſius Carthuſianus *lib. de plural. Beneficiorum art. 13. Honeſtas*, ait, *Miniſtrorum Eccleſiæ nequaquam conſiſtit in temporalium affluentiâ, in ſplendida menſa, in veſtibus ſuperfluis, pretioſis, & curioſis, in magna, & ſeculari familiâ, vel apparatu mundano, in proceſſu pompoſo: nec per hoc efficiuntur populo exemplares, honorabiles, atque amabiles, ſed potiùs ſcandaliſativi, odibiles, ac diffames. In quibus ergo conſiſtit vera Clericorum honeſtas, niſi in vera humilitate, per quam Deo, hominibuſque placetur? In vera manſuetudine, per quam homo præcipuè à cunctis diligitur? In vera patientia, in vera caſtitate, ſobrietate, juſtitiâ, prudentiâ, fortitudine, ſapientiâ, devotione, dilectione Dei, & proximi?* Addit idem Author, hìc non eſſe attendendum ad ſuſtentationem mundanorum, aut ſæcularium, quaſi Clerici non eſſent obligati ad vivendum temperantius de patrimonio Crucifixi, quàm homines ſæculares, de hæreditariis bonis.

Deinde ad frugalem hoſpitalitatem.

Secunda fructuum, & bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio legitima eſt, ad tribuendam hoſpitalitatem competentem. Hinc Concilium Aquiſgranenſe cap. 141. *Evangelicis, atque Apoſtolicis inſtruimur documentis, in colligendis hoſpitibus ante omnia operam dare debere, ut meritò de nobis dicatur à Domino; hoſpes fui, & collegiſtis me.* Et Eccleſia Rhemenſis abhinc 300. annis injunxit Presbyteris, ut pauperes, & peregrinos ad prandium juxtà cujuſque facultatem convocarent, & hoſpitalitatem competenter tribuerent. Et nota verbum *competenter:* injungitur enim Clericis hoſpitalitas illa, quæ ſit opus miſericordiæ, quod indigentibus eſt exhibendum. Aliam hoſpitalitatem vocat Petrus Bleſenſis Epiſt. 102. *hoſtilitatem*, cui Chriſtus cauſam non præſtat, ſed vanæ gloriæ obtentus; dum divitibus in hoſpitio cum

cum honore ſuſceptis, in omni opulentiâ deliciæ apponuntur de patrimonio Crucifixi. Ad competentem ergo hoſpitalitatem bona Eccleſiaſtica ſunt diſpenſanda, non in commeſſationes cum divitibus, & cognatis; ſed miſericorditer eam indigentibus exhibendo. Unde iterum Carthuſianus de vita Canonicorum Art. 23. *Timeant Canonici, & Miniſtri Eccleſiæ, ſi non ſuſceperint in ſuo hoſpitio, & piè tractaverint, ac repauſaverint pauperes, & mendicos: quid reſpondebunt, qui tales mendicos dedignantur penitùs hoſpitare, eiſque ſatis, aut nimium parcè ſiccum panem, ac ciborum reliquias largiuntur; divites verò, & Magnates, propinquos, & officiatos ſuſcipiunt reverenter, tractant ſolemniter, pretioſè, & lautè reficiunt, molliterque repauſant? Audiant hi, & formident, atque implere conentur, quod* CHRISTUS *in Evangelio loquitur: cùm facis convivium, noli vocare cognatos, divites, & potentes, ne fiat tibi retributio in hac vita: ſed voca pauperes, & debiles, cæcos, & claudos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Addit tamen rectè Dionyſius, quod tamen illa non ita intelligenda ſint, quin Canonici, Sacerdotes, & Religioſi, licitè poſſint interdum ex piâ, & rationabili causâ hoſpitalitatem decentem divitibus, potentibus, præſidentibus, & cognatis impendere: quod tamen raro, & ſine exceſſu, ac pompâ agendum eſt intentione ſincerâ, ne derogetur pauperibus. Unde etiam Concil. Mediolan. 4. p. 3. cap. 7. *Excipite hoſpites, at illis excipiendis intrà parſimoniæ fines vos continete: ità frugalitatis, non ſumptuoſi convivii teſtes illos habeatis.*

Tertiò, debitè diſpenſantur Eccleſiaſtica bona in eleëmoſynas, ad quas ſpeciali obligatione Clerici conſtringuntur. Sunt enim Clerici, præſertim Curati, pauperum Patres, & Matres; ratione cujus tenentur illis per eleëmoſynas ſuccurrere. *Matres enim profectò non ſunt*, ait, S. Bernardus ſerm. 10. in Cantica, *qui cùm ſint de Crucifixi patrimonio nimium incraſſati, impinguati, dilatati; non compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Patres* quoque *pauperum eſſe recuſant*, ait Laurentius Juſtin. lib. de compunct. Chriſt. Perfect. *quoniam indigentium ſubſtantiam attribuunt ſibi. O quanta abuſio eſt,* CHRISTI *ditari divitiis, &* CHRISTO *velle nil tradere! Nonne theſauri* CHRISTI, *ſunt facultates Eccleſiæ? Unde temporalia Eccleſiis ſunt prærogata ſtipendia, nonne propter* CHRISTUM, *nonne ut* CHRISTI *pauperibus erogentur?* Deinde, obligatio hæc illis incumbit ex natura bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ſunt bona pauperum, *quæ vivi tribuunt cum pietate, defuncti autem reliquerunt pauperibus eroganda, ut exinde aliquod ſuffragium conſequi poſſent*, ut ait idem Author de juſtit. & regimine Præl. Cap. 4. ex quibus ſequitur, quod Clerici ſpeciali titulo, ac obligatione teneantur facere eleëmoſynas. Imò etiam ex eo titulo tenentur Epiſcopi, juxtà Bannez. 2. 2. q. 23. art. 6. dub. ult. in pauperes inquirere; nec ſatis eſt, quod occurrentibus neceſſitatibus id faciant: hoc enim alii de plebe, ait ille, tenentur facere. Alii tamen hoc negant de miſeris hiſce temporibus, quibus ſufficientes quotidie neceſſitates ſeſe

In eleëmoſynas.

Digitized by Google

ultrò ſolent offerre. Aliam hic rationem obligationis prædictæ dat Joannes Gerſon 2. p. de temperantia in potu, cibo, &c. dicens Clericos ſpecialiter eſſe obligatos ad eleëmoſynas, eò quòd teneantur populo præire exemplo beneficentiæ, adeoque & teneri ad erogationem eleëmoſynarum publicam, faciendam non intentione Phariſaicâ, ut videantur ab hominibus: ſed intentione Evangelicâ, ut videant alii opera eorum bona, eadem imitentur, & glorificent Patrem, qui in Cœlis eſt. Vide Tractatum noſtrum de eleëmoſyna.

In opera pia. Sub dictis diſpenſationibus comprehendi poteſt, diſpenſatio bonorum Eccleſiaſticorum in fundationes pias, pro ſolatio miſerorum, ſuſtentatione ſtudioſorum, erectionem piorum locorum, ornatum Eccleſiarum, & generaliter in quoſvis uſus pios erogationem. Hic enim finis eſt proprius, & adæquatus diſpenſandorum ejuſmodi bonorum, quæ eo ipſo, quo data ſunt Eccleſiæ, eam naturam, & conditionem conſecuta ſunt, ut in alium uſum, quàm ſacrum, converti nequeant, ut ait S. Carolus in Concilio Mediolan. 1. p. 2. cap. 64. ex quo ulterius ſequitur, quod generaliter Clericis interdicta ſit diſpenſatio fructuum beneficialium in uſus prophanos, ſive non ſacros; prout ſunt illi, qui ut iterum ait Laurent. Juſtin. bona pauperum profundunt in pompis ſuperfluis, in vanitatibus ſæculi, in phaleris equorum, in vaſis argenteis, & deauratis, in veſtibus pretioſis, in conviviis opulentis, & his ſimilibus, quæ magis decent Reges, ac Principes ſæculares, quàm viros Eccleſiaſticos. Sequitur ulterius, quod Beneficiati teneantur in conſcientia, illa quæ debitæ ſuſtentationi ſunt ſuperflua, piis uſibus deputare, idque veriùs ex obligatione juſtitiæ, prouti latius demonſtratum eſt Cap. 1. Sect. 9. adeoque ſuperflua ſua expendentes in uſus prophanos, teneantur ad reſtitutionem. Nihil enim Clericis indulgent SS. Patres, niſi ad debitam ſuſtentationem neceſſaria, dicente Doctore Mellifluo Epiſt. 2. ad Ful. *Quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Et Cap. *Quia tua* 12. q. 1. *Omne, quod ſupereſt, neceſſitatibus, in cauſis piis, & religioſis erogandum eſt.*

An de illis Clerici donare poſſint. Negandum tamen non eſt, quin & ſit licita prædictorum bonorum diſpenſatio, donando eadem remuneratoriè, imo & liberaliter, etiam pro ratione ſtatûs Beneficiarii: cujus ratio eſt, quod honeſta ſuſtentatio includat illud omne, quod conditio, & ſtatus perſonæ exigit: exigit autem conditio, & ſtatus Clerici beneficiati, ut quandoque aliquid moderatum donet, ſive liberaliter, ſive remuneratoriè; maximè, cùm ejuſmodi donationibus ſoleant ſe avertere ab omni ſpecie avaritiæ, ejuſque ſuſpicione, prout Canones Beneficiatis injungunt. Navarrus quidem *q. 1. de reditibus monito* 28. *num.* 2. repugnat hic quoad donationes liberales, quod ab aliis paſſim non recipitur; niſi quoad donationes exceſſivas. Videri poſſunt, quæ de donatione Beneficiariis licitâ diximus Tract. 2. cap. 2. Sect. 5.

Quod autem attinet ad donationes redituum Eccleſiaſticorum in conſanguineos

guineos Beneficiati, interdicunt eas SS. Eccleſiæ Patres, ac Decreta, tametſi frequentiſſimè ejuſmodi donationes obſerventur, dum de ſacro cenſu ſaginatur caro, & ſanguis. Ubi hoc in primis notandum eſt, quod Conſanguineis pauperibus præ cæteris Eccleſiaſtica bona elargiri obligetur Beneficiatus, ne dum ſuorum domeſticorum curam non habeat, infideli ſit deterior. Clarè id confirmat S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 30. ita ſcribens: *Eſt etiam probanda illa liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim, ut ipſe ſubvenias tuis, quibus pudor eſt, ab aliis ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati: non tamen, ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu poſſis conferre inopibus. Cauſa enim hoc praſtat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicaſti, ut tuos divites facias, ſed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata redimas tua.* Idem confirmat S. Tridentina Synodus Seſ. 25. cap. 1. Reform. omninò interdicens Beneficiatis ex reditibus Eccleſiæ, Conſanguineos, familiareſvè ſuos augere; cùm SS. Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, Conſanguineis donent; *ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant*: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum causâ. Idem conceſſit Epiſcopo diſpenſanti Canon Apoſtolorum 39. & 75. & alia paſſim Concilia. An verò poſſit eodem pariter modo Beneficiatus illa, quæ parcè vivendo ſibi ſubſtraxit, parentibus erogare non indigentibus, indagavimus Cap. 1. Sect. 9.

Ceſſante tamen caſu neceſſitatis, prohibitum eſt Beneficiatis de reditibus Eccleſiæ parentes, aut alios conſanguineos locupletare. Declarant illud uno ore omnes SS. Patres. S. Ambroſius ibi ſuprà, ait Beneficiato: *Propterea te Domino non dicaſti, ut tuos divites facias.* S. Auguſtinus, Sermone 21. ad Eremitas ita ait: *Bona Eccleſiarum, patrimonium pauperum ſunt. Unde, ego qui Epiſcopus ſum, ſummè cavere debeo, ne res pauperum, quas Hipponenſis Eccleſia conſervare videtur, divitibus largiantur: quod benè feci hucuſque. Nam conſanguineos habeo, & ignobiles ſe eſſe non erubeſcunt, & ad me Epiſcopum veniunt, aliquando cum blandimentis dicentes, da nobis aliquid Pater, caro enim tua ſumus. Et tamen Dei gratiâ, & veſtris orationibus mediantibus, conſanguineum aliquem me ditaſſe non recolo. Chariores enim mihi reputo pauperes, quàm divites.* Idem de eo atteſtatus eſt Poſſidonius in ejus vitâ ſub finem dicens: *Nec ſuos conſanguineos, vel in propoſito, vel extrà conſtitutos, in ſuâ vitâ, & morte, vulgi more tractavit: quibus dum adhuc ſupereſſet, id ſi opus fuit, quod & cæteris erogavit, non ut divitias haberent, ſed ut aut non, aut minus egerent.* S. Bernardus lib. 4. cap. 4. de conſideratione, tales volebat eſſe Clericos, qui de patrimonio Crucifixi ſe, aut ſuos ditare non feſtinarent. Et Petrus Bleſenſis Epiſtolâ 102. *Habentes alimenta, & his, quibus tegamur, his contenti ſimus. Quæ ergo inſania eſt, theſauriſare in laboribus pauperum, & in ſanguine alieno, mihi, & meis delicias procurare? numquid me apud diſtrictum Judicem poterunt excuſare parentum ſuſtentatio, falſa hoſpitalitatis fama,*

De illis ditare conſanguineos, ſacrilegium eſt.

fama, numeroſitas evectionum, & multiplicitas clientelæ? Et paulò inferius: *Si accepi divitias, ut parentum meorum indigentiam relevarem, terret me B. Hieronymus dicens: quod cùm propinquitates corporum reſpicimus; corporis, & animæ Creatorem offendimus. Multi, dum parentibus miſerentur, animas ſuas perdunt.* Unde rurſum idem Author Epiſtolâ 20. *Liceat parentibus debeam affectionem naturalem, illud tamen non debeo, ut pro eis me perdam, aut pro eis ab honeſtatis propoſito me reflectam.* Idem ſecuti ſunt alii Eccleſiæ Doctores, & Prælati. Sic Benedictus XI. dicere ſolebat Pontifices non habere nepotes. Nicolaus IV. nulli cognatorum plus ſe debere aſſerebat, quàm cuivis bono. Clemens IV. duabus filiabus ſuis legitimis jam ſtatum vitæ adeptis dote ab eo parciore numeratâ, dixit conquerentibus: Pontificibus Romanis nullos eſſe liberos, ſibique non licere, quod ſuum non eſſet, dare propinquis; ſatiſque eſſe, ſi quas ante Pontificatum poſſediſſet fortunas, eis relinqueret. Adrianus VI. dicere ſolebat, ſe nolle ædificare Sion in ſanguinibus. Pius V. aſſerebat ſe ad Summum Pontificatum à Deo vocatum, ut Eccleſiæ ſuæ, non ut conſanguineorum, aut commodis inſerviret, aut cupiditati. Idem deprædicat in moderno Pontifice Innocentio XI. Orbis univerſus, & Roma jam dudum eſt admirata. Nec mirum: ut enim Synodus Tridentina ibi ſuprà, monet Eccleſiaſticos, ut omnem humanum ergà fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum exuerent, expreſsè addit, ex ejuſmodi affectu carnis, & ſanguinis, multorum malorum ſeminaria in Eccleſia Dei extitiſſe.

Si hæc adeò execrata ſit Eccleſia, quando bona Eccleſiaſtica dantur conſanguineis, aut parentibus, quos adjuvare cogit ipſa pietatis obligatio: quàm execrandum erit, ſimilia bona inſumere aliis uſibus obſcœnis, aut ſceleratis? De illis ità ſcribit Guilielmus Pariſienſis lib. de moribus cap. 7. in fine. *Bona Eccleſiaſtica, piâ devotione fidelium oblata, & ſanctificata ſunt Domino. Propter quod viri zelatores, cùm ea in luxibus, & luxuriis Clericorum, aut Regularium, vel aliis quibuſcumque Dei contumeliis conſumi, ſive vident, ſive audiunt, zelo ardentiſſimo accenduntur. Si enim ſacrilega fuerit avaritia Judæ proditoris, & furtum, imo ſacrilegium, quo ea, quæ mittebantur in loculis, aſportabat, cùm ea fideliter egenis diſtribuere deberet, uxori ejus & filiis ea dabat: quantò magis ſacrilega impietas Clericorum Sæcularium, & Regularium damnanda eſt, cùm hujuſmodi bona meretricibus, & hiſtrionibus dare non verentur, & in omnes execrabiles turpitudines, ac in omnes Dei contumelias expendere non formidant?*

Et hæc, quæ huc uſque diximus de legitima bonoruum Eccleſiaſticorum diſpenſatione, de frugalitate, & hoſpitalitate Clericorum, arctiori vinculo conſtringunt Beneficiatos Regulares, Abbates, Præpoſitos, Priores, & quoſcumque Religioſarum communitatum adminiſtratores, qui ultrà dictas obligationes, obligantur ad prædicta, ex vi voti paupertatis in profeſſione emiſſi, à quo, neque conſecutione beneficii, aut dignitatis eximuntur; ſed cæteris arctius ex eo titulo ad illa conſtringuntur. Monentur inſuper hujuſmodi ad temperantiam,

Digitized by Google

perantiam, & frugalem hoſpitalitatem ex ſua fundatione, dum ejuſmodi loca vocari ſolent *paupertatis domus*, prouti Præmonſtratum vocabat S. Norbertus. Dum etiam vocari Abbatiæ ſolent *Hoſpitalia*, vulgò in donationum libellis, *Godts huyſen*, ex quo continuò admonentur ſimilium locorum Rectores, ſe prædicta bona primariò in honeſtam ſuorum ſubditorum ſuſtentationem debere diſpenſare, neceſſaria illis juxta exigentiam, & ſtatum profeſſionis contribuendo: & ſecundariò illa, quæ ſuperſunt eleëmoſynis, ac hoſpitalitati inſumere, prout eadem bona inſumenda eſſe voluerunt Fundatores; & ita cenſet legitima Eccleſiæ conſuetudo. Hinc & Concilium Trid. *Seſ.*25. *cap.*8. *Reform.* primò generaliter omnibus Eccleſiaſticis Beneficiatis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus hoſpitalitatis officium à SS. Patribus frequenter commendatum, quantum per eorumdem proventus licebit, promptè, ac benignè admonet exercere: deinde, illis, qui Hoſpitalia, aut alia loca pia, ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumvè uſum inſtituta obtinent in commendam, aut adminiſtrationem, aut quemcumque titulum, præcipit, ut onus illis impoſitum adimpleant, & hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis, actu exerceant. Hinc etiam primi Ordinum Fundatores, hoſpitalitatem enixè commendabant, uti ſignanter legitur de S. Norberto, qui pauperum curam, & hoſpitalitatem quotidie ſuis obſervandam ingeminabat; addens, quod domus illa non poterit egere, quæ eam ſollicitè ſtuduerit obſervare. Vide dicta Tract. 1. Cap. 1. Sect.

Ex dictis denique collige, quàm deteſtanda ſit quorumdam Clericorum avaritia, quæ non ſolùm pauperum obliviſcitur, ſed & ſui ipſius, quo teſte Eccl. 10. *nihil eſt ſceleſtius*: qui omnia venalia habent amore pecuniæ, uſque ad animam. Similes alloquitur Petrus Damiani opuſculo 3. cap. 4. ad Clericos propriet. *Planè, cùm tu, contra tui Ordinis inſtitutum recondis in arca pecuniam, & confidis in incerto divitiarum, qui in ſolo Deo ſpem ponere debuiſti (ubi enim theſaurus tuus, ibi eſt proculdubio & cor tuum) non jam jure Chriſticola, ſed nummicola dicendus es....... ecce, ſi ordinem tuum teneas, ſi abominanda pecuniæ lucra contemnas, & tu hæreditas Dei, & Deus eſt hæreditas tua. Sed totum hoc Sacramentum in adulterium vertitur, dum infelix Clericus pecuniæ ſervus efficitur, cui nimirum tamquam Deo per ſedulitatem cuſtodiæ famulatur. Ipſe enim ab eâ, quam poſſidet, pecuniâ poſſidetur, dum in ea cor figere, eique pervigili deſervire cuſtodiâ, avaritiâ dominante compellitur.* Similes quoque *Lupos* vocat S. Auguſtinus Serm. 36. ad Fratres ità ſcribens: *Diſcutiamus mentem, perquiramus veritatem: numquid Miſſam cantare, nonne baptiſare, numquid mortuum ſepelire ſine pretio, vel promiſſione dignamini? numquid non citius mortem divitis, quàm corporis ſalutem videre deſideratis? Ecce, quomodo Lupi eſtis.*

Clericorum avaritia.

Digitized by Google

SECTIO XII.

An Clerici beneficiati habentes ſufficiens patrimonium, poſſint eo reſervato vivere de reditibus ſui beneficii.

COmmunior, tam Theologorum, quàm Juriſperitorum ſententia affirmat: quam probant primò ex S. Scriptura dicente, quod nemo militet ſuis ſtipendiis umquam, quod dignus ſit operarius ſuâ mercede: quod qui Altario ſervit, de Altario poſſit vivere: quod non ſit alligandum os Bovi trituranti. Secundò probant illud jura varia, quæ dicunt, quod qui eligitur ad onus, non debeat repelli à mercede; quod Clericis conſtitutum ſit vivere de patrimonio CHRISTI: quod ad Eccleſiaſtica beneficia non vitietur gratia, ex eo, quod impetrans patrimonium tacuit, ut Cap. *Poſtulaſtis, de reſcript.* Tertiò idem probat & ratio; puta, quod Sacerdos dives non prohibeatur accipere ſtipendium pro celebratione Miſſæ: quod Epiſcopus tametſi dives, poſſit recipere ſuas procurationes in viſitando: quod ipſa naturalis ratio dictet, quod operario, tametſi diviti correſpondeat, & debeatur ſuum ſtipendium.

Alia ſententia eſt huic ſententiæ ex diametro contraria; quæ, etſi non ſit adeo communis, tamen ex SS. Patrum authoritate, & famoſiorum Theologorum teſtimoniis meritò eſt commendanda. Et eam in primis docuit Proſper, vel quiſquis ſit Author (gravis tamen) libri de vita contemplativa cap. 9. lib. 2. ita ſcribens: *Paſtor Eccleſiæ, iis quibus ſua ſufficiunt, non debet aliquid erogare, quando nihil aliud ſit habentibus dare, quàm perdere. Nec illi, qui ſua poſſidentes dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, unde pauper victurus erat, accipiunt...... non eſt meum dicere, quali peccato pauperum cibos ſuſcipiunt, qui Eccleſiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper gravant, propter hoc fortaſſis in congregatione viventes, ne cenſum ſuum expenſis quotidianis minuant.* Et allato exemplo S. Pauli Apoſtoli, qui etſi de Evangelio vivere poſſet, ſuis manibus tamen laborabat, ne quem gravaret, ita ſubdit: *Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Evangelio, qui laborabat, ſed ſuis manibus vivere, ne gloriam ſuæ mercedis amitteret: quid nos, qui propria nolumus, amore poſſidendi, non vivendi neceſſitate relinquere, & accipere inſuper volumus, non unde vivamus, ſed unde cenſum noſtrum incrementis damnabilibus augeamus?* Secundò S. Hieronymus relatus *Cap. Clericus*, ita ait: *Qui de ſuis bonis ſuſtentari poteſt, ſi acceperit, quod pauperum eſt, ſacrilegium profectò committit, atque per abuſionem talium, judicium ſibi manducat, & bibit. Si eges, & accipis, das potius, quàm accipis: ſi autem non eges, & accipis, rapis.* Tertiò, juxtà Apoſtolum 1. Timoth. 5. non licet viduæ de bonis Eccleſiæ ſuſtentari, ſi aliunde habeat, unde vivat: unde ait, *quæ verè viduæ ſunt*, q. d. non aliàs: illæ autem ſunt veræ viduæ, ait Hieronymus, quæ omnium auxilio ſunt deſtitutæ, ac viduatæ, & quæ ſuis manibus ſuſtentari non poſſunt, quas paupertas debilitat

ætaſ-

Digitized by Google

ætaſque conficit. Quartò, & rectè ex S. Auguſtino probatur dicta ſententia, quod Clericis reddatur ſuſtentatio neceſſitatis à populo, non quaſi merces illis, qui ſibi in charitate ſerviunt; ſed tamquam ſtipendium, quo ut poſſint laborare, paſcantur, prouti diſſerit *lib. de Paſtoribus Cap.* 2. Quintò, dictam Proſperi ſententiam ſecuta ſunt Concilium Aquiſgranenſe anni 816. & Capitularia Regum Francorum addit. 3. cap. 113. & 114. Sextò, quod aliàs conſtitutiones omnes ab Eccleſia editæ, contra Beneficiarios de ſacro cenſu conſanguineos locupletantes, enervarentur, dum hâc viâ facilè poſſit adinveniri modus de eo cenſu conſanguineos virtualiter locupletandi. Quid enim refert, an Beneficiatus bona Eccleſiaſtica immediatè tribuat conſanguineis locupletandis, an patrimonium ſuum, cui parcit vivens de reditibus Eccleſiæ, eiſdem largiatur?

Varia tamen objici hîc poſſunt, primò prædicta primæ opinionis fundamenta in initio adducta: deindè, quod illa S. Proſperi, & aliorum ſententia intelligenda ſit pro ſtatu Clericorum ante diviſionem bonorum: denique, quod contrarium ſatis confirmet communis Clericorum conſuetudo. Ad quæ omnia ordine reſpondendum eſt. Ad 1. quod nec ille ſuis ſtipendiis cenſeatur Eccleſiæ militare, cùm omnia temporalia bona ſint divina ſtipendia, in ſtipem, & ſuſtentationem vitæ hominibus conceſſa, ut ei magno fervore, & abſque ſollicitudine diſtrahentia ſervitia grata dependant. Ità Adrianus *de reſtitut. q.* 32. Deindè, ut ait Dionyſius Carthuſ. *lib. de vitâ Canoniç. art.* 24. Bona Eccleſiæ ſunt merces, ſeu ſtipendia Miniſtrorum egentium: ſi verò illis non indigeant, faciunt ea ſua ſic, ut pauperibus erogent, non ut in ſuos uſus ea convertant. Cùm enim temporalia ad ſpiritualia ordinentur, qui temporalibus non eget, non debet ea convertere ad ſuum profectum in ſpiritualibus donis: ſicut, qui ſanus eſt, medicinâ non eget. Nec fit illi injuria, ſi temporalia illa non accipit ad commoda ſua, ſed promeretur ſpiritalia, ac divina chariſmata, incomparabiliter temporalibus digniora. Ita ferè Dionyſius; ex quo colligi poteſt, quomodo operarius dignus ſit ſuâ mercede; quomodo qui Altari ſervit, de Altario poſſit vivere; quomodo non ſit alligandum os Bovi trituranti.

Ad objecta loca ex jure deſumpta reſpondet Adrianus, quod illis ſolummodo ſignificetur, quod obtinentes Beneficia ſimul obtinere poſſint bona temporalia: ſed non probant, quod ſervantes ſibi obventiones, ſeu fructus ſæcularium, ſimul poſſint de Eccleſiaſticis vivere. Deindè, etſi gratia non vitietur, dum ſiletur ſufficiens patrimonium, concedit id dictus Author quoad jus fori, quod non punit avaritiam citrà limites juſtitiæ; ſecus in foro animæ, & Dei.

Ad rationem appoſitam dicunt, quod & Sacerdos dives poſſit recipere ſtipendia Miſſarum, Epiſcopus procurationes; imo & Beneficiatus opulentus poſſit accipere fructus ſui Beneficii, ſed negant, quod de illis poſſint vivere, & patrimonium amicis reſervare; ſed tenentur eadem pauperibus erogare, qui-

bus debentur. Ad aliam rationem in contrarium allatam reſpondent, quod ſit magna differentia inter Operarium temporalem, & Eccleſiaſticum: ille enim non tantùm exigit ſtipendium ſuſtentationis, quo poſſit operari; ſed & pretium labori ſuo correſpondens, cujus ſit dominus, quodque pro ſuo libitu poteſt convertere in uſus quoſcumque, adeo ut operas ſuas elocare poſſit, & vendere. Operarius autem Eccleſiaſticus tenetur gratis opera ſpiritualia exhibere, hoc ſenſu; ut ſolummodo illi laboranti debeatur laboris ſtipendium, quo poſſit ſpiritualia gratis miniſtrare, neque actiones ſuas ſacras elocare poſſit, aut vendere. Quando ergo ſufficienter illis proviſum eſt aliundè, aliis non apparet ratio, quare poſſit ſtipendium ad laborandum neceſſarium prætendere, dum habet aliundè ſufficiens.

Quod inſuper objicitur, dicta SS. Patrum teſtimonia intelligenda eſſe de eo Clericorum ſtatu, qui fuit ante diviſionem bonorum, nihil urget. Quod enim ad librum de vita contemplativa attinet; notant varii, eumdem eſſe non Proſperi, ſed Juliani Pomerii, qui vixit circà finem quinti ſæculi, adeoque diu poſt dictam diviſionem. Deinde, rationes pro ſecundâ ſententiâ adductæ, eamdem ſententiam validè confirmant, pro omni Eccleſiaſticorum ſtatu, etiam poſt diviſionem bonorum. Nec quidquam obeſt communis ſatis Clericorum conſuetudo, quæ præjudicare non poteſt dictis rationibus in contrarium, etſi alii viri cordati contrarium amplectantur. Unde ſubdit Dionyſius, *contrà pluralit. benefic. art.* 14. Quod SS. Patrum ſententiis ſecurius, atque ſalubrius ſtetur, quàm aliorum quorumdam, in quibus illuminatio tanta non fuit. Et rurſum de vita Canonicorum art. 24. ait: *Securius, ac ſalubrius creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos locutus eſt ſpiritus Dei, quàm Scholaſticorum quorumdam, qui ſuo magis, quàm expedit credunt, & innituntur ingenio, authoritates Sanctorum ad ſuam retorquentes opinionem.*

His omnibus addit, Cardinalis Bellarminus de Clericis Cap. 27. dictam opinionem eſſe tutiorem. Unde patet, quod quidem communis opinio Theologorum contrarium teneat, quàm & in principiis noſtris tom. 2. propoſuimus: quæ, an ideo in praxi ſequenda ſit, obſtantibus prædictis rationibus in contrarium, judicent viri timorati, & peritiores.

SECTIO XIII.

De rectâ bonorum Eccleſiaſticorum conſervatione, & alienatione.

Requiſita ad debitam bonorum Eccleſiaſticorum conſervationem.

VErè Zypæus Juris Pontif. lib. 3. tit. *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, ita ſcribit: *Magnâ circumſpectione res Eccleſiæ tractandæ ſunt, nec niſi graviſſimâ ex causâ alienandæ; quia hoc ſæculo vix accreſcunt, etiam obnitentibus, & immobilia paſſim per Eccleſiam acquiri vetantibus Principibus.* Et in primis quoad debitam bonorum Eccleſiaſticorum conſervationem ſtatuerunt jura 1. Ut unaquæque Eccleſia bona ſua diſtinctè cognoſcat; non ſolùm ſeparando

parando bona unius Eccleſiæ à bonis alterius Eccleſiæ; ſed etiam ea ſeparando à bonis Prælati, aut ejus Eccleſiæ Rectoris. Ita habet *Cap. ſint manifeſtæ* 12. *q.*1. Hinc etiam de acquiſitis tempore Prælaturæ jura ſtatuunt, quid nomine Eccleſiæ reſervandum, quidve inter propria Prælati bona ſit annumerandum, ibid. *q.* 3. 4. *& Cap. Requiſiſti, de teſtamentis.* 2. Ad eumdem finem ſæpè ſtatutum, ut Beneficiati ſpecificationem omnium fructuum Beneficii, cum debitâ deſignatione hypothecarum, limitum, & terminorum Archipresbytero, aut alteri cuipiam deſignato traderent. 3. Ut omnes Beneficiati legitima faciant manualia, in quibus annuam ſolutionem ita ſignent, ut ex eiſdem manualibus ſucceſſu temporis legitima poſſeſſio probari poſſit; quæ manualia ſingulis annis à Decanis ſint viſitanda, & ſucceſſoribus gratis relinquenda. 4. Ut in ſingulis Eccleſiis Parochialibus, & Sacellis fiat inventarium omnium ornamentorum, & quorumcumque aliorum bonorum mobilium ad ipſam Eccleſiam, vel Sacellum pertinentium, quod à Paſtore, aut rectore, aut Ædituis debitè ſubſignatum aſſervetur. 5. Ut omnes Paſtores, aliique Beneficiati domos Beneficiorum ſuorum ſervent integras, & debitè reparent, niſi conſtet reparationem ab aliis fieri oportere; & Archipresbyteri viſitando in illud ſedulò inquirant. 6. Ut rationes fabricarum, & menſarum pauperum, & aliarum piarum fundationum ſingulis annis ubique reddantur, &c. Quæ omnia ſummatim ſtatuit Synodus Provincialis Mechlinienſis *toto titulo* 22. *de elocatione, & conſervatione bonorum Eccleſiaſticorum.* Et titulo ſeq. *de reparatione Eccleſiarum*, ſtatuit novam rationem ineundam, cui ſeſe omnes conformare teneantur, quæ anno 1614. 21. Junii juxtà Zypæum *Juris Pontif. lib.* 3. *de ædificandis, & reparandis Eccleſiis* eſt promulgata, cujus hæc eſt ſumma: ut conventiones hìc factæ obſerventur: aliter impendi debeant proventus fabricæ: quod ſub Concione, aut Sacro Ædiles faciant in populo collectam, & Gazophilacium in Templo, in quo dictæ oblationes debitè conſerventur. Quod ſi hæc non ſufficient, contribuere debeant decimæ in manu mortua exiſtentes, ſive liberis, & ad naturam primigeniam reverſis; ſive feudali, aut alio onere adſtrictis, ſeu in manu ſæculari exiſtentes, quæ doceri poteſt ab Eccleſia proceſſiſſe. Deinde contribuere debeant, qui in eiſdem Eccleſiis poſſident beneficia: inſuper, ſi hæc necdum ſufficiant, procedendum erit ad collectam, & capitationem eorum, qui in Eccleſia reparanda ſpiritualia alimenta recipiunt. Subdit idem Author ibid. *num.* 5. neminem decimatorum ad reparationem turris, aut ante, aut poſt Edictum fuiſſe obligatum; ſed tantùm ad campanam decimalem, de quo antea de decimis. Et notant alii cum Wameſio *Conſil. Can.* 510. 511. *& ſeq.* Edictum illud de reparatione eſſe ſatis conforme juri communi, maximè Concilio Tridentino Seſ. 21. cap. 7. ſtatuenti, ut ubi proventus ipſarum Eccleſiarum, id eſt, fabricarum, deficiunt; cogi poſſint ad reparationem omnes Patroni, & alii, qui fructus aliquos ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, uti ſunt omnes in eadem Eccleſia Beneficiati. Cætera, quæ hanc materiam concernunt, videri

Quomodo Eccleſiæ reparandæ.

Digitized by Google

videri poſſunt apud Peckium *de reparat. Eccleſ.* Zypæum loco citato; & Anſelmo *Trib. Cap.* 89.

Alienatio bonorum Eccleſiaſticorum quomodo prohibita.

Singulariter tamen jura prohibent, bona Eccleſiaſtica immobilia, & mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, abſque juſtâ causâ, certâque ſolemnitate alienari, quorum jura referunt Canoniſtæ. Sub nomine alienationis, comprehenduntur, venditio, permutatio, donatio, & alii contractus, per quos directum rei traditæ dominium transfertur: deinde, cùm hîc ſit res Eccleſiæ favorabilis, ſolet etiam hîc comprehendi ſeudum, Emphyteuſis, elocatio ad longum tempus, quibus rerum uſusfructus, ſive dominium utile transfertur in alterum juxtà *Extrav. Ambitioſæ, de rebus Eccl. non alienandis.* Et multò magis comprehendi hîc debet contractus cenſualis, quo dominium directum transfertur, vel utile; uti & omnes cenſus, ſive perpetui, ſive vitalitii, quibus conſtituto pretio, aliqua bona Eccleſiaſtica alteri venduntur; cùm jura inter bona Eccleſiæ immobilia debeant numerari. Inſuper hîc comprehenditur ſub alienatione conſtitutio pignoris, vel hypothecæ ſpecialis: itidem vetantur alienari pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt, ut ſunt vaſa aurea, argentea, gemmæ, grex Ovium, Caprarum, &c. Aliud eſt de illis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, ut ſunt pecora, fructus, & aliæ res quotidianis uſibus deſervientes: quorum etiam jura, eodem ordine hîc cenſentur, quo res ipſæ.

Cauſæ alienationis.

Cauſæ alienationis ſolent communiter ab Authoribus recenſeri quatuor; puta neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, pietas, & incommoditas, quarum unâ reverâ exiſtente, alienatio ſub certis conditionibus, ac ſolemnitatibus eſt admittenda. *Neceſſitas* quidem, ſi debita Eccleſiæ, aut alia Eccleſiæ obligatio urgeat, ut illis ſatisfiat, nec ſatisfieri poſſit, niſi bona Eccleſiæ alienando. *Utilitas* verò; puta, ut res Eccleſiæ longè utilior comparetur, quæ utilitas juxtà Doctores à Barboſa aſſignatos, *de jure Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 16. debet probari eſſe evidens; nec ſatis eſt oſtendere Eccleſiam ex ea alienatione non eſſe damnificatam: ſed oſtendendum quoque, Eccleſiam ex ea accepiſſe emolumentum. *Pietas* quoque hîc ſufficit, ut pro redemptione captivorum, & pro gravi neceſſitate pauperum, &c. quâ de causâ licitum eſſe aſſerit S. Ambroſius, vaſa ſacra frangere, vendere, & quovis modo alienari, quod ejus factum laudavit S. Auguſtinus apud Poſſidonium in ejus vitâ *Cap.* 24. & teſtatur ipſe Ambroſius *lib.* 2. *Offic. c.* 28. *Incommoditas* denique eſt cauſa ſufficiens alienandi res Eccleſiæ, ſi ſcilicet res alienanda plus incommodi Eccleſiæ adferat, quàm commodi; ut ſi longius terra ab Eccleſiâ abſit, &c.

Solemnitates alienationis.

Solemnitates verò à jure hîc requiſitæ recenſentur; primò, ut cum Capitulo tractetur, an expediat rem alienare, ut *Cap.* 1. *de rebus Eccl. non alien.* 2. Ut Capituli, aut majoris partis conſenſus accedat, ut dicitur *toto tit. de his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſ. Cap.* 3. Ut adſit conſenſus Prælati Eccleſiæ, ut Epiſcopi, Abbatis, Generalis, &c. 4. Ut à Capitularibus fiat ſubſcriptio,

Digitized by Google

ſcriptio, juxtà Cap. *Tua, de his, quæ fiunt ibid.* Si verò dictæ ſolemnitates hîc deſint, cenſebitur alienatio eſſe irrita, juxtà Cap. *Si quis de rebus, de Eccl. non alienandis.* Adeo ut Prælatus Eccleſiæ rem alienatam, tamquam invalidè alienatam poſſit repetere. Aliud tamen eſſet, ſi Beneficiatus elocaret ſine dictis ſolemnitatibus fructus ſibi competentes etiam pro toto tempore vitæ ſuæ; cùm talis elocatio morte elocantis Beneficiati expiret; nec indè aliquod Eccleſiæ immineat detrimentum, aut ejus ſucceſſori: quamquam & varia jura elocationes bonorum Eccleſiaſticorum ad longum tempus jure meritò interdixerint, de quo mox plura: Deindè, etiam Prælati poſſunt ſine conſenſu Capituli res modicas alienare, etſi immobiles; *arg. Cap. terrulas* 12. *q.* 2. Idem dicendum eſt de Emphyteuſi, feudo, permutatione, tranſactione, quod modò dictum eſt de alienatione: an autem idem dicendum ſit de renuntiatione bonorum Eccleſiaſticorum, non ita convenit inter Authores. Communior fert opinio, quod, etſi Prælatus ſine Capituli conſenſu præjudicare non poſſit Eccleſiæ in juribus acquiſitis; poſſit tamen in acquirendis; adeoque quod poſſit validè renuntiare hæreditati, donationi, &c. Eccleſiæ ſuæ oblatæ, eò quòd hîc nulla ſit alienatio, ſed ſola non acquiſitio.

Graviori hîc vinculo conſtringuntur illi, qui etiam juramento ſeſe obligarunt de rebus Eccleſiæ ſuæ non alienandis, uti ſunt Epiſcopi, Abbates, Paſtores, &c. Porrò hoc juramentum intelligitur, de alienatione injuſtâ; quaſi ſolummodo juretur non alienaturum ſine debitâ causâ, ſolemnitate, aut formâ. Quia tamen juramentum eſt ſtricti juris, & interpretationis; hinc cenſent alii, quod ſine periculo perjurii poſſint elocare etiam ad longum tempus ſine dictâ ſolemnitate: verius tamen eſt contrarium juxtà hanc regulam, quod juramentum ſimpliciter prolatum intelligi debeat ſecundùm materiam ſubjectam, & ſecundùm diſpoſitionem juris, ſed nomine alienationis intelligitur in jure etiam alienatio ad longum tempus, ut initio annotavimus. Eâdem ratione ſine periculo perjurii poterunt alienare res minoris momenti, quarum alienatio ex juris diſpoſitione non comprehenditur ſub alienatione ex jure vetitâ. Comprehenditur quoque ſub alienatione tali venditio cenſuum, ſive etiam oppignoratio bonorum Eccleſiaſticorum, quâ ſubindè fit, ut bona Eccleſiaſtica reverà videantur in aliorum dominium eſſe tranſlata, nec niſi bonorum eorum ſupereſſe titulum, ac totam utilitatem eorumdem cedere in utilitatem emptorum.

De cætero, ad exactiorem bonorum Eccleſiaſticorum gubernationem, & conſervationem multa præclarè ſtatuerunt Concilia Provincialia Belgii, tam Cameracenſe, quàm Mechlinienſe tit. de hâc re inſcripto: Mechlin. 1609. tit. 21. Camerac. 1586. tit. 15. Primò quidem, quoad elocationem ſtatuit Mechlin. cap. 1. ne decimæ ad Capitula, Monaſteria, aut alia loca pia ſpectantes, ultrà 3. annos non elocentur: prata ſeorſim elocata, non ultrà 6. annos: terræ arabiles, aut domus non ultrà 9. nec quiſquam hos terminos excedat, niſi obſervatis ſolemnitatibus ad alienationem de jure requiſitis, ſub

Quid hîc juris in Belgio.

pœnâ

pœnâ nullitatis contractuum. Deindè, Cap. 2. ſtatuit, ne bona Eccleſiaſtica elocentur, niſi poſt très proclamationes publicas debitè factas, & plus offerenti tunc elocanda; aut ſaltem non minus, quàm bona vicina ejuſdem naturæ, aut qualitatis ſoleant elocari, & idonea cautio accipiatur. Cap. 3. ſtatuit, ne elocationes durent amplius, quàm pro illo anno, quo moritur Beneficiatus elocator, aut Beneficium dimittit, niſi à legitimo ſuperiore iterum confirmetur contractus elocationis. Cap. 7. prudentiſſimè admonet, ut in alienationibus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ à S. Sede committuntur, videant illi, de quorum fide, & integritate Sedes illa confidit, ut Eccleſiæ utilitate perſpectâ, omnia, quæ in Pontificiis litteris præſcripta ſunt, maturè inveſtigentur, certis teſtimoniis comprobentur, ritèque perficiantur, nullâ habitâ ratione perſonarum, aut partium: quæ cùm in hujuſmodi negotiis concordes ſint, tunc maximè accurratè Commiſſarius advigilare debet pro Eccleſiæ commodo; cujus bona, Rectore ipſo, ſeorſim acceptâ pecuniâ, conſentiente, ſæpènumero ſub Apoſtolicæ authoritatis clypeo divendita, & dilapidata ſunt. Et ante ſtatuerat Synodus Cameracenſis Cap. 3. ut locationes dictæ ad longius tempus, quàm SS. Canones permittant, etiam ſub beneplacito Sedis Apoſtolicæ, ſed eo non ſecuto, neque umquam impetrato, Epiſcopi diligenter examinarent, irritaſque, ac nullas declararent, & ſi opus fuerit, etiam per judices ſæculares reſcindi curarent. Denique Cap. 10. ſollicitè admonet, *ut quicumque piorum locorum adminiſtrationem, procurationemvè ſuſcipiunt, geruntque, illud in primis ſæpè cogitare debeant, ſe pauperum, pupillorum, Viduarum, ſenum, egeſtate, aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum, alienâ ope indigentium, prout propria uniuſcujuſque loci inſtituta ratio eſt, curam ſuſtinere: & illam quidem tanti eſſe, ut quidquid in illos, vel miſericordiæ, vel beneficii, vel operæ, vel opis, vel officii confertur; quidquid rurſus damni, detrimenti, injurieve infertur, id omne* CHRISTUS *Dominus, ſæpè in Evangelio demonſtret in ſe collatum eſſe; ac propterea ſe in die Judicii, prout bene illis factum, aut neglectum, omiſſumvè in eorum neceſſitatibus ſublevandis erit, & retributurum.*

Pœnæ indebitæ alienationis.

Quicumque autem Beneficiatus rem Eccleſiæ alienat indebitè, & eam recipit, ipſo facto excommunicatur, & Clericus ipſo facto manet beneficio ſuo privatus, & Eccleſia illa, cujus rem alienavit, Cap. *Ambitioſæ, extrav. comm. de rebus Eccl. non alien.* ubi quoque decernitur ejuſmodi alienationes nullius eſſe momenti, adeo ut ipſa res, & illius fructus reſtitutioni ſint obnoxia; tum, quod Beneficiatus non ſit Dominus illius rei, ſed ſolùm uſusfructuarius: tum, quià id, quod Deo ſemel dicatum eſt, non ſit ad humanos uſus transferendum, Cap. *Semel Deo, de Reg. juris in 6.* Idem egregiè confirmat Synodus Trid. *Seſ.* 22. *Cap.* 11. *Reform.* Duplex autem Eccleſiæ competit actio ad rem ita alienatam recuperandam, & alienationem reſcindendam, puta perſonalis contrà alienantem, & realem contra rei poſſeſſorem, de quâ re plenius agunt Canoniſtæ.

Sub

Digitized by Google

Sub dictâ lege non alienandi, etiam Regulares comprehendi, eſt tenendum: & patet juxtà Authores, tum ex ipſis verbis, quibus Jura, & Pontifices eam alienationem inhibent, quæ & Regulares expreſsè comprehendunt: tum etiam ex fine, qui eſt publica utilitas, & evitatio omnis fraudis, qui finis ad Regulares quoque pertinere per ſe patet. Rationem illius dat Aſcanius Tamburinus *de jure Abb. tom.* 3. *diſp.* 13. *q.* 2. *num.* 1. quod bona immobilia, quæ alienari vetantur, *ſint quaſi fundamenta Monaſterii, ex quibus ſubminiſtrantur ea, quæ ad uſum, & conſervationem corporum pertinet, ſine quibus non poſſunt ſpiritualia ſubſiſtere. Unde non poſſunt ita alienari, ut Monaſterium illis omninò privetur abſque æquali, vel meliori compenſatione, quæ ſit in evidentem illius utilitatem: aliter enim Abbas non diceretur adminiſtrator, ſed diſſipator bonorum ſuæ Eccleſiæ.* Unde etiam patet, quod non ſolùm jure poſitivo, ſed etiam naturali prohibeantur indebitè alienare bona ſui Monaſterii. Huic accedit obligatio juramenti in confirmatione emiſſi, quo jurant bona ſui Monaſterii debitè conſervare, non alienare, &c. cujus formulam deſcribit Pontificale Rom. fol. 81. & 120. pro Prælato majore: *Poſſeſſiones verò ad menſam meam pertinentes non vendam, &c. vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ inconſulto Romano Pontifice: & ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam ſuper hoc editâ conſtitutione contentas, incurrere volo.* Ad quale juramentum tenentur omnes Præſules, & Abbates Papæ authoritate creati, confirmati, conſecrati, ut docet Gloſſa *Cap. ult. de Eccl. ædif.* & *Cap. ſup. de reb. Eccl. alien.* Alii quoque ad ſimile jus jurandum ex Ordinum conſtitutionibus ſolent obligari in ſua inſtallatione, aut confirmatione, & ordinationes in ſuo Ordine ſtatutas quoad alienationis modum obſervare. Regulares etiam ſub dictâ lege comprehenduntur.

C A P U T IV.

De Decimis, Primitiis, Novalibus, & Oblationibus.

S E C T I O I.

Quid, & quotuplices ſint Decimæ, & quomodo debeantur Eccleſiæ Miniſtris.

D*Ecimæ*, aliquando *Decuma*, nihil aliud generaliter ſumptæ ſignificant, quàm decimam partem alicujus rei. Hinc res, de qua danda eſſet decima, olim vocabatur, *decumana*; unde alibi agri dicuntur *decumani*, quia de ejus fructibus ſolvebatur pars decima. Uſus autem Decimarum eſt vetuſtiſſimus, uti conſtat ex Hiſtoriis, tam ſacris, quàm prophanis. Plinius *lib.* 19. *cap.* 14. tradit, quod de thure ex Arabia deportato pendebantur decimæ Idolo *Sabin*, idque Quid ſint Decimæ.

idque non pondere, ſed in menſurâ: & de cinnamomo idem tradit ibidem idem Author, dediſſe ſcilicet decimas Sacerdotibus Ægyptiis. Plutarchus quoque in Problem. docet Herculi decimas eſſe conceſſas. Et Abraham dedit decimas Melchiſedech de manubiis hoſtium devictorum, *Geneſis Cap.* 14. quâ ratione laudat eum Apoſtolus ad Hæbreos 7. Et Jacob *Geneſis* 28. Decimas vovit dicens: *Si Deus fuerit mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo...... cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Ex quo patet, etiam Ethnicos quaſi naturæ inſtinctu decimas perſolviſſe intuitu divini cultûs: & Patriarchas etiam ante Legem ſcriptam ex eodem inſtinctu idem factitaſſe conſtat. Huic acceſſit Lex divina in V. T. decimas præcipiendo, juxtà illud Exodi 22. *Decimas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Et Levitici ult. *Omnium decimarum, Bovis, & Ovis, & Capræ, quæ ſub Paſtoris virgâ tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* Decimæ hæ dandæ erant filiis Levi pro miniſterio, quo ſerviebant Deo in Tabernaculo fœderis. Ex his decimis, dandæ erant decimæ ab illis ſummo Sacerdoti, quæ vocabantur, *decima decimarum*, ut patet *num.* 18. *verſu* 26. Aliæ inſuper erant decimæ, quas quilibet Pater familias quotannis debebat apud ſe ſervare, & poſtea cum Levitis comedere in loco, ubi erat Tabernaculum, vel Templum, idque tribus anni temporibus, uti patet ex *Deut.* 14. *v.* 22. Aliæ inſuper erant quolibet tertio anno ſeparandæ in domibus propriis, poſtea cum Levitis, peregrinis, viduis, & pauperibus communicandæ, ut ibid. *Deut.* 14. *v.* 28. Unde patet, quatuor ſpecies decimarum fuiſſe in L. V. & omnes aliquo modo datas eſſe reſpectu Miniſterii divini. Cùm verò Miniſtri L. N. non oporteat pejoris eſſe conditionis, quàm Miniſtri L. V. hinc etiam in N. L. decimas injunxit Eccleſia, in ſuſtentationem Miniſtrorum, & alios pios uſus deſtinandas, uti patet ex toto titulo, *de decimis.* Imo notant plerumque Authores cum Dominico Soto *lib.* 9. *cap.* 4. *art.* 2. quod in L. N. decimæ ſint inſtitutæ uberiores, dum in L. V. non niſi de frugibus, & arborum pomis, & de animalibus, quæ ſub virgâ Paſtoris tranſibant, decimæ ſolverentur, non verò de aliis plurimis, de quibus ſolvendæ ſunt decimæ in L. N. de quibus infrà.

Diviſio Decimarum.

Dividuntur autem decimæ in perſonales, prædiales, & mixtas. *Perſonales* dicuntur, quæ ex lucro operarum, aut aliunde ratione perſonæ debentur, prouti ſunt, quæ debentur ex negotiatione, artificio, aliâve arte, aut profeſſione. Quæ debentur ex venatione, aucupio, piſcaturâ, &c. juxta aliquos etiam perſonales cenſentur, ſed rectius alii referunt illas ad prædiales. *Prædiales* ſunt, quæ ſolvuntur ratione prædiorum, ſive urbanorum, ut ſunt domus, ex quarum locatione debentur decimæ: ſive ſint ruſticalia, ut ſtabula, & alia prædia ad habitandum non præparata, ut ſunt vineæ, agri, ſylvæ, &c. *Mixtæ* denique ſunt, quæ partim ſunt perſonales, partim prædiales, uti ſunt illæ, quæ debentur ex fructibus pecorum, avium in prædiis collectarum, concurrente humanâ induſtria. Differunt autem prædiales decimæ à perſonalibus, quod prædiales integræ ſolvi ſoleant, nullis expenſis deductis; puta ſeminis, cultu-

ræ,

ræ, aut alterius rei; quod non obtinet in perſonalibus, in quibus admittitur deductio expenſarum factarum in quærendis, emendis, & convehendis mercibus, Cap. *Paſtoralis* 28. *de decimis*, & alibi eod. tit. idque etiam verum hîc eſt, etſi expenſæ illæ non fuerint neceſſariæ, ſed tantùm arbitrariæ, dummodo non fuerint adhibitæ in fraudem decimarum. Vide Rebuff. *de decimus q.* 11. Quare autem id magis obtinet in perſonalibus, quàm prædialibus, alii latius inquirunt, à quo nos abſtinebimus, cum decimæ perſonales noſtrâ ætate in toto orbe Chriſtiano, exceptis ſalariis famulorum, & famularum aliquarum Regionum Hiſpaniæ ſint abolitæ, ut ait Navarrus *Manualis cap.* 21. *num.* 31.

Prædiales decimæ dividi ſolent in majores, minores, ſive minutas; *Majores* ſunt, quæ ex vino, oleo, frumento, aliiſque ejuſdem generis ſolvuntur. *Minutæ* vocantur, quæ ex hortis, & partu animalium præſtantur, Cap. *Tua nobis*, *de decimis*, & Gloſſa ibid.

Diſputatur variè inter Theologos, ac Canoniſtas, ex quo jure ſint decimæ introductæ. Innocentius, Gloſſa, ac alii communiter à Canoniſtis ferè omnibus recepti, teſte Navarro ſuprà *num.* 28. cenſent decimas, etiam quoad quotam eſſe jure divino introductas. Alii volunt prædiales decimas eſſe introductas tali jure, perſonales verò ſolummodo introductas jure Eccleſiaſtico. Probant de prædialibus ex variis Scripturæ locis in V.T. expreſſis, de dandis decimis, ut *Levitici ult. Malach.* 3. *Deuteron.* 12. & 14. *num.* 18. *&c.* & in N.T. CHRISTUS Phariſæos increpans, quod decimarent mentham, & anethum, relinquentes quæ graviora ſunt legis, judicium, miſericordiam, & fidem, dixerit præcipiendo Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Deindè, tale præceptum dedit iterum CHRISTUS ibid. dicens: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Huic accedit, quod Cap. *Tua nobis*, *de decimis*, expreſsè dicat, quod Deus præceperit decimas ſibi reddi in ſignum univerſalis dominii. Et magis apertè in Cap. *Parochianos*, dicitur, cùm decimæ non ab homine, ſed ab ipſo Domino ſint inſtitutæ. Adde, quod in Conc. Trid. *Seſ.* 25. *cap.* 12. *Reform.* dicatur, quod decimarum ſolutio ſit Deo debita.

Quo jure debeantur decimæ.

Quibus tamen non obſtantibus, verior eſt opinio D. Thomæ, quod decimæ, prout ſunt miniſteriorum ſuſtentatio, ſint de jure divino naturali, dum divinâ lege præcipitur, ut dignus ſit Mercenarius cibo ſuo, & Operarius mercede ſuâ; idem dictat lex naturæ. Quatenus verò decimæ ſunt determinatæ quoad quotam, ſunt introductæ ex jure Eccleſiaſtico, tempore N.L. inſtituto, ſecundùm quamdam humanitatem, ait D. Thomas 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. ut ſcilicet, non minus populus N.L. Miniſtris N.T. exhiberet, quàm populus V.T. exhibebat. Et ratio eſt, quod nullibi in N.L. extet talis determinatio partis decimæ Miniſtris Eccleſiæ aſſignandæ, ſed ſolummodo ſtatuitur, ut digna ſuſtentatio Miniſtris concedatur, quæ concedi poſſet parte duodecimâ, vigeſimâ, &c. non autem, quæ præcisè fieri deberet parte decimâ. Et quam-

vis talis quota fuerit præcepta in L.V. tamen lex illa per Christum eſt abolita, uti cætera illius legis Cæremonialia,& judicialia,quale eſt præſtatio decimæ partis: quatenus verò debebatur Miniſtris debita ſuſtentatio, fuit legis Moralis, quæ natúram ſequitur; adeoque & poſt Christum perſeverat. Loca N.T. ante adducta, nihil hîc urgent; dum Christus ſolummodò carpit Phariſæos, externa hypocriticè curantes, & interiora negligentes; minora extollentes, & majora legis vix attendentes. Deindè, Christus præcipit ibid. Cæſari reddi tributum debitum, & Deo debitum cultum, & obſequium. Dicuntur interim decimæ in jure Canonico eſſe non ab homine, ſed à Domino inſtitutæ, eò quòd præcipuè originem trahant ab inſtitutione divinâ, factâ in L.V. ad cujus exemplum idem poſtea determinavit Eccleſia.

Corollaria ex dictis. Sequitur ex dictis 1. Quod Eccleſia poſſit legem de decimis datam, vel extendere, vel minuere; non tamen eam totaliter abrogare. Ratio prioris eſt, quod lex illa ſit de jure Eccleſiaſtico, ut mox vidimus, in quo poteſt Eccleſia diſpenſare, & illud pro ſuo rationabili arbitrio invariare, & præcipere, ut qui modò dant partem decimam, dent poſtea undecimam, vigeſimam, &c. imo hoc pluribus in locis invariavit ipſa conſuetudo. Poſterioris ratio eſt, quod Eccleſia totaliter auferendo legem decimarum, tolleret ſimul legem divinam naturalem, dictantem Miniſtris Eccleſiæ debitam ſuſtentationem eſſe tribuendam. Poteſt quidem Eccleſia conſtituere, ne aliqui decimas ſolvere cogantur, dummodò aliunde ſit ſatis proviſum Miniſtris Eccleſiæ: quo tamen caſu legem decimarum totaliter non tollit, ſed ſolùm cum aliquo particulari diſpenſat, relinquendo legem decimarum in ſuo vigore quoad alios.

Sequitur 2. ex dictis, decimas Miniſtris Eccleſiæ tribuendas, non eſſe puras eleëmoſynas, ut voluit Wiclef in Conſtantienſi Concilio condemnatus Art. 18. dum illis debentur decimæ in ſtipendium laboris, quâ de causâ Apoſtolus agens de Miniſtrorum ſuſtentatione, dicit eam eſſe ſtipendia militum, mercedem Operarii, &c. quæ non ſunt eleëmoſynæ eorum, ſed de jure debita. Deindè, eleëmoſynæ dantur gratuitò ex intuitu alterius paupertatis; quæ autem dantur Eccleſiæ Miniſtris, non dantur præcisè ratione paupertatis, ſed ratione miniſterii, adeoque nec gratuitò. Neque enim dicitur ille gratis aliquid accipere, qui accipit aliquid pro officio præſtito, vel præſtando. Vocantur interim decimæ, & alia bona Eccleſiaſtica ſubindè *eleëmoſynæ*, & Clericos vivere de eleëmoſynis, quatenus eleëmoſynæ ſunt ex parte dantium, etſi non ſint ex parte accipientium, dum gratuitò Eccleſiæ relicta ſunt, legata, aut donata, ubi potuiſſent ea aliis uſibus deſtinaſſe. Vide Eſtium in 4. *diſt.* 24. §. 13.

Sequitur hinc 3. quod decimæ ſint ex juſtitia debitæ Miniſtris Eccleſiæ: eo ipſo enim, quo Eccleſia injunxit perſolutionem decimarum Miniſtris Eccleſiæ præſtandam, tribuit quoque Miniſtris Eccleſiæ jus exigendi decimas, & eas percipiendi: adeo ut, ſicuti ex juſtitia debentur tributa Regibus, ſtipendia Militibus, merces Operariis; ita & debeantur decimæ ex juſtitia Eccleſiæ Miniſtris. Nec ſolummodo debentur illæ ex juſtitia commutativa, ſed ſuo modo etiam

Digitized by Google

etiam ex diſtributiva, ut docet Cardinalis Bellarminus *lib.*1. *de Clericis cap.* 25. *dub.*4. ex quo ulterius deducitur, quod defraudantes decimas, peccent contrà juſtitiam, & Religionem, quatenus violatur jus Clericorum; & res Dei, ſive in recognitionem ſummi dominii præſtandæ illis, denegantur: undè Conc. Trid. *Seſ.*25. *cap.*12. ait, quod non ſint ferendi, qui variis artibus decimas, Eccleſiis obvenientes ſubtrahere moliuntur, aut, qui ab aliis ſolvendas temerè occupant, & in rem ſuam vertunt, cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, *res alienas invadant.* Ex quo ulterius ſequitur, quod decimarum fraudatores, & temerarii occupatores teneantur ad reſtitutionem, & excommunicentur juxtà Trid. ibid. neque abſolvi poſſint, niſi reſtitutione ſubſecutâ.

Decimæ ſunt ex juſtitia Clericis debitæ.

Inferunt 4. quod Clericus conditione ex lege, ſeu Canone, ex quo eſt lex decimarum, poſſit decimas exigere, etſi etiam deſtructæ ſint, aut alienatæ. Unde S. Thomas q. 87. art. 2. ad 4. ità ſcribit: *De his, quæ furto, vel rapinâ tolluntur, ille, à quo auferuntur, decimas ſolvere non tenetur, niſi fortè propter culpam, vel negligentiam ſuam damnum incurrerit. Si verò vendat triticum non decimatum, poteſt Eccleſia decimas exigere; & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam; & à venditore, quia quantum eſt in ſe, Eccleſiam defraudavit.* Imo etiam agere poteſt Clericus contrà injuſtum decimarum deſtructorem, ſive decimæ ſolo hæreant, ſive ab eo ſint ſeparatæ. An autem ejuſmodi actio ſit directa, quæ Clerico tamquam vero decimarum Domino competit, diſputatur. Verius apparet, quod Clericus non ſit decimarum Dominus, antequam illæ à reliquis fructibus aliquo modo ſint ſeparatæ, ſaltem per deſignationem; ante quam ſeparationem earumdem Dominus, eſt Dominus fundi, uti eſt Dominus omnium fructuum, ſed cum onere dandi de illis decimas. Neque ſolummodo Clerici poſſunt ex jure ſibi debito decimas exigere, ſed & ad illud obligantur, dum jura quiſque ſuæ Eccleſiæ, aut beneficii tenetur in conſcientia conſervare, & defendere. Prudentiſſimè tamen notat Eſtius in 4. diſt.25. §.12. ità ſcribens: *Eſt autem in hac parte omnibus Eccleſiæ Miniſtris ante oculos habendum exemplum Apoſtoli Pauli, qui cùm jus haberet exigendi vita neceſſaria à Corinthiis, ne quod tamen offendiculum daret Evangelio* CHRISTI, *poteſtate hàc uſus non eſt, ſed propriis ſe manibus apud eos tranſegit, quemadmodum* 1. *Cor.*9. *Act.*20. *& alibi declarat. Qui rurſum, ubi ſcandali non erat periculum, velut in Eccleſiis Macedoniæ, uſus eſt hoc jure Evangelico, ut ipſe teſtatur* 2. *Cor.*11. *ſic etiam & hodie Eccleſiarum miniſtros facere oportet, ut ſicubi ex hominum infirmitate ſcandalum exoriturum videtur, vel ſpiritualis fructûs impedimentum, ſaluti potius conſulant alienæ, quàm utilitati propriæ. Neque verò ex eo periculum eſt perjurii, quod à pleriſque prætenditur, quaſi jure jurando de conſervandis juribus, ut loquuntur, minus ſatisfaciant: nam jusjurandum iniquitatis vinculum eſſe non debet, & proinde quæcumque ſunt hujuſmodi juramenta, ea ſemper intelligenda ſunt, ſalvâ lege charitatis, quam & Paſtor Ovibus ſuis, & alii Eccleſiæ Miniſtri fideli populo debent.*

SECTIO II.

Quinam Decimas dare obligentur, aut ab illis dandis eximantur.

Omnes tenentur ad decimas.

CONſtitutiſſimi juris regula eſt, ait Henricus Caniſius *ad* 3. *Decret. tit.* 30. *cap.* 4. quemlibet, cujuſcumque generis, Ordinis, vel gradûs, teneri ad functionem decimarum; adeo ut ne quidem Imperator de non ſolvendis decimis gratiam facere poſſit, Cap. *Tua* 15. *de decimis.* Eaque obtinet præſertim in prædialibus decimis, quas Deus in ſignum univerſalis Dominii ſibi reſervavit in uſum Clericorum, ut loquitur Cap. *Tua nobis* 26. *eod. tit.* ſolet tamen ab aliquibus de aliquo perſonarum genere dubitari, ut de pauperibus, Religioſis, Clericis, Judæis, infidelibus, Hæreticis, ac de Religioſorum, & aliorum privilegiatorum Colonis.

An pauperes.

Et in primis, quod ad pauperes attinet, docet S.Thomas, etiam illos ad præſtandas decimas eſſe obligatos, dum obſervat *quodlibeto* 6. *art.* 10. quod obligatio decimarum ſpectet ad Juſtitiam commutativam, in qua non conſideratur conditio perſonæ, ſed æqualitas rei ad rem; ſicuti qui emit rem aliquam, tenetur pretium illius ſolvere, ſive ſit dives, ſive ſit pauper. Pro quo notandum eſt, quod titulus, ex quo oritur jus decimarum, ſit adminiſtratio ſpiritualium, ratione cujus debent illi decimas, quibus illa adminiſtrantur: illa autem æquè adminiſtrantur pauperibus, ac divitibus; & conſequenter obligatio decimarum eos quoque concernit. Neque hîc obſtat, quod decimæ vocentur, *tributa egentium animarum*, in Cap. *Tua nobis*, quibus etiam decimæ debentur, ut poſtea dicam in decurſu; adeoque, cùm Clerici eas debeant pauperibus, fruſtrà videatur quod Clerici eaſdem dant Clericis, poſtea pauperibus reſtituendas, dum dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem, ut dicitut Cap. *Dolo*, *de Regulis juris in* 6. Ad hoc enim reſponderi poteſt, quod decimæ principaliter dentur in ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiaſticorum, & recognitionem ſupremi dominii Dei, ut dicitur Cap. *Tua nobis*: deindè, ſolummodò cedunt pauperibus in caſu, quo eiſdem commodè carere queat Clericus: & conſequenter ante omnia decimæ exſolvendæ ſunt ab omni debitore, poſtea (ſi opus ſit) pauperibus erogandæ; aut ut dicitur, brevi manu acceptæ, remittendæ. Hinc etiam varii obſervant, prædictam juris regulam non obtinere, ubi vertitur jus alterius. Alii interim cum Panormitano in Cap. *Cùm homines*, *de decimis* rectè cenſent, quod decimarum debitor in extrema neceſſitate conſtitutus, licitè negare poſſit decimas, cùm in eo caſu omnia ſint communia. Hoc denique hîc addo, quod laudabiliter illi, quibus aliundè ſufficienter proviſum eſt, decimarum ſolutionem pauperioribus ſubindè remittant, ſine conſequentiâ tamen: hoc enim Paſtorum, & Eccleſiaſticorum affectum, & benevolentiam communitati maximè ſolet commendare.

An Monachi.

Quod attinet ad Monachos, etiam & illi de jure communi tenentur ad decimas,

mas, uti patet ex Cap. *Ex parte*, Cap. *Nuper*, *de decimis*, cùm decimæ ſequantur fructus. Poſtea tamen Paſchalis II. ut habetur *Can. decimas* 16. *q.*7. omnibus Monachis remiſit decimas laborum ſuorum, ſive prædiorum illorum, quæ propriis manibus, aut ſumptibus incolunt. Huic tamen privilegio poſtea derogatum eſt ab Adriano IV. atque reſtrictum ad ſolos Ciſtercienſes, Templarios, & Hoſpitalarios, ut patet ex Cap. *Ex parte* & ſeq. eâ tamen moderatione, ut hoc privilegium non concernat, niſi prædia ante Concil. Lateranenſe acquiſita, eodem beneficio, ſeu privilegio remanente quoad Novalia cæteris Monaſteris, ſi prædia ſuis ſumptibus, aut manibus incolerent. Cùm verò dictum privilegium ſit perſonale, volunt alii, & emptores, & conductores eorum prædiorum dicto privilegio non gaudere. Et notandum hîc eſt, quod cùm privilegia plurimorum Regularium à præſtandis decimis, loqui ſoleant, tam de poſſeſſis, quàm poſſidendis, uti Præmonſtratenſibus, & aliis dedêre Pontifices, illis quidem Joannes XXII. Bullâ 4. ſequitur omnia Monaſteriorum illorum bona à præſtatione decimarum eſſe exempta. Hinc, ſi quando S. Congregatio aliter hîc judicaverit, ut refert Barboſa *Collect.* 5. *decimæ*, intelligendum id cenſet de Regularibus ſimilia privilegia non obtinentibus.

An autem Regularium Coloni à decimis præſtandis de terris ab illis conductis ſint exempti, diſputant Authores. Negant alii, eò quòd privilegium illud Regularium ſit merè perſonale: ſi enim eſſet reale, ſequeretur, quod ſi venderentur eorum prædia, venderentur cum dicto privilegio, quod prædia afficeret. Ita Barboſa *Juris Eccl. lib.* 3. *cap.* 26. §. 3. Alii è contrà, id quidem cenſent verum eſſe attento jure communi, non tamen attentis privilegiis particularium. Alii denique affirmant, ejuſmodi privilegia eſſe realia, quæ non ſolùm perſonas afficiant, ſed & ipſa prædia; adeoque dum dicitur in privilegiis, *eximimus Religionem, aut eximimus Religioſum à ſolvendis decimis ſuorum prædiorum*, etiam intelligi id debeat de prædiis alteri elocatis: ſi enim decimæ à Colonis ſolvendæ eſſent, jam eas ſolveret virtualiter ipſa Religio, ejuſque prædia, dum Coloni eò minùs traderent Religioni prædia elocanti. Et hoc etiam expreſſè aliquibus Religionibus conceſſum eſſe, tradunt Authores. Quidquid ſit, generali conſuetudine hîc contrarium cernimus, etiam Regularium prædiis aliis elocatis dantibus decimas, quod de Ciſtercienſium Colonis tradit Zypæus *Conſult. lib.* 3. *conſult.* 8. & eodem modo diſputant, an Religioſi ipſi à decimis eximantur, quoad prædia, quæ ab aliis ipſi conducunt, & excolunt: negant alii, eò quòd privilegia eos eximant à decimis *in propriis prædiis*; quod autem conducitur, non cenſetur eſſe proprium, aliàs tot prædia conducere poſſent, ut nihil decimarum reſtaret forè Paſtori. Ita Rebuff. *de decimis q.*14. *num.*52. & alii. Alii tamen è contra id affirmant, ſi privilegia talem exemptionem expreſsè referant. Alii rectius docent, attendendam eſſe cujuſque loci conſuetudinem.

Cùm autem omnes fideles Parochiani ad decimas obligentur, niſi ſeſe probent exemptos; ſequitur etiam Clericos, in quantum ſunt fideles, non habito reſpectu ad Clericatum, teneri ad contributionem decimarum: nec enim ratio- An Clerici.

ne

ne Clericatûs deobligantur à ſubjectione Parochiæ ſuæ. Solent tamen Clericos eximere, in quantum ſunt Clerici, dum quatenus tales non ſunt Parochiani, eò quòd de ratione illorum ſit aliis ſpiritualia miniſtrare, non accipere: adeoque, cùm decimæ à Parochianis debeantur ratione adminiſtrationis ſpiritualium illis factæ; ſequitur, quod Clerici ut tales, ad decimas non obligentur. Hinc deducunt, quod Clerici non teneantur ad ſolutionem decimarum ex fructibus ſui beneficii, dum reſpectu illorum non conſiderantur ut Parochiani, ſed ut Clerici miniſtrantes ſpiritualia. Probat illud Barboſa, & alii cum ipſo ex *Cap. 2. de decimis*, ubi ita dicitur: *Novum genus exactionis eſt, ut Clerici à Clericis decimas exigant, cùm nuſquam in lege Domini hoc legamus: non enim Levitæ à Levitis decimas accepiſſe leguntur. Illi profectò Clerici, qui à Clericis ſpiritualium miniſteriorum labores recipiunt, decimas eis debent.* Unde & dictam Decretalem ita intelligere ſolent Authores. Verum rectius videtur, eam cum aliis ritè exponere Caniſium dicto loco *cap.6.* quatenus ſcilicet ibi ſolùm decernitur, ne decimæ ſemel à Clericis perceptæ aliis Clericis dare decimas teneantur, idque exemplo Levitarum, quo textus utitur, qui in L. V. non leguntur ſibi mutuo decimas dediſſe. Et certè, importunè allegaretur aliàs eorumdem exemplum, quos conſtat nihil poſſediſſe præter decimas, & alias oblationes. Unde ulterius deducunt, quod etiam prædia dotalia Eccleſiæ alicui relicta ad ſuſtentationem Parochi, teneantur dare decimas illi Eccleſiæ, cui illas antea debebant, uti ſtatuit Can. *Quicumque 16. q.1.* Cujus ratio eſt, quod alienans prædium in Eccleſiam, priori Eccleſiæ nocere non poſſit. Deindè deducunt, quod Clerici de prædiis titulo beneficiali, aliove ſpirituali acquiſitis teneantur ad ſolvendas decimas, prouti ait communiter receptum Covarruv. *Variarum lib.1. cap.17. num.8.* quâ etiam ratione docet Leſſius *cap.39. num.23.* non eſſe generaliter verum, quod de prædiis Eccleſiaſticis non teneantur Clerici ſolvere decimas. Quo ad bona Clericorum Patrimonialia, & alia ſæculari titulo acquiſita, res eſt manifeſta, quod decimas dare obligentur: quod etiam verum eſt, etſi quis titulo patrimonii ſit ordinatus, dum eo non obſtante Clericus illud verè poſſideat titulo ſeculari; neque Eccleſia defraudari debet à re ſuâ ob ſuſceptionem Ordinum.

An Judæi. Judæi etiam, Infideles, ac Hæretici obligantur ad decimas, ut dicitûr Cap. *De terris, hoc tit.* ſed difficultas eſt, quo titulo ad eas obligentur, cùm nulla ab Eccleſia accipiant Sacramenta, aut alia ſpiritualia, ratione cujus decimæ à Parochianis debentur: ad quam difficultatem reſpondet Soto *art.4. q.4. lib.9.* quod illi jubeantur decimas ſolvere aliquibus, in illis partibus, in quibus degunt, idque ratione temporalis dominii, quod habet Eccleſia in ſuis terris ſuper illos, exigitque ab illis hoc tributum. Unde etiam in Galliis illi, qui erant prætenſæ Religionis Reformatæ, debebant ſolvere decimas, teſte Deſpeiſſ. *tit.10. Sect.3. num.1.*

Cùm verò, ut ait Innocentius III. Cap. *A nobis, hoc tit.* quilibet decimas ſolvere teneatur, niſi à præſtatione earum ſpecialiter ſit exemptus; videndum reſtat,

reſtat, quomodo ab illis præſtandis quis eximatur. Et ſolent 5. cauſas exemptionis hujus allegare; ſcilicet privilegio, conſuetudine, præſcriptione, tranſactione, & remiſſione ejus, cui decimæ debentur. In primis *privilegio* eximuntur aliqui; quos Summus Pontifex à decimis eximit, prouti fecit variis Religionibus, & Regibus, ut fecit Regi Catholico quoad terras Regni Granatæ, & Valentiæ, & aliis Proceribus per totam Hiſpaniam, teſte Barboſa *de Jure Eccl. lib.*3. *cap.*26. *num.*21. hoc tamen procedit ſolummodo in eo caſu, quod de cætero Miniſtris Eccleſiæ eſt ſufficienter proviſum, quod illis de jure naturali divino competit, cui non poteſt Pontifex derogare. Dicto privilegio exemptionis à præſtandis decimis, non comprehendi exemptionem à Novalibus, niſi expreſsè addatur, docet Covarruv. ſupra *num.*13. quia privilegium illud eſt odioſum, & adverſum juri alterius, & conſequenter eſt reſtringendum. Tale privilegium etiam non poteſt concedere Epiſcopus, dum à Papa ſingulis Eccleſiis decimæ ſunt aſſignatæ, & in Concilio Cabilon. ſtatutum eſt, ne Eccleſiæ ſuis decimis privarentur Cap. *Eccleſia* 16. *q.*1. & Epiſcopus non poſſit contrà Decreta Concilii diſpenſare. Exemptio à decimis præſtandis 1. Vi privilegii.

Conſuetudine etiam obtineri poteſt dicta exemptio, habet enim conſuetudo vim legis. Covarruv. tamen ſupra *num.*8. hanc conſuetudinem reprobat, ut irrationabilem, & iniquam, quâ Laici à decimis præſtandis eximuntur, etſi etiam aliundè Eccleſiæ Miniſtris ſit ſufficienter proviſum; *nimia etenim*, ait, *eſt hac exemptio, ſiquidem ex ea tollitur recognitio Sacerdotibus miniſtrantibus ſpiritualia debita*: unde etiam ait, eam conſuetudinem, ut irrationabilem ab Epiſcopis eſſe extirpandam. Verum illud communiſſimæ orbis praxi adverſatur, dum videmus ubique locorum decimas perſolvi juxtà conſuetudinem legitimè introductam, dicente Innocentio III. in Conc. Lateran. illas decimas neceſſariò eſſe ſolvendas, quæ debentur ex lege divina, vel loci conſuetudine approbatâ. Hinc etiam Carolus V. in tota Hiſpania vetuit decimas à Laicis exigi, niſi juxtà conſuetudinem ſolvi ſolitas, de qua re mox latius. Imo & idem à Philippo IV. Galliarum Rege ſtatutum referunt, & pluribus præjudiciis Pariſiis confirmatum eſſe refert ipſe Covarruv. ibid. & ex his deducit rectè Barboſa ſuprà *num.*65. & ſeq. defendendam eſſe conſuetudinem, quâ alibi certi fructus nullas, alibi modicas decimas contribuunt: quod ex eodem prædio una Eccleſia recipiat majores decimas, alia minores: & generaliter concludit, quod in ſolvendis decimis conſuetudo ſit diligenter attendenda. 2. Conſuetudine.

Objiciunt alii, quod dicta conſuetudo ſit irrationabilis, dum quis per eamdem vult ſibi gratis miniſtrari ſpiritualia: quod ideo alii fortè plus dare debeant: quod nullâ conſuetudine poſſit communitas acquirere jus decimarum, adeoque neque poſſit conſuetudine ullâ ab illis eximi: denique, quod nulla conſuetudo poſſit aliquem eximere à tributis Principum *L. Comperimus C. de præſcript.* 30. *an.* ſed decimæ ſunt quoddam Tributum Cap. *Tua nobis, de decimis.* Verum ad illa reſponderi poteſt, quod dum de cætero Miniſtris

niſtris Eccleſiæ ſufficienter providetur, non rogantur ſervire gratis: ſicuti dum pauperes eximuntur in communitate à contribuendo: neque ideo alii tenentur plus dare, quàm oporteat; dum ſolummodo dant decimas, ad quas obligantur. Et quamvis nullâ conſuetudine poſſit communitas acquirere jus decimarum; non tamen inde ſequitur alterum; dum aliud ſit jus aliquod acquirere, aliud à jure aliquo, ejuſque obligatione eximi: in primo enim datur juriſdictio ſpiritualis, cujus laicus eſt incapax: in ſecundo autem nulla juriſdictio tribuitur, ſed ſolummodo datur libertas ab onere temporali. Quod denique nullâ conſuetudine extinguatur obligatio dandi tributa Principi, id ideo eſt, quod ipſi Reges, & Principes id expreſsè ſtatuant, quod de Pontifice necdum conſtat quoad decimas. Adduntalii, id ideo eſſe, quod tributa dentur immediatè in recognitionem Regiæ dignitatis, ſecundariò autem pro ejus adminiſtratione, adversùs quæ non præſcribitur: decimæ verò primariò dantur in ſuſtentationem Miniſtrorum, cui aliunde poteſt provideri.

3. Præſcriptione. *Præſcriptione* etiam obtinetur exemptio à decimis, cum titulo quidem, tempore 40. annorum, ſine titulo tempore immemoriali. Vide dicta de præſcriptionibus. Repugnat Rebuffus *de decimis q.* 13. *num.* 55. ubi aſſerit, quod nullus Clericus, aut laicus poſſit præſcribere exemptionem nullas ſolvendi decimas, etſi viveret per mille annos: cui facilè condeſcendunt illi, qui docent obligationem decimarum eſſe juris divini. Et ratio illorum eſt, quod Deus decimas ſibi reſervarit in recognitionem ſupremi dominii: quod decimæ ſint tributa egentium animarum, adeoque eas ſubtrahere, ſit egenos occidere: quod is, qui non poſſidet, non poſſit præſcribere; tantum enim præſcriptum, quantum poſſeſſum: cùm ergo laicus non poſſit poſſidere jus decimarum, non poterit illud præſcribere. Illa tamen nihil obſtant: et ſi enim Deus ſibi reſervarit decimas in talem recognitionem, non conſetur tamen eas ita reſervaſſe, ut neceſſariò in omni caſu ſint ſolvendæ: ſed ſatis eſt, quod dum decimæ ſolvuntur, in talem finem ſolvi cenſeantur. Quo ſenſu autem dicantur, *tributa egentium animarum*, dictum eſt in anterioribus. Denique, notandum hîc eſt, quod immunitas à decimis, non conſiſtat in jure ſpirituali percipiendi decimas, ſed in jure percipiendi fructus integros ex prædiis; ſive, ſine onere decimarum, quod eſt omninò temporale, cujus proindè laici ſunt capaces. Hinc rectè Navarrus Conſ. 2. num. 5. de decimis: *Quidquid*, ait, *dicant plurimi, qui in hoc poſſunt allegari, & parum de jure, quo decimæ debentur, noverint: veritas eſt, quod etiam laici poſſint uſucapere, vel præſcribere libertatem ab obligatione ſolvendi decimas quoad quotam, & ab obligatione ſolvendi de illo, vel illo prædio, dummodo Parochus, ſeu Rector habeat ex aliis Eccleſiæ juribus congruam ſuſtentationem.*

4. Tranſactione & remiſſione. *Tranſactione* inſuper, ac *remiſſione* obtinetur exemptio à decimis præſtandis. Tranſactione quidem tolli poteſt, aut ſaltem diminui præſtatio decimarum, ut conſtat ex Cap. *Ex multiplici, de decimis*, & alibi: idque obtinet,

net, ſive tranſactio fiat cum Laico, ſive cum Clerico, dummodo Epiſcopi, aut ſummi Pontificis authoritas tranſactioni acceſſerit; alioqui tranſactio perſonam tranſigentis non excedit, ſive non erit perpetua. *Remiſſione* quoque extingui poteſt obligatio ſolvendi decimas, ſi Clericus, aut alius, cui decimæ debentur, eas remittat alteri ratione paupertatis, ſcandali vitandi, aut ſimili motivo, prouti ante ex Eſtio meminimus feciſſe Apoſtolum Paulum 2. *Cor.* 11. & *Act.* 20.

SECTIO III.

Quibus competat jus decimarum, & de quibus decimæ ſint perſolvendæ.

DUo in perceptione decimarum ſunt conſideranda, ſcilicet jus percipiendi decimas, & ipſæ decimæ, ſive etiam earumdem perceptio. Deindè, notandum eſt, jus quoque illud poſſe bifariam conſiderari, quod Sylvius 22. *q.* 87. *art.* 3. vocat ſemel *primarium*, & ſemel *ſecundarium*. Primarium eſt, quod fundatur in miniſterio ſpirituali fidelibus debito, quodque ideo à ſolis Eccleſiæ Miniſtris proprio nomine poſſidetur: ſecundarium verò eſt, quod non fundatur in Eccleſiaſtico miniſterio ejus, qui jus illud habet, ſed in donatione, aliâve conceſſione illi legitimè factâ.

Spectat jus decimarum propriè ad Parochum.

His poſitis, indubitati juris eſt, jus decimandi propriè ſpectare ad Parochum, dum ille ex officio tenetur populo ſuo ſpiritualia adminiſtrare, ratione cujus decimæ debentur. Huic autem debentur decimæ totius Parochiæ de jure communi; adeo ut Parochus loci, contrà quemvis Poſſeſſorem juris decimandi, etiam Epiſcopum, habeat fundatam intentionem; nec teneatur probare titulum iſtius juris, ſed contrarium aſſerenti incumbat hoc contrà Parochum probare, cùm habeat contra ſe juris aſſiſtentiam. Et hinc rurſum inferunt, quod ſi Parochus alteri interverterit, ſive ſpoliaverit alium jure decimandi, non debeat prius reſtituere Parochus, quàm ab alio jus decimandi ſit ritè probatum. Nec tantùm Parocho, ſed & aliis Clericis, & piis locis poſſunt decimæ competere, idque multis modis, ut donatione, legatione, conſuetudine, præſcriptione, privilegio, tranſactione, permutatione, & compromiſſo.

Deinde aliis locis piis.

Quod verò conſuetudine id poſſit fieri, patet ex Cap. *Cùm ſint homines*, & Cap. *Ad Apoſtolicæ, de decimis.* Et ratio eſt, quod conſuetudo poſſit juri communi derogare, & conſequenter poteſt jus alicui Eccleſiæ competens in aliam Eccleſiam transferri, modò conſuetudo ſit legitimè præſcripta, quod arbitrio Judicis relinquitur determinandum, & approb ndum. Idem de præſcriptione aſſeritur in Cap. *Ad aures 6. de præſcriptionibus*: dum ibidem dicitur: *Ad aures noſtras pervenit, duas Eccleſias litigaſſe ſuper decimas, quas una earum, in alterius Parochia* 40. *annis poſſedit ..... Tuæ Fraternitati tenore præſentium innoteſcat, quod de jure melior eſt conditio poſſidentis, quia qua-*

quadragenalis præſcriptio omnem prorſus actionem excludit. Quod intellige de præſcriptione bonæ fidei, & cùm titulo, dum ſine titulo debet eſſe immemorialis, uti docet *c.1. de præſcript. in 6.* Bonifacius VIII. Et hoc ideo, quod ubi jus commune, aut præſumptio eſt in contrarium, contra præſcribentem, requiratur neceſſariò titulus poſſeſſionis, aut ſaltem præſcriptio immemorialis. Idem fieri poteſt per privilegium Papæ, qui decimas unius Eccleſiæ poteſt alteri Eccleſiæ aſſignare, cujus authoritati ſubeſt diſpenſatio juſta bonorum Eccleſiaſticorum. Idem fit per donationem decimarum, qualiter alibi in jure permittitur, ut Laici nullo juſto titulo decimas poſſidentes, poſſint eas donare piis locis accedente conſenſu Epiſcopi, qui ideo hîc requiritur, quod hæc donatio ſit quædam bonorum Eccleſiaſticorum alienatio, ad quam requiritur conſenſus legitimi ſuperioris. Idem inſuper fit per tranſactionem, ut ſi de multorum prædiorum decimis ſit contentio, poſſint de mutuo conſenſu cuilibet parti quædam prædia aſſignari; aut ſi contentio ſit de unico prædio, fiat tranſactio pro parte prædii, aut pro numero manipulorum. Requiritur hîc etiam conſenſus Epiſcopi, ut tranſactio ſit perpetua. Idem requiritur in permutationibus decimarum, quibus jus decimandi etiam poterit obtineri. Denique per compromiſſum, ſi Arbitri decimas aſſignaverint uni litigantium parti, dum de cauſa decimali compromitti poſſe, jura permittant.

An Clericis ditioribus debeantur decimæ.

Quæri tamen hîc poteſt, an etiam Clericis divitibus decimæ debeantur. Et D. Thomas *Opuſculo 6. art.* 10. affirmat ex eo, quod decimæ debeantur Eccleſiæ Miniſtris ex juſtitia commutativa, in qua non conſideratur conditio perſonæ, ſed æqualitas rei ad rem: ſicuti, qui emit rem aliquam, debet tantum ſolvere, quanti valet res, ſive eam emat à paupere, ſive à divite. Neque hîc obſtat, ait Sylvius ſuprà, quod decimæ dentur Clericis in ſuſtentationem; quâ non indigent illi, qui ſunt opulenti: etſi enim neceſſitas ſuſtentationis Miniſtrorum fuerit ratio inſtituendi decimas, titulus tamen, propter quem decimæ debentur, eſt officium, quod Clerici præſtant; adeoque ſicuti operario diviti debetur ſua merces: ita & Clerico diviti ſpiritualia aliis miniſtranti ſua debetur ſuſtentatio. Porrò, etſi Clericis opulentis etiam debeantur decimæ, tutius tamen eſſet de eiſdem non vivere, nec patrimonio parcere; dum Clericus juxtà D.Hieronymum, Altario inſerviens poſſit de Altario vivere, non tamen inde fieri ditior, quod hîc fieret. Vide quæ hâc de re latius dixi agendo de bonorum Eccleſiaſticorum debitâ diſpenſatione Cap. præced. Sect. 12. Laudabiliter tamen, ut monet ibidem Sylvius, facient Clerici ditiores, ſi pauperioribus decimas remittant, eâ tamen cautelâ, ut vitetur omne præjudicium, ut ſcilicet inde non oriatur diſſuetudo ſolvendi: & ideo, ait, vel accipiant ſingrapham, quâ alter teſtetur ſeſe decimas debuiſſe, ſed gratiosè ſibi eſſe remiſſas: vel eas recipiat, donetque poſtea, quantum voluerit.

Non tamen ſolis Clericis debentur decimæ, ſed etiam aliquando debentur illæ

illæ & Laicis ; quod non intellige de jure primario decimarum, quod cùm ſit ſpirituale, ut ante dictum eſt, & quod proindè laico competere nequit: ſed de jure ſecundario ibidem explicato. Competit autem laicis illud jus non ex propria ratione, ſed vel conceſſione, aut privilegio, vel venditione, elocatione, aut etiam permutatione. Sic privilegio ſummi Pontificis aliquando Regibus, & Principibus decimæ ſunt conceſſæ, vel intuitu defenſionis Eccleſiæ præſtitæ, vel intuitu operis pii exequendi. Sic & decimæ in feudum ſæpè datæ ſunt Laicis ; ità tamen, ut dicti Laici non poſſent illas transferre in alios laicos, ſed ſolummodo in loca pia de conſenſu Epiſcopi Cap. *Cum Apoſtolica* 7. *de his, quæ fiunt à Prælat.* Et licet ante Concilium Lateranenſe moribus introductum referant, ut Laicis de Eccleſia bene meritis decimæ concederentur perpetuò in feudum : dictum tamen Concilium decimas Laicis concedi prohibuit ; addens, Laicos decimas ab Epiſcopis, aut Regibus, aut aliis obtinentes, ſacrilegii crimen incurrere, & æternæ damnationis periculum. Interim de hac eadem re ita compendioſè ſcribit Gudelinus Juris noviſ. lib. 6. cap. 13. num. 7. *Fuerunt decimæ principio inſtitutæ pro Preſbyteris, qui Paræcias regunt, ut eſſent eorum alimenta : licet videamus multas à Religioſis, & Canonicis poſſideri, nimirum donatione, uſucapione, vel ſimili aliquo jure. Imo, nonnullas etiam à Nobilibus, aliiſque laicis, ſive quia olim Majoribus ipſorum, quod Eccleſiam, populumque Chriſtianum adverſus Religionis hoſtes propugnaſſent, donatæ fuerunt ; aut quia in feudum, eo ritu, quo fundi, aliæque res Eccleſiarum ab illis acceptæ. Quin etiam, quæ à laicis tenentur decimæ, videmus has non ſecus, quàm cætera ipſorum bona vendi, permutari, ad ipſorumque hæredes tranſire : quod ſatis arguit, eas non eſſe res penitus ſacras.... nec obeſt, quod alicubi legimus, eum, qui decimas pretio dat, ſimoniæ eſſe reum : quoniam decimæ ibi accipiendæ ſunt, non pro fructibus ipſis, ſed pro Beneficio Eccleſiaſtico, jus earum percipiendarum conjunctum habente. Tamen fatendum eſt, decimas ſanctius quoddam videri poſſeſſionis genus, cùm agros, vineas, cæteraſque ejuſmodi poſſeſſiones Eccleſiæ habeant, cum reliquis hominibus ex primævo uſu communes : at verò decimæ peculiari conſuetudine iis, qui ſacro miniſterio funguntur, aſſignatæ fuerunt : quo fit, ut indecorum viſum ſit, laicos has promiſcuè, ſicuti cæteras res, poſſidendas concedi : quod ne amplius fieret, in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro, & aliis Pontificibus decretum fuit : nec non his juſſum ſtrictiorem ſemper fieri interpretationem juris decimarum, quoties aliis, quam Rectoribus Paræciarum, præſertim autem Laicis competit ; nimirum, ut congrua portio eorumdem Rectorum ſemper ſalva ſit, & ad Novalia non extendatur, quo decimæ ad eam cauſam, ob quam primum inſtitutæ fuerunt, quàm proximæ fieri poteſt, redeant.* Hactenus Gudelinus.

Debentur etiam aliquando laicis.

Et quamquam ante dictum ſit, decimas à laicis poſſeſſas ad alios laicos etiam de conſenſu Epiſcopi transferri non poſſe ; aliud tamen tenet conſuetudo Belgii, ut modò ex Gudelino patet, dum ut cætera patrimonialia vendi

di poſſunt, & permutari: & idem de conſuetudine Galliarum tradit ex aliis Delpeiſſæus *de Beneficiis Eccleſiaſt. tit.9. ſect.1. num.6.* adeo ut, ſi de illarum proprietate agatur, ad Judicem laicum ejus rei ſpectet cognitio, etſi regulariter decimarum quæſtio coram Judice Eccleſiaſtico ſit pertractanda.

Malè etiam merè laicis connumerantur quoad jus decimarum Equites Ordinum Militarium, ut Melitenſes, Ordinis Teutonici, uti & Hoſpitalarii: hi enim propter religionem quam profitentur, merè laici non ſunt, ſed & Monachis quodammodo hîc connumerantur. Ita Henricus Caniſius *ad lib. 3. decret. tit.30. cap.13. num.4.*

De quibus ſolvendæ ſint decimæ.

Quod autem attinet ad aliam ſectionis partem; ſcilicet, de quibus decimæ ſint ſolvendæ, generaliter docet S. Thomas, de omnibus omninò decimas eſſe dandas, dum omnium omninò Deus eſt Author, & pro tali per præſtationem decimarum vult recognoſci. Excipi tamen ſolent res minutiores, ut olera ex hortis collecta, niſi alibi aliter conſuetudo introduxiſſet. Et quidem de proventibus Molendinorum ad ventum, etiam decimas ſolvendas eſſe, conſtat ex Cap. *Paſtoralis*, *de decimis*, dum cenſentur hujuſmodi eſſe fructus rei. Et notandum eſt, quod de prædialibus debeantur decimæ, antequam deducantur expenſæ, ut initio notavimus in diviſione decimarum, quod & confirmat D. Thomas *q.87. art.2. ad 4.* ubi docet, de fructibus terræ deberi decimas, in quantum proveniunt de divino munere, *& ideo*, ait, ***non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quàm ſolvantur decimæ: ſed ante omnia debent decimæ ſolvi ex integris fructibus.*** Aliam rationem addunt hîc alii, quod jus decimarum hîc ſit antiquius, ac jura Eccleſiæ, & Dei, humanis juribus debeant anteferri, Cap. *Cùm non ſit, de decimis.* Non tamen hîc dandæ ſunt decimæ de fructibus melioribus, etſi id conveniret; ſicuti multò minùs dandæ ſunt de deterioribus: ſed dandæ ſunt, prouti ſe offerunt, conformiter ad id, quod agendum eſt de Legato, uti ſtatuitur *L. legato generaliter 37. D. de legatis*, ubi ſtatuitur, neque optimum dandum eſſe, neque etiam peſſimum. Potiſſimum tamen attendenda eſt Patriæ conſuetudo, in determinandis rebus, de quibus ſolvendæ ſunt decimæ.

Jus decimarum in Belgio.

Quod autem ad Belgium noſtrum attinet, in primis Carolus V. anno 1520. cavit, ne decimæ exigerentur eorum fructuum, de quibus 40. retrò annis nullæ decimæ eſſent ſolutæ, aut exactæ. De inſolitis verò fructibus ſtatuit, ut ſi illi in illis locis, ubi uſitati decimas ſolverent, eas quoque ſolverent ibidem: de quo ſi non conſtaret, recurrendum hîc eſſet ad jus commune. Sic ait Zypæus *Juris Pontif. tit. de decimis lib.3. num.2.* cùm aliquando hîc eſſet quæſtio de panico, vulgò, *Boeck-weyde*: uti & de fagopyro, vulgò *Buken*, dum alibi illa recens erant ſeminata, an ad decimas tenerentur: recurſu accepto ad Campiniam, & alias partes Belgii, ubi ea genera frugum erant ſatis uſitata, conformiter ad illarum partium mores eſt judicatum. Idem Author refert pro Abbate S. Gertrudis judicatum eſſe, non cenſeri decimas novas de lignis, in illis locis, ubi de illis decimæ dantur, etſi etiam

etiam Sylvæ ante 40. annos, vel plantatæ eſſent, vel ſponte natæ. Inſuper notat idem Author, quod quando terra aliqua de indulto Principis ex aquis exaggeratur, quæ ex hominum memoriâ culta non fuit, nec Eccleſia de illâ decimas habuit, terra illa à decimis præſtandis ſit libera: undè hîc axioma: *die dyckt, wiendt de thiende*: Si verò Eccleſia ante decimas acceperit, eaſdem recuperat aggeratione factâ. Si tamen Princeps hîc per indultum non reddat proprietatem terrarum, ſicuti per inundationem, ſive alluvionem terræ redactæ ſunt ad Regalia Principis: ita & jus decimarum cum fundo pertinet ad eadem Principis Regalia. Aliter tamen cum aliquibus de privilegio ſpeciali Principis hâc in parte agitur, prouti Abbatiæ S. Michaëlis Antverpiæ conceſſum eſt in donatione terrarum de Zantvliet, ne eædem terræ, tametſi inundatæ, ad Principis Regalia redirent, prouti idem confirmavit ſententia contrà Præfectos aggerum hâc in parte pro eâdem Abbatiâ lata. Verum enim verò, etſi terræ inaggeratæ à decimis non ſint liberæ, ſaltem deductis expenſis: ex æquo tamen, ad animandos Agricolas, & terras aridas, & infructuoſas cultivandas, ſolent decimæ pro aliquot annis hîc remitti. De particularibus olerum, ac herbarum ſpeciebus, agnis, pullis, piſcibus, lanâ, &c. cujuſque loci conſuetudo hîc eſt ſollicitè attendenda. Et quidem pro Eccleſiâ Cathedrali Antverpienſi Romæ judicatum eſt, ut & Hortulani circà urbis mœnia commorantes de oleribus hortorum darent decimas: cui ſententiæ cùm ſeſe Hortulani oppoſuiſſent, concordarunt pro quolibet terræ jugere quotannis ſolvendam aliquam pecuniæ ſummam. Denique, etſi de jure communi de omnibus prædiis debeantur decimæ: tamen Fiſcalis Brabantiæ hîc allegat conſuetudinem immemorialem eas non ſolvendi, docetque eadem prædia Regia ſine onere eſſe ſemper elocata. Vide latius Zypæum *lib. 3. Conſult. Canonic. tit. de decimis.*

Pro Galliâ notat Deſpeiſſ. ſuprà *ſect.* 4. *num.* 2. quod illi, quibus competit jus decimarum de piſcatura ſolvendarum, eas prætendere non poſſint de piſcibus in mari Mediterraneo captis; eò quòd uſus maris omnibus debeat eſſe communis: & ita judicatum refert in Parlamento Toloſano anno 1633. & num. ſeq. refert, quod ibidem decimæ non ſoleant pendi de fructibus, herbis, & oleribus in hortis creſcentibus, niſi fortè ibidem ſatæ eſſent in fraudem; uti fit, quando in hortis aliquibus non ſeminantur ad recreationem, aut propriam neceſſitatem, ſed ad negotiationem; quo caſu debent decimas contribuere. Idem dicendum eſt de granis, & vino in hortis creſcentibus. Quid in Galliâ.

SE-

SECTIO IV.

Quando, ubi, & quomodo decimæ ſint perſolvendæ. De oneribus, quibus decimæ ſunt ſubjectæ: ac de pœnis non ſolventium decimas.

Quando decimæ ſunt ſolvendæ. EX variis Capitulis, de decimis, ſufficienter conſtat, decimas omnes ſine ullâ diminutione eſſe ſolvendas. Et quidem prædiales ſolvi debent ſtatim ac fructus ſunt collecti, ut conſtat ex Cap. *Cùm homines, hoc tit.* Adeo ut, ſi decimæ perierint ob moram debitoris, aut inde paſſæ ſint aliquod damnum, debitoris ſit periculum, niſi fortè Clericus admonitus, eas noluiſſet recipere, quo caſu culpa Clerici ſibi ipſi nocet. Perſonales verò decimæ, ubi illæ frequentantur, commodiſſimè ſolvuntur ſingulis annis, uti ſolvi ſolent cæteri cenſus, ac tributa. Ita Rebuff. *q.*12. *num.*4. Decimæ de fœtu animalium pendendæ ſunt, dum tempus naſcendi pullos advenit, aut dum ab uberibus Matris abſtrahi jam poſſunt: de lana, quando oves tondentur: de butyro, pellibus, &c. quando ejuſmodi ſolent præparari.

Ubi ſolvendæ. Etſi verò ſpectato jure communi non obligentur Coloni decimas in Clericorum horrea inferre, & ſatisfaciant obligationi ſuæ, ſi Clericum moneant, ut decimas collectas auferri curet: tamen melius alii cum Henrico Caniſio ſuprà *Cap.*7. *num.*3. cenſent, hâc in re attendendam eſſe conſuetudinem loci, addens in Agro Ingolſtadienſi obſervari, ut ex fructibus à ſolo ſeparatis, & in manipulos conjectis, decimæ earum ex eis ſeparentur, & in eodem agro relinquantur Eccleſiæ, cui debentur. Idem etiam obtinet hîc in Belgio, cui addidit Philippus II. ut decimæ integrè ſolvantur, neque fructus ante, vel poſt Solis occaſum, vel non monitis decimatoribus, neque antequam in manipulos colligantur, & in acervos componantur, ex agro aſportentur; ac tandem, ut decimis pacificè uti frui Eccleſiaſtici ſinantur, quale Edictum adjunctum habes ad Decreta Synodûs Antverpienſis. Videtur interim in L.V. diligentiorem curam præceptam eſſe in præſtatione decimarum, dum legitur Deuteron. 12. *In loco, quem elegerit Dominus Deus veſter..... illuc omnia, quæ præcipio vobis, conferetis holocauſta, & hoſtias, & decimas.* Et 2. Eſdræ 10. *Primitias ciborum noſtrorum..... afferemus Sacerdotibus, & decimam partem terræ noſtræ Levitis.* Et Malachiæ 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum.* Conſiderent hoc illi, qui decimas Eccleſiæ debitas, non ſolùm non inferre, conferre, adferre volunt in Parochorum horrea, ſed ne digito quidem eaſdem ab aëris injuriâ, aliove incommodo defendere dignantur. De cætero, ut dictum eſt, in præſtationis modo, ubique legitima obſervanda eſt conſuetudo.

Ad quæ onera teneantur decimæ. Variis autem oneribus decimæ objiciuntur; primò, quidem, ut Religioſi, ac Clerici ex decimis perceptis, quartam eorumdem partem ſolvere teneantur Epiſcopo loci, ſoletque vocari *quarta decimalis*, Cap. *De quarta, de præſcript.* & alibi. Videturque hæc quarta decimalis inſtituta ad exemplum

L.V.

L. V. ubi Levitæ ſolvebant ſummo Sacerdoti decimas decimarum. Secundò, tenentur ſæpè decimæ ad ædificationem, aut reparationem Eccleſiæ, cui ſolvi ſolent: ſic hìc in Belgio, quoad hunc caſum, decretum eſt anno 1611. ut hìc obſervarentur ante omnia conventiones, & pacta, ſi quæ facta eſſent inter decimas accipientes, & Parochias: deinde, ſi nulla de illo ſit alibi conſuetudo, primò conſiderari debeat, quanti ſint fabricæ proventus, qui ad dictum finem ordinantur: inſuper poſſent hîc fieri eleëmoſynæ communes, quæ ſi necdum ſufficiant, poſſent per 6. annos proventus decimarum fabricæ deputari, puta ſingulis annis tertiam earumdem partem, quod eſt ſatis conforme Concilio Tridentino *Seſ.*21. *cap.*7. Imò, juxtà Wameſium *Conſ.* 510. *& ſeq.* eſt ſatis conforme juri communi. Et quidem ex Edicto 28. Martii 1611. ad prædicta onera ſunt obligatæ decimæ, ſive etiam ſint feudales, ſive non, etſi etiam ſint in manu mortuâ, & acquiſitæ poſt Concilium Lateranenſe. Ità Anſelmo in Codice Belgico V. *Thienden num.* 16. addens *num.* 20. Quod decimæ nequeant elocari ultrà 3. annos, & hoc per tres proclamationes, vulgò, *Kerck-gheboden*, adeo ut, ſi quis longiore termino eaſdem velit elocare, obſervare debeat ſolemnitates in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum requiſitas. Idem ſtatuit Synodus Antverpienſis ſub Miræo *tit.* 21. *cap.* 26. Inſuper addit *num.* 8. 9. quod decimæ quoque obligentur ad nummum centeſimum, vigeſimum, decimum. Cùm verò ſint decimæ ſine diminutione ſolvendæ, ut ante dictum eſt, non debent decimæ contribuere ad inaggerationes, ait Zypæus *Conſult. Can. lib.*3. *conſult.* 2. Quare Carolus V. Edicto 23. Maij 1531. ubi recenſet eos, qui ad aggerationes debent contribuere, nihil meminit decimarum. Hoc tamen rectè addit dictus Author, quod ſit æquum, & bonum, ut hoc caſu decimæ quoque aliquid contribuant ad animandos Colonos, &c. Prætereà, decimæ hîc obnoxiæ ſunt ad campanam decimalem, trabem ejuſdem, & omnia ad eam requiſita, prout poſt longam diſputationem Arreſto Curiæ Brabantiæ deciſum refert Anſelmo *Trib. cap.*1. *num.*19. inter R.^dos D.^nos de Capitulo Antverpienſi, Nob. Dominum Commendatarium de Pitſenborgh, & V. D. Abbatiſſam de Rooſendael ſupplicantes; & Scabinos, ac Rectores Eccleſiæ de Contich reſcribentes ex altera parte: & prædicti ſupplicantes condemnati fuerunt ad reparationem ſummi Chori, traditionem ornamentorum, & campanam decimalem, ubi, & quando turris Templi foret ædificata. Videri poteſt dictus Author ibid. longius agens de hac decimarum materiâ, uti & prædicto loco in Codice Belgico.

Quomodo decimæ hîc elocandæ.

Campana decimalis.

Graviſſimæ tamen conſtitutæ ſunt pœnæ in decimarum defraudatores, ac uſurpatores injuſtos. Concilium Trid. *Seſ.*25. *cap.*12. eas ſubtrahentes, aut impedientes excommunicat; ſtatuitque, ne quis hîc abſolvi poſſit, niſi plenâ reſtitutione ſubſecutâ. Deindè, eaſdem denegantes, Eccleſiaſticâ privantur ſepulturâ Cap. *Prohibemus, de decimis.* Inſuper Gregorius IX. ſtrictè inhibuit Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ne talia umquam prædicarent, quæ popu-

Pœnæ non ſolventium decimas.

populum à præſtandis decimis, aut aliis Eccleſiæ debitis poſſent retrahere; ſed è contrà præſtationem illam deberent ſedulò inculcare. Eugenius tamen IV. ſtatuit ad tollendum illis ſcrupulum, ut huic obligationi ſatisfacerent, ſi id agerent ab Ordinariis ad hoc requiſitis. *Clement. cupientes, de pœnis*, indicitur etiam excommunicatio Religioſis, qui in prædicatione ſuâ, aut alibi populum à ſolutione decimarum retrahere præſumunt. Plura hanc rem concernentia habet Barboſa *de Jure Eccleſ. lib.*3. *cap.*26. *num.*20. & ſeq. Si verò Eccleſia contumaces ad ſolutionem decimarum compellere nequeat per cenſuras, poterit invocare auxilium brachii ſæcularis, ut ait Rebuff. *q.*15. *num.*18. Graviſſimæ inſuper pœnæ ſequuntur decimarum uſurpatores, & ſignanter teſte S. Auguſtino Hom.49. ad plebem Africanam, quod ideo bona aliquorum cedant Fiſco, quæ Deo in decimas denegantur; quod detur id impio militi, quod quis non vult dare Sacerdoti. Unde & ipſi Gentiles, *dives fieri qui vult, Herculi decimam ſolvito.* Et ipſe Deus Malachiæ 3. *Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo meâ: & probate me ſuper hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas Cœli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ.* Videri poſſunt, quæ dixi in principiis Theol. tom.2. de decimis. Præclarè etiam de hac re ita ſcribit S. Auguſt. relatus Cap. *Decimæ* 16. q.1. *Decimæ*, ait, *tributa ſunt egentium animarum: quod ſi decimam dederis, non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis, & animæ conſequeris. Non igitur Dominus Deus præmium poſtulat, ſed honorem. Deus enim noſter, qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatus eſt recipere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturam. Sed ſi tardius dare, peccatum eſt: quantò magis pejus peccatum eſt non dediſſe. De militia, de negotio, & de artificio redde decimas. Cùm enim decimas dando, & terrena, & cæleſtia poſſis præmia promereri: quare pro avaritia duplici benedictione fraudaris, &c.* Et Hieron. ſuper Malachiam relatus Cap. *Revertimini* ibid. *Si quando fames, & penuria, & rerum omnium egeſtas opprimit mundum, ſciamus hoc ex irâ Dei deſcendere, qui ſe in pauperibus, ſi non accipiant eleëmoſynam, fraudari loquitur, & ſuas poſſeſſiones poſſumus decimas, & primitias interpretari.*

SECTIO V.

De Novalibus, Primitiis, & aliis Oblationibus.

Quid Novale, & cui competat.

Novale in Jure Civili *L.*3. *in fine D. de term. moto*, nihil eſt aliud, quàm terra, quæ exciſâ ſylvâ in formam agri eſt redacta. Aliquando ſumitur pro terrâ præciſâ, quæ per annum ceſſavit, uti ſumitur *L. ſylva* 30. §. *Novalis D.* propriè tamen in Jure Canonico dicitur Novale eſſe ager nunc primum præciſus, ut dicitur *Cap.*1. *de verb. ſignificat.* & in *Cap. Quid per Novale, de verb. ſignif.* expreſſius dicitur, quod ſit ager de novo ad culturam redactus, cujus non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit. Propriiſſimè competunt

petunt Novalia Parocho loci, ubi ſunt ſita; adeo ut, etſi decimæ Eccleſiæ alteri Eccleſiæ fortè præſcriptæ forent, Novalia tamen Parocho deberentur; cujus ratio eſt, quod præſcriptio ſine poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione non procedat, & tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum: Novalis autem ager quoad jus decimandi, numquam ante poſſeſſus fuit, adeoque nulla poteſt eſſe præſcriptio, Cap. *Cùm contingat*, *de decimis.* Deindè, etſi aliquando quædam privilegia piis locis conceſſa, eadem eximant à ſolvendis decimis: non tamen ideo eximunt à Novalibus; eò quòd privilegia ità moderanda ſint, & accipienda, prouti minimum nocent alterius juri. Inſuper, quotieſcumque à Summo Pontifice datur laicis privilegium decimandi, non cenſentur comprehendi Novalia; cùm tale privilegium ſit odioſum, præjudicans Juri Eccleſiaſtico, adeoque convenit, quod reſtringatur. Et quamquam hoc non obtineat quoad perſonas Eccleſiaſticas, ut conſtat ex Cap. *Ex parte*, *de decimis*: uti privilegium de non ſolvendis decimis, etiam comprehendit Novalia: quia ut ibidem dicitur: *ubi majus conceditur*, *minus conceſſum eſſe videtur*, & Novales ſunt decimæ minores: quia etſi hoc quoad Eccleſiaſticos ſtatuatur, non debet ideo idem extendi pariformiter ad laicos; de quo videri poteſt Henricus Caniſ. *ad* 3. *Decret. tit.*30. *cap.*11. De cæterò, etſi Parochis propriiſſimè debeantur Novalia, varii tamen Abbates, aliique prætendunt privilegia à S. Sede ſibi conceſſa, quibus conceditur jus Novalium, ut aliarum decimarum de Eccleſiis Monaſterio incorporatis obvenientium, de cujus privilegii valore, judicent alii. In Galliis quoque decimæ Novalium ad Parochum ſpectant, ejuſque reditibus accreſcunt, ut multis Senatuſconſ. judicatum eſſe refert Deſpeiſſ. *Sect.*1. *tit.*9. *de decimis num.*9.

Primitiæ verò nihil ſunt aliud, quàm primi fructus arborum, plantarum, hominum, & pecudum, qui Deo offerebantur in recognitionem ſummi dominii, & gratitudinem bonorum à Deo acceptorum: item in ſuſtentationem Miniſtrorum. Vario jure in V.L. ſunt præſcriptæ, & ſolebant ſolvi ter in anno, ut notant Commentariſtæ in S. Scripturam: puta, in Pentecoſte de novis panibus, *Levitici* 23. *v.*15. in Paſchate, de novis ſpicis, *Levitici* 23. *v.*10. & in Septembri in Feſto Tabernaculorum, de novis fructibus, ut *Num.* 18. *v.*13. Variè quoque à decimis differebant, quæ primariò dantur in ſuſtentationem Miniſtrorum; Primitiæ autem primariò dantur pro recognitione beneficiorum à Deo acceptorum, etſi ſecundariò in ſuſtentationem Miniſtrorum. Diſputant etiam de illis, an ſint de jure naturali divino: alii cum Rebuffo, & Dominico Soto cenſent eſſe juris naturalis, eò quòd jure naturæ obligetur homo pro acceptis à Deo beneficiis eſſe gratum. Verum conformiter ad dicta de decimis, dicendum hîc eſt, primitias eſſe partim juris naturalis divini, partim juris poſitivi Eccleſiaſtici: quatenus enim primitiæ ſunt ad honorem Dei, cultum divinum, & uſum ſacrum, ſunt juris naturæ; uti etiam, quatenus benefacienti per primitias quoque benefaciamus. Unde & Gentiles, teſte Plinio *lib.*18. *cap.*2. non guſtabant nova vina, aut novas fruges, niſi eadem prius

Quid Primitiæ.

Diis ſuis immolaſſent. Quatenus tamen Eccleſia eas quoque indixit ad exemplum L. V. ſic etiam ſubindè dicuntur eſſe juris divini. Quod autem Deum colere, jubeat lex per primitias, eſt merè juris poſitivi humani. Videtur interim magis accedere ad dictamen rationis oblatio primitiarum, quàm oblatio decimarum; dum de jure naturæ in Deum ut in omnium omninò rerum primum principium omnia ſunt dirigenda; & gratitudo id exigat, ut primum munus omnium munerum largitori rependatur, & ita recognoſcatur. Ut ut ſit, certum eſt, etiam Lege Canonicâ Cap. *Decimas* 16. *q*.7. primitias eſſe præſcriptas Chriſtianis; quæ lex, teſte Leſſio, & aliis, in omni ferè Regione eſt abolita: quâ de causâ illæ obſervandæ ſunt juxtà conſuetudinem loci, & indigentiam Miniſtrorum, ut ait Sylvius 2.2. *q*.86. *art*.4.

Quid Oblationes. *Oblationes* denique generaliter dicuntur, quæ Deo offeruntur: hîc tamen ſumuntur pro donatione factâ Eccleſiæ in ſuſtentationem Miniſtrorum, fabricæ reparationem, ſeu alium uſum ſacrum. De eis docet S. Thomas 2. 2. *q*.86. *art*.1. de illarum ratione eſſe, ut ſint liberæ, ac voluntariæ; adeoque nullum omninò eſſe de oblationibus præceptum. Poteſt tamen ex 5. capitibus obligatio in eiſdem exoriri: 1. Ratione voti, & promiſſionis offerendi. 2. Ex legato, teſtamento, &c. 3. Ratione conventionis, ut dum alicui datur fundus, eâ conditione, ut ſtatis temporibus de eo oblationes fiant certæ Eccleſiæ. 4. Ratione indigentiæ Miniſtrorum. 5. Ob legitimam conſuetudinem, & præſcriptionem. De conſuetudine id aliqui negant, ſcilicet poſſe per illam induci obligationem oblationes faciendi, dum conſuetudo à ſuo exordio debuit eſſe libera, voluntaria, & abſque ullâ obligatione, adeoque nec per continuationem temporis poterit obligatio eſſe offerendi, dum oblatio debet eſſe voluntaria. Numquam enim conſuetudo habet vim legis, niſi ſit introducta animo obligandi, ut latius ſolet id explicari, & confirmari in materia de legibus. Hinc alii cum Soto *lib*.9. *q*.3. *art*.1. docent, quod ſi conſuetudo ſit inducta animo obligandi, habeat vim legis. Hoc autem inde colligi poſſe docet, ſi alibi non dentur decimæ, aut non dentur ſufficientes ad debitam ſuſtentationem Miniſtri: vel etiam, ſi ſit uſus vetuſtiſſimus, ut ſtatis temporibus aliqua offerantur. Verum alii rectius docent, generaliter conſuetas oblationes eſſe ſub lege, latâ Cap. *Ad Apoſtolicam, de ſimonia*, ubi Pontifex pravam conſuetudinem, ſive exactionem fieri prohibet, & pias conſuetudines præcipit obſervari. Ex eo, inquam, Capitulo rectè DD. colligunt, quod ubi fuerit conſuetudo ſat longa ad præſcribendum, impoſita ſit eo ipſo obligatio offerendi. Terminum illum alii apud Barboſam *lib*. 3. *de Jure Eccl. cap*. 23. *num*. 12. cenſent eſſe decennium; ubi etiam probat (uti quoque facit de officio Parochi) quod conſuetudo, etſi ab initio ſit voluntaria, poſſit poſtea fieri obligatoria. Quomodo tamen in caſu omiſſionis offerendi non poſſit Parochus ſubtrahere ſpiritualia, dicam poſtea.

Qui offerre non poſſint. Porrò, Eccleſia non recipit oblationes ab infidelibus, niſi fortè ab iiſdem paſſa ſit aliquod damnum; nec de eo, quod eſt oblatum Idolo, ut ſtatuit Concilium Elibert. neque etiam recipit oblationes de illicitè acquiſitis, Cap. *Ex tranſmiſſa*,

miſſa, de decimis, qualia ſunt acquiſita ex furto, rapinâ, uſurâ, meretricio, &c. *dona enim iniquorum non probat Altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum*, Eccl.38. Talia etiam ſunt, quæ ex obligatione pietatis, v.g. filiis aut parentibus indigentibus ſubtracta, offeruntur. Deindè, Canonico Jure etiam ſtatuitur *Can. oblationes, diſt.*90. ne Eccleſia diſſidentium fratrum oblationes recipiat. Et Gloſſa ibid. illis adjungit oblationes eorum, qui pauperes opprimunt, ſacrilegorum, extrahentium ſervos ab Eccleſia ad eam confugientium, raptorum, uſurariorum, &c.

Ad quem pertineant oblationes.

De cætero, oblationes factæ in Parochiali Eccleſia pertinent ad Parochum: quæ verò fiunt in alia Eccleſia, pertinent ad ejus Eccleſiæ Rectorem, ſeu Præpoſitum: oblationes verò, quæ parietibus affiguntur, fiunt Eccleſiæ, ait Zerola in praxi *V. Oblationes.* Pro quo notari poteſt, eſſe varia oblationum genera; quædam enim Imaginibus offeruntur, quædam Altaribus, quædam Templi parietibus, quædam Capellis: quædam in capſis, & thecis Templi includuntur: aliæ dantur in Offertorio Miſſæ, ſub *Agnus Dei, &c.* aut etiam ante Altare in pelvim projiciuntur. Variant jam hîc Authores, in determinando quibuſnam dictæ oblationes cedere debeant. Et in primis, de oblationibus factis Imaginibus, cenſent alii, apud Barboſam *de Jure Eccl. lib.*3. *cap.*23. *num.*29. eas cedere Epiſcopo. Verum, ut ipſe ait, verior, & hodie receptiſſima eſt ſententia, quod, ſive in Parochiali poſitæ ſint hujuſmodi, ſive extrà, intrà tamen limites Parochiæ, habeat fundatam intentionem Parochus ſuper omnibus obventionibus contingentibus intra limites ſuæ Parochiæ, & ad eum ſpectent. Epiſcopo verò cedunt, quando ſacræ Imagines reperiuntur extrà omnem Parochiam. Idem pro jure Parochi defendit Proſper Fagnanus in Cap. *Paſtoralis, de his, quæ fiunt à Prælatis*, dicens hanc quoque opinionem eſſe D. Thomæ 2.2. *q.*86. *art.*2. & illud etiam obtinere ait, etſi oblationes fieri ſoleant Imagini in aliquo Sacello collocatæ, quo caſu etiam cedunt Parocho, in cujus Diœceſi Sacellum eſt collocatum. Et juxta hanc communem opinionem, ait Anſelmo *Trib. cap.*1. *num.*27. exortâ quæſtione, an oblationes factæ Imagini Deiparæ Duffellenſi cederent Capellæ, an Parocho, conſuluiſſe ſeſe, eaſdem oblationes deberi Parocho Duffellenſi, in cujus Parochiâ Sacellum collocatur, cùm Parochus loci, in quo eſt Imago, ſit ibidem adminiſtrator bonorum Dei, & authoritate Apoſtolicâ ibidem talis conſtituitur. Si verò oblationes offerantur Imagini exiſtenti in Cathedrali, cedunt Archipresbytero, curam animarum ibi exercenti, ait Fagnanus ibid. *num.*26. decidiſſe Rotam Rom. Sed hactenus dicta referunt Authores ad caſum dubii, cui præcisè à populo fiant oblationes: ſi enim oblationes ex pia offerentium voluntate cenſeantur factæ alicui particulari fini, v.g. pro fabricâ, pro pauperibus, pro captivis, infirmis, &c. debeant ad ſimiles uſus applicari oblata, dum voluntas datoris præcisè eſt obſervanda. Non obtinet quoque hîc jus Parochi, ſi Eccleſia, in quâ eſt Imago, ſit Regularis, quando oblationes cedunt Monaſterio, uti habet *Cap.*1. *de ſtatu Monachorum*. Et ratio eſt, quod Monaſteria ſint exempta,

ac quatenus talia, ſunt quidem in Diœceſi Parochi, ſed non de Diœceſi, ut notat idem Author *num.*35. Denique, non obtinet, ubi contrariâ conſuetudine, aut præſcriptione aliud eſt introductum, uti *num.*37. cenſet de oblationibus factis in Miſſa novi Sacerdotis, quæ non cedunt Parocho, ſed tali Sacerdoti; eò quòd ſic habeat communis locorum conſuetudo. Unde generaliter notant Authores, quod in hoc puncto, attendenda ſit cujuſque loci conſuetudo, quâ fit, ut offerentium intentio cenſeatur dirigi in illum finem, in quem conſuetudo introduxit oblationes eſſe convertendas.

De cætero, improbanda eſt juxtà multos illa Parochorum conſuetudo, quâ Parochi, & Eccleſiarum Rectores oblata in Eccleſiæ vendunt laicis, aut elocent, quod & Paſtoribus expreſsè prohibet Synodus Mechlinienſis ſub Matthia Hovio *tit.* 16. *cap.* 13. & ſuffragatur D. Thomas 2. 2. *q.*86. *art.* 2. *ad.* 3. ubi ait: *Oblationes, poſtquam fuerint conſecratæ, non poſſunt cedere in uſum laicorum, ſicut vaſa, & veſtimenta ſacra.* Hoc tamen limitant alii apud Fagnanum ibid. *num.*43. quod non liceat laicis oblationes immediatè recipere de Altari; ſed debeat Clericus conſtitui, qui eas de Altari accipiat, & aliis tradat. Et id videtur exprimere S. Thomas ibid. ita addens: Illa verò, quæ non ſunt conſecrata, poſſunt in uſum laicorum cedere ex diſpenſatione Sacerdotum, ſive per modum donationis, ſive per modum venditionis. Et videtur id fieri ex Sacerdotis diſpenſatione, dum oblata de Altari recepta per Sacriſtam, aut Æditu um ſæcularem redduntur laicis, aut per modum permutationis, aut venditionis, ut pleriſque in locis habet conſuetudo.

SECTIO VI.

De Portionibus Canonicis, Portione congruâ, & aliis Eccleſiaſticorum fructibus.

Quid Portio Canonica.

P*Ortio Canonica* nihil eſt aliud, quàm quædam pars ex relictis, & proventibus Eccleſiis obvenientibus, debita perſonæ Eccleſiaſticæ: eſtque duplex, ſcilicet Epiſcopalis, & Parochialis, prout debetur Epiſcopo, aut Parocho. Parochialis aliquando vocatur, *quarta Parochialis.* Dicitur, *Canonica*, eò quòd pars illa à Canonibus ſit inſtituta, & approbata. Epiſcopo de jure communi debetur ſua Portio Canonica de omnibus legatis Eccleſiæ relictis, de decimis, & illis, quæ occaſione funeris obveniunt Eccleſiæ. Debetur autem in recognitionem ſuperioris, & ob communicationem, quam omnes Eccleſiæ Diœceſis habent cum Epiſcopo, & denique ob curam Epiſcopalem: Cap. *Conquerente* ✠ *de Offic. Jud. ord.* quandoque hæc portio quarta eſt; quandoque tertia, juxtà loci conſuetudinem, cujus uſus in diſſuetudinem abiiſſe videtur, ait Caniſius, *Summa Juris Canonici lib.*3. *tit.*12. §.14. Qui plura deſiderat, legat Barboſam *Juris Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 19. ubi hanc materiam latius pertractat. Inſuper alia eſt portio Epiſcopo debita, quæ dicitur *Cathedratica*, & illi ſolvitur in honorem Cathedræ Epiſcopalis; ab aliis vocatur *Synodatica*, quia ab

Digitized by Google

ab omnibus vocatis ad Concilium Diœceſanum quot annis ſolvitur in Synodo. Sed & hæc portio cum aliis, jam multis in locis contrariâ conſuetudine abiit, unde de eâdem ſuperſedemus, & de Portione Canonicâ Parochorum, tamquam de re magis neceſſaria quædam ſunt diſſolvenda.

Portio Canonica Parochialis, ſive *quarta Parochialis*, eſt portio Parocho obveniens, & debita ex iis, quæ ratione funeris alteri Eccleſiæ, ubi Parochianus ejus ſepelitur, accreſcunt. De jure eſt quarta, etſi per conſuetudinem alibi poſſit eſſe tertia, & dimidia. Et hoc juſtiſſimè à jure ſtatutum, ne Eccleſiarum Rectores debitis fraudarentur ſubſidiis. Ad hanc ſolvendam obligantur etiam Monaſteria, niſi ſe doceant ab illa eſſe exempta. Et Concilium Trid. *Seſ.* 25. *cap.* 13. *Reform.* revocat privilegium Monaſteriis datum de non ſolvendâ quartâ funerali; ita tamen, ut à quibus ab annis 40. anterioribus ſolita eſſent ſolvi, ab eiſdem deinceps eodem modo perſolvantur: tacitè innuens, non fuiſſe propoſitum Concilio, locis illis, quæ 40. annis (quo tempore contrà Eccleſiam præſcribitur) præſcriptionem eſſent conſecuta, jus acquiſitum auferre. Ita Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *in fine*, addens ideo Ciſtercienſes, & alios, nullam hîc præſtare portionem, & alios ſolummodo candelas, &c. de quo, ait, ubique legitima conſuetudo eſt obſervanda. Idem aſſerit Zypæus *Juris Pontificii lib.* 3. *de ſepulturis num.* 5. ita ſcribens: *Sed in hujuſmodi re, conſuetudines, ac concordata plerorumque locorum modum ſtatuerunt. Sic certum eſt in primis, in his ditionibus Ordines præſertim mendicantes, quibuſcum (quia jus ſepulturæ habent) antiqua Parochis lucta fuit, rarò, & fortè nullis in locis, puris, & integris ſuis privilegiis uti, ſed modificatis per inveteratos uſus, aut concordata, quæ obſervanda ſunt.* Id ipſum habet idem Author in *reſponſ. juris Can. lib.* 5. *de privilegiis reſp.* 5. Quid Portio Canonica Parochialis.

Portio congrua generaliter dici poteſt illa, quæ omnibus conſideratis alicujus honeſtæ ſuſtentationi congruit, quæ & debetur cuique operario ſpirituali, dum dignus eſt operarius cibo ſuo. Si enim Officialibus Regiis, & aliis hujus mundi Rectoribus, competens debeatur, & aſſignetur ſuſtentatio: quare eadem deneganda erit Rectoribus, & Operariis Eccleſiaſticis? Et in primis Concilium Trid. *Seſ.* 21. *cap.* 6. ſtatuit, ut quamprimum Eccleſia vacaverit, eidem de idoneo Vicario Ordinarius provideat, aſſignatâ illi competenti portione fructuum. Deinde, *Seſ.* 24. *cap.* 13. ſtatuit, ut Rectoribus Eccleſiarum, quarum reditus ſunt nimis tenues, debitè provideatur, ſive per unionem beneficiorum, aſſignationem primitiarum, decimarum, &c. Verùm, cùm hæc competentia ſuam habeat latitudinem, eam quoque habet authoritas Ordinarii in aſſignandâ dictâ portione: quâ de causâ, eam Pius V. reſtrinxit, ut non infrà 50, aut ultrà 100. aureos hæc proviſio extenderetur. Et Synodus Mechlinienſis anno 1607. *tit.* 17. *cap.* 3. ſtatuit, ut hanc portionem Ordinarii conſtituant, computatis fructibus certis, ac emolumentis; & incertis, ſeu accidentalibus, quæ ad certam ſummam communibus tribus, aut quatuor annis ultimò præteritis, redigi poſſunt; nec infrà 30. libras, nullis autem ultrà 50. Quid Portio congrua.

libras

Digitized by Google

libras groſſorum Flandriæ, id eſt, 100. ſcuta excedant, niſi Ordinariorum judicio, Parochiæ amplitudo aliquid amplius ultrà 50. libras requirat. Ad hoc ergo attendendæ ſunt temporis, ac loci circumſtantiæ: dignum enim eſt, ut Paſtori illi, qui habet ſub ſe bis mille, aut mille aliquando communicantes. plus quàm 100. ſcuta aſſignentur. Deindè, cùm pecunia à tempore Pii V. multum decreverit, ex æquo videtur, quid amplius modò eſſe indulgendum. Idem obtineri poteſt ratione loci, ubi carior eſt victûs ratio, prouti eſſe ſolet in Urbibus famoſioribus. In Galliis quoque in Conſtitutione Ludovici XIII. anno 1629. Art. 12. ſtatuitur, ut congrua Parochorum portio ſit 300. librarum, præter oblationes, & caſualia ſtipendia. Habetur tom. 3. Act. Cleri Gallic. & in Belgio non ſemel à Concilio Brabantiæ taxata fuit Parocho competentia 400. flor. prouti paſſim ſolvunt Eccleſiæ, quibus Parochialis cura eſt annexa, uti Cathedralis Antverpienſis ſolvit Parochis in Berendrecht, Kiele, &c. Inſuper, ut Parochis ſecurius, & promptius de ſua competentia ſatisfiat, ſtatuit dicta Synodus Mechlinienſis ibid. *cap.* 4. ut ſi aliqua oriatur difficultas in aſſignanda hac congrua portione; Epiſcopi, eorumvè Vicarii, aut Officiales, ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figurâ judicii, auditâ nudâ petitione Parochorum, ac eorum, quorum intereſt, reſponſione; & factâ deſuper ſummariâ informatione, quod ipſis Parochis deëſſe compererint, ad ſummam ſuperius taxatam per modum proviſionis adjudicent; neque appellatio executionem poſſit ſuſpendere. Idem obſervandum eſſe ad normam dicti Concilii, ſtatuit Synodus Diœceſana Antverpienſis *tit.* 16. *cap.* 14. Rationabile tamen eſt, ne dicta competentia aliquo onere gravetur, ne obturetur os Bovi trituranti, prouti juſtiſſimè nuper ſupplicarunt Parochi Diœceſis Antverpienſis Ordines Brab. ut ad ſummam honeſtæ competentiæ declararent illos immunes ab exactione nummi vigeſimi, & aliorum onerum.

Portio congrua in Gallia, & Belgio.

Notabile. Duo autem in hac materia ſunt obſervanda: unum, quod ſeſe tenet ex parte Parochorum; alterum quod ſe tenet ex parte illorum, quorum eſt de portione congruâ providere. Primum importat, ut Parochi, & quicumque Beneficiati juribus ſuis ſollicitè invigilent, uti jurejurando promiſerunt, adeoque decimarum, primitiarum, oblationum, cæterorumque bonorum ſibi debitorum ſolutionem exactam fieri procurent. Quod ſi ſubindè eadem pernegent ſubditi, non poterit tamen ideo Parochus negare Sacramenta, aut alia ſpiritualia miniſteria, ut expreſsè etiam docet S. Thomas ibi ſuprà ad 3. tum, quod ibi virtualis ſit exactio pro re ſacrâ, quæ in jure prohibetur: tum, quod omni jure ſtatuatur, ut hæc res ad Epiſcopum deferatur, qui veritate cognitâ, compeſcat, qui Eccleſiæ debita denegare, aut laudabiles conſuetudines malitiosè immutare præſumunt, ut ſtatuit Cap. *Ad Apoſtolicam, de ſimonia.* Et Abbas in Cap. *Pervenit, in initio*, docet ſuperiores graviter peccare, niſi ſubditos compellant ad decimarum, ac aliorum debitorum ſolutionem Eccleſiæ faciendam: quod præcipuè Epiſcopos concernit, qui arctiſſimo vinculo conſtringuntur Eccleſiarum jura defendere; & majori ideo authoritate, ac poteſtate

gau-

gaudent; ut quod Parochi præ ſuâ tenuitate tueri, aut procurare nequeunt; illi ſuâ authoritate, ac ſufficientia procurent. Si tamen negatio decimarum v.g. eſſet publica, poſſet etiam publicè hoc caſu negare Sacramenta Parochus, uti ſolet latius doceri in *materiâ de Sacramentis.* Notant tamen etiam Authores paſſim cum Caietano, prudentiâ hîc opus eſſe, ne ſcandaliſentur ſubditi: unde S. Thomas q. 78. art. 1. ad 5. ita ſcribit: *Laudabiliter Miniſtri Eccleſiæ decimas non requirunt, ubi ſine ſcandalo non poſſunt, ſeu propter diſſuetudinem, ſeu propter aliam cauſam.* Nec hîc prætendi meritò poteſt juramentum à Parocho præſtitum de tuendis juribus ſuæ Eccleſiæ, quod juxtà Exim. D. Molanum *Orat. 3. de decimis defendendis cap. 12.* non obligat, ut extremo jure in defendendis decimis utantur; eò quòd juramentum non ſit vinculum iniquitatis, ſed obligatio ejus intelligi debeat ſalvis honore Dei, & ædificatione proximorum: & temporalia potius perdenda ſint, quàm ut nomen Dei per noſtras actiones blaſphemetur, & proximi ſcandaliſentur. *Fœda nimirum*, ait ille, *eſt macula avaritiæ in hominibus Eccleſiaſticis, maximeqne eos liberales eſſe docet. Unde Apoſtolus Paulus non poterat tutâ conſcientiâ neceſſaria vitæ à Corinthiis exigere 1. Cor. 9. non quod ea contrà juſtitiam, ſed contrà charitatis debitum exegiſſet.*

Poſterius importat, ut illi, quorum eſt decimas, & alia ad congruam Parochorum ſuſtentationem neceſſaria illis procurare, eadem illis ſubtrahant, volentes non laborando manducare, & os Bovi trituranti obturare. Hinc ſapienter monet Molanus ibid. in fine, Canonicorum, & Monachorum Collegia per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ne decimas ſuas ſordidè defendant contrà Paſtores; ſed meminerint eas primo loco deberi Paſtoribus; ut videlicet exindè duplicem honorem, hoc eſt, abundantem competentiam, ac ſuſtentationem percipiant. Quare, quod eis canonicè debetur, qui præ reliquis portant pondus diei & æſtus; hoc integrè, ac ſine ullâ moleſtiâ percipiant. *Imminuatur*, ait, *potius numerus Monachorum, & Canonicorum. Nimia enim abſurditas eſt, Paſtores Canonicâ portione viros Eccleſiaſticos defraudare, quod nemo vir bonus flagitare, neque ullus Epiſcopus tolerare poteſt.* Ad ejuſdem debiti procurationem obligantur etiam Reges, Principes, Magiſtratus, & quæcumque demum poteſtas ſæcularis, ut ibidem doctiſſimè probat dictus Author Cap. 1. & ſeq. qui incunctanter advertere debent, Regiam, aut aliam ſæcularem poteſtatem, ſibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut Leoni Auguſto olim dixit Leo Papa epiſtolâ 73. Hinc etiam S. Trid. Synodus *Seſ. ult. Cap.* 20. admonet ſuperiores ſæculares, ut quò largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati; eò ſanctius, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, tamquam Dei præcipua, ejuſque patrocinio tecta venerentur, neque ab ullis lædi patiantur; ſed ſeverè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque juriſdictionem impediunt, animadvertant. Hoc tamen ſedulò notandum hîc eſt, quod ratio boni communis ſubindè exigat, ut Eccleſiarum jura

Digitized by Google

ra non ita exactè obſerventur, ſed juri Eccleſiaſtico parumper detrahatur: quâ ratione ſubindè ſubditorum bona à decimis eximunt cum conſenſu Papæ Reges, & Principes, ubi illud ratio boni communis contigit poſtulare. Sic victorioſiſſimus Princeps Farneſius hanc Urbem cum aliis Regi Catholico iteratò ſubjiciens, cum aliquibus fœdus iniit, ne decimas ex integro ſolvere cogerentur. Unde, ſi quid ejuſmodi ſtatuat aliquando Poteſtas ſæcularis, *debemus nos*, ait Molanus ibi cap. 11. *qui inferiores ſumus Sacerdotes, ubi vel expreſſo, vel tacito conſenſu Eccleſiaſtici Ordinis ſuperioris aliquid Regio decreto relaxatur de jure Eccleſiaſtico, non importuno clamore, & nos, & alios turbare; ſed ſi quid corrigendum eſſe putemus, id opportunè, modeſtè, & reverenter ad ſuperiores noſtri ordinis referamus, ut per eos, velut per Patres Patriæ, ſi ita judicent, corrigantur, & emendentur. Periculosè enim iſta loco importuno evomuntur, cùm ſcriptum ſit, Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*, Exodi 22. *Prudenter verò, ac tutò, quoad iſta in judicio Eccleſiaſtici Ordinis ſuperioris, ac potiſſimum in Epiſcopali conquieſcimus.*

CAPUT V.

De Simoniâ.

SECTIO I.

Quid ſit Simonia, quale peccatum, & quotuplex.

Origo Simoniæ.

S*Imonia* dicta eſt à Simone Mago, qui à Philippo Diacono baptizatus, videns ab Apoſtolis per impoſitionem manuum dari Spiritum ſanctum, obtulit illis pecuniam dicens: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri.* Actorum 8. Hinc paſſim cum Chryſoſtomo *Rom.* 60. *ad Pop.* Illi, qui res ſacras emere volunt, aut vendere, nuncupantur *Simones.* Sæpè dicti ſunt ejuſmodi *Giëſitæ*, à Giëſi famulo Eliſæi, qui 4. *Reg.* 5. vendidit gratiam ſanitatis Naäman Syro. Vocantur etiam ſubindè *Balaämitæ* à Balaäm conducto à Moäbitis ad maledicendum Iſraëli *Num.* 22. Unde S. Thomas ait 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. venditores Eccleſiarum dici poſſe *Giëſitas.* Famoſiſſimè tamen ejuſmodi venditores potius vocantur *ſimoniaci* à Simone, quàm aliter ab aliis; tum, quod Simon in N. L. primus omnium hoc vitio legatur eſſe infectus: tum, quod alii vendiderint tantùm gratias gratis datas: ille verò emere voluerit Spiritum ſanctum in gratia gratum faciente, & conſequenter in dono nobiliori: tum, quod Simon emere voluerit Spiritum Sanctum, ut cum

Digitized by Google

eum venderet, ut ait S. Auguſt. alii verò ſolummodo eum vendiderint: tum denique, quod crimen illud Apoſtoli damnaverint in Simone.

Definiri ſolet ſimonia, *ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum:* Quæ definitio Theologis æquè, ac Canoniſtis eſt ſatis familiaris. Dicitur *ſtudioſa voluntas*, id eſt, omninò deliberata voluntas, in quâ ſimonia conſiſtit, ſicuti Religio, cui contrariatur. Satis autem hîc eſt voluntas emendi, aut vendendi: ſic Simon emere voluit: Gieſi vendere. Sub his autem contractibus emendi, & vendendi, intelligendi hîc ſunt alii contractus oneroſi, v.g. permutatio, locatio, tranſactio, renuntiatio, electio, nominatio, &c. Dicitur denique *ſpirituale, vel ſpirituali annexum*: Utrumque eſt autem triplex. Primum eſt ſpirituale per eſſentiam, ut ſunt dona Spiritûs ſancti ſupernaturalia, gratia, tam gratis data, quàm gratum faciens. Secundum eſt ſpirituale per cauſalitatem, ut ſunt Sacramenta, & Officia Eccleſiaſtica relata ad hominum ſalutem. Tertium eſt per effectum, uti ſunt actus, & effectus gratiarum, Ordinum, & Officiorum; ut ſunt ſanare, miracula patrare, ordinare, abſolvere, &c. Triplex quoque eſt annexum ſpirituale. Primum, antecedenter, prouti ſunt Vaſa ſacra, quæ ordinantur ad ſacrificandum: jus Patronatûs, quod ordinatur ad præſentandum Clericum, &c. Aliud concomitanter, uti eſt labor, qui comitari ſolet in adminiſtratione Sacramenti, Officii Eccleſiaſtici, &c. Ultimum conſequenter, uti eſt Beneficium Eccleſiaſticum, penſiones, &c. Quid ſit Simonia.

Addunt alii in definitione ſimoniæ *pro temporali, opere ſubſecuto*; ſed malè. Dicitur enim expreſsè in jure Cap. *De hoc, de ſimon.* eſſe illum ſimoniæ damnandum, ſi quis alteri pro voto Abbatiæ promittat illi dare Prioratum. Deindè, malè etiam hîc additur, *opere ſubſecuto*: cùm aliàs, nec ipſe Simon fuiſſet ſimoniæ condemnandus. Patebit id plenius ex dicendis in decurſu.

Graviſſimum eſt in Eccleſia Dei, ſimoniæ crimen, ſatis tamen uſitatum, etſi Majorum frequenter mucrone conciſum, ut ait *Concil. Tolet.* 8. *cap.* 3. Et eſt quaſi res, quæ tot exciſa decretis, areſcere potuerat, ad vicem tamen Lernæi capitis truncata vireſcit. Gravitas ejus ex eo patet, quod vix Simon emere propoſuerat Spiritum ſanctum, quin ſtatim audiat; *pecunia tua tecum ſit in perditionem*: Dionyſius Carthuſ. *lib. de ſimonia* 1. *art.* 3. docet ſimoniam eſſe ſpiritualem Sodomiam; eò quòd ut illa, quantum eſt de ſe, naturam velit deſtruere. Eam paſſim indigitant SS. Eccleſiæ Patres, & Decreta, *ſimoniacam peſtem, ſimoniacam hæreſim, &c.* S. Petrus Dam. *opuſculo* 3. ait, *ſimoniaca hæreſis ex ipſo Diaboli felle progreditur.* S. Hieronymus relatus *in Decreto Grat. p.* 2. *cauſâ* 1. *q.* 1. *Can Judices*, ait, Hieruſalem eſſe ſubverſam propter ſimoniam. Iſidorus Hiſpal. Epiſt. ad Leontium, cenſet ſimoniacos eſſe Carnifices Chriſti Caïpha nequiores, Cap. *Qui ſtudet* 1. *q.* 1. Comparantur Judæ traditori, & iis, quos Salvator ejecit de Templo. Alvarus Pelagius de planctu Eccleſ. art. 9, ita idem vitium inſectatur: *O lepra contagioſa,* Gravitas ſimoniæ.

Ex quibus omnibus patet, quod tanta ſit ſimoniæ malitia, ut in eadem dari nequeat parvitas materiæ. Etſi enim defectu deliberationis ſufficientis dari poſſet ſimonia venialis, quod & cæteris peccatis ſolet eſſe commune: tamen poſitâ deliberatione ſufficienti, omnis ſimonia eſt lethalis, dum adeſt eadem irreverentiæ ratio in omni ſimoniæ peccato. Hinc in venditione rei ſpiritualis minimæ magna eſt ſimoniæ malitia, uti & in viliſſimo pretio ejuſdem rei. Quinimo, quò pretium illud eſt vilius, eò major cenſetur irrogari irreverentia rebus ſacris, dum res omni pretio ſublimior, viliſſimo pretio æſtimatur. Verum quidem eſt, quod Cap. *Quæſtiones, de ſimonia*, cenſeantur minutiora munera gratis eſſe data; quod etſi ſæpius fieri ſoleat in minutioribus donis, quàm in majoribus; tamen exigua dona æquè, ac magna ſimoniam conſtituunt, ſi pro re ſpirituali offerantur, aut exigantur: de quo latius in decurſu. Non poteſt dari in ſimonia parvitas materiæ.

Dividitur autem ſimonia primò in mentalem, realem, & conventionalem. *Mentalis* eſt, quæ ſolâ mente concipitur, ſine pacto tacito, vel expreſſo. Eſtque duplex: *purè mentalis*, quæ neque actum habet, nec procedit in actum exteriorem, ſed abſolvitur in ſola voluntate, ut quando quis vult emere beneficium aliquod, non poteſt opere complere, quia non eſt, qui velit vendere. Alia eſt *non purè mentalis*, quæ quidem in actum procedit, nullo tamen pacto tacito, aut expreſſo illi conjuncto. *Conventionalis eſt*, quando actu fit, interveniente pacto tacito, vel expreſſo per ſigna, aut alio modo. Eſtque & illa duplex: *purè conventionalis*, quando ſolummodo fit conventio, nihil interim dando, aut accipiendo. *Non purè conventionalis*, quando præter pactum ex una tantùm parte aliquid datur, aut accipitur: & hæc ſolet ex ultima ejus parte dici *ſemirealis*. *Realis* denique eſt, ubi hæc tria ſimul concurrunt, ſimoniacum pactum, ſolutio pretii, & receptio rei ſacræ. Ubi tamen rectè notat Sylvius in fine *art.*1. non eſſe hîc neceſſe, ut ſimonia aliqua ſit realis, ut totum temporale promiſſum, ſit ſolutum, aut etiam omnia ſpiritualia dari promiſſa, ſint tradita; ſed ſatis eſſe, quod utrimque aliquid ſit traditum: quæ eſt etiam ſimonia verè completa, & ſubjacet pœnis ſimoniacorum. Simoniæ diviſio.

Dividi præterea ſolet ſimonia, in ſimoniam juris divini, & ſimoniam juris humani, prouti eam dividit Gloſſa, in Cap. *Ex parte* 1. *de Officio Delegati*, diſtinguens inter ſimoniam prohibitam, quia ſimonia: & ſimoniam, quia prohibitam. Eam ſequuntur communiter Doctores: etſi varii cum Durando, & Arragonio nullam ſimoniam, niſi jure divino prohibitam recognoſcant, quorum fundamenta ponentur pro objectionibus. Probatur interim communior opinio, quod Eccleſia ſua prohibitione id efficere poſſit, ne res aliàs naturâ ſuâ vendibilis, vendi non poſſit, idque ob reverentiam debitam rei ſacræ, cui conjungitur: adeo ut eo caſu rem eam vendens, non ſolùm peccabit contrà obedientiam, ut alii volunt; ſed etiam contrà Religionem. Sic quoque ob prohibitionem Eccleſiæ fit, quod laici non poſſint tangere Alia diviſio. Datur ſimonia juris humani.

gere Calices, v.g. quo caſu eos tangentes, non ſolùm peccabunt contrà obedientiam, ſed etiam contrà Religionem. Et Proſper Fagnanus, in Cap. *Cùm pridem, de pactis*, ait eſſe tres ſpecies ejuſmodi ſimoniæ: 1. eſt in Cap. *Salvator* 1. *q*.3. ubi prohibetur vendere officia temporalia pertinentia ad miniſterium Eccleſiæ, v.g. Officium Sacriſtæ, Procuratoris, Advocati, &c. 2. Dum quis ſpirituale commutat cum ſpirituali, aut quando quis renuntiat ſuo beneficio alteri, ut ipſe renuntiet etiam tertio. 3. Dum quis renuntiat ſuo beneficio cum pacto ſolvendi penſionem. His addunt alii, quod per Concilium Trid. *Seſ.*24. *cap*.18. *Reform.* dicantur eſſe ſimoniaci, ſi pro examine ad beneficia aliquid accipiatur, ubi tamen examen illud eſt pretio æſtimabile, adeoque nec prohibitum vendi jure divino, aut naturali.

Argumenta contraria.

Objiciunt alii, quod ille, qui vendit aliquid contrà prohibitionem Eccleſiæ, ſit tantùm inobediens, neque peccet contrà Religionem, & conſequenter, nec ille committat ſimoniam. Reſp. Tunc vendens peccat tantummodo contra obedientiam, quando ea venditio non vergit in violationem rei ſacræ, in cujus reverentiam venditio prohibetur. Eccleſia enim ex motivo reverentiæ, rei ſacræ debitæ, prohibet id vendere; adeoque id vendendo contravenitur intentioni Eccleſiæ, & peccatur contrà reverentiam rebus ſacris debitam, & conſequenter contrà Religionem. Nec refert, quod alienatio bonorum Eccleſiaſticorum non ſit ſimoniaca, etſi etiam ſit ab Eccleſiâ prohibita; quia hoc ideo vetatur, ut bona Eccleſiæ debitè conſerventur, non ex motivo reverentiæ rei ſacræ debitæ.

Objiciunt ſecundò, Eccleſia non poteſt facere, ut res non ſacra fiat ſacra, niſi conſecrationem adhibeat, aut benedictionem, quo caſu erit contrà jus divinum rem illam vendere. Sic Pontifex per ordinationem Eccleſiæ facere non poteſt, ut qui die jejunii in parvâ quantitate comedit carnes, ſit intemperans, ſi ſanitatis causâ comedat. Ergo nec poteſt facere, quod venditio, quæ de ſua natura non eſt contra Religionem, ſit contrà illam. Reſp. Etſi Eccleſia non poſſit facere, ut res non ſacra fiat ſacra; facere tamen poteſt, ut res non ſacra ita annectatur rei ſacræ, ut res non ſacra vendi nequeat, niſi etiam moraliter loquendo cenſeatur vendi res ſacra. Ad confirmationem dico, quod ideo Pontifex facere non poſſit, quod fieri nequeat, ut modica quantitas cibi, aut potûs, ſit ſuprà exigentiam naturæ, adeoque non poteſt eſſe materia intemperantiæ: poteſt tamen efficere, quod res non ſacra ob connexionem cum re ſacrâ vendi nequeat, quin ſimul peccetur contra Religionem, juxtà mox dicta.

Alii tamen cum Sylvio conciliare conantur dictas opiniones, dicentes eſſe hanc quæſtionem de nomine. Non enim illi volunt, quod ſit aliqua ſimonia, in quam propriè, & perfectè ratio ſimoniæ competit, quæque ſolo jure poſitivo prohibetur: ſed quod ſit vitium habens ſimilitudinem ſimoniæ, & participans rationem ſimoniæ; quod ideo vocatur *ſimonia*, non naturali, ſed poſitivo jure prohibita.

SE-

Digitized by Google

SECTIO II.

De pretio, ſeu munere Simoniaco.

PRetium, ſeu munus ſimoniacum eſt illud, quod pro re ſpirituali traditur; eſtque triplex, ut colligitur ex Cap. *Salvator* 1. *q.* 3. Et ex S. Gregorio Homiliâ 4. in Evang. ubi ita ait: *Sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen ſacros Ordines pro humanâ gratiâ largiuntur, atque de largitate eâdem laudis ſolummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum eſt, gratis non tribuunt, quia de impenſo officio ſanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene, cùm juſtum virum deſcriberet Propheta, ait: qui excutit manus ſuas ab omni munere. Neque enim dicit, qui excutit manus ſuas à munere, ſed adjunxit, ab omni. Quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa: munus à manu, pecunia eſt: munus à linguâ, favor.* Eadem verba habes apud Ivonem Carnotenſem in *Decreti p.* 5. *cap.* 86. Hanc Gregorii diviſionem etiam paſſim adferunt Theologi, & Canoniſtæ. Quid, & quotuplex ſit munus ſimoniacum.

Generalius tamen *munus à manu* docent eſſe omnem omninò rem pretio æſtimabilem externam, ſive ſit mobilis, ſive ſit immobilis, ſive corporalis, ſive incorporalis. Hinc tale munus eſt, remittere alteri debitum, promittere pecuniam, penſionem; promittere ſe non exacturum decimas à Patrono; conferre Beneficium ſub pacto mutuò aliquid accipiendi: dare bona ſua Eccleſiæ, ut recipiatur in Canonicum ab illâ: reſignare beneficium cum pacto, quod alter ſolvet expenſas factas in conſecutione beneficii: cum pacto, quod pretio reſignanti placito, Reſignatarius emet utenſilia domûs: ut expenſas in ædificanda æde Paſtorali ſolvat; ut debita domûs ſolvat; qui pertæſus ſtatus Clericalis, inire volens matrimonium cum aliquâ, reſignat ſuum beneficium illius puellæ fratri, ut ejus Pater lautiorem cum eâ tribuat dotem: & generaliter, quando aliquod pretio æſtimabile externum bonum datur pro re ſpirituali. Munus à manu.

Munus à linguâ ſignificat laudes, adulationes, preces, ratione quorum aliquid ſpirituale confertur. Solent autem preces eſſe variæ. Primò dicuntur eſſe *humiles*, dum v.g. homines inferioris conditionis humiliter ſupplicant pro beneficio: aliæ dicuntur *importunæ*, dum aliqui pro re aliquâ conſequendâ importunè, opportunè inſtant, frangentes caput Collatoris. Aliæ denique dicuntur eſſe *armatæ*, quales adhibent Principes, & alii viri potentes, quorum precari, cenſetur moraliter loquendo eſſe imperare, & ſi negetur, quod precantur, implicitè minantur. His poſitis, docent communiter cum D. Thoma; quod quando preces, laudes, adulationes reſolventur in favorem humanum pretio æſtimabilem, aut aliquod commodum, ob quod ſpirituale confertur, ſit ſimonia. Hinc ſimonia eſt, ſi Epiſcopus det Famulo Munus à linguâ.

lo Principis aliquod beneficium, ut Princeps apud Regem pro obtinendo Archiepiſcopatu pro eo Epiſcopo intercedat: item, qui ſpe obtinendi favoris, & per illum conſequendi beneficium, abſolvunt conſuetudinarios Magnates: item, qui adulando in Concionibus idem à Rege expectant: item, qui ad amicorum, aut potentum preces dant beneficia, non pro dignitate: item, qui ſibi mutuò ſpondent ſuffragium Abbatis, Prioris, &c. qui alteri dat beneficium, ut alter de eo bene loquatur. Unde Eximius Pater Lupus tom. 3. diſſert. 2. Procem. cap. 2. ita expreſsè ſcribit: *Quocircà Clerici, & Monachi, & quotquot hodie apud laicos, aut Eccleſiaſticos Principes agunt proxenetas, aut interceſſores, impetrare conantes promotionem, aut nominationem Prælatorum, qui ipſorum pauperes Eccleſias, Collegia, Monaſteria, aut Zenodochia poſtmodum ditare, adjuvare, vel ornare obligentur, committunt pleniſſimam ſimoniam, & ſuis perſonis, ac rebus evocant divinam maledictionem...... & hinc vides à Magnatibus quoque, dum quid à nominatis Epiſcopis, vel Abbatibus exigunt quaſi ad publicas Regni neceſſitates, omninò committi ſimoniam.*

Hinc tamen non ſequitur, quod ille det munus à linguâ, qui precibus obtinuit beneficium; eò quòd nihil ſpirituale detur propriè pro temporali: ſicuti, quando à Deo aliquid petimus, nihil propriè Deo damus, neque preces etiam de ſe ordinantur ad eum honorandum, à quo quid petitur; ſed potius ad utilitatem petentis; & quod precibus datur, omninò gratis datur. Quamquam tamen beneficium petere, non ſit ſimoniacum, eſt tamen admodum præſumptuoſum, & temerarium; maximè ſi annexam habeat curam animarum, ut docent communiter Authores cum S. Thoma, *q.* 100. *art.* 5. Dicente inſuper, quod ſi aliquis pro ſe roget, ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præſumptione reddatur indignus. Multum tamen hîc intereſt, deturnè beneficium per preces digno, vel indigno: ſi enim indigno detur, erit ſimoniacus verus; ſi preces tamquam civilem obligationem, aut precantis favorem tamquam pretium attenderit: aut ſaltem erit ſimoniacus quantum ad forum externum; eò quòd talis Collator videatur illis precibus principaliter, & veluti ex obligatione civili moveri, vel alioqui ſpe, vel receptione alicujus rei pecuniâ æſtimabilis, ad beneficium tali perſonæ conferendum, cùm non ignorans ejus incapacitatem eam promoveat. Si verò per preces promoveat dignum, non præſumitur eſſe ſimoniacus, cùm cenſeatur magis moveri ratione dignitatis perſonæ, quàm favore precum; etſi de cætero ſimonia etiam hoc caſu poſſet intervenire, ſi non ita dignitatem ſpectet promovens, quàm bene favorem ex promotione conſequendum. Ita Sylvius *q.* 100. *art.* 5. *concl.* 4.

Quod ad preces armatas attinet, cenſent aliqui cum Bonav. *in* 4. *diſt.* 25. Adriano *quodlibeto* 9, *art.* 2. & aliis multis, eſſe ſimoniam ratione earumdem dare rem ſpiritualem, v.g. beneficium. Ratio eorum eſt illa, quod ille det beneficium, ut evitet aliquod malum, quod timet evenire, ſi illud neget: atqui

Digitized by Google

qui evitatio mali eſt res pretio æſtimabilis : ergo ob eam illud dare, eſt ſimoniacum. Alii è contrà cum Victoria, Soto, Arragonio, & aliis docent, illud non eſſe ſimoniacum, eò quòd conferens ex metu per preces armatas incuſſo aliquod ſpirituale, nihil temporale recipiat, ſed det gratis, adeoque non ſit ſimonia. Deindè, ſi quis timore oret, confiteatur, celebret, abſolvat, non eſt ſimoniacus. Pro cujus intelligentia notandum eſt, quod timor mali aliquando reſolvatur in aliquod temporale commodum, aut in aliquod pretio æſtimabile; ut ſi Rex, aut Aulicus, ait Soto, comminaretur Epiſcopo, quod niſi Sacerdotium tali perſonæ conferat, excidet de Regis gratiâ, neque ad aliam ſedem eſſet promovendus. Qui ergo ad tales preces beneficium daret, ad venandum favorem Regis, eſſet ſimoniacus. Aliud eſſet, ſi metus ità incuteretur, quod incurreret Epiſcopus periculum vitæ, amiſſionis temporalium, &c. quo caſu nil temporale datur ſic conferenti, neque via aperitur ad aliquid temporale conſequendum.

His poſitis dicendum eſt, quod regulariter non ſit ſimoniacum conferre alteri beneficium v.g. metu impendentis mali, niſi ratione ejus intenderet favorem alterius, aut quid aliud pretio æſtimabile. Collator enim ille, nil propriè temporale accipit, quod non habet pro ſpirituali, ſed illud gratis dat, etſi minus voluntariè ex parte metûs. Nec enim intendit per collationem illam evitationem damni tamquam pretium; ſed ſolummodo amotionem cauſæ, quæ poſſet inferre damnum. Et quamquam vitare malum temporale ſit bonum aliquod pretio æſtimabile, adeo ut, etiam ſæpè detur pecunia ad malum evitandum: tamen evitare malum, non eſt bonum quoddam illius, qui malum minatur, adeoque alter nullum bonum confert pro re ſpirituali, ſed illud bonum conſequitur depoſitionem iræ, ſeu reconciliationem, quam collator intendit ſine aliquâ obligatione. Peccant interim graviſſimè illi, qui Electoribus, & Collatoribus preces armatas porrigunt, de quibus agit Concilium Baſileënſe de elect. An ſit ſimonia conferre ſpirituale ex metu.

Munus ab obſequio eſt ſervitus alteri indebita, ſeu actus corporalis præſtitus in commodum, aut utilitatem alterius. Sic tale munus præſtant, qui elocant ſuas operas pro Miniſterio Eccleſiaſtico, aut pro aſſequendo beneficio. Sic etiam ſimoniaci ſunt Prælati, qui Clerico dant beneficium principaliter ob præſtitum ſervitium: qui Pædagogos agunt pueris Magnatum, ut per eorumdem favorem poſſint conſequi aliquod beneficium: ſi Epiſcopus v.g. ſuo Sacellano det beneficium aliquod eâ lege, ut ulterius ſervire pergat pro annuo, & conſueto ſalario: tum, quod omnis hîc pactio ſit ſimoniaca: tum, quod ratione talis obligationis ſerviendi, detur aliquod temporale pro ſpirituali: tum, quod ita ille obliget ſuam libertatem, quæ eſt pretio æſtimabilis: tum denique, quod illa obligatio faceret alium uſurarium, ergo & ſimoniacum; ut ſi quis mutuet ex pacto, ut veniat alter ad ſuum Molendinum: obligatio enim talis eſt pretio æſtimabilis. Munus ab obſequio.

Quæret aliquis, an ſimile munus cenſeatur eſſe ratio conſanguinitatis, adeo ut ob eamdem conferens beneficium, cenſeatur eſſe ſimoniacus. Reſp. S. Bonaventura An ſit ſimonia conferre

beneficium ob conſanguinitatem.

naventura *in* 4. *diſt.* 25. *in expoſit. lit.* cum aliis affirmat. Alii tamen rectius id negant, quorum etiam opinio eſt communis. Ratio eſt, quod ille, qui confert beneficium ratione conſanguinitatis, nihil omninò accipiat pro re ſpirituali, quod ſit pretio æſtimabile; ſed ſolummodo ob motivum aliquod inordinatum, conferat ſpirituale. Deinde, ſi eo caſu Collator eſſet ſimoniacus; etiam ſimoniacus eſſet ille, qui beneficium recipit, quod nemo dixerit. Si tamen Collator ille ex collatione illâ non ſolùm ſpectaret promotionem conſanguinei ſui, ſed etiam ſuam propriam utilitatem; ut puta, quod inde ſua domus, aut familia fieret ditior, nobilior, potentior, &c. foret ſimonia mentalis; dum pro ſpirituali, talis intenderet utilitatem temporalem. Majori jure ſimoniaci ſunt illi, qui quandoque pueris, aut aliis inidoneis ſibi ſanguine junctis, beneficia, aut dignitates Eccleſiaſticas conferunt, ut ipſi de eorum fructibus intereà diſponant, & illos in proprios uſus convertant, donec cognati adoleſcant, & cogitent, quem ſtatum eligere velint: item & illi, qui cognatorum filiis beneficia conferunt, ut eorum parentes luxui indulgeant; aut ſi ſua omnia prodegerint, habeant unde vivant, familiam intertineant, &c. Similes Prælati, ait Binsfeldius *tit. de ſimonia cap.* 12. *q.* 3. *in fine*, ſic beneficia conferentes *ſunt ſimoniaci, & vivunt in perpetua maledictione, & niſi reſtituant Eccleſiæ bona, quæ ſic diſſipant, dignamque pœnitentiam agant, quod rariſſimè contingit, in fine vitæ cum Simone, à quo ſimonia nomen accepit, ſepelientur in inferno.* Denique, etſi ſubindè ſimiles non ſint ex hoc ſimoniæ condemnandi; graviſſimè tamen Eccleſia ſemper execrata eſt ſimiles promotiones, quibus ædificatur Sion in ſanguinibus, & hæreditate poſſidetur Sanctuarium Dei; quando caro, & ſanguis promotionis ſunt cauſa, non gloria Patris Cæleſtis: quâ ratione ſollicitè admonet omnes Eccleſiaſticos Synodus Tridentina, ut omnem ergà conſanguineos affectum exuant, ex quo in Eccleſia Dei innumera mala irrepere docet experientia quotidiana. Et ſæpè hæreditaria hæc beneficiorum ſucceſſio palliari, & quaſi honeſtari ſolet, honeſto reſignationis, aut coadjutoriæ titulo. De reſignatione ejuſmodi jam ante egimus de beneficiis agendo; ad quam abolendam, utcumque prodeſt regula de infirmis reſignantibus, de quâ ibidem etiam egimus. Quod ad Coadjutorias attinet, teſtatur in primis S. Tridentina Synodus *Seſ.* 25. *cap.* 7. *de Reform.* diſplicere ſibi ſimiles Coadjutorias, tamquam quæ ſint adinventæ, aut ſubindè aſſumantur ad hæreditarias beneficiorum ſucceſſiones, uti contingere ſolet, ait Raynaud. *in Miſcell. Sac. de malis è bonis Eccleſiæ cap.* 3. *in fine*, quando vegeto adhuc, & robuſto Antiſtiti, Juvenis, & miniſterii ſacri planè rudis nepos, aliuſvè ex familia allegatur, ſpecie quidem, & titulo juvandi; cæterum omni miniſterii parte negatâ, ſaltem plurimum.

Varia inſuper ſunt, quæ muneri ſimoniaco æquivalent, ut eſt remiſſio debiti, ob quam confertur res ſpiritualis. Remiſſio enim debiti eſt res pretio æſtimabilis, imo æquivalet ſolutioni jam factæ. Simonia itidem eſt, conferre beneficium, cum pacto, ut debitor, cui illud confert, debitum ſol-

ſolvat, dum omnia hìc pacta de jure cenſentur eſſe ſimoniaca, & nova illa pacti obligatio, ſit pretio æſtimabilis. Aliud eſſet, ſi beneficium conferret debitori ex metu, quod non ſolvet, aut ut ſolvat ſine ullo pacto, eò quòd nullum ex collatione ſperet lucrum, ſed ſolùm id, quod ſibi debetur. Similiter erit ſimonia, dare beneficium filio Judicis, cum pacto, ut Reum abſolvat, pœnam mitiget, &c. dum Judici Collator imponit onus pretio æſtimabile, idque cum pacto. Idem eſt, ſi conferatur ſpirituale aliquod cum pacto, ut alter det mutuo, ſolutionem anticipet, eam differat, &c. cùm detur ſpirituale pro commodo temporali.

Quæſtio tamen eſt, an ſit ſimonia, ſi munus illud ſolummodo detur tamquam pretium. Et quidem Valentia *tom.*3, *q.*16. *diſp.*6. *p.*3. cenſet, quod debeat munus illud dari tamquam pretium pro re ſpirituali, nec ſit ſatis, quod detur tamquam motivum, ſeu irritamentum illud dandi. Verius tamen alii cenſeat, quod ſit etiam ſimonia, etſi munus illud non detur tamquam pretium, ſed ſolummodo tamquam motivum, dum non eſt veroſimile, quod Balaäm, Gieſi, aut Simon ipſe obtulerint, aut acceperint aliquod munus tamquam pretium illius, quod dabant, aut accipere volebant; ſed ſolummodo, ut motivum accipiendi. Deindè, ſic omnis penè ſimonia poſſet facillimè excuſari, dicendo aliquod temporale non dari pro ſpirituali tamquam pretium, ſed ſolummodo dari tamquam motivum. Hinc ad inſtantiam Epiſcopi Gandavenſis anno 1657. hanc propoſitionem cenſuravit S. Facultas Lovanienſ. num. 15. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale: vel etiam, quando per temporale ſit ſolùm compenſatio gratuita pro ſpirituali, aut è contrà. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale. Imo, etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud plus æſtimetur, quàm res ſpiritualis.* Idem ſecuta eſt Synodus Namurcenſis anno 1659. & Archiepiſcopalis Senonenſis in Gallia anno 1658. his verbis: *Hæc doctrina, quæ ſimoniæ contra jus divinum crimine omnes eos liberat, qui pecuniam propter Sacerdotia, vel dederunt, vel acceperunt, modò pecuniam motivi loco habent, non pretii: tota falſa, nefaria, impia eſt, hæreſim ſimoniacam toties à SS. Pontificibus, & Conciliis damnatam, ſubdolè renovans, & adimplendam Lupis Eccleſiam, & corrumpendam ejus in ipſo fonte, id eſt, Sacerdotii ordine, ſanctitate inventa.* Idem à DD. Sorbonicis jam dudum eſt damnatum in Milhardo, & à Concilio Burdigalenſi 1624. Denique anno 1665. in Amadæo Guimeneo 3. Feb. hanc damnarunt Theologi Pariſienſes: *Licitum eſt dare aliquod temporale pro re ſpirituali, modò detur per modum irritamenti, non per modum pretii.*

An in ſimonia debeat illud munus dare tamquàm pretium.

SECTIO III.

An temporale debeat appeti tamquam motivum principale, ut committatur Simonia.

QUæſtio eſt, an ſi quis ob munus aliquod temporale tamquam ob finem, ſive motivum ſecundarium, det rem ſpiritualem, committat ſimoniam, v.g. Si Prælatus det beneficium aliquod Clerico principaliter ob ejus dignitatem, & ſecundariò ob ſervitium præſtitum: aut ipſe Clericus inſerviat Prælato principaliter ob ſtipendium, ſecundariò autem propter beneficium. Et communis ſatis opinio eſt, quod illud non ſit ſimonia; eò quòd illud, quod principaliter agitur, ſit ſolummodo attendendum: *L. ſi quis nec cauſam ff. ſi certum petatur C. quamvis pactum, junctâ Gloſſ. de pactis in 6.* Deindè, ut Sotus, & alii cum illo, id quod in temporalibus eſt uſura, id in ſpiritualibus eſt ſimonia: ſed non eſt uſura, ſi quis mutuet alicui pecuniam principaliter ob alterius amicitiam, etſi minus ſecundariò velit aliquod temporale commodum ex mutuo: ergo, neque dictis caſibus erit ſimonia, ſi ſolummodo ſecundariò in conſecutione rei ſpiritualis ſpectetur commodum aliquod temporale.

His tamen non obſtantibus, videtur rectius dicendum eſſe, etiam eo caſu eſſe ſimoniam. Pro cujus intelligentiâ prænotandum eſt, alium finem eſſe principalem, alium minus principalem in agendo: alii vocant cauſam finalem, aliam impulſivam, ſive excitativam. Cauſa principalis eſt, quæ in ipſo actu principaliter intenditur, & agentem principaliter movet ad agendum. Hanc cauſam primam eſſe in intentione, ultimam in executione, docent communiter Philoſophi. Finis minus principalis, ſive cauſa impulſiva eſt, quæ præter finem principalem, agentem movet, impellit, & excitat ad agendum, ſive illud ſine illâ fieret, ſive non fieret. Hoc autem iterum dupliciter fieri poteſt; ſemel, ut fiat aliquid ob illud verè tamquam ob finem, tametſi ſecundarium: ſemel, ut illud non ſit propriè finis, quare aliquid fiat; ſed tantùm ſit quaſi conditio, alterum movens ad aliquid agendum.

Simonia eſt dare aliquod ſpirituale pro temporali tamquam fine ſecundario.

Hiſce prænotatis, dico eſſe ſimoniam, ſi res ſpiritualis detur pro re temporali etiam tamquam fine ſecundario. Ratio eſt, quod ille verè det rem ſpiritualem pro temporali, ſive intuitu rei temporalis, etſi minus principaliter ob eamdem detur res ſpiritualis. Finis enim ſecundarius etiam verè movet agentem, etſi minus principaliter moveat: & conſequenter dando rem ſpiritualem pro temporali tamquam fine ſecundario, verè æſtimat rem ſpiritualem pro temporali. Et ratio ulterior ab aliis allata, pro noſtrâ opinione adferri poteſt; quod ſcilicet id, quod in temporalibus eſt uſura, id in ſpiritualibus ſit ſimonia. Atqui, ut ex dictis de uſura Sect.2. conſtat, quod etiam uſura committatur, dum pretium aliquod ſolummodo ſecundariò intenditur ex mutuo: ergo etiam erit ſimonia, etſi munus aliquod pro re ſpirituali ſpectetur, tametſi tantum ſecundariò. Deindè, ut rectè notat Adrianus *quodlibeto 9. art. 2.* oportet ſpirituale

tuale dari gratis : quod autem datur pro ſervitio, aut alia re pretio æſtimabili, etſi pro fine minus principali, non datur gratis, etiamſi ſit finis ſub fine. Ut facio picturam pro pecuniâ minus principaliter, & principaliter, ut Deus per picturam, & in imagine honoretur : certum eſt, quod non dem picturam gratis, ſed eam realiter vendam. Præterea, aliàs per ſe loquendo, liceret paciſci, quod pro ſervitio tamquam fine ſecundario daretur v.g. beneficium : ſi enim id liceat dare ſine pacto, quare non cum pacto ? adde, quod juxtà alios, licitum erit dare Præbendam principaliter propter Deum, & dignitatem perſonæ, & ſecundariò propter pecuniam, ut ibidem etiam notat Adrianus.

Aliud eſt, ſi res temporalis non ſit finis, ſed ſe ſolummodo habeat tamquam conditio movens ad dandam rem ſpiritualem; ſive, ut ait Adrianus, ſi ſe habeat pro causâ excitativâ, ſicuti ſi quis vadat ad Eccleſiam ad ſonum campanæ; cùm ſonitus, ait, nullo genere ſit cauſa, quare vadat ad Eccleſiam; ſed ſignificat ſolummodo horam, quâ ſervitium Dei ſit inchoandum. Neque hîc dici poteſt, quod pari etiam ratione poſſit pecunia eſſe cauſa impulſiva, ſeu excitativa ad dandam Præbendam, ſcilicet ad cognoſcendum merita poſtulantis obſequium. Ad hoc enim reſpondet dictus Pontifex, non eſſe illud ſimile; *quia, quemadmodùm quidam Sapiens dixit, Curiæ Prælatorum, ſunt probatoria Clericorum, quibus meritis cognitis, pro ipſis danda eſt Præbenda, non pro ſervitio. Pecunia autem, ſi daretur, non propter hoc ejus meritum, aut fidelitas innoteſceret.* Ità Adrianus, qui forma factus gregi, fecit, quod docuit : de quo ait Ciaconius in ejus vitâ : quod nemini umquam laxius, aut propenſius Sacerdotia conferre ſolitus erat, quam his, qui ab optimis ſtudiis commendationem aliquam accepiſſent. Cæteras ejus laudes habet Author ille ad invidiam aliorum, inter quos & Cardinalis Palavicinus *in ſua Hiſtoria Trid. lib.1. cap.9.* de eo Pontifice ſcribente in hunc modum : *Fu Eccleſiaſtico ottimo; Pontifice in veritate mediocre*, id eſt : *Fuit Eccleſiaſticus optimus, Pontifex reverà mediocris*, quomodo mediocris, cùm illi familiare erat, ſe nolle ædificare Sion in ſanguinibus ? Quomodo mediocris, *Cùm in Aulicorum Corvorum prædam, ſuccum Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ, non prodigeret, neque in Poëtas, alioſque blaterones profunderet ſacrum cenſum*, ut de eodem Pontifice ſcribit Raynaudus *de beneficiis lib.2. Sect.3. cap.5.* quomodo mediocris, cùm teſte Ciaconio, venalitia officia omnibus adimeret, quod Equitum S.Petri, & annonæ præſidentium officia vel auferret, vel dimidiatis reditibus redderet deteriora; dicens, quod dum omnibus ſatisfacere contenderet, omnibus demum decoquere cogeretur. Quomodo mediocris, cùm ut ſcribit idem Author, *Erat non faſtu aliquo, uti iis plerumque accidit, qui in ſecundis fortunæ flatibus facilè contumeſcunt; ſed à ſimplici morum nitore, ſtabilique vitæ continentia graviſſimus* ? Verè (ſi alibi) Joannes Laynous *Epiſtola ad Henricum Barrillonium* ita de hac eadem re ſcribit : *O mira rerum converſio, quæ decus, & ornamentum adferre debuerunt Pontifici, reprehenſionem, & calumniam accerſerunt. In ſumma vitio datum eſt, quod dandum fuit gloriæ. Hinc excuſari vix poterit*

rit Cardinalis Pallavicinus ; qui antiquæ probitatis , & priſci moris Pontificem contumelioſè proſecutus eſt , macula , & labes inſignis eſt , quæ initium ſuæ hiſtoriæ fœdavit , & hujus authoritatem imminuit. Id genus mali accidiſſet numquam , ſi Pallavicinus Adrianum , & quæ Adriani ſunt , omnia circumſpectaſſet. Tunc Adrianum laudaſſet in tantum , in quantum virtus , & digna Romano Pontifice ſcientia laudari poſſunt. Ita ille. Hæc incidenter pro veritate , non ſolum pro Patriæ honore , ut quidam ſuſpicari poſſent ; ſint dicta. Redeamus ad propoſitum.

Collige ex ante dictis , mirum eſſe , tam communi plerumque calculo edoceri , & probari , quod pro re temporali tamquam fine minus principali liceat dare , aut recipere , & intendere rem ſpiritualem. Certè parum hîc proderit diſtinguere intentionem principalem , & ſecundariam ; cauſam finalem , & impulſivam ; ſpem primariò , aut ſecundariò conceptam , dum verè hîc mentitur iniquitas ſibi , & verè , ac propriè res ſpiritualis datur pro temporali , quod ſimoniacum eſſe , nemo diffitetur.

Argumenta contraria. Varia interim hîc objici poſſent : 1. Quod S. Thomas *quodlib.*8. *art.*11. dicat , quod Clericus , qui principaliter vadit ad Eccleſiam ob diſtributiones , committat ſimoniam : ex quo paſſim Doctores colligunt , quod Clericus, qui ob eaſdem ad Eccleſiam vadit tamquam ob finem minus principalem , non ſit ſimoniacus. 2. Quod Urbanus Papa Cap. *Si Officia* 59. *diſt.* & Cæleſtinus Cap. *Quid proderit* 61. *diſt.* determinent , licere Clerico ſervire Deo in Eccleſiis ob ſpem adſcendendi ad dignitatem. Reſp. S. Thomam , & alios Pontifices ſolummodo docere, quod liceat Clerico attendere ad commoda temporalia, quibus Deo poſſint debitè inſervire, & ut ait S. Auguſtinus *lib. de Paſtoribus cap.* 2. quibus , ut poſſint laborare , paſcantur : quo fit , ut non evangeliſent , ut manducent ; ſed manducent , ut poſſint evangeliſare ; neque in victu conſtituunt finem evangeliſandi , ſed victûs finem collocant in Evangelio. Similes ergo non operantur propriè, aut Eccleſiæ deſerviunt ob aliquod temporale commodum tamquam finem ; ſed potius tamquam medium illud aſſumunt ad finem legitimum conſequendum. Similiter poſſet Clericus ſervire Deo in Eccleſiis ob ſpem adipiſcendi dignitates , ut in ſerviendo probetur , ac dignus inventus aſſumatur , ac tandem Deo dignè famuletur. Aliud eſt, ſi Clericus ſerviat alicui , ut beneficium conſequatur , etſi primariò velit ſervire ob ſtipendium ; eò quòd talis verè cenſeatur beneficium æſtimare ſervitio , ſive rem ſpiritualem æſtimare cum temporali, in quo eſt ſita ratio ſimoniæ. Hinc & in Synodo Pariſienſi. p. 114. decernit Stephanus Epiſc. ne Clerici committant ſimoniam , etiam mentalem , adeundo ad divinum Officium ſub ſpe materalium diſtributionum. Ut ergo hîc recta ſit temporalium commodorum intentio , non debent ejuſmodi intendi tamquam finis , quare velint Eccleſiæ deſervire , quomodo perverſo nimis ordine Cæleſtibus terrena mercantur , ut ait Bernardus : ſed eadem intendere debent tamquam media neceſſaria ad inſerviendum Eccleſiæ , ſeu ad Evangeliſandum. Et eò modo intelligi volunt plerique Authores,

Digitized by Google

thores, dum docent, poſſe temporalia intendi in adminiſtratione rerum ſpiritualium.

Conveniunt interim omnes cum D.Thoma, quod Clericus principaliter vadens ad Chorum ob diſtributiones, celebrans principaliter ob ſtipendium, &c. committat ſimoniam, uti diſertè affirmat S.Thomas, & cum aliis Proſper Fagnanus in Cap. *ex parte*, *de offic. deleg. num.*16. neque hîc juvat, quod Clerici principaliter ob diſtributiones frequentantes, nolint eas accipere tamquam pretium officii, quo caſu eos à ſimoniâ abſolvit Sylvius *q.*100. *art.*3. *quæſt.*3. & alii cum illo: quia eò ipſo, quò principaliter ob diſtributiones frequentant, ſufficienter demonſtrant ipſo facto, quod cæleſtibus terrena velint mercari, & ſpiritualia temporalibus æſtimare. Neque enim neceſſe eſt, ad incurrendam ſimoniæ malitiam, quòd temporale tamquam pretium intendatur: ſed ſufficit, quòd ita ſpirituale fiat ob temporale, ut cenſeatur ſpirituale æſtimari temporalibus, in quo ſita eſt ratio propria ſimoniæ, uti conſtat ex dictis Sect. 2.

Hiſce annumerari poſſet, quod ſæpè prætexatur ratio gratitudinis in collatione rei ſpiritualis, v.g. beneficii, & re ipſa intercedat commutatio ſimoniaca. Quamquam enim in illis, quæ ſunt verè gratuita, & liberaliter dantur, non habeat locum ſimonia; tamen ſæpè intentio hîc noſcitur eſſe depravata, & ſub ſpecie gratitudinis ſimonia dignoſcitur latitare. Imo non deſunt Authores, qui doceant, quod obligationem gratitudinis hîc liceat deducere in pactum, eò quòd hîc nulla ſit venditio rei ſpiritualis pro temporali, & liceat paciſci de eò, ad quod quis naturaliter eſt obligatus: neque illius adimpletio exigatur tamquam pretium, ac ſine pretio nulla ſit venditio: ita Valentia cum aliis. Enimverò, cûm hîc in re morali verſemur, & quidem maximè periculosâ; non eſt facilè locus tribuendus ſimilibus conceptibus, & abſtractionibus; dum quilibet ſimoniacus affirmare ſic poſſet, ſe ſolùm paciſci de eo, quod debetur ex gratitudine, & ſic omnem omninò ſimoniam occultare, & palliare ſub ſpecie gratitudinis. Hinc meritò alii dictam ſententiam Valentiæ graviter cenſurant, tamquam ſimoniæ maximè faventem, omni uſuræ, uti & ſimoniæ portam adaperientem, adeoque & in praxi condemnandam. Et ratio illius eſt illa, quod uti etiam dictum eſt de mutuo, per ſimile pactum imponatur vera obligatio juſtitiæ, ex pacto tali proveniens, dandi illud jam ex juſtitia, quod ſolùm debebatur ex gratitudine, quod eſt adjicere obligationem, & onus pretio æſtimabile. Deindè, hoc quoque hîc ſæpè advenit, quod per pactum reſtringatur obligatio antidoralis, ſive gratitudinis ad determinatum gratitudinis actum, quæ obligatio ad determinatum aliquod, eſt onus pretio æſtimabile, cùm gratitudo ſit generalis.

An ſit ſimonia conferre ſpirituale pro temporali dare ex gratitudine.

Aliud volunt de illis, qui pro conſequenda re ſpirituali, v.g. beneficio, non deducunt quidem in pactum obligationem gratitudinis, ſed ſolummodò affirmant ſe, id poſtea facturos, ad quod eos lex gratitudinis conſtringit dicendo, v.g. *ero gratus*, *ſuo tempore agam gratias*, *memor ero beneficii*, *&c.*

eò

eò quòd hæc verba dicantur ſolummodo ex urbanitate ad indicandam animi gratitudinem, neque ullam inducam obligationem, & liceat indicare id, ad quod aliquis lege naturæ, & gratitudinis eſt obligatus. Ita inter alios Navarrus *lib.* 5. *Conſiliorum Conſil.* 81. *de ſimonia.* Ad hoc tamen ſolent ſollicitè requirere, ut intentio illius ſit ſimplex, & recta: quia, ſi donans det, aut promittat temporale pro exhibendo, vel exhibito ſpirituali, etſi recipiens id bonâ fide admittat, tamquam gratis oblatum, erit promiſſio, aut donatio ſimoniaca; uti eſt ex parte recipientis, ſi donet, aut promittat verè ex gratitudine, & alter recipiat pro re ſpirituali. Hinc ulterius alii hîc addunt, quod ad minus periculum ſit depravatæ intentionis, & ad evitandam ſimoniæ præſumptionem, gratis aliquid pro re ſpirituali ſit offerendum poſt ejus conſecutionem, cùm ante eam data, videantur Collatorem induxiſſe ad conceſſionem rei ſpiritualis.

Alii tamen, quorum cura eſt major recedendi à periculo, & id, quod tutius eſt, in re tam ſubdolâ proponere, rectius docent, etiam à ſimilibus gratitudinis actibus hîc eſſe abſtinendum. Cùm enim omnes avaritiæ ſtudeant teſte S. Scripturâ, & munera excœcent etiam oculos ſapientum: difficulter inveniri hîc poſſunt, qui amore muneris oblati ad conferendam rem ſpiritualem non moveantur; aut qui eorumdem oblatione animum Collatoris ad id non conentur excitare. Et verè, ſi quis ſincerè animum ſuum interrogare velit in ſimili negotio, facilè quiſque deprehendet conſcientiam ſuam noſtræ opinioni ſubſcribentem. Adde, quod hîc vix abſtergi poſſit ſimoniæ ſpecies, & violenta ſuſpicio ejuſdem. Denique, quod ultrà jam dicta rarò ſoleat in ſimilibus caſibus ſcandalum deëſſe: quæ omnia ſatis, ſuperque oſtendunt, & probant, rem eſſe periculi plenam, & vel eo ſolo ab ea eſſe abſtinendum. Fraus hæc, juxtà alios plus præſumitur, ſi in his caſibus aliquid detur, aut ſpondeatur diviti à paupere, aut ſuperiori ab inferiore, quo caſu non videntur illi gratis dare, aut promittere, ſed exactè, & non niſi pro conſecutione rei ſpiritualis. Idem tradunt aliqui de eo caſu, quod datur, aut ſpondetur res majoris momenti; aut etiam, ſi quid detur alteri tempore neceſſitatis, quæ circumſtantiæ vehementer augent ſuſpicionem, quod ſpirituale detur ratione rei temporalis, & non gratis.

SECTIO IV.

An Pontifex poſſit eſſe Simoniacus.

Conſtat ex Conſilio delectorum Cardinalium, & Prælatorum de emendanda Eccleſia ſub Paulo III. habito, cujus in anterioribus meminimus, inter alia quorumdam Doctorum pſeudoprincipia annumeratum eſſe, quod Pontifex omnium beneficiorum eſſet Dominus; *ac ideo, cum Dominus jure vendat id, quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi, in Pontificem non poſſe cadere ſimoniam. Ita quod voluntas Pontificis qualiſcumque ea fuerit, ſit regula,*

la, quâ ejus operationes, & actiones diriguntur; ex quo proculdubio efficit, ut quidquid libeat, id etiam liceat.

Verius tamen eſt, etiam Pontificem poſſe cadere in ſimoniam, quod & ipſe Zacharias Pontifex non diffitetur, qui Epiſtolâ 2. ad Bonifacium Archiepiſc. à ſe ſuſpicionem ſimoniæ refellit, ità ſcribens: *Reperimus in memoratis tuis litteris, quæ nimis animos noſtros conturbant, quod talia à te nobis referantur, quaſi nos corruptores ſimus Canonum, & Patrum reſcindere traditiones quæramus; ac per hoc, quod abſit, cum noſtris Clericis in ſimoniacam hæreſim incidamus, accipientes, & compellentes, ut hi, quibus pallium tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias.* Pontifex poteſt eſſe ſimoniacus.

Idem docet Albertus Magnus in 4. diſt. 25. art. 4. ubi ita ſcribit: *Reſpondeo dicendum, quod in veritate bene puto, quod ſimoniam committere poſſit* (Papa) *nec videtur mihi hoc dubium, quando vendit ſpirituale.* Et in reſponſione ad primum: *Bona*, inquit, *Eccleſiarum, non ſunt data Prælatis ad poſſidendum, ſed ad diſpenſandum ad uſus aliorum, ſcilicet pauperum. Unde non poſſunt emere, vel vendere, vel etiam dare pro libitu ſuo, cui volunt, ſed ad neceſſitates generales Eccleſiæ, vel uſus pauperum, vel perſonarum Eccleſiæ ſunt expendenda.* Et in reſponſ. ad 2. *Verum eſt, quod nullus habet jus in Eccleſiis, niſi per ipſum* (Papam) *ſed tamen non puto hoc eſſe, ex eo, quod ſua ſint, & conferat, ut ſua: ſed quia collatum eſt ei patrocinium defenſionis, ſicut etiam legiſlator dicit, quod omnia ſint Imperatoris ad defenſionem, & tuitionem.*

Et D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 10. ad 7. *Dicendum, quod Papa poteſt incurrere vitium ſimoniæ, ſicut & quilibet alius homo. Peccatum enim tantò in aliquâ perſonâ eſt gravius, quantò majorem obtinet locum: quamvis enim res Eccleſiæ ſint ejus, ut principalis diſpenſatoris, non tamen ſunt ejus, ut Domini, & Poſſeſſoris: & ideo ſi reciperet pro aliquâ re ſpirituali pecuniam de reditibus Eccleſiæ alicujus, non careret vitio ſimoniæ, & ſimiliter poſſet etiam ſimoniam committere recipiendo pecuniam ab aliquo laico non de bonis Eccleſiæ.*

Et Cardinalis Turrecremata in Cap. *Latorem*, referens Udalricum in Summa Theol. dicit: *Dicunt quidam Papam non poſſe committere ſimoniam cum quâcumque perſonâ Eccleſiaſticâ, quia nihil lucratur, cùm omnes res Eccleſiarum ſint ſuæ. Sed ſtultum eſt hoc dicere, cùm origo ipſius hæreſis fuerit in voluntate inendi pactum cum primo Papa, id eſt, cum Petro, etiam tunc temporis, quando omnibus omnia erant communia.*

Ratio quoque eſt clara, quam dederunt etiam Authores prædicti; puta, quod Papa non ſit Dominus bonorum Eccleſiaſticorum, ſed ſolummodo diſpenſator; neque facere poſſit, ut ſint illa, legitima venditionis materia, aut pretio temporali æſtimabilia. Et hoc verum eſt, non ſolùm de illis, quæ ſunt ſecundùm ſe ſpiritualia, ut ſunt gratiæ, virtutes, & Sacramenta: ſed etiam de iis, quæ ſunt Sacramentalia, & ex voluntaria Pontificis, aut Eccleſiæ conſtitutione ſunt ſacra; ſi ea, in quantum ſunt ſacra, venderet, ut

ſi

Digitized by Google

ſi Calicem conſecratum, propter conſecrationem pluris venderet, aut ſi Eccleſiaſtica beneficia pretio conferret. Quorum hæc eſt ratio, quod Pontifex in illis, quæ ſunt juris divini, vel naturæ, etiam juri naturæ, vel divino ſit ſubjectus, ut reliqui omnes. Et hinc etiam ſequitur, quod Papa in illis, quæ ſunt juris ejuſmodi, nequeat alium ementem, aut vendentem liberare; dum in illis nequit ſeipſum eximere: unde etiam in illis non poteſt diſpenſare, dum inferior nequit diſpenſare in lege ſuperioris, niſi hoc illi ſpecialiter ſit conceſſum. Unde rectè Zoſymus Papa: *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel immutare, nec hujus quidem Sedis poteſt authoritas:* quod maximè locum obtinet in illis, quæ ſunt juris divini, aut naturalis. Ex dictis ſequitur, quod quiſquis cum Papa, aut ejus Miniſtris, etiam nomine illius contrahit in illis, quæ ſunt contrà jus naturale, aut divinum, incurrat ſimoniam.

Difficultas eſt quoad illa, quæ ante dicta ſunt eſſe ſimoniæ juris poſitivi. Et in primis res eſt expedita illis, qui negant ejuſmodi ſimoniam inveniri. Ut tamen conſequenter procedamus, dicendum hîc eſt, quod Papa ſine causâ vendens ſimile quid, quod jure poſitivo vendi prohibetur, ob reverentiam rei ſacræ debitam, ſine dubio peccaret, dum Legiſlator etiam obligatur ſuâ lege quoad vim directivam, juxtà illud Catonis: *Patere legem, quam ipſe tuleris:* Deindè, ſolummodo ille eſt in ea lege diſpenſator, quæ diſpenſatio debet eſſe fidelis, & ex causâ rationabili, non infidelis diſſipatio ad deſtructionem. Neque verum eſt, quod docent alii, peccare eum hîc ſolummodo peccato ſcandali, ſed etiam eo caſu peccaret peccato ſimoniæ, & in ratione ejuſdem præcepti; puta in ratione contrà religionem: ſicuti peccaret contrà temperantiam, qui non jejunaret in Quadrageſima. Vis enim, & ratio præcepti directiva, æquè Legiſlatorem ſpectat, ac alios, quod lex conſtringit. Aliud eſt, ſi cauſa rationabilis, & legitima ſubſit, qualis ſubeſſe aliquando poſſet in venditione officiorum ſæcularium ad Eccleſiam pertinentium, quæ jure poſitivo diximus vendi non poſſe ſine ſimoniacâ ratione; eò quòd lex poſitiva Eccleſiæ, ſubſit rationabili ejus moderamini, ita ut in ea, legitimâ de cauſa poſſit diſpenſare.

Hinc ulterius deducunt alii, quod quicumque cum Papa, aut ejus Miniſtris contraheret, aut iis daret aliquod pretium pro eis rebus, quæ jure tantùm poſitivo ob reſpectum ad reverentiam rebus ſacris debitam prohiberentur ita elargiri, cenſeretur Pontifex cum iis diſpenſare, ſi ſubeſſet legitima cauſa: ſicuti Epiſcopus admittens impeditum aliquem ad Ordines, cenſetur cum eo diſpenſare, ſi in eo impedimento habeat facultatem diſpenſandi. Hoc tamen locum non habeat, ſi Pontifex ſciens aliquem in illis committere ſimoniam juris humani, taceat tamen, nec contradicat; quaſi, qui tacet, conſentire videatur; & videatur eo caſu Pontifex diſpenſare, dum non præſumitur velle delinquere; quod indubiè vellet, ſi id fieri cerneret, nec tamen repugnaret contradicendo. Verius enim alii docent, quod tolerantia Papæ non excuſet, niſi

niſi morali loquendi modo cenſeatur illa eſſe ejus diſpenſatio. In dubio namque de vigore legis, debet judicari pro lege, quæ eſt in poſſeſſione; neque de cætero conſtet de ejus abrogatione. Adde, quod tolerantia, & ſcientia ſuperiorum, non ſemper importent conſenſum; quia ſæpè fieri poteſt, quòd id quidem ſciant, ſed tamen ob rationes aliquas non contradicant, nec puniant, uti ſolet latius illud deduci in materiâ de legibus.

Colligi quoque poteſt ex dictis, quòd Papa eo caſu non incurret pœnas ſimoniacis impoſitas de jure Eccleſiaſtico, v. g. excommunicationem, &c. eò quòd ſimilis pœna infligenda ſit à ſuperiore, qualis reſpectu Papæ non ſolet dignoſci. Hinc etiam dici ſolet, quòd Legiſlator non ſubjaceat ſuæ legi quoad vim coäctivam. Idem docent de eo, qui rem ſpiritualem à Pontifice emeret, niſi Pontificem vi, vel fraude circumveniret; eò quòd expreſſus Pontificis conſenſus in venditionem, ſit tacita ejus diſpenſatio, vel juris Pontificii relaxatio, & pœnarum ejus: neque veroſimile ſit, quòd velit inhabilitare emptorem ad beneficium, quod ei ſciens, & volens vendit; aut quòd velit eum punire propter eam actionem, cujus ipſe ſit cauſa, aut ſaltem concauſa. Vide Malderum *Tract. 9. cap.* 3. *dub.* 4. & Sylvium *q.* 100. *art.* 2. *q.* 1. *in fine*. Addit tamen Wiggers, quod ſi eſſent pœnæ aliquæ hîc ſtatutæ, quas per modum pœnitentiæ pro delicto deberent ſubire Simoniaci, negandum non eſſet, quo minus non deberet Papa illas ſubire, uti & alii, ſi de cætero, tam illi, quàm aliis illud poſſet convenire.

SECTIO V.

De Simonia in Sacramentorum adminiſtratione.

Varia in hâc materiâ ſunt conſideranda, & attendenda: 1. Ipſa actio Sacramenti, prout eſt quid ſpirituale. 2. Effectus Sacramenti, puta, gratia, dona, & virtutes. 3. Labor ipſius intrinſecus; ſive, ſine quo, actio illa exerceri non poteſt. 4. Labor extrinſecus, ſeu accidentalis, qui per accidens Sacramenti adminiſtrationem antecedit, vel ſubſequitur, v. g. longior ad celebrandum itineratio, &c. 5. Conveniens Miniſtri ſuſtentatio. 6. Obligatio, quâ quis obligatur ad Sacramentorum adminiſtrationes. 7. Sacramentorum forma, & materia.

Notandum inſuper ex dictis Sect. 1. Sacramenta dici hîc res ſpirituales cauſaliter, quatenus cauſant gratias, dona, & virtutes; adeoque tamquam talia eſſe materiam ſimoniæ, ſi pro iiſdem detur aliquod temporale, quod ſit pretio æſtimabile. Denique hîc prænotandum eſt, quod huic ſimoniæ vitio annecti ſæpè ſoleat peccatum ſcandali, & injuſtitiæ; quatenus hoc facto pauperes facilè à Sacramentis arceantur, & ſit contrà juſtitiam pro eo aliquid accipere, ad quod quis obligatur ex officio, adeoque & ex juſtitiâ.

Reſponſio 1. exigere aliquid pro materiâ Sacramentorum, ut pro pane, vino, aquâ, oleo, aut eorumdem uſu, eſt ſimonia. Ratio eſt, quod illa ſint intrin- Materiam Sacramento-

rum vendere, eſt ſimonia. intrinſecè, & neceſſariò cum ipſis Sacramentis conjuncta, neque Sacramenta ſine ſuis materiis poſſunt conſiſtere. Probatur illud ex Cap. *Ea quæ, de ſimon.* ubi expreſsè prohibetur, ab Eccleſiis pecunias exigere pro Chriſmate, etſi id habeat conſuetudo; ubi & additur, id eſſe ſimoniam; uti etiam communiter idem docent DD. ad idem Cap. Neque hîc dici poteſt, quod prohibeatur ſolummodo exigi pecuniam pro Chriſmate, in quantum eſt Sacramentum; puta, pro conferendo Sacramento Chriſmatis; ſed etiam id prohibetur de ipſo Chriſmatis liquore: in eo enim Cap. non exigebatur pecunia à confirmato, ſeu confirmando; ſed ab aliis Eccleſiis. Non tamen ideo hîc æſtimandum eſt, ut notant paſſim DD. quod ſit ſimonia, dare pecuniam pro oleo, balſamo, vino, granis, &c. ad conficiendas Sacramentorum materias; eò quòd ejuſmodi res, dum apud Mercatores venduntur, & emuntur, necdum ſint ordinatæ proximè ad uſum, & materiam Sacramenti.

Reſponſio 2. etiam ſimonia eſt vendere materias Sacramentorum proximas, ut puta ablutionem, unctionem, &c. prouti docet S. Thomas *q.* 100. *art.* 2. & idem habet Jus Canonicum Cap. *Baptiſandis*, ubi dicitur, quod ſit ſimoniacus, non tantùm ille, qui vendit Sacramenta; ſed etiam ille, qui vendit actiones Sacramentorem, & ſacra Myſteria, quæ in actibus conſiſtunt. Deindè, actiones illæ, quatenus fiunt in Sacramentis, non inſerviunt uſibus humanis, ſed ſpiritualem ſolummodo habent utilitatem, & Divino cultui inſerviunt; adeoque eatenus non poſſunt æſtimari pretio, ſed ſunt gratis conferendæ, & adhibendæ. Idem ob eamdem rationem dic de formâ Sacramentorum.

Pro labore intrinſeco aliquid exigere, eſt ſimonia. Reſponſio 3. dare aliqud, aut exigere pro labore intriſeco Sacramentorum adminiſtratione, eſt ſimoniacum. Ratio eſt, quod labor ille, tam intimè connectatur cum ipsâ functione ſacrâ, ut non videatur eſſe quid aliud, quàm ipſa ſacra functio, adeoque moraliter æſtimari nequit ſine ſimoniâ. Deinde, labor ille non habet ullam æſtimationem moralem, niſi ex ſanctitate, ad quam conferendam, vel acquirendam eſt ordinatus; ergo non poteſt labor ille æſtimari, niſi ſimul æſtimetur ipſa ſanctitas. Denique, aliud eſſet contrà illud CHRISTI: *Gratis accepiſtis, gradis date.* Matth. 10. Addi poſſet, quod hoc caſu facillimè excuſari poſſet omnis ſimonia; dicendo, non vendere ſe Sacramenta, ſed ſolummodo laborem adminiſtrationis. Contrarium tamen tenet Adrianus *quod lib.* 9. referens pro ſe Altiſiod. Armachanum, & alios, quorum fundamenta ſunt, quæ ſequuntur.

Argumenta contraria. Objiciunt 1. quod labor ille abſolutè ſit pretio æſtimabilis, & labor ille ſeorſim conſideratus, tam bene æſtimari poteſt, quàm materia Calicis conſecrati. Imo, quod *Numerorum* 18. aſſignentur Levitis decimæ, dicendo: *Quia pretium eſt pro miniſterio, quo ſervitis in Tabernaculo teſtimonii*: & *Lucæ* 10. dignus dicitur mercenarius ſuâ mercede. Reſp. Labor ille, ut eſt actioni ſacræ intrinſecus, non eſt moraliter loquendo æſtimabilis, nec magis vendi poteſt, aut elocari, quàm ipſa ſacra functio, cum quâ eſt moraliter idem ipſe labor: adeoque ſicuti actio illa debet gratis conferri, ita & ille labor. Aliud eſt in Calice,

ce, cujus materia non eſt moraliter eadem cum conſecratione, ſed illam antecedit, ut aliquid ab ea independens; adeo ut, qui debet gratis Calicem conſecrare, non debeat gratis dare materiam. Ad locum priorem S. Scripturæ, dicendum eſt, *pretium* ibi ſumi in latiori ſignificatione, ut etiam ſignificet *ſtipendium* laboris, ſeu pro ſuſtentatione, quæ labori debetur. Idem dic de loco S. Lucæ, & aliis conſimilibus.

Objiciunt 2. quod labor ille æſtimari poſſit, videtur probari ex eo, quod plus detur Concionanti, quàm Catechiſanti: plus Sacerdoti cantanti ſummum Sacrum, quàm celebranti ſine cantu, &c. his adde conſuetudinem ubique receptam, ut Miniſtri operas ſuas elocent celebrandi, & miniſtrandi certis locis, ac temporibus. Reſp. Admittit quidem Bonacina *puncto* 3. *num*. 6. quod ſine ſimonia poſſit aliquid hîc accipi pro labore exceſſivo, v. g. pro Concione longiori, *etſi*, ait, *contrarium in praxi conſulerem, ſaltem ante factum.* Melius tamen alii docent, quos & ipſe refert, quod Concionator, non ſolùm non poſſit aliquid accipere pro functione, & labore omninò intrinſeco; ſed nec pro ſtudio, defatigatione, dicendâve Concione; eò quòd ejuſmodi ſint abſolutè neceſſaria ad eam functionem, & ipſe labor cenſeatur eſſe pars illius functionis: neque labor ille ullam habeat æſtimationem, quàm à materia, circà quam verſatur, aut à ſacra poteſtate à qua proficiſcitur. Fatendum tamen eſt, quod plus debeatur dicenti v.g. Paſſionem Domini per 3. horas, quàm dicenti Concionem horæ mediæ: non quod pro majore labore detur majus pretium; ſed dignum, & juſtum ſit, quod qui plus laborat, ampliorem mercedem recipiat ſuſtentationis; ſicuti teſte Apoſtolo 1. Tim. 5. *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè, qui laborant in verbo, & doctrinâ.* Quod verò ulterius objicitur, eſſe praxim ubique receptam elocandi Sacerdotum operas, &c. non ita admittendum eſt, ut liceat operas ſacras elocare, puta ipſum celebrare, abſolvere, prædicare, &c. ſed quod liceat elocare operas ſuas, in quantum elocantur libertas, & obligatio Sacerdotis, aut alterius miniſtri ad certo loco, & tempore celebrandum, abſolvendum, prædicandum. Vide, quæ dicam in Reſponſione 5.

Reſponſio 4. licitum tamen eſt ſine ſimoniâ hîc accipere aliquid, aut exigere pro labore extrinſeco, ſive ille miniſtrationem ſacram antecedat, ſive eam ſubſequatur. Ratio eſt, quòd labor ille per ſe ſit res temporalis, pretio æſtimabilis, neque ſpirituali neceſſariò connexa; adeoque ex accidentaria connexione cum re ſpirituali non amittat ſuam æſtimationem. Deindè, labor ille, quaſi antecedenter connectitur rei ſpirituali, quæ res ſine ſimonia vendi poſſunt, uti docet S. Thomas *art*. 4. illa enim ſpiritualibus connexa ſine ſimoniâ vendi nequeunt, quando illa ita ſpiritualibus ſunt annexa, ut unum vendi non poſſit, quin & aliud cenſeatur ſimul vendi, qualis non eſt labor ille extrinſecus. Sic etiam, quamvis in mutuo non poſſit aliquid accipi pro labore intrinſeco mutuandi, quin ſit uſura: tamen aliquid poteſt accipi ſine uſurâ pro labore extrinſeco, uti latius oſtendimus agendo de uſura. Aliqua interim hîc ſunt obſervanda: Primò,

Exigere aliquid pro labore extrinſeco non eſt ſimonia.

mò, ut rectè monet Silvius, videndum hîc eſt, ne labor ille in ſe ſit ſacer, ſeu ſpiritualis, & ut ſine ordine ad ſpiritualia æſtimetur: adeoque non æſtimetur pluris, quàm æſtimaretur æqualis labor, conjunctus actioni profanæ, aliàs eſſet ſimonia. Deinde, cavendum eſt, ne pro ſimili labore aliquid accipiat, ſi alio titulo teneretur laborem impendere, v. g. quia ſuum beneficium annexum habet tale onus, dum pro eodem labore reciperet bis mercedem, quod eſt planè iniquum.

Poteſt aliquid accipi pro re ſacra tamquam ſtipendium ſuſtentationis.

Reſponſio 5. poteſt aliquid accipi pro functione ſacra tamquam ſuſtentatio Miniſtri; imò illud etiam debetur. Et ratio eſt, quod tunc ſolummodo ſit ſimonia, quando pro re ſpirituali acquiritur aliquod temporale indebitum: ſed ſuſtentatio jure naturæ, & divino Miniſtris Eccleſiæ eſt debita, dum dignus eſt operarius cibo ſuo, & qui Altario inſervit, de Altario poſſit vivere, nec militat quiſquam ſuis ſtipendiis umquam. Deinde, qui gerit negotia alterius, poteſt ab eo exigere ſuſtentationem. Sic Sacerdotes Egyptii *Geneſ.* 47. publicis ſumptibus alebantur. Adde, quod Clerici, propter laïcos ſe privent libertate negotiandi, lucrandi, & ſibi de neceſſariis providendi; ergo æquum eſt, ut ab iis ſuſtententur. Neque hîc dici poteſt, quod per hoc non gratis adminiſtrent ſacra, adminiſtranda gratis juxtà legem Evangelicam: cùm ille gratis adminiſtret, qui non recipit, niſi, quod ipſi de jure debetur, juxtà ante dicta.

An liceat Clerico de ſuſtentatione paciſci.

Quærunt tamen DD. an etiam liceat de dicta ſuſtentatione paciſci. Negare id videtur S. Thomas *q.* 100. *art.* 3. *ad* 2. Idem videtur facere Jus Canonicum, quod omne pactum in ſpiritualibus prohibet *Cap. ult. de pact.* Cap. *Tua nos, de ſimonia, &c.* Alii addunt, ſimile pactum eſſe etiam ſcandaloſum, & ſapere ſimoniacam avaritiam. Alii è contrà affirmant id eſſe licitum: tum, quod quilibet poſſit paciſci de eo, quod ſibi de jure naturæ debetur: tum, quia pactum illud cadere cenſetur ſuper ſtipendium formaliter ſumptum, ſeu, ut eſt ſuſtentationis; non verò, ut eſt merces, aut pretium actionis ſacræ; adeoque etiam accedente pacto, maneat ſuſtentatio, non pretium: tum etiam, quod Eccleſia poſſit taxare id, quod Miniſtris debetur: ſicuti alibi Miſſarum, & aliorum ſtipendia ab Epiſcopo taxari ſolent pro ſuſtentatione: ergo ex natura rei ſaltem, non eſt ſimoniacum illud in pactum deducere. Et quamvis illud de Jure Canonico eſſet prohibitum, poſſet tamen contrariâ conſuetudine jus illud abrogari, ſcientibus id Prælatis, & conniventibus. Varia tamen hîc requirunt, 1. Ut adſit debita intentio; puta, ne ſit intentio venditionis, ſeu commutationis rei ſpiritualis pro pretio. 2. Ut quando agitur de officiis præſtari ſolitis, non exigatur id per ſubſtractionem ſpiritualium, quæ ſunt exhibenda. 3. Ne plus exigatur pro ſuſtentatione, quàm exigat ratio operæ, ac laboris; aliàs cenſebitur exigere exceſſum illum tamquam pretium rei ſpiritualis. Ità plerique Doctores.

Videtur tamen, ut etiam rectè advertit Sylvius *q.* 100. *art.* 2. *concluſ.* 3. longè melius eſſe, ac ſecurius nihil paciſci, ſed liberaliter oblata, vel per ſuperiores conſtituta ſine pacto recipere: tum, ut tantò magis caveatur omne ſimo-

niæ

niæ periculum : tum, quia ſatis difficile eſt obviare ſcandalis, & ſufficienter perſuaderi, quod nihil exigatur pro re ſpirituali. Imo, ut etiam notat Wiggers hîc, optandum foret, ut pactiones, præſertim circà ſingulares, ſive individuas actiones ſacras, pro unâ, aut altera vice ſolummodo exhibendas, omninò tollerentur, propter nimiam ſpeciem negotiationis, quam oſtentant. Unde & Concilium Trid. *Seſ.* 22. *Decret. de obſerv. in celeb. Miſſ.* mandat Epiſcopis, ut eadem de medio tollere allaborent, & ſpeciatim ibi, quoad Miſſas. Et Synodus Provincialis Mechlinienſis anni 1570. *tit. de Decanis Chriſt. &c.* Cap. 12. ſtatuit, ut pro Exequiis ſeptenariis, tricenariis, aut anniverſariis nihil Clerici ſtipulentur, ſed Officiis peractis demum recipiant : aut à recuſantibus, & poſt gratioſam monitionem ſolvere differentibus juridicè exigant, quod ex laudabili conſuetudine ſolvi conſuevit.

Pro obligatione adminiſtrandi res ſacras aliquid exigere, non eſt ſimonia.

Reſponſio 6. poteſt etiam aliquid accipi pro obligatione, qua ſe Miniſtri Eccleſiæ obligant, ad certo loco, & tempore actiones ſacras adminiſtrandum. Ratio eſt, quod dicta obligatio ſit quid temporale pretio æſtimabile, dum tollit homini libertatem ad aliquid aliud eo tempore agendum, quamvis fortè id eſſet illi utilius. Pro quo notari poteſt, quod obligatio ad aliquid agendum ſit diſtincta ab ipſo opere, v. g. obligatio fodiendi è foſſione, &c. unde etiam dictum eſt agendo de uſura, quod ſimiles obligationes ratione mutui exigi nequeant ſine uſura. Quare, etſi pro ipsâ functione ſacra nihil exigi poſſit, poteſt tamen aliquid exigi pro dicta obligatione ad talem functionem. Huc etiam referri poſſet ratio damni emergentis, ac lucri ceſſantis; quâ ratione poſſet aliquid accipi pro functione ſacra hoc tempore facienda, ſi eodem tempore potuiſſet aliunde multum lucrari. Idem eſt, ſi pro exhibenda actione ſacra, deberet Miniſter ſubire aliquas expenſas, v. g. in vectura, itinerando, &c. Sollicitè tamen hîc etiam cavendum eſt, ne pro dictâ obligatione quid amplius exigatur, ex eo, quod ſit obligatio ad functionem ſacram; quod foret ſimoniacum, dum ratione ſpiritualitatis venderetur, aut elocaretur aliquod temporale. Et Bonacina, etſi *puncto* 3. *num.* 9. dicat, quod pro dictâ obligatione poſſit aliquid exigi ſine ſimonia, prouti Capitula accipiunt aliquid pro Anniverſariis Defunctorum : *Tutior tamen*, ait, *eſt modus, ac in praxi conſulendus, ut pecunia non accipiatur pro ipsâ obligatione, ſed titulo ſuſtentationis.*

Recipi etiam poteſt ſinè ſimonia id, quod de laudabili conſuetudine ſolet dari.

Reſponſio 7. quando ex antiqua, & rationabili conſuetudine datur aliquid à laicis fidelibus in adminiſtratione Sacramentorum, poteſt illud licitè recipi, ſi de cætero adſit debita intentio : eò quòd illud præſumatur introductum pro ſuſtentatione Miniſtri. Patet id ex *Can. Ad Apoſtolicam, de ſimoniâ*, ubi dicitur : *ſuper his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias conſuetudines præcipimus obſervari : ſtatuentes, ut liberè conferantur Sacramenta Eccleſiaſtica, ſed per Epiſcopum loci varietate cognita, compeſcantur, qui malitiosè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare.* Huic adde S. Antoninum 2. p. tit. 1. cap. 5. §. 18. *Sponte tamen*, ait, *oblata poteſt recipere, & ſi quidem haberem intentionem principaliter ad temporalia, nulla tamen interve-*

terveniente pactione , vel conventione , erit ſecundùm Raynaudum , ſimonia mentalis, quæ per ſolam pœnitentiam aboletur. Intentio verò hîc requiſita exigit , ne quid exigatur , aut accipiatur tamquam pretium adminiſtrationis, ſed ſolummodo veluti ſtipendium ſuſtentationis ; adeoque intentio fieri debet circà conſuetudinis obſervantiam. Deinde , etſi fortè eadem per talem conſuetudinem introducta denegentur , non poſſunt ideo ſpiritualia ſubtrahi, aliàs adminiſtrari ſolita ; ſed debet res deferri ad Epiſcopum, qui veritate cognitâ, illos compeſcat , qui laudabilem conſuetudinem nituntur immutare , ut ait Cap. *Ad Apoſtolicam* , aliàs enim illa ſpiritualium ſubſtractio eſſet virtualis exactio rei temporalis pro ſpirituali à jure prohibita.

Sed quomodo dicta conſuetudo potuit legitimè introduci ? Reſp. Panormitan. in Cap. *Suam* , *de Simonia*, docet id potuiſſe fieri 1. quidem , ſi non præceſſerit exactio , ſed ex mera liberalitate , & devotione populi illa fuerit introducta ; quo caſu non provenit ex radice vitioſâ, ſed ex virtute. Si verò ejus conſuetudinis principium fuerit exactio , quæ dictæ conſuetudini cauſam dederit ; conſuetudo illa non valet , dum orta eſt ex ſimonia. Quando tamen Eccleſiæ ſunt tenuioris reditûs, rectè præſumitur illa conſuetudo orta ex devotione populi illud dantis ad ſuſtentationem Miniſtri , prouti dantur decimæ quoad quotam , ex lege poſitivâ : & eâdem lege ſtatui poteſt , quod aliquid detur ad ſtipendium , quod & conſequenter viâ conſuetudinis poſſit id introduci.

An in caſu neceſſitatis ſit licitum dare pecuniam pro collatione Sacramenti.

Quærunt alii , an in neceſſitatis caſu non poſſit dari pecunia pro adminiſtratione Sacramentorum ; puta , ſi nolit Sacerdos baptiſare infantem , nec adſit alius , qui baptiſare poſſit. Reſp. Alii cum D. Thoma abſolutè negant : alii hoc admittunt quoad puerum , non verò quoad adultum baptiſandum , quia alio contritionis medio poſſit ſalvari ; adeoque reſpectu illius non eſt caſus neceſſitatis. Alii tamen melius generaliter id affirmant. Et ratio eſt , quod in eo neceſſitatis caſu non irrogetur Sacramento injuria , aut irreverentia , dum ipſo facto agnoſcit ejus neceſſitatem. Deindè , non datur hîc aliquid moraliter loquendo pro adminiſtratione Sacramenti , dum adeſt neceſſitas; ſed ſolummodo id dari cenſetur pro redemptione vexæ , & ad inducendum Sacerdotem ad illud , ad quod aliàs obligatur : unde , ſicuti ad hoc poteſt compelli , & adigi minis ; ita etiam poterit muneribus. Neque ideo cenſetur ille moraliter loquendo coöperari alterius ſacrilegio ; ſed illud ſolummodo permittit juſtâ de cauſâ. Adde , quod ſi alius Sacerdotem impediret , ne baptiſaret , poſſet illi impedienti aliquid dari , ut deſiſtat impedire ; ergo id etiam fieri poteſt ipſi Sacerdoti. Hoc autem æquè habet locum in adulto , ac puero ; dum utrobique eadem eſt ratio ; & actus contritionis perfectæ , eſt ſublimiſſimus , & admodum incertus , dum ſemper neſcit homo , an amore dignus ſit , an odio.

Objiciunt tamen alii , quod non videatur , quomodo non detur pecunia pro adminiſtratione Sacramenti ; cùm detur illa pro inducendo Sacerdote ad admi-

adminiſtrandum, mediante depoſitione mali ejus animi. Reſp. Non datur ideo pecunia pro adminiſtratione Sacramenti, ſed ſolummodo pro deponendo malo alterius animo. Etſi enim collatio Sacramenti ſit finis, quare detur pecunia; non tamen eſt ejus materia, cui pecunia correſpondeat, ſeu quæ morali æſtimatione in hoc neceſſitatis caſu emi cenſeatur, adeoque neque erit ſimonia hoc caſu aliquid dare. Neque ideo dici poteſt, quod ſic eodem modo licitum erit vendere Sacerdoti illi rem ſacram, ſi aliter nolit baptiſare: quia eo caſu expreſsè, & morali loquendi modo importat talis venditio, quod detur res ſpiritualis pro pretio, aut pro aliquo pretio æſtimabili, quod apertè eſt ſimoniacum. Adde, quod Sacerdos volens ſibi eam rem vendi, neque aliter volens Sacramentum adminiſtrare, videatur id petere in comtemptum Religionis, quo caſu non licet ullo modo ei coöperari. Unde etiam communiter docent, quod ſi Sacerdos alio caſu pecuniam peteret in contemptum Religionis, non poſſet eo caſu eam dare. Et hæc, quæ diximus, de Sacramento Baptiſmi, etiam locum habent in Sacramento Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, & Matrimonii. Etſi enim eadem Sacramenta non ſint ad ſalutem neceſſaria; non tamen videtur, obligari fideles ad carendum illis ob improbitatem Miniſtri obligati ex Officio ad ea adminiſtranda. Aliud tamen eſt de Sacramento Ordinis, ubi Ordinatus etiam ob ſolius Ordinantis ſimoniam, ab Ordinis executione eſt ſuſpenſus, adeoque inutiliter ordinaretur, Cap. *Ex tua*, *de ſimonia.*

Quæres hîc ultimò, an poſſit ſine ſimoniâ dari pecunia infidelibus, ut Fidem Catholicam amplectantur, & Baptiſma ſuſcipiant: Reſp. In primis certum eſt, quod id non liceat pro ipsâ converſione tamquam pro re ſpirituali. Deindè, ſi infideles eſſent diſpoſiti ad fidem jam ſuſcipiendam, ſed tamen eam ſuſcipere nollent, eò quòd ad fidem converſi non haberent, unde viverent, v.g. quod deberent perdere patrimonium, &c. non erit illicitum offerre pecuniam; quia tali caſu non datur res temporalis propriè pro ſpirituali, ſed ſolummodo pro amotione obſtaculi temporalis, quo minus poſſint venire ad fidem. Quin imò, nil vetat Infideles beneficiis, & muneribus ad fidem capeſſendam diſponere, cùm illud non ſit emere infidelium converſionem, ſed eos ad fidem diſponere. Sic & praxis habet in Italia, & alibi, quod ad fidem verè converſos eleëmoſynis, & aliis temporalibus mediis intertineant fideles.

SECTIO VI.

De Simonia in collatione Ordinum, & in Sacramento Matrimonii.

GRegorius lib.4. Epiſt.44. in Ordinando, ait, *Sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere:* ita Miniſter, *vel Notarius, non debet in ordinatione ejus vocem ſuam, vel calamum venundare. Pro Ordinatione verò, vel pallio, ſeu Chartis, atque Paſtello, eumdem, qui ordinandus,*

Omnis ſimonia in Ordine graviſſimè prohibita.

dus, vel ordinatus eſt, omninò aliquid dare prohibeo. Et habetur Cap. *Sicut Epiſcopum* 1. *q.* 2. Prohibetur hìc ferè omnis ſimonia in collatione Ordinum frequentata. Et quidem quod ad ipſam ordinationem attinet, omnia jura clamant, & ſub graviſſimis pœnis inhibent, pro collatione Ordinum quidquam exigere, aut recipere, de quo videri poteſt Concil. Trid. *Seſ.* 21. *cap.* 1. *de Reform.* & ratio ejus eſt clara, dum per Ordinationem, ſive Ordinis collationem confertur gratia Spiritûs ſancti, adeoque ſimonia ſit, pro hujuſmodi actu accipere quid temporale. Hinc Taraſius Conſtantinop. in Epiſt. ad Adrianum Papam: *Multipliciter*, ait, *multiſque modis ex Evangelio, & Apoſtolorum, Patrumque præceptis docemur in ſanctificatione Sacerdotii mores ab avaritia longe alienos præſtare; neque in ullius Sacerdotalis viri Ordinatione aurum, argentumvè accipere, aut aliud quidpiam nobis vindicare:* & verè. Qui enim manus imponunt in Ordinando, Miniſtri ſunt Spiritûs, non ejuſdem venditores. Neque ſolùm recipiendo, aut exigendo munus à manu hìc peccatur: ſed & ſæpiſſimè exigendo, aut recipiendo munus à linguâ, vel ab obſequio; dum ſæpè illi, qui ad ſacros Ordines non vocati, aut inepti, vel amicorum precibus, ſervitio præſtito, aut præſtando ad eoſdem admittuntur. Huc referri poſſunt ii, qui ex ſimili motivo aliquem ordinant, ſub promiſſione non petendi ab eis proviſionem: quo caſu Collator per triennium à collatione, Præſentator autem ab executione Ordinum etiam triennio ſuſpenduntur: Ordinatus autem ab Ordine perpetuò ſuſpenditur, ſolummodo à S. Sede abſolvendus.

Cùm verò in collatione Ordinum, non ſolùm Ordinans, ſed & alii ad Ordinationem coöperentur, ut ſunt Notarii, Examinatores, &c. ſequitur, quod ſi Examinatores pro Ordinandorum examine, aut approbatione recipiant aliquod temporale, ſint ſimoniaci, uti expreſsè etiam prohibent Concilia: cujus ratio eſt, quod illa actio examinandi directè tendat, & inſerviat Ordinationi. Idem eſt, ſi Examinatores, retione muneris à linguâ, vel ab obſequio, aliquem ad Ordines admittant. Notarii quoque, ſi illis de juſto ſalario ſit proviſum, non poſſunt aliquid ſine ſimoniâ accipere; cùm eo caſu illud accipere cenſeantur ratione ordinationis, intuitu cujus videtur Concilium Trid. id prohibuiſſe Notario, & ob reverentiam rebus ſacris debitam: quamquam alii velint, quod eo caſu ſolummodo peccent contra juſtitiam, duplex ſtipendium exigendo, vel accipiendo pro eodem labore, dum aliquid accipit pro labore à publico, & aliquid ab Ordinando, quod manifeſtè eſt injuſtum. Aliud eſt, ſi quid gratis detur Notario, modò non exigatur, quod ſolummodo illi hìc prohibetur. Magna interim hìc eſt ſimoniæ ſuſpicio, ſi pro litteris Sacerdotis, plus accipere ſoleat, quàm pro litteris Subdiaconi, ant Diaconi; dum tali caſu videatur quaſi vendi, & taxari Ordinum dignitas, quæ nec vendi poteſt, nec taxari. Ratione laboris namque aliquid Notario licet accipere, qui labor quoad omnia eſt planè idem. Inſuper contrarias quaſque conſuetudines Concilium Trid. hìc abrogat, etiam

Notarii quid poſſint recipere in ordinatione.

imme-

immemoriales, quæ potius dicendæ ſunt corruptelæ, & abuſus ſimoniæ pravitati faventes, ut ait Concilium Trid. Imo Concilium addit, quod, *qui ſecus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipſo facto incurrant.* Ubi tamen alii docent, quod ubi viget contraria praxis, nec Ordinum litteræ acquiri poſſint abſque eo, quod aliquid pro eiſdem detur, quod ex uſu pro eiſdem eſt taxatum: poſſint dantes excuſari; neque illud eo caſu cenſeatur dari, niſi in ſuſtentationem Miniſtrorum, aut ſaltem ad redimendam vexam, dum aliter ſuo jure uti non poteſt. Et hoc ait Wiggers eſſe verè probabile, eò quòd non videatur eſſe mens Concilii, quod illi tali caſu ſuis litteris debeant carere. Imo & alii, etiam accipientes hîc ex praxi excuſant, ſi Miniſtrorum ſtipendia eſſent tam tenuia, ut poſſet prudenter, & meritò æſtimari, Concilium eoſdem excipere; quo etiam caſu cenſeretur illud dari in ſuſtentationem potius, quàm alio quodam reſpectu; etſi Epiſcopi, quibus plerumque competunt ſufficientes reditus, debeant de ſufficienti ſalario Miniſtris ſuis providere, qui directè, & principaliter Epiſcopo inſerviunt. Et magis id locum habet, ſi Notario de publico ſtipendium ſit taxatum, dum cuilibet licet operas ſuas elocare, nec quiſquam obligatur alteri gratis inſervire. Pretium autem hîc taxatum à Concilio Trid. ſtatuitur pro illis locis, ubi eſt conſuetudo pro Dimiſſoriis Ordinum, aut aliis litteris aliquid accipiendi, decimam partem aurei, puta ſolidum, ſeu Julium, ſive 6. aut 7. aſſes. Excipiunt hîc etiam alii cum Boncina contra Valentiam, Candelas, referente S. Congregationem declarantem à Concilio Trid. abrogatum eſſe conſuetudinem recipiendi ab Ordinandis forcipes, pectines, & mappas, præter ſaculas. Additque quod *hîc excipi poſſint ſtrophiola, quibus Sacerdotum manus ſacro oleo linitæ vinciuntur, illaque ſibi cæremoniarum Magiſter aliquibus in locis retinere conſuevit.* Longiſſimè interim à priſcis Eccleſiæ temporibus in Ordinatione ſimoniam abſuiſſe videtur, dum non niſi inviti ad Ordines promovebantur; quod hoc tempore inauditum.

Notandum etiam circa jam dicta ex Proſpero Fagnano in Cap. *In ordinando, de ſimoniâ*, quod etſi Epiſcopi Miniſtris aliquid gratis conferre liceat ab ordinatis, non tamen id liceat ipſi Epiſcopo Collatori, dum ipſi expreſsè prohibetur munus quodlibet, etiam ſpontè oblatum ſub quocumque prætextu, & quacumque de causâ, uti refert *num.* 11. & *num.* 30. Advertit idem Author, quod ſi Notario Epiſcopi ſtatutum ſit ſalarium etiam minimum, non poſſit juxta decretum Concilii aliquid recipere, ſeu exigere, cùm dicat Concilium, tunc ſolum recipere poſſe, & exigere aliquid juxta uſum patriæ conſtitutum, ſi nullum ei ſalarium ſit conſtitutum; ubi verbum, *nullum*, excludit ſalarium, quantumcumque minimum Unde, ait, ſibi imputet Notarius, qui modicum ſalarium acceptavit; per hoc enim ſe tacitè adſtrinxit ad operas ſuas pro illo modico impendendas, exemplo ejus, qui beneficium tenue acceptavit; nam tenetur illi inſervire, quan-

tumcumque ſit tenue, juxtà alibi dicta: quod tamen repugnare conſtat, quod ante mox diximus de Notariis quibus de ſufficienti ſalario non eſſet proviſum. Quod verum eſſet, ſi Concilio ad litteram attenderetur.

Quæ ſimonia in Matrimonio. Quod autem attinet ad ſimoniam, quæ in Sacramento Matrimonii admitti poſſet; certum eſt in primis, eſſe ſimoniam dare, aut exigere pecuniam pro ipſo Matrimonio, cùm ſit verè unum ex ſeptem Sacramentis, gratiam ex opere operato conferens, uti definit Concilium Trid. *Seſ.* 24. *Can.* 1. Sed pro Sacramento pecuniam dare eſt ſimoniacum, uti conſtat ex ante dictis. Idem eſt dicendum de benedictione nubentium, uti expreſsè habet Cap. *Cùm in Eccleſia, de ſimoniâ*, ubi & contraria conſuetudo reprobatur. Et ratio eſt, quod dicta benedictio ſit ſpiritualis actus, adeoque pro eâ exigere aliquod temporale, eſt ſimonia. Idem docet S. Thomas q. 100. art. 2. in reſp. ad 6. ubi ait: *Dare pecuniam pro Matrimonio, in quantum eſt Eccleſia Sacramentum, eſt illicitum: & ideo ſecundùm jura prohibetur, ne pro benedictione nubentium aliquid exigatur.* Ex quo loco, uti ex aliis meritò colligit Sylvius ibid. quod ſi D. Thomas ſuam Summam abſolviſſet, ſcripſiſſet miniſtrum Matrimonii eſſe Sacerdotem, cujus eſt nubentibus benedictionem impertiri, quod & nos latè confirmavimus in Principiis Theologicis agendo de Sacramento Matrimonii. Hoc poſito, certior erit dicta noſtra concluſio. Si tamen ex laudabili conſuetudine aliquid in benedictione nuptiarum dari ſoleat, poterit illud accipi, & exigi, non tamquam benedictionis pretium, ſed ſuſtentationis ſtipendium; inter quas conſuetudines alii referunt, quod offeratur candela groſſa cum denariis; quod habeat lectum mortui, aut ejus veſtes Sacerdos; aut à nubentibus caput Bovis, aut aliud quid ſimile: ita Binsfeldius in Cap. *Ad Apoſtolicam q.* 2. Qui & addit, quod ſi Sacerdos impeditus nolit alteri Sacerdoti concedere facultatem benedicendi nuptiis, niſi pro pecuniâ, ut ſolummodo ſibi de portione oblationum ex ſimili benedictione provenientium provideat, non verò ex animo vendendi facultatem dictam, non erit illud ſimonia. Poteſt enim quilibet ſalvare ſuum jus oblationum, & aliorum emolumentorum. Idem eſt de licentiâ confitendi, aut communicandi alteri concedendâ. Notat etiam hìc Proſper Fagnanus in Cap. *In ordinando, de ſimonia, num.* 41. quod Parochi ſervare debeant Edictum Epiſcopi de ſponſis Matrimonio non jungendis ſine ejus licentiâ, quæ gratis dari debeat: etſi conſuetudo donandi aliquid Epiſcopo in ſignum lætitiæ, non videatur penitus improbanda.

SE-

Digitized by Google

SECTIO VII.

De Simonia in Sacramentalibus, diſpenſationibus, & aliis Eccleſiæ miniſteriis.

SAcramentalia nihil ſunt aliud, quàm quædam cæremoniæ, & benedictiones ſacræ in Eccleſia fieri ſolitæ. Alia ſunt tranſeuntia, quæ non habent effectum permanentem, qualia ſunt exorciſmus, benedictiones, &c. Alia ſunt permanentia, quæ habent effectum permanentem, ut eſt benedictio aquæ, conſecratio Calicis, &c. Alii interim volunt benedictionem omnem eſſe tranſeuntem, & rem ſacram, quæ per benedictionem conſtituitur, eſſe Sacramentale aliquod permanens. Utraque ſunt ſimoniæ materia : tranſeuntia quidem, quatenus ſunt actiones ſpirituales procedentes à poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali, & ad ſimilem finem ordinatæ : unde omni jure, etiam Eccleſiaſtico vendi prohibentur, dum variis Capitulis prohibetur vendere ſacra miniſteria. Permanentia quoque ſunt materia ſimoniæ, quatenus ſunt benedictæ, ſive conſecratæ. Quatenus enim tales ſunt, ſunt propriè res ſacræ, ad finem ſpiritualem ordinatæ; adeo ut, ſi ratione conſecrationis, aut benedictionis pluris vendantur, erit ſimonia etiam contrà jus naturale divinum. Et patet id clarè ex Cap. *Si quis objecerit* 1. *q.* 3. ubi prohibetur, res, quæ ex conſecratione proveniunt, ullatenus vendi. Quid ſint Sacramentalia, & quotuplicia.

Quæſtio tamen eſt, an ratione materiæ ſaltem vendi non poſſint. Et Canoniſtæ plerumque id negant, quamdiu manent res ſacræ; id eſt, quamdiu aptæ remanent ad ſuum miniſterium : affirmant tamen, ſi ejuſmodi res ſint confractæ, nec ad uſus proprios magis aptæ, v.g. ſi Calix confringatur; eò quòd tali caſu non cenſeantur eſſe amplius res ſacræ. Melius tamen alii generaliter docent, etiam integra poſſe ejuſmodi vendi ratione ſuæ materiæ. Et ratio eſt, quod res illæ ratione ſuæ materiæ, & naturæ ſint pretio æſtimabiles, nec amittant ſuum valorem ex conſecratione, aut benedictione, & conſequenter etiam vendi poſſunt poſt conſecrationem, & benedictionem. Hoc autem intelligi debet, quantum eſt de jure naturæ, dum jure Eccleſiaſtico talis rei venditio ſubindè eſt prohibita. Quando igitur dici ſolet, quod res ſpiritualis, aut etiam ſacra vendi non poſſit, intelligendum id eſt, de re ſacra formaliter ſumptâ, ſeu quatenus eſt ſacra: unde etiam ante dictum eſt, quod ratione conſecrationis non poſſit ſimilis res pluris vendi : vel etiam id intelligi poteſt, quod vendi non poſſit ad uſus prophanos, uti intelligi debet S. Thomas q. 100. art. 4. ad 2. Aliud enim habet timoratorum praxis, dum Calices quotidie venduntur Eccleſiis diverſis. An res ſacræ ratione materiæ vendi poſſint.

Objiciunt tamen, quod qui vendit unum, quod ſine alio non poteſt ſubſiſtere, nihil invenditum derelinquat, ut habet Cap. *Si quis objecerit* : ſed conſecratio eſſe nequit ſine tali materiâ, neque materia illa ſine conſecratione : ergo, qui vendit unum, vendit & aliud. Reſp. Bonacina hîc ait, illa ſaltem

Digitized by Google

per intellectum noſtrum poſſe ſeparari : quod certè hic longè quæſitum, & parum ad propoſitum. Hinc melius reſponderi hîc poteſt, quod ibi agatur de eo, quod annexum eſt ſpirituali conſequenter, uti Præbenda eſt beneficio. Non verò de eo, quod ſpirituali connexum eſt antecedenter, quod ſine ſpirituali eſſe poteſt, & ſeparatim æſtimari, uti patet in Calice conſecrato.

An Reliquiæ vendi poſſint.

Non poſſunt quoque ſine ſimoniâ vendi Sanctorum Reliquiæ, uti conſtat ex Cap. *ult. de Reliq. & Venerat. SS.* Imò, non ſolùm earumdem venditio prohibetur, ſed etiam inſuper omnis venalis quæſtus, ratione oſtenſionis, locationis, aut oſculationis earumdem. Et ratio eſt, quod in illis non conſideretur materiale à formali, neque materiale ſecundùm ſe ſit pretio æſtimabile; ſed cenſentur ut partes hominis ſancti. Capſulæ tamen, in quibus cuſtodiri ſolent, vendi poſſunt, modò ratione Reliquiarum nihil amplius exigatur, quàm ſecundùm ſe valeant.

Neque ſolummodo vaſa ſacra vendi poſſunt, ſed & elocari, cùm hîc venditionis, & elocationis ſit eadem ratio, & materia eorumdem uſu conſumatur, adeoque pro conſumptione ſecùndum ſe, poteſt aliquid dari. Et hoc alii admittunt quidem de eis rebus ſacris, quæ uſu teruntur, ut ſunt veſtes ſacræ, &c. Sed quoad ea, quæ non multum ex uſu teruntur, ut ſunt vaſa ſacra, non videtur elocatio hîc eſſe licita, dum in elocatione venditur uſus rei retento dominio; & videatur, quod pro uſu à dominio ſeparato nil poſſit exigi, dum uſus illius eſt tantummodo ſacer, & ad ſacrum finem ordinatus.

Quod hîc attinet ad Agnos cereos, & imagines; certum eſt, quod ratione materiæ, Agni cerei vendi poſſint, æquè ac vaſa ſacra; eoſque paſſim Romæ vendi conſtat, & emi. Nec quidquam obſtat Conſtitutio Gregorii XIII. anno 1572. edita, quæ incipit, *Omni certè ſtudio* : ibi enim ſolummodo inhibetur, Agnos illos à Pontifice benedictos, minio, aut alio colore inficere ſub pœnâ excommunicationis; non autem infectos ſervare; inſuper prohibet ibidem Gregorius venditionem eorumdem, quæ ſit ſimoniaca; puta, ne ratione benedictionis pluris vendantur; neque de cætero ſit ulla mentio de alia venditione. Idem eſt dicendum de Imaginibus, Medaliis, &c. ſi nihil plus accipiatur, quàm valeant ratione artis, aut materiæ, aut aliarum expenſarum temporalium ſine ullo ad benedictionem reſpectu.

Simonia in diſpenſatione, & aliis actibus juriſdictionis.

. In diſpenſationibus quoque, ac aliis actibus juriſdictionis, ſæpè committitur ſimonia. Pro quâ re notandum eſt 1. Quod pro actu juriſdictionis laicæ ſine ullâ ſimoniâ aliquid poſſit accipi, cùm actus ille non ſit ſpiritualis : ùnde judex laicus pro pecunia judicans, erit quidem injuſtus, ſed non ſimoniacus. Notandum eſt 2. Juriſdictionem aliam eſſe internam, aliam externam : interna eſt, quæ ſpectat ad forum conſcientiæ, quæ & annexa eſt curæ Paſtorali. Externa eſt, quæ ſpectat ad forum externum, eſtque multiplex, ordinaria, delegata, contentioſa, gratioſa, prouti ſpectat ad judicia,

Digitized by Google

cia, vel ad privilegia, & diſpenſationes. Hiſce prænotatis, dicendum eſt 1. Quod aliquid exigere, vel accipere pro actu internæ juriſdictionis, ſit ſimonia. Patet ex dictis, eò quòd uſus, & adminiſtratio Sacramentorum vendi non poteſt ſine ſimoniâ. Deindè, hic actus juriſdictionis ſimul eſt actus Ordinis. Sic etiam ſimonia erit accipere aliquid pretio æſtimabile pro Confeſſione audiendâ, quia ab illâ incipit Sacramentum Pœnitentiæ. Idem eſt, ſi pro aliquo ejuſmodi det abſolutionem, aut pro illo eam neget, pœnitentiam imminuat, à Cenſuris abſolvat, & generaliter pro omni actu proveniente, ac dependente à tali juriſdictione.

Dicendum 2: accipere aliquod pretio æſtimabile pro actu juriſdictionis externæ, tam contentioſæ, quàm gratioſæ, eſt ſimonia. Ratio eſt, quod ſimiles actus vendi non poſſint, niſi unà vendatur ſpiritualis juriſdictio, quæ de ſe ordinatur ad finem ſupernaturalem, & ſpiritualem. Deindè, actus juriſdictionis, etiam ex parte principii eſt ſpiritualis, dum Eccleſiaſtica Juriſdictio eſt res ſpiritualis à Deo gratis conceſſa ad Eccleſiæ gubernationem: adeòque, tam ex parte principii, quàm ex parte finis eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis: ex quo & illud ſequitur, quod ſit illud ſimonia juris divini. Ex quibus inferri rectè poteſt, 1. Quod ſit ſimonia, quoties confertur beneficium, dignitas, juriſdictio ordinaria, aut delegata pro pretio. 2. Quando pretio conſtituitur Vicarius Epiſcopi, aut Sacellanus Paſtoris, &c. 3. Quando aliquid exigitur pro diſpenſatione votorum, juramenti, irregularitatis, matrimonii: quâ ratione generaliter ſtatuit S.Tridentina Synodus *Seſ.*25. *Cap.* 18. *Reform.* ut omnis Eccleſiaſtica diſpenſatio conferretur gratis. 4. Quod ſit ſimonia vendere jus eligendi ad Eccleſiaſticas dignitates, electionem confirmandi, beneficia conferendi, &c. 5. Qui à Judice Eccleſiaſtico extorquet ſententiam pretio: quorum omnium una eſt ratio, quod ſimilia proveniant directè à poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali, & tali fini directè inſerviant.

Dicet aliquis, ipſe Pontifex ſolet vendere varia officia, quibus talis juriſdictio eſt annexa, ut Auditorum Cameræ, &c. Deindè, eſt aperta Curiæ Romanæ praxis, quòd pro diſpenſationibus obtinendis multum ſoleat aliquando dari. Reſp. Pontificem non vendere ejuſmodi officia ratione juriſdictionis annexæ, ſed ratione emolumentorum annexorum. Hinc juriſdictionem confert quidem gratis, emolumenta autem illis vendit, vel ſaltem jus ad illa, aut eadem pro parte ſibi reſervat. Quod tamen inferiores Eccleſiæ Prælati id non poſſint, oritur ex lege Eccleſiaſticâ, quæ vetat Eccleſiaſtica officia vendere, & præcipitur ea abſolutè conferri ſine pacto, Cap.*ult. de pactis.* Deindè, quod ad praxim Romanæ Curiæ attinet, non datur propriè pecunia pro diſpenſationibus, ſed vario alio titulo: 1. Pro debitâ ſuſtentatione Pontificis. 2. Pro labore Officialium, qui eſt pretio æſtimabilis. Etſi enim ex ſtatuto Concilii Trid. *Seſ.*25. *cap.*18. *Reform.* vetitum ſit Epiſcopis, pro diſpenſationibus quidquam recipere: tamen id non afficit Papam, ejuſve Officiales, quibuſcum diſpenſat. 3. Quod per hoc fiat commutatio

pecu-

pecuniæ in alios uſus pios. 4. Quod pecunia illa exigatur, ut homines à petendis diſpenſationibus alienarentur: denique, quod pecunia exigatur aliquando pro delicto, v.g. pro affinitate ex copula illicitâ, irregularitate, &c.

Et quamquam juxtà mox dicta vendi nequeat actus Juriſdictionis, vendi tamen poſſet actus coöperatorum ad Judicium; puta teſtis, Notarii, Advocati, &c. quorum labor, & opera ſunt merè temporalia, & pretio æſtimabilia. Loquor autem, *quantum eſt de ſe*, & ex ſua natura, cùm jura etiam prohibeant Notario aliquid accipere pro ſigillo, &c. ut antea vidimus ex Concilio Trid. Præſtaret tamen, ut ſicut non decet in ordinando Pontificem vendere manum, quam imponit, aut ſententiam Judex: ita neque Miniſter, vel Notarius debeat in Ordinatione, aut judicio vocem ſuam, aut calamum venundare. Denique, etſi Concilium Trid. prohibeat pro diſpenſationibus aliquid accipi ab Epiſcopis, poterit tamen pro eis imponere onus aliquid largiendi pauperibus, quod & aliquando conſultò facit: vetat enim ſolummodo Concilium, ne inde aliquid accipiant *in ſuum commodum vel ſuorum*, non autem aliorum.

Pro cantu aliquid accipere, an ſit ſimonia.

Quod ad alia Eccleſiaſtica officia, & miniſteria attinet, dubitant aliqui, an pro cantu Eccleſiaſtico aliquid temporale liceat exigere: affirmant alii ratione laboris; quem volunt eſſe divino officio extrinſecum, dum planè ſine cantu dici poteſt. Alii aſſerunt, cantum illum eſſe inter ſpiritualia mixta, in quibus prædominetur temporale, prouti prædominatur in Calice conſecrato. Alii volunt, quod Cantor in Eccleſia canens, ut laicus, id poſſit; eò quòd hîc non ſit actus Ordinis, neque ut à laico fit, ſit materia ſimoniæ. Et Bonacina mihi fol. 560. *Ego*, ait, *probabilius ſentio oppoſitum*, *quia illa actio in Choro eſt quid conjunctum cum divino officio*, *& rationem ſacræ orationis habet*, *& conſequenter eſt materia ſimoniæ.* Et *q. 6. puncto* 3. *num.* 3. excuſat Cantores ob laborem extrinſecum. Melius interim alii docent cum Wiggers id non licere; cujus ratio eſt, quod cantus ille ex officio Clericali, & ſpirituali adhibeatur in cultum Dei, adeoque ſit actus verè ſpiritualis, & ex ſua ratione exigit, ut fiat religiosè. Neque refert, quod officium divinum ſine cantu dici poſſit; quia ut non ſit vendibilis, ſatis eſt, quod ipſe cantus per ſe exigat, ut religiosè fiat, & ex ſpirituali principio procedat, & ad finem ſpiritualem per ſe ordinetur. Quod verò ad Muſicos in Odæo conductos attinet, volunt alii, quod illi adhibeantur ſolummodo ad ornatum cantûs, & divini officii, non itidem officium aliquod ſpirituale verè obeant, neque divinum officium. Ita Suarez. Contrarium tamen eſt verius; tum, quia muſica eſt idonea ad laudandum Deum in voce, chordis, & Organo: ſi enim illa adhiberetur in Templo ad demulcendas audientium aures, id vanum eſſet, & contrà decentiam: tum, quod ſæpè Muſici ſoli decantent potiorem partem officii divini, uti fit in Veſperis ſolemnioribus: tum, quod Muſica illa ibidem directè ordinetur ad procurandam devotionem populi ad Deum. *Quare monendi ſunt ejuſmodi Cantores*, ait Wiggers, *ut accipiant*

tem-

Digitized by Google

temporale titulo ſuſtentationis, aut faciant gratis Religionis causâ, vel potius abſtineant.

Dubitant inſuper hîc aliqui de praxi illâ in Belgio uſitatâ, quâ juvenes in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, obambulant Eccleſias cum libello, rogantes populum, ut poſſint legere ſeptem Pſalmos Pœnitentiales accepto iis abſolutis aliquo pretio. Et Sylvius *q.* 100. *art.* 5. *quæſito* 3. *in fine* docet, quod ſi abſit intentio vendendi preces pro pretio, non ſit illud ſimonia, habeat tamen ſpeciem mali, & ideo conſuetudinem illam aſſerit eſſe magis extirpandam, quàm approbandam. Simile quid rectè aſſeri poteſt, de eo abuſu planè abjecto, & Sacerdotio indigno, quo alibi Sacerdotes in Eccleſiis à populo Miſſas mendicant, quibus ſubindè libentius nummos porrige, ut abſtineant à celebrando. Provenit illud ex facilitate nimiâ, quâ Epiſcopi aliquibus manum imponunt, contrà Apoſtoli, & Eccleſiæ præceptum: quo fit, ut non habentes, unde vivant, aut ex patrimonio, aut ex Eccleſiaſtico titulo, ad abjecta hæc, & alia ignominioſa media ſeſe abjiciant, non ſine Sacerdotalis Ordinis dedecore, & fidelium ſcandalo, prouti etiam alibi advertit Cardinalis Bellarminus.

Quæret hîc aliquis, an ſicuti ſimoniacum eſt, pretium accipere pro actione ſacrâ, ita etiam ſit ſimoniacum accipere pretium pro omiſſione actionis ſacræ, v. g. ne quis conferat alteri beneficium, ne abſolvat, &c. Antiquiores, teſte Binsfeldio in Cap. 14. *De ſimonia*, generaliter affirmant, eò quòd abſolutionis omiſſio pro pretio facta, æquè ſit ſpiritualis rei venditio, ac venditio abſolutionis. Alii è contrà id paſſim negant; tum, quia ſimonia committitur dando, aut recipiendo pretium pro re ſpirituali, quod hîc non fit; cùm omiſſio non ſit res ſacra, ſed ejus omiſſio, & negatio, quæ eſt nihil: tum, quod aliàs ſemper foret ſimonia, ſi pro omiſſione rei ſacræ aliquid daretur, etiam quando Epiſcopo traderetur pecunia, ne conferret beneficium indigno. Melius tamen hîc utimur diſtinctione dicendo, ſi omiſſio illa ſit pura, neque ſimul includat actum juriſdictionis, non eſſe illud ſimoniam; cùm nihil ſpiritualis propriè vendatur, ut habet hæc ultima ſententia. Si verò omiſſio illa non ſit pura, ſed unà includat actum juriſdictionis, eſſe ſimoniam. Si ſimonia eſt, nolle aliquem niſi pro pretio approbare, aut dignum rejicere; quia moraliter loquendo, omiſſio illa cenſetur eſſe actus juriſdictionis; eſt enim idem, ac declarare aliquem eſſe indignum: pro actu autem juriſdictionis aliquid exigere, aut recipere, ſimoniacum eſſe conſtat ex dictis. Quod ergò alii generaliter dicant, etiam pro purâ omiſſione aliquid accipere, eſſe ſimoniam, uti ſubindè etiam loquuntur quidam Canones; intelligendum id eſt, quod illud habeat ſpeciem, & præſumptionem ſimoniæ, & animum ad illam propenſum, cùm videatur pluris facere pretium, quàm actionem ſacram, quam omittit. Sic etiam ſimonia erit, ſi dicta omiſſio æquivaleat rei alteri ſpirituali, uti fit in caſu, quo quis alteri dat pecuniam, ne ſecum veniat ad concurſum; eò quòd pecunia non detur eo caſu præcisè ob omiſſionem concursûs, ſed moraliter loquendo cenſeatur

An ſit ſimonia aliquid accipere pro omiſſione rei ſacræ.

ſeatur dari pro conſecutione beneficii, ideoque pretio parat viam ad illud; quod eſt ſimonia.

Corollaria ex dictis. Ex dictis hucuſque deduci poſſent varia Corollaria: 1. Generaliter, quod ratione ſanctitatis, conſecrationis, aut benedictionis non poſſint res conſecratæ pluris vendi, quàm præcisè ratione ſuæ materiæ, artis, &c. vendi poſſent. 2. Quod ſit ſimonia, ſi Imagines, Medalia, Cruces, & ſimilia carius vendantur, quàm valeant ratione artis, aut materiæ, aut alterius tituli legitimi, uti aliquando fit in locis, quæ à peregrinis devotionis causâ frequentantur. 3. Quod ratione benedictionis, exorciſmi, & ſimilium, nihil prætendi poſſit, aut accipi, niſi ratione ſuſtentationis, aut gratis; cùm ejuſmodi actus ratione laboris, aut aliâ ſint parum, aut nullo modo æſtimabilia. 4. Quod ſit vehemens ſimoniæ ſuſpicio, ſi pro uſu Vaſorum ſacrorum, quæ utendo nihil conſumuntur, pretium elocationis exigant, cùm uſus ille ſit ſacer, & ad ſacrum finem otdinatus. 5. Quod ſit ſimonia, ſi qui nolint alicujus Sancti Imaginem, aut Reliquias exponere, niſi pro pretio; aut eamdem nolint, niſi pro pretio offerre oſculandam; aut pro expoſitione, aut adoratione Reliquiarum majoris Sancti, requirunt majus donum. 6. Qui pro diſpenſationibus, abſolutionibus Eccleſiaſticis pretium exigunt, ſi aliunde illis ſit ſufficienter proviſum, aut eadem, niſi pro pretio dare recuſant. Denique, quotieſcumque aliquis actum juriſdictionis Eccleſiaſticæ exercet, ſeu omittendo, ſeu committendo, oblato pretio, vi cujus actum illum cenſeatur exercere, committit ſimoniam.

SECTIO VIII.

An ſit ſimoniacum exigere aliquid pro tradendâ ſcientiâ Theologicâ, pro ſepulturâ, pro anniverſariis, &c.

QUæritur hîc etiam, an ſimilis actio ſacra ſit traditio ſcientiæ Theologicæ, Catechiſticæ, &c. & varii affirmant cum Wiggers, adeo ut ſit ſimoniacum, aliquid pro Theologiâ edocendâ exigere, aut recipere tamquam pretium. Ratio eorum eſt illa, quod Theologia, tam ex parte principii, quàm ex parte finis ſit ſimpliciter, & abſolutè ſpiritualis: tradere enim ſcientiam aliquam, non ſolùm eſt tradere concluſiones ex propriis talis ſcientiæ principiis, ſed etiam ipſa principia: adeoque illa traditio æquè eſt ſpiritualis, ac Catechiſare, Concionari, &c. Secundò, quod *Proverb.* 23. prohibeatur vendere veritatem: & *Michææ* 3. reprehendantur Sacerdotes, qui mercede docebant. Item 1. *Corinth.* 12. interpretatio ſermonum enumeratur inter dona Spiritûs ſancti. Tertiò, licitum eſt dare Præbendam pro tradendâ Theologiâ, quod non liceret, ſi traditio illa eſſet pretio æſtimabilis, cùm aliàs eſſet ſimonia. His tamen non obſtantibus, verius docent non eſſe ſimoniam pro tradendâ dictâ ſcientiâ aliquid accipere. Pro quo nota, quod certum in primis ſit, id licere pro tradendâ ſcientiâ naturali, v.g. Grammatices, quæ nullo modo eſt ſpiritualis, nec ullo modo ad ſalutem noſtram eſt ordinata. Certum itidem

Non eſt ſimonia aliquid exigere pro tradendâ ſcientiâ theologicâ.

eſt

eſt, quod liceat aliquid recipere pro tradenda ſcientia Theologica per modum ſuſtentationis. Si enim id liceat pro rebus ſacratiſſimis: quidni pro traditione hujus ſcientiæ? Ratio ergo dictæ concluſionis eſt, quod neque talis ſcientia, neque ejus uſus ſit ſpiritualis, neque per ſe ad gratiam, aut gloriam conſequendam ordinetur, ſed tantùm ad illuminandum intellectum Auditorum, & ſimilem earumdem rerum ſcientiam in illis excitandam; quod eſt quid naturale, ac temporale, ut etiam notat Heſſelius *de Sacramentis cap.* 86. Deindè, ut notat idem Doctor, non dependet Theologia ita à dictis principiis, & fine, quin ab eis poſſit ſeparari; etſi enim Theologia fidem, & principia fidei ſupponat, quâ ratione habet rationem ſcientiæ: tamen, quando Theologia actu docetur, non habetur eorum ſupernaturalium ratio; ſicuti neque neceſſe eſt, haberi rationem ejus, quod fidem defendat, virtutes dirigat, &c. ſed ſolummodo ad eam requiritur, quod adhibeat laborem in procurandâ notitiâ de rebus ſacris in Auditoribus: & ſi quandoque inter docendum Auditorum animus ad ſpiritualia inflammetur; id erit planè hîc per accidens. Aliud eſt de actu Concionandi, & Catechiſandi, qui ſunt actus juriſdictionis ſpiritualis, & ipſa ſunt quid ſpirituale, ut pote per ſe, non tantùm ordinatum ad inſtruendum intellectum, ſed maximè ad conſequendam animæ ſalutem, ad excitandos actus Fidei, Spei, & Charitatis: docere autem Theologiam, nec eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, neque per ſe ad ſpiritualia ordinatur. Quod autem ad loca Scripturæ ſacræ attinet, *Prov.* 23. dicitur expreſsè *veritatem eme*: ergo eam licet vendere. Propriè tamen agitur de acquiſitione ſcientiæ. Ad locum Michææ reſpondent, quod, vel ibi agatur de doctrina Propheticâ, adeo ut venderent donum Prophetiæ: vel quod accuſentur illi, quibus cùm eſſet ſufficienter proviſum, præ avaritiâ etiam mercedem extorquebant. Eodem modo ſimoniacum etiam eſt vendere interpretationem ſermonum divinitus acceptam, quæ ſit gratia gratis data: ſed ſimonia non eſt vendere eamdem proprio ſtudio, aut labore comparatam, de quâ hîc agimus. Denique, qui accipit Præbendam Theologalem, non elocat operam ſuam edocendi pro Præbendâ, quod eſſet ſimonia: ſed Præbenda illi gratis confertur cum ſuo onere Theologiam edocendi. De cætero, quaſi ſimoniacum reputatur, in jure pro licentiâ docendi, aliquod pretium exigere, ut notat Fagnanus in Cap. *Quoniam*, *de Magiſt. num.* 12.

Quod attinet ad Sepulturam, ſciendum eſt, magnam olim apud Veteres fuiſſe reverentiam ſepulchrorum; adeo ut, ne ſepulchrum reparare volenti, corpus contingere liceat, *L. Sepulch. V. D. de Sepulch. violat.* imò, ſi corpora inde extracta fuerint, & oſſa ejecta; aut ultimo ſupplicio, aut relegatione damnabantur *L. ult. ibid.* Unde etiam ipſi Ethnici aliquid ſacri ſepulturæ annexum crediderunt. Pro quo notari poteſt, quod per ſepulturam intelligi poſſit, vel ipſum officium ſepeliendi mortuos, vel jus ſepulturæ, vel locum ſepulchri. Vendere, aut emere officium ſepeliendi eſt ſimoniacum; eò quòd officium illud ſit ſpirituale, uti habet Cap. *Non ſatis.* Notat tamen rectè Sylvius *q.* 100. *art.* 4. *concl.* 2. quod liceat vendere officium ſepeliendi, æſtimando ejus labo- An ſit ſimoniacum pro ſepultura aliquid exigere.

Digitized by Google

rem, & periculum; modò qui ſic ſepelit, hoc exerceat tamquam opus civile, uti ſepeliunt aliqui naufragos in littus ejectos, milites in bello occiſos, cives peſte defunctos. 2. Simoniacum eſt, vendere jus ſepeliendi, cùm hoc, vel ſit ſpirituale, vel ſpirituali connexum, prouti docent communiter Canoniſtæ in Cap. *Abolendi*, *de ſepulturis*. 3. Licitum eſt emere locum communem pro habendâ ſepulturâ, prouti venditur ager pro ædificatione Templi, qualiter etiam apparet emiſſe Abraham ab Ephron Hethæo ſpeluncam duplicem *Geneſ.* 23. 4. Poteſt quoque pars Cœmeterii, aut Templi vendi pro ſepultura ſine ullà ſimonia, quo caſu cenſetur ſolummodo vendi materiale Templi, aut Cœmeterii conſecrati, prouti cenſetur vendi argentum, dum venditur Calix conſecratus, abſque eo, quod cenſeatur vendi ſpirituale, cui argentum antecedenter ſolummodo eſt annexum. Patet ex dictis, quod, etſi verum eſt loquendo de jure divino, & naturali, prohibetur tamen illud jure Eccleſiaſtico, dicto Cap. *Abolendæ*, Cap. *Audivimus*, *de ſim.* imo id etiam prohibent leges civiles, uti *L.* 2. & 9. *C. de Relig. Dom.* cujus ratio eſt, quod Legiſlatores ſciant, ſepulturam eſſe ultimum Chriſtianæ pietatis officium, & magnam fore Sacerdotum avaritiam, ſi ex illo quæſtum caperent.

Si quis tamen ſibi, ſuiſque in ſpeciali Eccleſiæ parte velit eligere ſepulturam, poteſt ſine ſimonia aliquid pro illo exigi: tum, quod onus illud neminem in tali loco ſepeliendi, niſi illos de tali familiâ, ſit pretio æſtimabile: tum, quod locus ille, non ſit ſacer, niſi merè accidentaliter: tum denique, quod ita habeat totius Eccleſiæ conſuetudo. Hinc, quamvis Eccleſia vetet, pretium pro ſepulturâ exigere; non tamen præcipit Clericis tale dominium in alios transferre gratis. Antoninus interim 2. *p. tit.* 1. *cap.* 5. §. 22. cenſet eſſe ſimoniam, pro honoratiori in Eccleſia loco plus exigere, cujus ratio eſt, quod tota ratio ſuperexcedentis pretii, ſit major loci ſanctitas; puta, quia propius Altari, Choro, &c. aut ſaltem id fiat ob reſpectum eorumdem. Hinc notat Fagnanus in Cap. *Fraternitatem*, *num.* 8. *& ſeq.* quod ſepultura potius eligenda ſit in locis magis religioſis, quod ſepulti apud Martyres cenſeantur Martyris orationibus commendari. Alii è contra melius id negant, eò quòd in eo honore attendatur ſolummodo aliquid humani, neque fieri cenſeatur ob aliquem reſpectum ad ſanctitatem. Sic loca honoratiora videmus concedi Viris nobilioribus in Eccleſiâ, non tamquam loca ſanctiora, ſed tamquam digniora. Si quis interim ob reſpectum ad ſanctitatem vellet emere, aut vendere ejuſmodi loca (quod indubiè fieri poteſt) eſſet omninò ſimoniacum, ut per ſe patet.

Varia ex dictis colligunt aliqui Authores: ac 1. Sylveſter V. *Sepultura*, aſſerit eſſe ſimoniam, ſi major Crux non deportetur, niſi habito certo pretio. Verum conformiter ad dicta, videtur hîc ſolùm attendi honor, & pompa humana, ut habet communis æſtimatio. Idem eſt de non exponendis in Altari argenteis, niſi certo pretio; tum ob rationem jam dictam, tum ob periculum damni, ac detritionis ex uſu eorum obvenientibus. Aliud eſt, ſi in illorum expoſitione habeatur reſpectus aliquis ad ſanctitatem, ut quia Crux eſt Reliquiis plena,

plena, miraculoſa, &c. 2. Deducitur, quod non ſit ſimoniacum, ſi Canonici, & Clerici recipiant aliquid pro funere comitando, vel quia hoc ſpectat ad pompam funebrem, vel datur titulo ſuſtentationis, vel denique ratione laboris. 3. Simoniacum non eſt, aliquid exigi pro redemptione pannorum, Crucis holoſericæ ex Altari, quæ ſunt in ſe temporalia, & æſtimari poſſunt illa omnia, que ſive ex *l*ege, ſive ex uſu legitimo ſolent cedere Eccleſiis: quæ cùm non debeant reddi gratis, poſſunt pretio redimi, ſeu pretio permutari. 4. Simoniacum non eſt ſtatutum Eccleſiæ, quo vetatur, ne quis in Eccleſia ſepeliatur ſine licentiâ Epiſcopi, pro quâ licentiâ aliquot ſcuta ſolvi oporteat, prouti cenſuit S. Epiſcoporum Congregatio die 25. Octob. 1588. teſte Fagnano in Cap. ***In ordinando, de ſimonia.*** Quod tamen ità moderata eſt dicta Congregatio, ut pro dictâ licentiâ non ſolvantur 6. ſcuta (quod non bene, ſed avaritiam ſonat potius, quàm ad avertendas importunorum preces) ſed modicum quid pro eâ ſolvatur pauperibus loci, vel ad manifeſtam Eccleſiæ utilitatem. De cætero, etſi varia in ſepulturis exigi ſolita non inducant crimen ſimoniæ: inducere tamen nata ſunt, vel crimen avaritiæ, aut ejus ſuſpicionem, quam latè abeſſe decet ab Eccleſiaſticis perſonis: unde aliquando graviſſima in populo ſcandala, & obloquia. Reliqua, quæ ex legitima conſuetudine pro ſepulturâ, aut officio ſepeliendi dari ſolent, ſolvenda ſunt, & exigenda, cùm ea pro debitâ Miniſtrorum ſuſtentatione cenſeantur eſſe conſtituta, & laudabiles conſuetudines ſint obſervandæ. Et quamquam ſepulturæ electio ſit libera: tamen, ſi quis hodie apud nos peregrinus moriens cupiat in Patria ſepeliri, ejus cadaver ad locum patrium deferri non ſinunt mores noſtri, niſi omnibus Eccleſiis Parochialibus, quas tranſit, ſolvantur jura Parochialia: unde & cadavera ſæpè ſolent arreſtari: de quo ità ſcribit. P. Lupus tom. 3. diſſertat. 2. cap. 12. ***cujus conſuetudinis juſtitiam non video uſque huc, & cupio edoceri.***

Denique, quod ad Anniverſaria, Exequias, & Miſſas celebrandas attinet, ſi ea pretio comparentur celebranda, conſtat id eſſe ſimoniam, dum ſimonia eſt, rem ſpiritualem pretio comparare. Poteſt tamen Eccleſia, ac particularis quiſque Sacerdos paciſci, & poſtea exigere pretium ſtatutum pro obligatione ad tali tempore, & loco eadem celebranda, dum dicta obligatio eſt oneroſa, & pretio æſtimabilis. Patet ex dictis. Idem dicendum eſt de illis, qui locis piis, v.g. Monaſteriis concedunt certas eleëmoſynas eâ conditione, ut ſtatis temporibus ea celebrent, quod & Synodus Trid. *Seſſ.25. cap.4. Reform.* approbat, & communis Eccleſiæ praxis ſatis demonſtrat. Requiritur tamen hìc debita intentio, tam in dante, quàm in recipiente, ne illud detur, aut recipiatur tamquam illorum pretium, ſed tamquam ſtipendium ſuſtentationis, dum dignus eſt mercenarius cibo ſuo. Graviſſima autem eſt obligatio illorum locorum ex tali fundatione proveniens, ad exequenda exactè dicta officia, dum eleëmoſyna fuit debitè collata: & graviſſimè peccant, tum contrà juſtitiam, tum contrà charitatem, & Religionem, non ſtando contractui, & defraudando fundatores debito ſuffragio, adeoque & tenentur ad reſtitutionem, niſi ex ſua parte

 obli-

obligationi ſuæ faciant ſatis. Poſſunt tamen occurrere aliquot caſus, ob quos poſſet Monaſterium, aut Sacerdos à ſuâ obligatione hîc excuſari, quos adfert Gerſon *in ſuo tract. de ſollicitud. Eccleſ. ad ſſ. celeſt.* Primò quidem eſt caſus neceſſitatis, dum quis redditur impotens, aut infirmus, aut Eccleſiæ pereunt, aut hæreditas, vel reditus Miniſtris aſſignati. Unde inferunt, quod ſi aliqua fundatio ita erecta ſit, ut quis quotidie per ſeipſum celebrare debeat Miſſam, aut tot in ſeptimana, ſi reditus pro communi ſuſtentatione ſufficiant, intelligatur ſecundùm jus, ut celebret, quando celebrare illi permittitur, ſalvâ corporis valetudine, aut niſi ex alia occurrente neceſſitate celebrare illi non liceat, quæ ex ipſius culpâ non provenit. Aliud eſt, ſi expreſsè in fundatione expreſſum ſit, ut vel per ſe, vel per alium celebret, deberet indubiè per alterum ſupplere, ſi per ſe id exequi non poſſit. Imo, teſte Fagnano in Cap. *Ut Abbates, de ætat. & qualit. Ord. num.*64. etſi in fundatione habeatur, quod Miſſas, vel divina celebrare debeat, aut in divinis deſervire; non importatur perſonale ſervitium. Addit *num.*75. quod Capellano habenti onus celebrandi Miſſas in deſignata Eccleſia, potius indulgendum ſit, ut in ea Eccleſia celebret per ſubſtitutum, quàm alibi per ſeipſum. Secundò dicta obligatio ſubinde ceſſat, quando ſuperior Ordinarius, aut ſubſtitutus, juſtâ, & rationabili cauſâ hîc diſpenſat in toto, vel pro parte, prout Concilium Trid. ibi ſuprà ſtatuit, ut quando Eccleſiæ reditus adeo tenues ſint, ut vix inveniri poſſint, qui obligationi ſatisfaciant, poſſint Epiſcopi in Synodo Diœceſanâ, & Abbates, ac Generales Ordinum in Capitulo Generali, re diligenter inſpectâ, pro ſuâ conſcientiâ hîc ſtatuere, quod magis expedire judicabunt ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem: ita tamen, ut defunctorum eorumdem ſemper habeatur commemoratio. Ita Binsfeld. in Cap. 29. *De ſimonia.* Quod autem ad reductionem Miſſarum, &c. attinet, obſervandum hîc eſt ex Proſp. Fagnano in Cap. *Ex parte, de Conſtitutionibus*: Primò quidem, quod hæc reductio in Concilio Trid. conceſſa, non ſpectet ad Epiſcopos de jure ordinario, quod patet ex reſtrictione poteſtatis ad Synodum Diœceſanam. Secundò, quod poſſit Ordinarius moderari onera eleëmoſynarum erogandarum pro Miſſis celebrandis, ſi reditus ſint adeo imminuti, ut pro eiſdem eleëmoſynis non ſufficiant; dum imminutis reditibus, imminutum dicitur & onus, ex *Gloſ. trita in L. Plautius. Gloſ. fin. ff. de condit. & demonſtrat.* Tertiò, aliud ait de Miſſis per ipſum beneficiatum celebrandis, quam reducendi facultatem vult ſoli Papæ eſſe reſervatam, niſi fortè ità tenues eſſent, ut nemo vellet pro illis de cætero tale onus ſubire. Quartò idem negat Epiſcopo quoad moderationem eleëmoſynarum pauperibus erogandarum, quæ à Concilio non cenſetur illi conceſſa, etſi conceſſa foret moderatio Miſſarum, & ità tradit *num.*33. cenſuiſſe S. Congregationem, non poſſe ſcilicet, Ordinarium diminuere onus à Teſtatore impoſitum hæredibus, ut certis diebus eleëmoſynas erogent. Quintò, quod etſi Epiſcopo competat hæc moderandi facultas quoad Miſſas, & Anniverſaria ex dictis cauſis: tamen, quod potius moderari debeat Anniverſaria, quàm Miſſas; dum plus ſuffragii capiet anima

anima defuncti, ſi pro eleëmoſynâ 10. Juliorum, ſeu ſolidorum fiant 10. Miſſæ à 10. Sacerdotibus, quàm ſi pro eâdem ſummâ fiant Anniverſaria etiam per 30. Sacerdotes, dum valor Miſſæ longè ſuperat ejuſmodi officia. Imo ibidem addit, quod Præbendarum numerus à Canonicis reduci poſſit authoritate Epiſcopi, ſi reditus forent magnoperè imminuti; etſi hoc fallat in eo caſu, quo Præbendæ non ab Epiſcopo, aut Capitulo, ſed ab aliis eſſent dotatæ, aut ſi numerus beneficiatorum à Sede Apoſtolicâ foret confirmatus, & ordinatus, aut etiam, ſi à Canonicis foret juratus, quamquam jure novo aliud ſtatuerit Concilium Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 15. Videri etiam poteſt dictus Author in Cap. *Significatum, de Præbendis.* De cætero, certum eſt, quod ſimiles reductiones non ſint adhibendæ, niſi urgenti, & manifeſta neceſſitate, cùm ſæpè pariant fidelium ſcandala, & occaſionem præbeant fideles à fundationibus piis deterrendi. Cùm verò Concilium Trid. *Seſ.* 25. *cap.* 4. generaliter loquatur de variis donationibus, ſic Concilii Decretum obtinet, tam in donationibus inter vivos, quàm mortis cauſa: tam de futuris, quàm præteritis, etſi novâ Conſtitutione Urbani VIII. anno 1625. editâ, prohibeatur ea moderatio in fundationibus poſt Concilium, & ne Sæculares ſine Epiſcopi, aut Regulares ſine Generalis, aut Provincialis permiſſu ſimilia onera perpetua acceptent. Verum ait Zypæus in *Conſult. Canon. lib.* 3. *conſult.* 1. *de celeb. Miſſ.* hanc conſtitutionem hîc, & alibi non eſſe receptam.

SECTIO IX.

De Simonia circà ingreſſum Religionis.

VAria in hâc materiâ prænotanda ſunt, & conſideranda: 1. Ipſe Religionis ingreſſus, vel in ordine ad veſtitionem, vel in ordine ad profeſſionem. 2. Jus ad ſuſtentationem de bonis Monaſterii, quod eo ipſo acquiritur, dum Religioſus Monaſterio incorporatur. 3. Poteſt Monaſterium eſſe dives, & ſatis dotatum ad aliquem recipiendum; poteſt & eſſe pauper, ſic ut ſine gravamine aliquem admittere nequeat. 4. Poteſt in ingreſſu Religionis dari aliquid ex conventione, ſive ex pacto; poteſt etiam illud dari gratis, liberaliter, & ſine pacto. 5. Poteſt quæri, an aliquid hîc exigere ſit ſimonia juris divini, & naturalis; an ſolummodo ſit ſimonia juris poſitivi humani.

His prænotatis, certum eſt in primis ſecundùm omnes, quod ſit ſimonia juris divini naturalis, aliquid exigere temporale pro ingreſſu Religionis, ſive in ordine ad veſtitionem, ſive in ordine ad profeſſionem. Et ratio eſt clara, quia ingreſſus ille, ſive ſtatus Religionis eſt res ſpiritualis, dum homo per eumdem Deo, ejuſque miniſterio totaliter devovetur, & conſecratur. Secundò, certum quoque eſt, poſſe in ingreſſu Religionis dari aliquid gratis, & omninò liberaliter, prout latius in dicendis. Tertiò, certum etiam eſt, vario jure prohibitum eſſe circa ingreſſum Religionis paciſci, ſive ſtipulari, prout patet in primis ex Cap. *Quam pio* 1. *q.* 2. ubi ità ſcribit Bonifacius Papa ad Cœnobitas

Digitized by Google

Jure poſitivo hic vetatur omne pactum.

bitas Eccleſiæ Calaritanæ : *Quam pio mentis affectu fratres chariſſimi veſtræ deſtitutioni Romana compatiatur Eccleſia, vobis fortaſſe eſt incognitum, ſed cognitori omnium non incognitum habetur. Dubitationi autem veſtræ quod idoneum demus reſponſum, Deum teſtificor, ipſa quoque dubitatio me reddit anxium, & ineptum. Nuſquam enim legimus Domini Diſcipulos miniſterio converſos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocaſſe, niſi fortè de pauperum alimento quis inconcinnè proponat : quorum nulli, cujuſcumque profeſſionis eſſet, victualia negabantur. Scimus equidem, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, à quo bonæ voluntatis donum accipit, qui ſancto deliberationis arbitrio gratis Deo ſervire diſponit. Reſtat ergo, ut qui pro aliquâ Eccleſiaſticâ ſuſceptione munus accepit, donum Dei, quod à Patre luminum deſcendere debuit, vendat : munus autem largiens, importunus emat. Quid autem de divini doni venditoribus, & emptoribus conſequatur, concludi neceſſe non eſt. Cavete ergo fratres, quàm ſit ambiguum, quod petiſtis conſilium, quod quidem ſecundùm veſtræ voluntatis propoſitum, nullâ invenimus ratione confirmatum. Verumtamen ſi veſtræ neceſſitati adeo eſt opportunus* (admittendus) *quem reperiſtis*, DUM TAMEN OMNIS ABSIT PACTIO, OMNIS CESSET CONVENTIO, NULLAQUE VESTRÆ ECCLESIÆ FIAT DISTRACTIO, ACCEDAT GRATIS, *Deo ſervire incipiat, ſuique regiminis devotè geſtet obſequium, & poſtmodum vos, quaſi ſubſidii gratia aliqua ſua Eccleſia munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit Eccleſia.* Et Urbanus V. extrav. *Sanè ne in vineâ Domini, de ſimonia*, inhibet diſtrictius authoritate Apoſtolicâ omnibus quorumcumque Monaſteriorum Superioribus, ne in receptione ad Religionem, *aut ante, aut poſt, quoſcumque paſtus, prandia ſeu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad uſum Eccleſiaſticum, ſeu quemvis pium alium deputata, vel deputanda, directè, vel indirectè petere, vel exigere, quoquo modo præſumant...... illa dumtaxat, quæ perſona ipſa ingredientes purè, & ſpontè, & plenâ liberalitate*, OMNIQUE PACTIONE CESSANTE *dare, vel offerre Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, domibus, & locis hujuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.* Et generaliter omnem receptionem rei temporalis in ingreſſu Religionis prohibuerunt alia Jura, ut Cap. *Non ſatis*, Cap. *Cùm in Eccleſiâ*, Cap. *Veniens*, Cap. *Dilectus*, *de ſimonia*, *&c.* Conformiter ad dictas conſtitutiones ſtatuerunt varia Religionum ſtatuta, ne quid temporale in ingreſſione Religionis exigeretur à Religionum Rectoribus, prouti teſtatur de Carthuſianorum Ordine Dyoniſius à Ryckel, ſive Carthuſianus lib. 1. art. 16. de ſimonia, ubi dicitur : *A Novitiis, nec veſtis, nec alind exigatur. Si Prior exegerit, ſit extrà ſedem quadraginta diebus, & totidem faciat abſtinentias abſque miſericordiâ infrà ſex menſes. Si Procurator, vel alius exegerit, ſit per quadraginta dies Novitius, & totidem in Capitulo accipiat diſciplinas. Prioratum quoque Prior, & Procurationem Procurator amittat, ſi eis ſcientibus exactio jam venerit ad effectum. Nullus etiam noſtrûm*

Digitized by Google

noſtrûm de rebus Novitii aliquid poſtulet, nec ad procurationem aliquam faciendam Novitius inſtruatur ab aliquo noſtrûm. Inſuper prohibemus Vicariis, & Priorisſis, atque Conventibus Monialium, de cætero ne recipiant in Sorores, niſi quot de bonis Monaſterii poterunt ſine penuriâ ſuſtentari, nec aliquam ſub cujuſcumque commodi velamine recipiant, donec locus vacaverit, nec propter munera, vel etiam promiſſa aliqua præſumant perſonam recipere, ne ſimoniæ vitium committant. Adfert inſuper idem Author ibid. illud Regulæ S. Hieronymo adſcriptæ: *Deteſtabilem hæreſim ſimoniæ, quam communi pravitate Diaboli, Moniales aſſuetæ committunt, etiam in auditu horreat veſtras ſocietas. Giezi, & Simonis vos terreat pravitas. Vox Petri Vicarii Chriſti numquam exeat de auribus veſtris, pecunia tua tecum ſit in perditionem; exiſtimas enim donum Dei, haberi pecuniâ..... ad vos venientes Sorores, ad Chriſti ſuſcipite nuptias gratis. Præponatur ſanctitas pecuniæ; exquiratur bonitas vitæ, non generoſitas carnis, non utilitas mundi. Nulla omninò pactio, nulla opinio, æſtimatio, ſeu intentio de pecunia danda præveniat, & receptionem præcedat, &c.* Et Canonici Windeſemenſes p.3. Cap.1. ità præſcribunt: *A Novitiis, nec veſtis, nec aliud aliquid exigatur, ne exigens (quod abſit) illius extravagantis Domini Urbani, quæ incipit*, NE IN VINEA, *pœnam incurrat.* Et Præmonſtratenſium Statuta, diſt.1. cap.15. §.8. ordinant, ut, ſi admitti flagitantes, *examinati, & probati ſini Ordinis convenire putentur, excluſâ omni ſimoniâ, & conſtitutione Urbani Papæ, quæ incipit*, NE IN VINEA DOMINI, INTEGRE OBSERVATA, *admittantur.* Idem ſtatuunt fundamina, & Regula Ord. SS. Trinitatis, num.63. ubi dicitur, quod Novitius *poſt annum, ſi bonum, & conveniens videatur Miniſtro Domûs, & fratribus, & illi, & locus vacaverit, recipiatur: nihil tamen pro receptione ſuâ exigatur; ſi quid tamen gratis dederit, recipiatur.* Et Conſtitutiones Eremit. S. Auguſtini p.2. cap.1. anni 1625. ita ſtatuunt: *Cùm verò lepra ſimoniacæ pravitatis infectus, ſit quaſi membrum putridum, & à corpore S. Matris Eccleſiæ alienum: omnibus, & ſingulis Prioribus, & quibuſcumque Superioribus, ac aliis fratribus noſtræ Religionis ſtrictè præcipimus, & mandamus, ut nullus ex eis fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel ut recipiatur conſentiat, vel permittat, re aliquâ acceptâ, vel detentâ, vel pactione aliquâ interveniente tacitâ, vel expreſſâ.*

Hinc etiam ad promptiorem prædictorum obſervantiam rurſum ſtatuerunt varia Jura, ne plures ad Religionem admitterentur, quàm poſſet Religio commodè ſuſtentare de ſuis proventibus, aut conſuetis eleëmoſynis, uti fecit Concilium Turonenſe 3. Can.31. Arelatenſe 4. ſub Leone III. anno 818. Moguntinum eodem anno Cap.19. Bonifacius VIII. in ſua Conſtitut. relatâ Cap. unico, de ſtatu Regularium in 6. & denique Concilium Trid. quod Seſ.25. cap.3. Reg. ſtatuit, *Ut in Monaſteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantùm numerus conſtituatur, ac inpoſterum conſervetur, qui vel ex reditibus*

Digitized by Google

tibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleëmoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Secuta idem eſt Synodus Mechlinienſis ſub Matthia Hovio 1607. tit. 24. de Regul. & Monial. Cap. 1. ita ſtatuens: *Meminerint Superiores Monaſteriorum, & domorum tam virorum, quàm mulierum, Decreti Concilii Tridentini, quo ſtatuitur, ut is tantùm numerus conſtituatur, ac conſervetur, &c.* Et pariformiter Præmonſtratenſium Statuta ibi ſuprà: *Caveant Abbates, vel Præpoſiti, ne tot Canonicos, vel Converſos recipiant, quot de facultatibus Eccleſiæ commodè nequeant ſuſtentari: & hujus decreti tranſgreſſores, per Dominum Præmonſtratenſem, vel per Capitulum Generale graviter puniantur.* Idem habent variorum aliorum Ordinum Statuta.

His tamen non obſtantibus in plurimis Monaſteriis jam praxis invaluit, ut ab ingredientibus, non ſolùm pecuniam recipiant, & exigant; ſed etiam de eadem prævie ſtipulentur Monaſterii Superiores. Indagandum ergo eſt, an dicta praxis à ſimonia poſſit excuſari. Et quidem communis excuſandi ratio aſſignari ſolet, quod id fieri liceat ratione ſuſtentationis, ac juris ad eamdem, pro quo aliquid ab ingredientibus recipi poſſe prætendunt paſſim Authores; idque non tantùm in Monaſteriis indigentibus, ſed & ſufficientibus. Nos rem illam aliquot reſponſionibus explicabimus.

Exigere aliquid in Monaſteriis inſufficientibus, non eſt ſimonia, & quomodo.

Reſponſio 1. exigere aliquid in ingreſſu, aut profeſſione, in Monaſteriis inſufficientibus, aut tenuibus ratione ſuſtentationis faciendæ, non eſt ſimoniacum, ſi adſit debita intentio, neque plus exigatur, quàm ſit neceſſarium ad competentem Religioſi ſuſtentationem. Concluſio eſt in primis D. Thomæ dicentis 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. *Dicendum, quod pro ingreſſu Monaſterii non licet exigere aliquid, vel accipere quaſi pretium: licet tamen, ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutriendas, gratis quidem ingreſſum exhibere, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, ſi ad hoc non ſufficiant Monaſterii opes.* Et S. Bonaventura in Apolog. q. 18. *Quando quis recipitur, non pro pecuniâ, ſed tamen ſine pecunia non reciperetur, eò quòd non habeant aliter ei, qui eum recipiunt in neceſſitatibus providere, cùm tenues facultates domûs vix ſufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, & iſtos ſuis neceſſitatibus ſpoliare, ita quod talis perſona, quæ ſic recipitur, ſi abundaret locus, ſine pecuniâ reciperetur..... ubi recipitur pecunia propter perſonam, quam aliter libenter reciperent, ſi haberent, unde eam paſcerent, non videtur eſſe ſimonia, dummodo forma cum intentione concordet.* Idem tenet S. Antoninus in formula Confeſſariorum 3. p. Cap. 13. de Religioſis, & ſequuntur communiter Theologi. Et ratio eſt, quod hoc caſu nihil exigatur pro re aliquâ ſpirituali, ſed ſolummodo pro onere ſuſtentationis, quod eſt temporale; quod onus Monaſterium in ſe ſuſcipit, adeoque pro illo poterit aliquid exigere. *Quis* enim *paſcit gregem, & de lacte illius non manducat?* 1. Cor. 9. Deinde, ſi hoc eſſet illicitum, eâdem prorſus ratione illicitum eſſet Clericis paciſci de ſtipendiis Anniverſariorum; illicitæ forent Canonicorum diſtributiones,

nes, Epiſcoporum procurationes, &c. Inſuper, ſicuti in Sacramento Matrimonii licet paciſci de dote ad ferenda onera Matrimonii, abſque eo, quod quidpiam accipiatur ratione Sacramenti: ita & in Matrimonio ſpirituali, quod contrahitur inter Religionem, & Religioſum, poterit paciſci de dote ad ferenda onera ſuſtentationis, abſque eo, quod quidpiam cenſeatur dari pro ſtatu Religioſo. Præterea, etſi nihil liceat exigere pro ingreſſu Monaſterii, aut accipere: licet tamen aliquid pro victu accipere, & veſtitu de bonis Novitii, ut declarat Synodus Tridentina *Seſ.26. cap.16.* Adeoque etiam, etſi nihil liceat exigere pro profeſſione, licitum tamen erit aliquid exigere pro onere ſuſtentandi poſt profeſſionem. Unde De Luca tom.14. de Regularibus diſc.48. num. 8. ita ſcribit: *Quod, quamvis opinio aliquorum ſit, non poſſe recipi dotem pro puellis in Monaſterio profiteri volentibus citrà ſimoniacam labem: attamen iſta rejecta eſt, & contrarium docet inconcuſſa praxis, ipsâ Sede Apoſtolicâ, non ſolùm approbante, ſed etiam prohibente, ne Monaſterium, quamvis volens ſolitam dotem remittere, vel deminuere valeat: ex ea ratione, quod non datur ob ſpiritualitatem habitûs Monaſtici, vel profeſſionis, ſed in recompenſam oneris temporalis, quod Monaſterium in ſe ſuſcipit, adinſtar dotis, quæ viro conſtituitur pro Matrimonio carnali, in quo eadem ratio ſpiritualitatis intrat.* Et hinc ulterius inferri poterit cum Arragonio 2. 2. q.100. art.3. Quod ſi perſona admittenda eſſet debilis, clauda, ægra, variis paſſionibus ſubjecta, aut aliàs ad Monaſterii actiones inutilis, etiam liceret plus exigi, quandoquidem cum majori onere talis perſona foret tractanda, & minus commodi ex ea accederet communitati. Unde etiam ſubdit D. De Luca: *Quinimo, ubi agitur de admittenda muliere Viduâ, vel corruptâ, vel ſene, aut parum ſanâ, vel de ſupernumeraria, aut de tertia Sorore, per S. Congregationem ordinari ſolet ſolutio dotis duplicata, aut triplicata.*

Requiritur interim hîc debita intentio, tam ex parte recipientium, quàm ingredientium; puta, ne pecunia recipiatur tamquam pretium ingreſſionis, admiſſionis, aut profeſſionis, aut eo intuitu detur; ſed ſolummodo ingreſſum gratis exhibendo, & prò ſuſtentatione perſonæ illam accipiendo, ut ait D. Thomas ſuprà: deinde, quod recipientes velint ſolummodo accipere pecuniam propter perſonam ſuſtentandam, & ſi locus abundaret, eamdem ſine pecuniâ acciperent, ait S. Bonaventura. Eadem eſt intentio in Miniſtris Eccleſiæ neceſſariò requiſita, quâ volunt manducare, ut Evangeliſent, & notari poteſt, quod ſtatus Religioſus aliquo modo ſit ſimilis ſtatui Clericali, quantum ad receptionem, & jus ſuſtentationis, dum Eccleſia quidem ita ergà omnes eſt affecta, quod optaret omnes idoneos Eccleſiaſtico miniſterio coäptare, & ad S. Ordines promovere: ſed quia non poteſt omnibus providere quoad victum, ac amictum de neceſſariis ex beneficiis, admittit etiam alios idoneos ad Ordines titulo patrimonii: ſic & Religio omnes ad Monaſticam vitam idoneos vellet amplecti, & ſuſcipere pro ſua poſſibilitate; ſed quia facultates Monaſterii non ſufficiunt omnibus admittendis,

aliis ingredi volentibus innuit, ut ſi velint cum aliis vivere in Religione, ſecum portent, unde poſſint debitè ſuſtentari, & ſic in receptione id, quod exigitur, & ſuppeditatur, non reſpicit Religionis ingreſſum, ſed ingredientium victum. Sæpiſſimè tamen in tenuioribus Monaſteriis ſolet hîc eſſe ſimonia, defectu hujus intentionis requiſitæ, ſi vice verſâ perſonam recipiunt pro pecuniâ, & ut ait S. Bonaventura ibi ſuprà, *dum perſonam recipiunt amore pecuniæ, ità quod, ſi poſſent illam pecuniam habere ſine perſonâ iſtâ, non reciperent perſonam: ſed ut habeant pecuniam, perſonam recipiunt: & hoc penitus impurum eſt, & ſimoniacum, quia ibi pecunia cauſa eſt receptionis perſonæ, & non è converſo. Ubi ergo recipitur perſona propter pecuniam, ſimonia eſt, quia ibi venditur ſpirituale, id eſt, conſortium ſpiritualis Societatis pro temporali, ſcilicet pro pecuniâ. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecuniâ, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, aut debita contracta ſolverentur. De talibus dicit Eccleſiaſticus: propter inopiam multi deliquerunt.* Et hæc eſt ratio, quod plures Authores hîc exigant, ut in prædicta receptione pecuniæ à Monaſteriis tenuibus ſignificetur, ac fiat proteſtatio, quod pecunia ſolummodo recipiatur pro ſuſtentatione, prout varii antiquiores Canoniſtæ exegerunt cum Binsfeldio ibi ſuprà. Et Dionyſius Carthuſianus pro ſecuriori ſimilium Religionum remedio ſuadet, quod ſolicitantibus reſpondere poſſint, *non ſumus diſpoſiti ad recipiendum vos, & ſi cauſam inquirant, poſſunt reſpondere, quoniam pauperes ſumus, nec neceſſaria vitæ habemus, pro vobis: quod etiam dicere poſſunt non interrogati de cauſâ. Et ſi illi tunc dicant, providebimus, & ſatis deferemus nobiſcum, vel ſi alii hoc dicant ex parte ipſorum, tunc Religioſi reſpondere non poſſunt. Si ita egeritis, vel poſtquam illa feceritis, recipiemus vos, vel erimus bene concordes: ſed poterunt dicere, ſublato obſtaculo veſtræ receptionis, utinam ſi ita feceritis, faciemus, quod inſpiraverit Dominus. Vel ſic, faciemus tunc, quod ſecundum Deum, & conſcientiam, & ſancti Ordinis noſtri tenorem videmus eſſe agendum.* Hæc tamen Dyoniſii doctrina meritò à pleriſque non probatur, tamquam nimis ſcrupuloſa: cur enim, ſi admittendus de cætero ſit Religioni idoneus, & ſolummodo obſtet defectus ſuſtentationis, reſponderi non poterit à Religioſis, *ſi ita egeris, id eſt, ſi tuæ ſuſtentationi neceſſaria conſuleris, recipiemus te, & erimus concordes*? Conſequenter tamen præſcribit Dionyſius ſimilem reſponſionem, dum acriter defendit, & contendit, quod etiam in tenuioribus Monaſteriis debeat gratis dari ingreſſus Religionis, prouti ex Tractatu illius conſtat, quem de ſimoniaca ingreſſione conſcripſit.

Reſponſio 2. Requiritur hîc inſuper, ut Monaſterium *verè* indigeat in Ordine ad hunc admittendum: ratio eſt, quod ratione indigentiæ ſolius liceat aliquid ab ingredientibus recipere; puta, ut Monaſterium habeat, unde admittendum alat, & ſeſe ſervet indemnem. Si enim non indigeat, certò apparet, quod pecunia detur pro ingreſſu, adeoque ſit ſimoniacum. Tales

erant

erant Moniales illæ, de quibus agit Synodus Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. 40. ✠ de ſimon. dicens: *Quoniam ſimoniaca labes adeò pleraſque Moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in Sorores, prætextu paupertatis, volentes hujuſmodi vitium palliare.* Prætextus enim dicitur, dum fingitur aliquid ſubeſſe, quod reverà non ſubeſt: adeoque illi paupertatem, & inſufficientiam prætexunt, quando fingunt eam ſubeſſe, ubi reverà non ſubeſt. Quando autem hoc evenire ſoleat, dicam poſtea.

Reſponſio 3. Etiamſi Monaſterium verè ſit inſufficiens, non tantùm erit illicitum recipere, aut exigere aliquid, quod debitam perſonæ ſuſtentationem excedit, ſed etiam erit ſimoniacum. Concluſio hæc à DD. eſt communiter recepta, ait Binsfeldius. Ratio eſt, quia ſuppoſitâ dote ſufficiente, jam ponitur Monaſterium verè ſufficiens ad hanc perſonam debitè ſuſtentandam, adeoque titulo ſuſtentationis, id quod ſupereſt, nequit prætendi; & conſequenter reſtat, ut meritò cenſeatur illud exigi titulo religionis, quod eſt ſimonia juris divini naturalis. Unde rectè hîc ait Wiggers dub. 10. *Neſcio, quo titulo, niſi verè ſimoniaco, exigant Monaſteria ſatis communiter à ſupplicantibus tantum, quantum eis libet, ita ut ſingulæ, quæ intrant, debeant facilè inferre reditum, aut æſtimationem ejus, quo in perpetuum poſſet ali, niſi placuerit aliquando gratioſe magis cum aliquâ agere: qualem abuſum etiam damnat Suarez. cap.* 17. *num.* 14. Et Navarrus tract. de reditibus q. 1. circà finem, ita eâ de re ſcribit: *Illud etiam pro certo habeant, & advertant, ex pacto aliquid accipere ultrà id, quod neceſſarium ſuſtentationi Monialis judicio cordatorum cenſetur, eſſe ſimoniacum: nam ex pacto nihil aliud poſſunt accipere, præter illud, quod alendæ Moniali ſit neceſſarium, eò quòd ei Monaſterium præ inopiâ non poſſit tribuere. Si ergo aliquid ultrà acceperint, vel ſi dotem exegerint, quando Monaſterium poſſet eam alere, illicitè recipiunt.* Unde etiam Rodrig. *tom.* 2. *qq. Reg. q.* 48. *art.* 6. cenſet dictum exceſſum eſſe reſtituendum, tamquam injuſto titulo comparatum.

Reſponſio 4. Varia autem eſt opinio de Monaſteriis opulentis, & ſufficientibus. Alii cum Dominico Soto docent, id licitum eſſe in dictis Monaſteriis, quod modò diximus licitum eſſe in Monaſteriis inſufficientibus, dum conditio Monaſterii non facit, ut quod aliàs eſſet licitum in paupere, illicitum fiat in opulento. Alii docent, id adverſari SS. Canonibus, & maximam eſſe avaritæ ſpeciem, ac vehementem ſimoniæ ſuſpicionem. Verior tamen opinio tenet, quod in opulentis, ac ſufficientibus Monaſteriis aliquid exigere ratione ſuſtentationis, ſit ſimonia juris divini naturalis, Docet id in primis S. Thomas ibi ſuprà allegatus, & diſertius in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. ad 3. ubi ita ſcribit: *Si ſine gravamine Monaſterii poſſit recipi Novitius ..... ſimoniacum eſt.* Idem tenet Adrianus *quodlibeto 9. in reſponſione ad 6.* Et Victoria *recollect. de ſimonia p.* 2. *num.* 12. ait, id ſimoniacum eſſe juxtà omnes Doctores. Quibus etiam addi poſſunt, quotquot docent, illud eſſe ſimoniacnm, juxtà præſumptionem juris, qualiter docent quamplurimi. Nec enim

Quid de Monaſteriis opulentis.

ſolummodo id præſumitur, quaſi reverà eo caſu ſimoniacum non eſſet; ſed meritò præſumitur ſimonia, qualis reverà ſubeſt, dum nullo juſto titulo hîc recipi poteſt, niſi ratione ingreſsûs in Religionem. Unde rectè Sylvius de hâc re ita ſcribit, & oſtendit id eſſe ſimoniam: quia, ait, vel exigitur pro admiſſione ad ſtatum Religionis, & eſt aperta ſimonia: vel pro nudâ ſuſtentatione, & videtur eſſe palliata. Ratio tamen illius eſt, quod nullo titulo, niſi ſuſtentationis, poſſit dicta exactio in hoc caſu excuſari, qui titulus prætendi hîc non poteſt. Pro quo notandum, quod omnia Monaſteriorum bona, ſive ex fundatione, donatione, aut conſuetis eleëmoſynis provenientia, primariò ordinata ſint ad debitam Religioſorum ſuſtentationem, juxtà Ordinis legem, & numerum admittendorum; & quod ſupereſt, dandum id ſit in pios uſus. Hinc fit, ut admittendo, aut jam recepto debeatur ex tali motivo debita ſuſtentatio de bonis Monaſterii, adeoque pro ſuſtentatione non debeat adferre ſecum neceſſaria ad Monaſterium, quod illi de neceſſariis poteſt, ac debet providere. Si tamen Monaſterium eo non obſtante vellet ratione ſuſtentationis aliquid hîc exigere, clarè patet, quod pro re conſequenter annexâ rei ſpirituali aliquid exigeret. Eſt enim ſuſtentatio, & jus ad illam, (ratione cujus aliquid hîc exigitur) ita annexa ſtatui Religioſo, ut vendens, aut emens jus illud, cenſeatur emere Religioſum ſtatum; ſicuti vendens jus ad fructus beneficii, cenſetur vendere ipſum beneficium. Et hinc jam patet ratio, quare hoc potius ſit ſimonia in Monaſterio opulento, quàm indigente, eò quòd Monaſterium dives, & ſufficiens vendat jus ad ſuſtentationem, quod eſt conſequenter annexum rei ſpirituali, puta ſtatui Religioſo, adeoque ſimoniam committat: quando autem Monaſterium eſt inſufficiens, non poteſt dici, quod vendat tale jus, quia illud jus non habet; dum ſupponitur, quod non habeat ſufficientia, ad Religioſum ſuſtentandum; adeoque non poteſt dici, quod illud vendat; nemo enim vendit, quod non habet. Sicuti ergo ille, qui in Collegium Canonicorum recipitur, acquirit eo ipſo jus ad fructus ſuæ Præbendæ, quod eſt ſpirituali annexum conſequenter: ita qui admittitur ad Monaſterium ſufficiens, eo ipſo acquirit jus ad ſuſtentationem de bonis Monaſterii faciendam, quod jus pari modo eſt ſtatui Religioſo annexum: & ſicuti ſimoniacum eſt dare, aut exigere aliquid à Canonico pro tali jure, ita etiam ſimoniacum eſt dare, aut exigere aliquid ab admittendo, aut profitendo pro jure ſuſtentationis; id autem in Monaſterio inſufficienti non obtinet, quod tale jus vendere non poteſt, cùm id non habeat, cumque ea ſuppeditare non teneatur, quæ non habet, poterit liberè paciſci de illis, quæ Novitius admiſſus tenebitur adferre ad ſui ſuſtentationem neceſſaria. Quare, ſicuti Collegium Canonicorum in communi viventium, non habens ſufficientia bona ad aliquem admittendum ſuſtentandum, paciſcendo de neceſſariis ad ſuſtentationem, non cenſeretur vendere jus ad illam, cùm illud reſpectu illius admittendi non habeat: ita & de Monaſterio inſufficienti eſt ſentiendum. Ex quo palam fit, ut Monaſterium

ſuffi-

Digitized by Google

ſufficiens ratione dicti juris aliquid exigens, cenſeri debeat committere ſimoniam, non tantùm juris humani, ut vult Wiggers, (quia, ait, Eccleſia prohibuit illam exactionem, non tantùm propter injuſtitiam, ſed maximè intuitu Religionis, ne ſtatus ille ſimul videretur in mercimonium temporale trahi:) ſed etiam juris divini naturalis, dum cenſetur temporale dari pro ſpirituali, ut mox ante demonſtravimus. Hâc ratione meritò queritur Navarrus *Monito 62.* & ait, vehementer eſſe abſonum, quod Monaſteria Monialium cujuſdam civitatis viginti millium aureorum reditibus annuis, & eo amplius perfrui, & tamen ob hos reditus adeo copioſos, nullam Monialem admitti, nec ab ipſis ſuſtentari, niſi pro dote, ſuppellectili, & expenſis aliis, ſecum adferat ingentem ſummam. Et Wiggers *Dub.* 10. *num.* 57. Meritò, ait, eſſe ſimoniam intolerabilem, quod Monaſteria, quò ſint opulentiora, eò majores exigant ſummas ab ingredientibus, quaſi ipſa Religio mercis more, cariori, vel viliori pretio eſſet æſtimanda.

An ratione ejus quod Monaſterium cedat juri ſuccedendi pro Religioſo, liceat aliquid exigere.

Reſponſio 4. Titulus ille, quem allegant alii, quod ratione ceſſionis, quâ cedunt juri ſuccedendi in bona Novitii, poſſit Monaſterium aliquid exigere, eſt infundatus. Credunt enim etiamnum Monaſteria poſſe ſuccedere loco Religioſorum in bona parentum, adeoque quid modicum certò per tranſactionem recipiunt, pro futuro majori. Et ratio reſponſionis, eſt, quod tempore tranſactionis in primis nullum tale ſit jus Monaſterio, quæ fieri ſolet ante profeſſionem, neque niſi per profeſſionem jus illud Monaſterio poteſt dici acquiſitum: deinde ratione ſpei iſtius juris brevi conſequendi, non poteſt idem juſtificari; dum poſt profeſſionem tale jus Monaſterio non amplius competit, adeoque tranſactio fieri nequeat ſuper jure aliquo, quo quis caret. Docet id Zypæus Notit. Juris Belg. tit. de Epiſc. & Cleric. num. 10. ita ſcribens: *Profeſſus Religionem adeo pro mortuo eſt apud nos, ut omnis hæreditatis ſit incapax, legitima liberorum ei non debeatur, teſtamenti factionem etiam inter liberos non habeat, ſuccedant ei propinqui ab inteſtato tamquam mortuo, nihil Monaſterio cedat, niſi quod expreſſè legavit, donavit, &c.* Idem docent alii Belgici Scriptores, ut Gudelinus, Perez, & noviſſimè D. Stockmans Deciſ. 4. num. 4. Idem de Galliâ cum Paponio lib. 1. tit. 8. art. 7. in addit. tradunt Scriptores Galli. Neque dici hîc poteſt, quod Principes noſtri numquam voluerint Monaſteria exuere ſuo jure, quod ante habuerunt: ſed ad ſummum abſtulerint à Monaſteriis jus ad hæreditatem profitentis quoad executionem illius per realem apprehenſionem hæreditatis poſt profeſſionem: tranſactionem verò deſuper ante profeſſionem fieri permittant, dum Tribunalia Regia cogunt Parentes Religioſi ſtare tranſactioni, ſi quæ profeſſionem anteceſſerit, eamque impleri jubent: ad hoc enim reſponderi poteſt, quod Principes noſtri à Monaſteriis abſolutè illud jus abſtulerint, uti conſtat ex prædictis Belgii Authoribus, & conſtat ſufficienter ex ipsâ lege jus illud abrogante, quæ ita ſe habet: *Ordinamus, & ſtatuimus, ut nulli Religioſi profeſſi, neque ulla Monaſteria, aut Clauſtra pro iis ſe poterunt dicere hæredes in*

aliqu.]

aliquâ domo mortuariâ , neque titulo ſucceſſionis habere , aut apprehendere ulla bona. Edita 1528. 21. Feb. à Carolo V. Deinde , non ſolùm prohibuerunt jus ad hæreditatem profitentis quoad executionem per realem apprehenſionem hæreditatis , ſed & conſecutivè id omne , quod tali juri æquivalet, per quod talis lex redderetur fruſtranea , & inutilis , uti eſt prædicta tranſactio , per quam prædictæ legi poſſet ſufficienter eludi. Unde ſicuti non poſſunt cedere juri , quod non amplius habent ; ità nec poſſunt ſuper idem jus tranſigere. Quod autem ſubindè Tribunalia Regia cogant Parentes Religioſi ſtare pactionibus , & conventionibus ante profeſſionem initis ; non mirum cenſetur , dum judicant eaſdem licitè eſſe factas , non ex parte dictæ tranſactionis , ſed ex parte conventionis dotis pro ſuſtentatione Religioſi promiſſæ , & tribuendæ , ne Monaſterium patiatur , & gravetur , quem titulum juſtum eſſe in Monaſteriis inſufficientibus , jam ante oſtendimus.

Reſponſio 5. Poteſt Monaſterium aliquid exigere pro victu , & veſtitu Novitiorum. Patet id ſufficienter ex Concilio Trid. *Seſ. 26. cap. 16.* cui ſe conformant in eo , ſtatuta Ordinis noſtri Diſt. 1. cap. 16. num. 21. & aliorum Ordinum praxis illud idem confirmat. Et ratio eſt , quod hîc nihil accipiatur , vel pro admiſſione , vel pro veſtitione in Religione , quod eſſet ſimonia ; ſed ſolummodo pro eo , ut Monaſterium ſe ſervet indemne , nevè gravetur illorum ſuſtentatione , quos de jure ſuſtentare necdum debet Monaſterium : jus enim illud Novitii acquirunt per profeſſionem , quâ verè fiunt membrum cōmmunitatis , & jus habent , ut ſicuti cæteri Religioſi de bonis Monaſterii ſuſtententur. Unde & alii non incongruè Novitios in hoc caſu aſſimilant Scholaribus in Monaſteriorum Collegiis alibi ſtudentibus , etſi de reliquo Novitii proximius ſpectent ad Religionem ratione habitûs , ac ſtatûs Religioſi jam inchoati.

Objiciunt aliqui , quod Extrav. *Sanè , ne in vineâ Domini* , quæ in Ordine noſtro , & aliis jubetur exactè obſervari , Pontifex prohibeat , ne à Novitiis quidquam recipiant Monaſteria , ſed eos in victu , & veſtitu , ſicut alias perſonas ſuarum Eccleſiarum , ſincerâ charitate pertractent. Reſp. extravagantem illam decreto Concilii Tridentini ſuprà eſſe accommodandam , non opponendam : neque ullatenus dici poſſe , quod illa reſtringat decretum Concilii , cùm decretum illud Concilii ſit dudum poſterius Urbano , & generalius. Adeoque etiam ceſſat , quod alii objiciunt , quod decretum illud ſit regulandum juxtà alia jura , prohibentia quidquam exigere , aut ſtipulari pro victu , & veſtitu Novitiorum. Senſum iſtum ſatis declarat omnium ferè Religionum , etiam reformatatorum praxis , quæ pro victu , & veſtitu Novitiorum aliqua exigunt , ne graventur ; quæ praxis in re poſitivâ ſedulò eſt attendenda , tamquam juris prædicti interpres.

Dicunt alii , hoc quidem admitti poſſe in Monaſteriis tenuibus , juxtà reſponſionem 1. non tamen in Monaſteriis ſufficientibus , quæ ex Novitiorum ſuſtentatione non gravantur : maximè , cùm Novitii ſuis ſervitiis victum ,

Digitized by Google

ctum, & amictum ſoleant promereri. Reſp. Etſi laudabile ſit, & maximè conveniens, ut Monaſteria ſufficientia Novitios, ut alios profeſſos, de ſuo liberaliter ſuſtentent, ne avaritiæ notam aliàs incurrant: ſi tamen à Novitiis aliqua pro victu, & amictu recipiant, necdum tamen ſimoniam incurrunt, dum utuntur jure ſuo, ut ſe ſervent indemnia, & conformant ſe Conſtitutioni Eccleſiæ, quæ id permittit. Neque de cætero dici poteſt, id eſſe ſimoniam iuris divini naturalis, cùm aliàs Eccleſia illud permittere nequaquam poſſet: quod tamen permittit generaliter Concilium Trid. ſupra, non diſtinguens inter Monaſteria tenuia, & ditiora. Idem etiam ſatis confirmat ratio initio reſponſionis data. Quod verò Novitii ſuis ſervitiis dicantur ſufficienter mereri victum, & amictum, dici non poteſt: tum, quod ſervitia ſpiritualia, ut ſunt pſallere in Choro, &c. non mereantur victum, & amictum, quod non tantum eſſet inordinatum, ſed & verè ſimoniacum, ſi ob talia commoda temporalia rependerent officia ſpiritualia: tum, quod aliis ſervitiis à Novitiis exhiberi ſolitis, rependat Monaſterium Novitiis alia longè excellentiora, præter victum, & amictum, quem Novitii à Monaſterio, oblato ſtipendio, acquirunt. Illud tamen addo, quod ſimonia meritò præſumi poſſit, ſi longè majorem ſummam Monaſteria exigant, quàm neceſſaria ſit ad debitam Novitiorum ſuſtentationem, cùm nullo juſto titulo eam exigere poſſint, adeoque exigere eam præſumantur propter ingreſſum Religionis, quod eſt ſimonia.

SECTIO X.

An, & quomodo hîc conſuetudo juvat in contrarium. Item quandonam cenſeatur Monaſterium eſſe inſufficiens in ordine ad recipiendam dotem. Item aliquot hanc rem concernentia exponuntur.

CErtum eſt in primis, quod conſuetudo nihil juvet in illis, quæ diximus eſſe ſimoniaca juris divini naturalis, in quibus omnis conſuetudo eſt mera corruptela; quamquam plures putent hoc ſibi licere, quia legem mortis de longa invaluiſſe conſuetndine arbitrantur, non ſatis (quia cupiditate cœcati ſunt) attendentes, quod tanto graviora ſint crimina, quantò diutius animam infelicem tenuerint alligatam, ut in ſimili ait Concil. Lateranenſe ſub Alexandro III. Hinc deduco, quod nulla conſuetudine licitum fieri queat, quod in Monaſteriis aliquid plus ex pacto exigatur, quàm requirat Religioſi ſuſtentatio. Deindè, quod Monaſteria opulenta, & ſufficientia, nulla conſuetudine excuſentur, paciſcendo de dote Religioſi ingredientis. Quamquam ergo, ut ait Weyms *ad Concil. Trid. Seſ.* 15. *num.* 45. hodie totius ferè mundi conſuitudine uſitatum ſit, ut vix in Monaſterium recipiantur Moniales, niſi prius idonea aliqua dote aſſignatâ, & idem alii Authores ſoleant notare: tamen rectè hîc reſpondet Gibalinus *de ſimonia q.* 18. *num.* 7. ad ſimilem

lem conſuetudinem, quod etſi fatenda ſit talis conſuetudo, tamen nihil hîc juvet niſi quatenus in Monaſteriis illis ſupponit aliquam indigentiam. Unde etiam Navarrus ſupra, ait vehementer abſonum eſſe, quod Monaſterium Monialium opulentum pro ſuſtentatione earumdem exigant aliquam ſummam majorem.

Unde deſumatur Monaſterii indigentia.

Indigentia autem illa Monaſterii, ejuſque inſufficientia non poteſt ita præcisè determinari: aliqui ad hoc exigunt arctam aliquam Monialium, & aliorum Religioſorum neceſſitatem, ut poſſent cum illis paciſci in dicto caſu, qualiter ſentire videtur Decretum Doctorum Pariſienſium ad librum 2. Dyoniſii Carthuſiani, quod in Conſtitutione Bonifacii *Periculoſo*, *&c.* noluit ponendum eſſe to *commodè*, quando ibidem dicitur, quod *non liceat recipere aliquam feminam in aliquo Monaſterio non mendicantium ultra numerum perſonarum, quæ de bonis Monaſterii ſine penuria* (non autem commodè) *ſuſtentari poſſit.* In quo, ait noviſſimè Merbecius *Summa Chriſtianæ p.*1. *q.* 64. ſapientiſſimè ſe geſſerunt Theologi, eò quòd Moniales avaræ ſemper poſſent prætendere, quod aliquam non poſſent *commodè* recipere, caſu quo non forent ſatis dotatæ. Rectius tamen Cabaſſutius & ipſe ſcriptor Gallus *Theoria jure Can. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 13. ait huic negotio majori prudentia, & circumſpectione providiſſe Synodum Tridentinam *Seſ.*25. *cap.*3. *Reg.* ſtatuentem, ut in temporalibus Monaſteriorum facultatibus ea ineunda ſit ratio, *ut Monialium numerus commodè ſuſtentari poſſit.* Prudenter, ait, quia ut obſervat S. Bonaventura *in quæſtionibus circa Reg. S. Franciſci q.* 19. inter alias cauſas, quare Religio in ſpiritu deficiat, aſſignanda eſt paupertas nimia, ex qua Religioſi coguntur fieri proprietarii, dum ſibimet videtur quiſque providere, quando per nimiam inopiam illis non providetur in communi; & hoc docent, ait, quotidiana, quæ videmus Monaſteriorum Monialium infortunia, & caſus commiſeratione digni, quos ibidem ipſe recenſet, à quibus tamen expediunt ſeſe Monaſteria Religioſorum. Hinc alii melius hîc requirunt, quod Monaſterium commodè nequeat admittendum ſuſtentare, & moralem tantummodo neceſſitatem ſolummodo exigunt, ad hoc ut poſſit Monaſterium dici eſſe inſufficiens, uti in aliis materiis moralibus ſolet evenire. Hinc omnes circumſtantiæ loci, temporis, ac perſonæ ſunt hîc conſiderandæ, nec ſolum ſtatus Monaſterii præſens, ſed & futurus, & mala ſeu infortunia probabiliter eventura ſunt conſideranda.

Admittendum tamen eſt, & fatemdum, ſæpè in Monaſteriis prætendi inſufficientiam, ac neceſſitatem, ubi illa non adſunt; uti fit in illis, quæ ex avaritiæ ſpiritu nihil ſufficiens arbitrantur, quæ omnia, tametſi vix umquam eventura reformidant ex nimia rerum terrenarum ſollicitudine: quæ limites Religioſæ paupertatis, ac modeſtiæ tranſgredientia, & in vanos uſus res Eccleſiaſticas prodigentia, ſuperfluitatem judicant eſſe neceſſitatem, & credunt ſeſe ſtatûs ſui jacturam paſſuros, ſi aliquos ſine dote reciperent; dum interim ex vi profeſſionis tenentur ſtatum ſuum ad Religioſæ modeſtiæ regulas conformare. Enimverò, difficulter quis credet ejuſmodi Monaſteria eſſe inſufficientia, ubi pravi-

pavimenta Monaſterii, & Templi nitent marmoribus; Altaria undique auro, & argento tument; parietes picturis pretioſiſſimis veſtiuntur; horti arboribus exquiſitiſſimis excoluntur; ſtabula Equis rarioribus inhabitantur; aulæa auro intexta, & arte variâ elaborata propendent; victus, & amictus largè ſubminiſtratur. Hinc rectiſſimè Dyoniſius Carthuſianus admonet *lib.* 1. *de ſimonia art.* 17. quod Monaſteria, antequam ſub prætextu inſufficientiæ aliquid prætendere audeant, diligenter ſe-ipſos examinent, & obſervent, ne ſuperfluitatem judicent neceſſitatem, aut ſufficientiam æſtiment indigentiam; ne delicatioribus, abundantioribus, pretioſioribus cibis, ac potibus, veſtimentis, ac cæteris utenſilibus, atque ad corpus pertinentibus utantur, quàm Regula inſtruit, præcipit, ſeu permittit; & ne diſpoſitione utantur nimis laxâ. Si enim in prodigalitate, pompâ ſæculari, & ſuperfluitate reditus Monaſterii conſumantur, vanè ſperatur ab ingredientium dotibus remedium, dum in eoſdem uſus & illæ conſumuntur paſſim, & malè parta, malè dilabantur. Infelix inſuper Monaſterium, quod magis pecuniæ talentis, quàm doctrinæ, ac virtutis noſcitur eſſe addictum in receptione Religioſorum: quo fit, ut nummis profuſis, Monaſteria graventur inidoneis, qui perſeverant. Et quid prodeſt ſtulto pecunia, cùm ſapientiam emere non poſſit? *Proverb. cap.* 17. Patitur inſuper ſæpè diſciplina Monaſtica, cauſatur perſonarum acceptio, dum omnia pecuniæ ſolent obedire. Cætera eloquitur experientia, me tacente de hac re. Zeloſus Monaſticæ diſciplinæ reformator Joannes Trithemius Oratione in Conventu Abbatum habitâ ita ſcribit: *Libenter pauperes admittimus, quos humiles, & intentione ſanctâ diſpoſitos invenimus: ſed nec divites excludimus, quos ſpiritu pauperes agnoſcimus. Denique, quantum ad ſuſcipientes pertinet, ſæpè inter Clauſtrales multi multas abuſiones committunt. Aliquando pecunias à ſuſcipiendis exigunt, aliquando pacta interponunt: interdum ad præſtandum convivium lautiſſimum conſuetudine peſſimâ pro lege utentes, à Novitio requirunt. Quid hac abuſione pernicioſius, quæ in Scholâ* CHRISTI *Diſcipulum facit Simonis Magi? Sed vos prævaricatores, qui pecunias, dona, jocalia, ſive convivia ab his, quos ſuſcipitis ad Religionem, exigitis, cujus Diſcipuli eſtis,* CHRISTI, *an Simonis Magi? ſi* CHRISTI, *quare doctrinam* CHRISTI *non ſervatis? gratis, inquit, accepiſtis, gratis date. Vos autem dicitis, gratis non accepimus, idcirco gratis non dabimus. Hanc conſuetudinem dandi ex pacto hoc loco invenimus: tali modo, & conditione omnes ſuſcepti ſumus, & niſi hac conditione neminem ſuſcepimus. Ergo ſi gratis non accepiſtis,* CHRISTI *Diſcipuli non eſtis.* CHRISTUS *enim gratis dare conſuevit, non vendere. Vos autem, qui ſpirituale donum emiſtis, & venditis, cujus Diſcipuli eſtis? Ego vos illius Diſcipulos crediderim, qui donum Spiritûs ſancti pecuniâ exiſtimaverat comparandum. Sed forſan dicitis: prandium, ſeu jocalia de conſuetudine poſſumus à divitibus exigere, quoniam id ſimonia credimus carere. Sed jura ſententiam ferunt contrariam, & quidquam exigere rerum temporalium cum pacto dicunt eſſe ſimoniam. Hoc idem Doctores Eccleſiaſtici ſentiunt: hoc ſummorum Pontificum*

Digitized by Google

Sanctiones, & Decreta pandunt. Et allegata conſtitutione Urbani IV. *Ne in vinea Domini*, ſic tandem ille concludit: *Ecce, quàm ſecuri eſtis, qui ab ingredientibus cœnas, ſive prandia, aut qualibet alia dona exigitis. Nemo nobis conſuetudinem objiciat, quoniam peccatum non minuit, ſed potius aggravat. Quod enim gratis dari præcipitur, venditum nullâ conſuetudine excuſatur. Hoc pernicioſum ſcelus, quantum obſervantiæ regulari noceat, nemo juris peritus, & puritatis amator ignorat. Enimverò per hoc Religio Monaſtica coram ſæcularibus in opprobrium, & ſcandalum exponitur, multorum animæ periclitantur, ab ingreſſu Ordinis pauperes arcentur, numerus perſonarum Deo ſervientium minuitur, proprietatis occaſio Monachis præbetur.* Hactenus Trithemius.

Sanctiſſimè etiam Seraphica Mater Thereſia ſuis Religioſis inculcabat, uti refert hiſtoria fundationis cap. 26. dicens in hunc ferè modum: *Ne timeatis aliquam rem vobis defuturam, & ne omittatis umquam ad Religionem ſe præſentantes recipere, dummodo aliunde vobis ſit ſatisfactum de deſiderio, & bonis earumdem qualitatibus. Imo, etſi non haberent magna media, ut vos ſublevent in neceſſitatibus veſtris, ſatis eſt, quod in Religionem veniant, ut majori cum perfectione Deo ſerviant; & nullo modo conſideratis, utrum bonis temporalibus divites ſint, modò poſſideant magnas virtutes: quia Dominus noſter aliam viam adhibebit, ut ſuccurrat indigentiæ veſtræ, imo duplo magis, quàm ſperare, aut expectare poteratis. Magnam habeo hujus rei experientiam. Deus ſcit, quod quantum recordor, nullam umquam rejeci conſideratione ſuæ paupertatis, modò de reliquo mihi ſatisfeciſſet. Illæ verò, quæ ex ſolo Dei amore receptæ ſunt, & quæ (ut ſcitis) numero ſunt plurimæ, rei hujus reddent teſtimonium. Dico enim vobis, quod in receptione divitum non tantum delectabar, quantum in illis, quas admittebam ob motivum ſolius amoris Dei. E contrà verò receptio divitum aliquam mihi ingerebat apprehenſionem, quo loco pauperiores ſpiritum meum dilatabant, & præ gaudio mihi lacrymas excitabant: tantus erat exceſſus lætitiæ, quam inde ſentiebam. Quod dico, eſt veriſſimum. Verumtamen, ſi modus ille divinâ opitulatione tam proſperè nobis ſucceſſerit, dum domus aliquæ nobis emendæ erant, aut conſtruendæ: cur modò aliter faceremus, dum domus noſtræ fundatæ ſunt, & ſtabilitæ? credite filiæ meæ, perditis, unde lucrari putatis, quando illæ, quæ ſe præſentabunt, habebunt bona, modò non habeant de cætero alias obligationes, dum debent dare aliis, qui illis forte non indigent, conſonum judico, ſi vobis inde erogent eleëmoſynam; ſi enim aliter faciant, videntur remiſſioris affectionis præbere teſtimonium.* Hactenus Thereſia, de qua eo non obſtante ſcribit vita, quòd duo ſuprà triginta Monaſteria inops Virgo ædificare potuerit omnibus humanis deſtituta auxiliis, quinimo adverſantibus plerumque ſæculi Principibus. E contrà verò, ſecretâ divinæ Providentiæ diſpoſitione accidiſſe vidimus, quod ea Monaſteria, quæ aſſiduis ingredientium dotibus inhiabant, & ut ait S. Bonaventura ibi ſuprà, *optantes aliquem venire cum pecuniâ, quem reciperent*, non tantùm, ut eorum

inopia

inopia poſſet ſublevari, aut debita contracta ſolvi; ſed ut aliquando ejuſmodi dotibus prodigè, aut ſuperfluè abuterentur, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus turpiter defeciſſe.

Quod autem hucuſque diximus de exactionibus dotium, majori jure dicendum hîc eſt de exactione conviviorum, prandiorum, &c. in ingreſſu Religioſi ex pacto tacito, aut expreſſo faciendorum, quæ omnia damnantur in Cap. *Audivimus*, Cap. *Quoniam*, Cap. *Tua nos, de ſimonia*, & *Extrav.* 1. *de ſimonia*, & quæ graviter reprehendit Navarrus, & Trithemius ſuprà, & ex eo Binsfeldius ita ſcribens in Cap.9. *q.*2. *concluſ.*5. *de ſimonia.*

Ex dictis infero cum Navarro, quid dicendum ad prodigas illas expenſas, & prophanos apparatus fieri ſolitos in multis Monaſteriis ex pacto tacito, vel expreſſo, dum vel ingrediuntur Monaſterium, vel profeſſionem emittunt? Quid aliud moderatius, quàm ut hæc vehementer interdicantur, reprehendantur prout ſumma reprehenſione digna ſunt, reformentur, ac etiam in majoribus, quæ conſenſum, auctoritatemque interponunt, ſecundùm regularem doctrinam puniantur: quantæ enim dementiæ eſt ſumptuoſa convivia parare, epulari, commeſſationibus, voluptatibuſque indulgere, in gratiam ejus, qui jam aut moritur, aut ad mortem diſponitur. Sed nunquid moritur mundo, aut ad mortem mundi diſponitur, qui habitum Religionis aſſumit, aut profeſſionem emittit; Funeralia ergo quaſi morientis in luxu, voluptate carnali, & vana pompa complemus, dum tam carnaliter ingreſſum, aut profeſſionem ingredientis, & profitentis celebramus. Etſi enim ſtatum Religionis aſſumens, profeſſionemque ſolemnem faciens mundo moriatur, & CHRISTO vivat, ideoque potius gaudio magno res digna ſit, quàm deflenda; tamen in ſpiritu potius gaudendum, quàm in carnalibus illecebris, & inhoneſtis tripudiis exultandum. Sed quid ut plurimum ſequitur tam ſuperfluum, prophanumque apparatum, atque vanam lætitiam? Punit non raro Deus, quod homines carnales præ cœcitate non vident, nec oculos aperire valent, ut videant: extrema gaudii luctus occupat: filiæ, quæ tanta vanitate ingrediuntur, brevi moleſtia Religionis afficiuntur, aut in perpetua Cruce vivunt, aut de apoſtaſia cogitant, aut ita in Monaſterio vitam tranſigunt cum dedecore, ut Monaſterio, parentibus, cognatis, & amicis infamiæ notam inurant, aut cùm ſtatus Religionis non ferat, ut omnia pro animi ſententia ſuccedant, incidunt in perpetuas deſolationes, phreneſim, apoplexiam, aliaſque corporis infirmitates, quæ ex luxu, & concepta longa melancholia facilè contrahuntur: ita ut toto vitæ tempore ſint oneri aliis in Monaſterio Deo famulantibus, & dolorem generent parentibus, & cognatis: hi fructus non raro comitantur, ut experientià obſervare poſſunt, qui rerum divinarum, humanarumque eventus conſiderant; nam paſſim in oculis ſimilia verſantur exempla, imo plerumque ut oculis videmus, & manibus palpamus, Monaſteria (ubi tam inordinatus Religionis eſt ingreſſus, magno cum omnium bonorum mœrore, qui majorum noſtrorum munificentia Deo inſervientes, & CHRISTI pauperes imitantur, &

rite perſpiciunt) in ſpiritualibus, ac temporalibus deficiunt, & ad nihilum tendunt: ſed hæc extra propoſitum: nunc filum interruptum connectamus.

His adde, quod ait Gibalinus *q.18. conſect.10. num.2. de ſimonia*, quod per ſimiles exactiones grave onus injiciatur ingredientibus, & plurimi ab ingreſſu Religionis eo prohibeantur, nullusque honeſtus ſit titulus atque omninò ſimoniam redoleat, neque careat ſcandalo: quamquam, ait, moderatas expenſas, quas conſuetudo fortaſsè induxit, & quas ex grati animi ſignificatione facere decet, non rejiciant Doctores: modò ex ipſarum delectu non negetur habitus, aut profeſſio, aut non ita ſeverè exigantur, niſi illud in partem dotis numeretur; quod tamen poſtremum difficile fuerit.

His meritò annumerat dictus Author num. ſeq. munera illa, quæ in quibuſdam Religionibus dari ſolent Abbatiſſæ, Prioriſſæ, aut alteri Superiori, quæ damnantur quoque in Cap. *Audivimus, de ſimonia*, & verè ſimoniaca ſunt, ſi ex pacto tacito, vel expreſſo fiant, ita ut alioqui non fuerit admittenda Monialis, aut Monachus, dum non exiguntur, niſi ad emendicandum admiſſionis ſuffragium. Nec enim exiguntur illa titulo ſuſtentationis, cùm ſingulares illæ perſonæ, neque ſuſtentandum Religioſum ſuſcipiant, neque talia munera in eum finem convertunt; ſed ſibi ſoli, & particulari ſuo uſui eadem norunt applicare. Hinc addit etiam modum aliquem ridiculum, quo aliqui Abbates, Abbatiſſæ, aut alii ſuperiores, ad quas ſpectat ſedes vacuas Monaſterii replere, retribuunt in compenſationem obſequiorum jus nominationis, ut vocant, alicui, quem ſciunt, aut prævident pecunias, aut munera ex tali nominatione captaturum. De cætero, ſi quid gratis, & omninò liberaliter detur ab ingredientibus Monaſterium, gratanter recipi poterit, ut ajunt jura. Rectè interim hîc monet S. Bonaventura loco ſuperiori, hîc cautè agendum eſſe coram hominibus, ne illis detur occaſio ſcandali, & ne ſit affectus avaritiæ ex ſpe lucri. Primum enim hîc difficilè evadent Monaſteria in externa ſpecie opulenta, ut ſunt pleræque Abbatiæ: quod inde augebitur, ſi Monaſteriis data, conſanguineis aliquando pauperibus ſubtrahantur. Secundum etiam plurimos afficere natum eſt, qui plus pecuniis cumulandis attendunt, quàm fructui Religionis ſpirituali; qui eo ſpiritu avaritiæ ſacra, & prophana habent venalia. Periculoſa eſt hæc in omni Monaſterio corruptela, quâ fit, ut ſpe, & timore pecuniæ diſciplinam Religioſam illi ſæpè poſtponant, conſtituendo Novitiorum Rectores, non pro bono Monaſterii Novitios exercentes, aut Regulæ auſteritates illis proponentes, ut expreſsè præcipiunt cujuſque Ordinis Statuta, & Synodus Diœceſ. Mechlin. anni 1609. *tit.22. cap.5. de Regularibus*: ſed eoſdem ſuavi regimine demulcentes, ac in omnibus prævenientes, ne lucro ſperato fruſtrentur: quo fit, ut Profeſſi ſubindè ſortem ſuam non immeritò contingant deplorare. Neque etiam gratis illi dare hîc cenſendi ſunt, qui Novitios ad profeſſionem nolunt admittere, niſi aliqua ſumma gratis promiſſa præſto ſit: qui variis artibus, & machinationibus Novitios inducunt ad oblationem bonorum; quod ſæpè poſtea apparet, quàm gratis, ac liberaliter dederint, dum poſt profeſſionem parentes,

rentes, & ipſi Novitii manifeſtant, ſe ad ejuſmodi contributionem adactos potius fuiſſe, & Religionem eâ de causâ infamant, ac traducunt. Felix ergo Religio, quæ more Apoſtolico dicere ſolet, non quæro veſtra, ſed vos: quæ juxtà Sapientiæ monitum, plus doctrinam diligit, quàm pecuniam, quæ Monaſteria varia etiamnum ſolent obſervare in Ordine noſtro, & alia aliorum Ordinum, quæque vel eâ ratione in primævo vigore perſeverant.

SECTIO XI.

De Simonia in Beneficiis Eccleſiaſticis.

COmmunis eſt Theologorum, ac Canoniſtarum doctrina, quod dare, vel exigere aliquod temporale pro adipiſcendo, vel conferendo beneficio, ſit ſimonia. Adulatores illos nihil hic moror, qui docere non erubuerunt, Pontificem tamquam Dominum beneficiorum omnium, poſſe pro libitu, etiam pro pretio ſine ſimoniâ diſponere, de quibus ante egimus. Gravis interim eſt quæſtio, qualis ſit hæc ſimonia; ſitne juris divini, an poſitivi Eccleſiaſtici, maximè in collatione Canonicatuum, & aliorum beneficiorum ſimplicium. De beneficiis enim aliis, quæ habent annexam executionem Ordinum, aut poteſtatis clavium paſſim omnes admittunt, eſſe illud ſimoniacum contrà jus divinum, ac naturale. Et ratio eſt, quod qui vendit executionem Ordinum, Ordines vendere cenſeatur, quod ſimoniacum eſſe contrà jus divinum, & naturale, conſtat ex ante dictis. Quod ad alia beneficia ſimplicia attinet, docet Proſper Fagnanus in Cap. *Cùm pridem, de pactis num.* 39. pleroſque Canoniſtas ſentire, quod vendere titulum Canonicatuum, aut aliorum beneficiorum, quibus non ſit annexa executio Ordinum, aut poteſtatis clavium, non ſit ſimonia lege divinâ damnata, ſed ſolummodo conſtitutione Eccleſiæ. Idem docent omnes illi, qui cenſent, non poſſe Papam committere ſimoniam in ſimilium beneficiorum collatione. Ratio eorum eſt, quod Papa ſit Dominus beneficiorum Eccleſiaſticorum non minus, quàm ſit Imperator Dominus officiorum ſæcularium: unde etiam docent, quod in Curiâ Romanâ non habeat locum lex ſimoniæ; ſicuti in Curia Imperatoris non habet locum lex Julia de ambitu. 2. Quod ſimonia juris divini non videatur obtinere, niſi in venditione, & emptione Sacramentorum principaliter, aut ob connexionem cum illis, uti ſit in beneficiis curatis, eò quòd annexam habeant executionem Ordinis, & poteſtatem clavium. Sed in ſimplicibus beneficiis nulla talis invenitur connexio. 3. Quod ſicuti Vaſa conſecrata vendi poſſunt, ratione ejus, quod in illis eſt temporale: ita etiam beneficia ratione redituum temporalium, quæ à titulo per Papam ſecerni poſſunt, poſſint vendi ſine ſimoniâ. 4. Quod illa, quæ tempore Apoſtolorum non fuêre inſtituta, non videantur prohibita vendi, niſi conſtitutione Eccleſiæ: ſed tituli beneficiorum, Decanatus, Archipresbyteratus, &c. non fuêre inſtituti tempore Apoſtolorum. Ergo.

Qualis ſit ſimonia accipere aliquid pro beneficiis ſimplicibus.

His tamen non obſtantibus verior opinio tenet, quod ſit ſimonia juris divini,

ni,

Digitized by Google

ni, etiam vendere beneficia ſimplicia, etſi executionem Ordinum, aut poteſtatem clavium non habeant annexam: uti etiam, quod Papa ſimilia beneficia vendendo committat ſimoniam contrà idem jus divinum. Patet hoc ex Cap. *Ex multis* 1. *q*. 3. ubi Alexander II. ait, quod *Concilium Chalcedonenſe unum ex principalibus ſimili pœnâ condemnet eos, qui Eccleſiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt; & eos, qui S. Manûs impoſitionem, per quam Spiritus ſanctus confertur, mercari dignoſcuntur; & utroque caſu authoritate inexpugnabili illos à beneficio, iſtos à ſacro Ordine jubet expelli. Unde humani generis Redemptor, omnes ementes, ac vendentes de Templo ejiciens, Cathedras vendentium columbas evertit, Nummulariorum effudit æs, præcepti ſui authoritate denuntians, & dicens, nolite facere domum Patris mei ſpeluncam latronum...... ſicuti per Columbarum venditores deſignantur, qui ſacram manûs impoſitionem vendere conantur: ſic per Nummularios Eccleſiaſtici beneficii venditores denotantur, qui domum Dei, Evangelio teſte, ſpeluncam faciunt latronum:* & tandem concludit: *Quod ſi aliquis divinorum præceptorum, & animarum ſalutis immemor præfatum beneficium Eccleſiæ iniquâ cupiditate ductus, vendere temerario auſu præſumpſerit: gradus ſui periculo eum ſubjacere decernimus, & inſuper terribili anathematis mucrone, niſi reſipuerit, ab Eccleſiâ Dei, quam læſit, modis omnibus abſcindatur.* Ex quibus verbis patet, Pontificem per Nummularios è Templo pulſos à CHRISTO, intelligere venditores beneficiorum, non diſtinguendo inter curata, & ſimplicia; & divinorum præceptorum eſſe immemores, qui beneficia *quæcumque* vendere ſint auſi: ubi autem jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Idem habet Cap. *Si quis dator* 1. *q*. 3. ità ſtatuens: *Si quis dator vel acceptor Dei Eccleſias, vel Eccleſiaſtica beneficia, quæ Præbendas vocant, ſub pecuniæ interventu ſuſceperit, ſive dando emerit, à Simonis non excluditur perditione.* Idem habent plures alii Eccleſiæ Canones, & Decreta, ad quæ in hâc re attendens Turrecremata in Cap. *Latorem*, *num*. 9. ait: quod niſi talia emere, vel vendere, fuiſſet damnatum in lege naturali, vel divinâ in perſonis Simonis, & Giëſi; non eſſet verum, quod diverſo jure dicitur, quod illi, qui vendunt Eccleſiaſtica beneficia, peccarent, uti peccavit Simon, & Giëſi: aut ſi ita non peccaſſent, non poſſent Pontificum Decreta efficere, ut cum iiſdem damnarentur, & haberent eamdem cum illis portionem.

Et ratio eorum eſt illa, quod in beneficio ſimplici, v. g. Canonicatu, duo poſſint conſiderari; puta, Officium Eccleſiaſticum, ad quod vi beneficii quis mancipatur; & beneficium temporale, quod inde percipitur: aut ut alii, beneficium eſt jus aliquod percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, propter officium Clerico competens. Jus autem illud, ejuſque collatio eſt ſpiritualis; ergo pro illo aliquid accipere pretio æſtimabile, eſt ſimonia. Ex quo & illud ſequitur, quod Pontifex etiam vendendo beneficium ſimplex, v.g. Canonicatum, ſit ſimoniacus, & peccet contrà legem divinam, ſimoniam prohibentem. Patet id ex dictis Sect. 4. ubi ex D. Thoma, Alberto Magno, imo ipſis Pontificibus proba-

probavimus, Papam poſſe committere ſimoniam vendendo rem ſpiritualem pro temporali. Hæc & alia plura induxêre varios Authores, ad graviter cenſurandam opinionem contrariam; adeo ut Caietanus *tract. 9. de ſimonia* dicat hanc opinionem eſſe communem, & contrariam eſſe errorem Canoniſtarum: & Turrecremata loco ibi ſupra, ait, contrariam opinionem potius dicendam eſſe errorem.

Rationes ab aliis allatæ nihil urgent. *Prima* enim nullo modo concludit, inferendo à rebus civilibus ad ſpiritualia à paritate rationis, quæ in multis diſcrepare, quis neſcit? officiorum enim venalitas per ſe non repugnat legi naturæ, etſi habeat aliquas deformitates, quæ tamen ob concurrentes circumſtantias poſſunt abeſſe, uti latè dixi Cap. 2. Sect. 2. Tract. 3. venalitas autem rei ſacræ legi naturali repugnat, uti conſtat ex Sect. 1. hoc Capite. *Secunda* etiam ratio falſa eſt, quod illa ſimonia ſolummodò prohibeatur jure divino, quæ pertinet ad venditionem Sacramentorum, uti mox probavimus. Deindè, aliud conſtat ex *lib.* 3. *Reg.* 13. ubi prohibebatur, ne quis per pecuniam fieret Sacerdos. *Tertia* ratio etiam non concludit, quia aliud eſt de illis, quæ ſunt ſpirituali annexa antecedenter, uti ſunt Vaſa conſecrata, quæque vendi poſſe conſtat ex dictis: aliud eſt de iis, quæ annexa ſunt ſpiritualibus conſequenter, uti eſt Præbenda officio, quæ ſi vendatur, etiam venditur Officium ſpirituale. Et quamquam Papa ſeparare poſſet reditus beneficii à beneficio, eoſque ſeparatim vendere juxta alios: tamen neque eo caſu venderet beneficium, quod non ſolùm importat reditus temporales, ſed etiam titulum, & jus ſpirituale: neque etiam Papa id umquam ſolet facere, dum in litteris proviſionalibus jubet proviſos inſtitui. Denique, quod alii, quibus ita darentur reditus, non poſſent vocari, *Decanus*, *Canonicus*, *&c.* idque defectu tituli hîc requiſiti. Adde, quod eo caſu non eſſent amplius reditus beneficii; quia quamdiu ſunt tales, non poſſunt niſi ſimoniacè vendi. Ultima ratio Canoniſtarum etiam nullius eſt momenti, quia etiam Epiſcopatus eſt de jure poſitivo, uti & Archiëpiſcopatus; ubi tamen conſtat, quod Papa non poſſit ſine ſimoniâ illos titulos divendere. Vide latius de hac re agentem Proſperum Fagnanum in Cap. *Cum pridem de pactis.* Ex quibus omnibus patet, quod beneficia Eccleſiaſtica quæcumque vendere, ſit contra legem naturalem, & divinam.

Cùm verò varia conſiderari poſſint circà modum, quo ſolent beneficia conferri, uti eſt præſentatio, electio, inſtitutio, confirmatio, permutatio, reſignatio, &c. hinc de iiſdem modis hîc ſpecialiter ſunt aliqua diſcutienda. Et recollectis illis, quæ agendo de beneficiis Sect. 7. de electione à nobis dicta ſunt, certum eſt, electionem debere eſſe incorruptam; maximè, quoad beneficia Eccleſiaſtica. Nam, ut ſapienter, & verè Imperator *L. Si quemquam C de Epiſc. & Clericis. Si quemquam*, ait, *vel in hâc Urbe Regiâ, vel in cæteris Provinciis, quæ toto Orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum Deo authore contigerit, puris hominum mentibus, nudâ electionis ſcientiâ, ſincero omnium judicio proferatur. Nemo gradum Sacerdotii venalitate pretii mercetur. Quantum* Simonia in electionibus.

Digitized by Google

tum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficit, æſtimetur. Profectò enim, quis locus tutus, & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei Templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames ad penetralia veneranda proſerpit? denique, quid cantum eſſe poterit, aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpitur? Ceſſet Altaribus imminere prophanus ardor avaritiæ, & à ſacris adytis repellatur piaculare flagitium. Ita caſtus, & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, ut locorum quocumque pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Non pretio, ſed merito ordinetur. Antiſtes tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus; rogatus recedat; invitatus effugiat; ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, qui non fuerit ordinatus invitus. Cùm ſanè quiſquis hanc ſacram, & venerandam Antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſe, aut ſi quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepiſſe detegitur, inſtat publici criminis, & læſæ Majeſtatis excuſatione propoſita, à gradu Sacerdotii retrahatur: nec hoc ſolum deinceps honore privari, ſed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus, ut eos, quos par facinus coinquinat, & æquat, utroſque ſimilis pœna comitetur. Plurima hîc ſanctiſſimè ſancita ſunt, ſed temporibus noſtris inaudita. Sacerdotii gradum jubet Imperator mereri, non venalitate, ſed meritorum dignitate: Epiſcopum ab omni prorſus ambitu vult eſſe longiſſimè alienum: quæri debet cogendus, recedere rogatus, effugere invitatus: indignus dicitur Sacerdotio, ſi non ordinetur invitus, &c. *Ubi nunc*, ut cum Bleſenſi loquar Epiſtolâ 23. *qui à Pontificali onere ſe excuſat? quis hodie allegat inſufficientiam ſuam? quis hodie invitus trahitur, aut reclamat? ubi hodie ſimilis Ammonio invenitur, quem cum populus, & Clerus in Epiſcopum eligerent, electioni nullatenus conſentire volebat. Prævalentibus illis, & invitum trahentibus, aurem ſiniſtram cunctis videntibus ſibi radicitus ſecuit dicens: lex divina nullum præciſâ aure Epiſcopari permittit. Cumque Timotheus Patriacha cenſeret hunc Epiſcopatu dignum, etiamſi nare, & auribus truncatus eſſet, dummodo ſcientia, & virtutibus præëmineret; illis rurſum Ammonium rapientibus, & invitum trahentibus, Ammonius dixit; linguam meam, propter quam vobis placeo, niſi me citius dimittatis, abſcindam.* Non modò ad ſubterfugiendos honores aures, aut lingua abſcinduntur, ſed ut rectè notavit Cardinalis Jacobus à Vitriaco *Hiſt. Occid. cap.* 30. de S. Marco, qui ſibi pollicem abſcidiſſe dicitur, ne fieret Epiſcopus; multi modò, ut poſſent fieri Epiſcopi, *quatuor vellent habere pollices.* Rari hoc tempore ſunt imitatores Brunonis, Bernardi, Norberti, S. Thomæ Aquinatis, &c. qui oblatos ſibi honores Eccleſiaſticos ſubterfugerunt. Neque ſolummodo in obtinendis illis aliiſque Beneficiis aliquando valet ambitio, niſi ſimoniaca vis ambitioni accedat. *Quando enim dignitates Eccleſiaſticæ vacant*, ait Binsfeldius in Cap. 11. *de ſimonia q.* 1. *ſæpè contingit multos circumire, atque ambire ſuffragia muneribus, magnificis promiſſionibus, nec non verborum illecebris in ſuam ſententiam pertrahere: ſæpè etiam, non tantum pran-*

prandia , ſed etiam ſumptuoſa nocturna convivia ſolent ambientes adornare , ad præparandos , captandoſque eorum animos , qui ſuffragiis patrocinari poſſunt ; quibus modis , & practicis humanis , non tam Spiritûs ſancti gratia impetratur , quam ſpiritus Simonis inſtruitur : atque rarò accidit , ut illæ electiones bonum ſortiantur exitum , quæ tam malo ſunt inchoatæ principio. Salutares enim electiones ſalutaria præcedunt opera , quibus Dei gratia acquiritur ad dirigendum bonum Eccleſiæ , & animarum ſalutem. Infeliciſſima eſt enim eorum conditio , qui ambitione , quæ numquam quieta eſt , ac avaritiâ ardenti deſiderio , ad Eccleſiaſticos honorum titulos tendunt. Veri etiam ſequentes verſiculi , quos temporibus noſtris accommodant Canoniſtæ , & alii in hac materiâ :

Quattuor Eccleſias portis intratur ad omnes :
Cæſaris , & Gieſi , ſanguinis , atque Dei.
Prima patet magnis , & nummis altera , charis
Tertia ; ſed paucis quarta patêre ſolet.

Generaliter ergo in electione ſimonia committitur , quando vota pretio comparantur , ſive aliquo munere , ſive à linguâ , ſive à manu , ſive ab obſequio. Patet ex Cap. *Matthæus* , & alibi. Idem eſt , ſi eâdem viâ comparetur præſentatio : imo hoc verum eſt , etſi ſolummodo unicum votum ità foret comparatum , ut mox patebit. Et ratio eſt , quod electio , & præſentatio , ſint via directa ad ſpirituale obtinendum , & electio ſit medium divinitus adinventum , per quod homo vocatur ad regimen animarum , & beneficia Eccleſiaſtica ; adeoque pro illâ quidquam recipere eſt ſimonia. Idem eſt , ſi quis alteri promittat aliquod officium , aut beneficium , ut alicujus votum obtineat. Itidem eſt ſimonia , ſi quis dicat , *eligam te* , *eligas me : elige nepotem meum* , *ego poſtea eligam tuum :* item , ſi quis alteri promittat pecuniam , obſequium , aut aliud commodum temporale , ut ab alio , cui jus eligendi competit , procuret votum : item , qui ab aliis electus , aliis contradicentibus dat pecuniam , ut electioni ſubſcribant. Imo generaliter omne pactum , aut promiſſio rei temporalis in electione inducit ſimoniam , dum in ſpiritualibus omnis pactio de jure poſitivo cenſetur eſſe ſimoniaca. Ubi Authores notant , quod pactum illud poſſit aliquando eſſe de eo , quod ex natura ſua , aut de jure tacitè inſit , ut ſi aliquod beneficium ex fundatione ſuâ requirat reſidentiam , aut requirat Ordinem aliquem , aut ex ſua inſtitutione primæva debeat dare aliquot modios tritici pauperibus loci , &c. Poteſt etiam eſſe pactum de eo , quod ita non ineſt , ut dum Monachi in electione Abbatis conveniunt , quod factus Abbas dabit beneficia ſuæ Abbatiæ ſeniori. His poſitis , ſi pactio fiat de illo , quod ex natura ſua , aut de jure ineſt , non facit electionem eſſe ſimoniacam , dum uti communiter dicunt Canoniſtæ , expreſſio conditionis per eum modum , qui tacitè ineſt , nihil operetur. Imo , quotieſcumque electio fit , cenſetur ineſſe tacitum pactum de obſervandis illis , quæ beneficium , vel de ſe , vel de jure exigit , & requirit. Si verò fiant

Quæ pacta in electione eam reddant ſimoniacam.

fiant pacta de iis, quæ ita non inſunt, aut etiam de iis, quæ quidem ita inſunt, ſed tamen fiat pactio de alio modo, quàm illo, quo inſunt, erit electio ſimoniaca, juxtà antedicta.

Varia tamen hîc ſunt notanda. Ac primò quidem, ut antea notavimus, electionem etiam ſimoniacam eſſe, etſi unius ſolummodo eligentis votum pretio ſit comparatum, uti patet ex Cap. *Nobis, de ſimonia*, adeo ut electio plenâ concordiâ celebrata, etiam ob unius eligentium ſimoniam vitietur. Idem habet locum in Collationibus, ac præſentationibus ad plures pertinentibus. 2. Quod non ſolùm electio ſit ſimoniaca, quando pretium pro voto eſt ſolutum, ſed etiam, quando ſolummodo eſt promiſſum: imo, etſi ſimonia non ſit ex utraque parte completa; ut patet ex dicto Cap. *Nobis*. 3. Idem aliqui volunt, etſi electo ignorante pretium ſit ſolutum; quorum ratio eſt, quod doceant pretio, ſive muneribus tolli eligentium libertatem, adeoque ab intrinſeco vitiari electionem, & conſequenter eam de jure naturæ eſſe nullam, prouti fit in electione metu extortâ. Unde & alii aiunt, ignorantiam excludere quidem delictum, non tamen legitimare actum. Contraria tamen opinio, latè probatur à Fagnano in Cap. *In ordinando, de ſimon.* quod ſcilicet electio eo caſu non ſit ipſo jure nulla: neque enim juxtà eumdem, verum eſt, quod ab intrinſeco vitietur ejuſmodi electio, dum munera quidem minuunt libertatem eligendi, non autem illam totaliter tollunt; ſicuti neque tollitur conſenſus Matrimonii, quod quis per pecuniarum promiſſionem ducatur ad contrahendum. Aliud, ait, hîc eſt de metu, qui Jure Canonico electionem vitiat ipſo facto, ut in Cap. *In nomine Domini* §. *Quod pravorum*, *&* §. *Quod ſi quis contrà*, 23. *diſtinct.* quale tamen jus de ſimonia non invenitur. Vide quæ dicam ea de re Sect. 15. Porro ignorantia hîc probatur juramento ignorantis, niſi aliunde probetur ſcientia.

Quæret aliquis, an etiam ſit dicenda electio ſimoniaca, ſi quis aliis injuſtè contradicentibus pecuniam promittat, ut electioni acquieſcant. Reſp. In primis hîc certum eſt, quod ſi qui juſtè contradicant, id eſſe ſimoniam, dum ille cenſeretur eo modo moraliter loquendo emere ſpirituale pro temporali. Si verò injuſtè contradicant, docent alii generaliter id eſſe licitum, modò aliqua requiſita adſint: puta, recta intentio, quâ detur pecunia, non ut pretium rei ſpiritualis, ſed ſolummodo ad amovendam injuſtam vexam. 2. Ut vexatus jam inde habeat jus acquiſitum; adeo ut pro jure acquirendo non poſſit aliquid dari ſine ſimonia, dum cenſetur eo caſu dari aliquod temporale, pro conſequenda re ſpirituali. 3. Non eſſe id licitum, dum commodè adiri poteſt ſuperior, qui injuſtam vexationem impediat: aliàs enim videtur dari pecunia pro re ſpirituali, non pro vexâ redimendâ. 4. Ut de facto vexatio fiat, ſicuti enim non licet vim tollere, niſi vis inferatur; ita non licet dare pretium aliquod pro tollendâ vexâ, niſi vexa adſit. Imo etiam aliàs cenſeretur magis dari pecunia pro electione, aut pro votis, quàm pro injuriâ repellendâ, quæ necdum adeſt. His conditionibus advenientibus licitum eſt id,

quod

Digitized by Google

quod quæritur; cujus ratio eſt, quod eo caſu non cenſeatur dari aliquod temporale pro ſpirituali, ſed ſolummodo pro deponendo pravo affectu, & pro ceſſando ab injuſtâ vexatione, uti datur pecuniâ Sacerdoti, nolenti in neceſſitate puerum baptiſare, de quo ante. Sic etiam eo modo liceret electores avertere volentes eligere indignum.

Quæ omnia, etſi vera poſſint eſſe in hâc materia, quantum ad forum animæ: in foro tamen externo præſumi ſolet in ſimilibus redemptionibus vexæ ſimoniaca pravitas; maximè, ſi pecunia hîc detur illis, qui non tantum poſſunt obeſſe, ſed etiam prodeſſe, v.g. Collatori; eò quòd vix cenſeri poſſit, vexam à Collatore redimere, & non unà inducere ad collationem, aut conſecutionem beneficii. Hinc etiam generaliter jus reprobat redemptiones vexæ, uti etiam ſtylus Curiæ eaſdem reprobat, teſte Suare z *tom*.1. *de reliq. lib*.4. *de ſimonia cap*. 19. *& cap*. 50. Et verè res eſt periculi plena, & ſimoniæ palliationi admodum opportuna.

Dictum eſt in ſecundo requiſitò, ut habeat redimens vexam, jam indè *jus acquiſitum*; quia ſi jus illud necdum ſit acquiſitum, per electionem, proviſionem, ſeu collationem, eſſet ſimoniacum adverſantium obſtacula per pecuniam redimere, ait S. Thomas *q*. 100. *art*. 2. Sic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem. Quod ſi de jure ſit dubium, tunc non licet vexationem pecuniâ redimere, eò quòd id eſſet redimere juris incertitudinem, atque adeo ipſum jus ex parte emere. Hinc alii docent cum Sylveſtro V. *ſimonia q*. 3. *reg*. 4. redemptionem vexæ ſolummodo habere locum, quando certum eſt, quod fiat injuſtitia, non autem, quando de eo eſt dubium. Hinc inferunt, quod ſi duo habeant ejuſdem beneficii collationem, & de eo litigent, non poſſint inter ſe paciſci de pecunia uni numerandâ, ut beneficium alteri dimittat. Hoc enim non eſſet redimere injuſtam vexam, cùm neuter injuſtè vexaretur, dum uterque proſequitur jus ſuum. Vide Sylvium *q*. 100. *art*. 2. *concluſ*. 3.

S E C T I O XII.

De Simonia in collatione, nominatione, confirmatione, inſtitutione, permutatione; & reſignatione Beneficii.

Ex dictis ſufficientiſſimè conſtat, pro collatione beneficiorum dare aliquid temporale, eſſe ſimoniam. Idem eſt de omni proviſione eorumdem, qualiacumque beneficia ſint, ſive curata ſint, ſive ſimplicia; idque non tantum contra jus poſitivum, ſed & contra jus naturale diximum. Idem conſtat ex dictis de promiſſione rei temporalis Collatori facta, uti & de omni pacto de eâ re, quæ neque ex natura rei, neque de jure inſit. Idem fit, ſi Collator beneficium conferat, eo pacto, ut partem fructuum ſibi retineat, de quo Sect. 13. quando agemus de ſimonia in penſionibus. Quod tamen, etſi certiſſimum ſit, tamen tempora illa vivimus, de quibus ait Alexander II. Cap. *Ex multis*, ita

ſcribens : *Ex multis temporibus hoc deteſtabile malum intra veſtram Eccleſiam inoleviſſe cognovimus, ut nulli umquam Clerico, quamvis Religioſo, quamvis ſcientiâ, & moribus prædito, Eccleſiaſticum beneficium concederetur, niſi ei, qui prophano pecuniæ munere illud emere ſtuduiſſet, fiebatque Eccleſia, & res ejus ita venalis, veluti quædam terrena, & vilis merx à Negotiatoribus ad vendendum expoſita. Utinam hæc*, ait Binsfeldius tit. de ſimonia Cap. 12. allatâ hâc Alexandri ſententiâ, *hoc tempore multis in locis multi conſiderarent, ubi Canonicatus, ſive Præbendæ quaſi publicè venales ſunt, nec ſecus, quàm cariſſima merx venduntur, non rarò* 100. *aut* 200. *daleris, aut aureis, & ſic admittuntur in domum Dei, non qui moribus, pietate, diſciplinâ, & ſcientia locupletati ſunt, ſed qui majores ſacculos pecuniæ adferunt : atque ita aditus viris bonis, ac doctis ad Eccleſias præcluditur : quippe, qui conſcientiâ urgente, & Deo prohibente nolunt aliunde, quàm per oſtium, Templum intrare : ac interim non ſunt, qui gratis dona Dei, prout eorum natura poſtulat, eis offerant : ſed omnia ambitionis ardor, & auri prophanus inſatiabiliſque amor occupant. Non mirum, ſi nunc pietas è multis Eccleſiis exulet, diſciplina omnis ruat, patrimonium* CHRISTI *malè diſſipetur, Eccleſiæ olim florentiſſimæ à majoribus noſtris maximâ munificentiâ erectæ, fiant ſeminaria hæreticorum : quandoquidem in ingreſſu non Dei honor quæritur, ſed temporale commodum ſpectatur. Introitus eſt cum Simone, perſeverantia, & exitus, cum ejuſdem maledictione, & ſic veriſſimum eſt illud relatum à Rebuffo in concordat. in* TIT. DE ELECT. DEROGAT. COL. 8. À PRINCIP. *Quòd tales ſic intrantes, communiter malè vivant, ſcilicet injuſtè, crudeliter, immundè, carnaliter, ſuperbè, & ignominiosè, ac inſtabiliter. Ex fructibus enim cognoſcitur arbor. Qualem enim de ſe fructum producturus eſt, cujus gravi ſimoniacâ peſte radix infecta eſt? Quando enim ſpiritualis eſt promotio, ſpiritualia promotus quæret : ſi verò venalis, pecuniam : ſi carnalis, carnalia; quia quod natum ex carne, caro eſt; & quod natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Ità ille, & veriſſimè.

Simonia in collatione Beneficiorum.

Similiter ſimonia hîc committitur, ſi Mediatori, aut interceſſori aliquod pretium offeratur, ut à Collatore ſibi procuret collationem, aut proviſionem. Paria enim hîc ſunt moraliter loquendo, dare aliquid ipſi Collatori, & mediatori ad movendum Collatorem in collationem. Hinc etiam *Extravag.* 2. *de ſimoniâ*, mediator etiam in excommunicationem incidit, & in pœnas juris. Aliud eſſet, ſi quis Midiatori aliquid daret pro labore eundi, & redeundi ad ædem Collatoris, & Confirmatoris, ſæpius cum mora ſollicitando, uti plerumque fieri ſolet in Aulis Magnatum. Idem etiam dicunt, ſi quid modicum illi detur, quod animum ejus non moveat ad procurandum beneficium, ſed cenſeatur gratis dari, & ex amicitiâ. Idem etiam docent, ſi quid detur ſolummodo pro ingreſſu ad Collatorem Magiſtro Cameræ ad habendum acceſſum, niſi fortè id ideo detur, ut ille pro beneficio intercederet, uti ſæpè ſolet fieri. Ità rurſum Binsfeldius in Cap. 12. *de ſimonia q.* 1. *concluſ.*

Digitized by Google

cluſ. 5. ita addens : quod *ſoleant in hoc deploratiſſimo ſæculo , in quo omnia pecuniæ obediunt , cunctaque ſunt vendibilia uſque ad animam (quæ durante vitâ non poteſt avelli à corpore , alias à multis , qui æſtuant igne cupiditatis venderetur) plurima ſimoniæ committi in ſpiritualium , & beneficiorum collatione , in Aulis , tam Eccleſiaſticorum , quam ſæcularium Principum. Et cùm omnes diligant munera , ab omnibus indifferenter accipiunt munera ; & ſi uno die tres pro eodem beneficio venirent , ſucceſſivè ipſis darent ſpem promiſſionis , & ab unoquoque aliquid muneris venarentur. Et ſic quandoque , qui non habent , quod dent , etiamſi pietate , litteris , & aliis animi dotibus polleant , non poſſunt habere aditum , ſed patiuntur repulſam , facilè invenitur occaſio repellendi , & dimittendi. In ſummâ : ſi nihil attuleris , ibis Homere foras. Obtinet nunc pecunia , quod virtus obtinere nequit : acquirit plena burſa , quod pietati , & litterarum ſcientiæ denegatur.* Nonne veriſſimè ?

Nominationes quoque, quæ hoc tempore maximè frequentantur, de quibus actum eſt Cap. 1. Sect. 6. Tract. 4. ſimoniâ fœdari poſſe, eſt manifeſtum. Sunt enim etiam actiones poteſtatis ſpiritualis, ab Eccleſiâ perſonis laicis peculiariter conceſſæ : adeoque interventu muneris alicujus nominare aliquem , eſt verè ſimoniacum , prouti eſt ſimoniacum interveniente pretio aliquem à laico præſentari. Hinc ſimoniacum eſt , ſi quis à Rege nominetur, propter obſequia Regi præſtita, quæ pretio, aut ſtipendio non vult remunerare. Idem eſt, ſi quis nominetur ab alio , ut nominati cognatos habeat ſibi favorabiles ad aliquid conſequendum. Sæpius ſimoniâ hîc fœdantur mediatores, puta domeſtici, & familiares Magnatum , qui pretio, & muneribus conducti, pro nominatione alicujus inſtant , quod hodie frequentiſſimum. Eodem crimine involvuntur ipſi nominati , eorumque amici , qui pro eâdem nominatione nummos , munera , & omnia obſequiorum genera offerunt , & tacitè nominationem emunt. Et quamquam pleræque dignitates nominandorum ſoleant eſſe ex liberali nominantium , eorumve majorum largitate fundatæ, ac dotatæ, uti contingit in Abbatiis, &c. tamen eo titulo pro nominatione aliquid exigere non licet, aut recipere nominanti, niſi quæſtu ſimoniaco munificentiam majorum maliint commaculare. Nec hîc dici poteſt , Abbatias , & alias dignitates eſſe Regi feudales, ratione cujus mortuo Beneficiario tamquam Vaſallo, relevari debeat feudum datâ ingenti pecuniæ ſummâ : nullibi enim de tali contractu feudali conſtat, ſed de liberali ubique fundatione, & dotatione. Deinde, eo ſuppoſito, facillimè excuſari hîc poſſent ſimoniæ etiam immaniſſimæ. Denique, cùm Conſtitutio Caroli V. ſtatuat, ut conſuetudines feudi obſervari debeant , ut conſonant rationi , uti diximus agendo de feudis : clarum eſt, hanc conſuetudinem , utpote corruptelam, adeoque & rationi diſſonam, ratione feudi non poſſe hîc excuſari. Lubet hîc addere conſultationem factam Eximio P. Lupo S. T. D. Ord. Eremit. 1671. 3. Julii.

Simoniâ in nominationibus.

SPECIES FACTI.

PRaxis cujuſdam Curiæ invaluiſſe dicitur, quod omnes omninò Abbatiæ vacantes nullatenus obtinere poſſint Abbatem nominandum, niſi præviè honorarium, ſive ſubſidium detur, vel ad minus promittatur, & quidem ſub obligatione & contractu.

Quæritur jam, utrum Abbatia vacans de mutuo fratrum conſenſu tutâ conſcientiâ poſſit offerre Regi ſubſidium pro patriæ neceſſitate, & ad ſummam aliquam determinatam ſeſe obligare, rogando interim, ut ſua Majeſtas denominet unum ex electis à communitate in Abbatem, inito ad hoc prævio contractu, ſpectato præſertim, quod ſit periculum, ne quis inidoneus promoveatur per vias illicitas, & ſecretas, & ad redimendam vexam.

Reſpondetur, hanc praxim eſſe etiam antiquam Francorum Regum praxim, adverſus quam habemus in Romano Breviario: S. Gregorius Syagrio Auguſtodinenſi Epiſcopo pallium dare noluit niſi Neophytos hæreticos ejiceret è Gallia: Neophyti hæretici erant Palatini Nobiles, quibus Reges exactâ pecuniâ dabant Abbatias & Epiſcopatus.

Extant ejuſdem Gregorii ad dictum Syagrium, & Francorum Regum diverſæ Epiſtolæ, quibus demonſtrat, has exactiones eſſe peſſimam ſimoniam, & nec per piam cauſam, nec per publicam neceſſitatem poſſe purgari: & graviſſimè inculcat eorum, qui in Judaico Templo Columbas vendiderunt, cecidiſſe cathedras. Ex iſtâ, niſi citiſſimè corrigatur, leprâ prædicit etiam Francorum in Gallia Regios Thronos eſſe caſuros: & hinc Reges illi obediiſſe, & iſtas exactiones abjuraſſe teſtatur in Francorum hiſtoria S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis.

Eamdem iniquitatem in Erulorum, & Gothorum Regibus Scriptores varii, in Juſtino ſecundo Imperatore Dragius Epiphanienſis, in Guilielmo Ruſo Anglorum Rege Divus Anſelmus, in Philippo Primo Francorum Rege Ivo Carnitenſis Epiſcopus, in Henrico Quarto Imperatore antiqui Germanicarum rerum Scriptores, in aliis Regibus alii graviſſimè damnarunt, & inter cauſas, ob quas dictum Imperatorem Henricum degradavit S. Gregorius Papa.

Septimus; præcipua fuit peſſima ſimonia, eamdem ille damnavit in variis ſuis Synodis: etiam Leo IX. Victor XI. & alii Pontifices iſtius ſæculi. Et apud Hugonis Abbatis Flaviniacenſis Vindunenſe Chronicon extat elegantiſſima Concio, quâ Imperator Henricus III. lamentatur omne Imperium eſſe laceratum à Paganis Hungaris, & patrem anteceſſorem ſuum Conrardum timet ardere in gehennis, utique ob iſtas ſimoniacas exactiones, & quia hanc peſtem conſtanter proſcripſit Henricus, etiam feliciſſimè regnavit: plurima ſunt hujuſmodi exempla, ac teſtimonia.

Et quid moror in Chriſtianis? etiam de Turcarum Sultano, & Conſtantinopo-

tinopolitanæ Urbis everſore Mahomete Secundo, quod Patriarchatus, & omnes Epiſcopatus gratis dare promiſerit, & ſua aurea Bulla ſignaverit, teſtatur Gregorius Phranres. Et quintum à capta Urbe Patriarcham Simeonem, qui primus aurum obtulit, ab eodem Mahomete fuiſſe exploſum & irriſum, oſtendit Patriarchalis hiſtoria deſcripta per eumdem Simeonem, Emanuelem, Malaxum: & uſque hodie omnes ſchiſmatici Græci, uti Turcicæ ſimoniæ authorem damnant, & execrantur.

Quocirca & Chriſtiani Reges, qui ex factis in ſua coronatione Sacramentis obligantur Eccleſiaſticam libertatem tueri, has exactiones non poſſunt facere, & Conventualia vacantium Abbatiarum Capitula non poſſunt offerre: ambo incurrunt, & culpam Simoniæ, & omnes pœnas: Salvo meliori, &c.

Ita reſolutum Lovanii ab Eximio P. Lupo, die 3. Junii anno 1671.

Confirmationem quoque, benedictionem, aut inſtitutionem beneficii obtinere pretio, eſt ſimoniacum: idem eſt de inveſtitura ejuſdem. Et ratio eſt, quod prædicta omnia ſint via ad ſpirituale, & actus juriſdictionis. Neque hîc valet ulla conſuetudo contraria, dum ejuſmodi ſimonia eſt contrà jus divinum. Etſi ergo quibuſdam Synodalibus Statutis præſcribatur, ut ſumma quædam pro confirmatione, inſtitutione, inveſtitura, &c. debeat contribui: cenſendum eſt, eam dari in ſuſtentationem, non ut debitam pro re ſpirituali, aut etiam pro obſervantia legitimæ conſuetudinis, juxtà id, quod tradit S. Thomas 2.2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 4. Cavendum hîc interim ab omni ſimoniæ ſpecie, quæ difficillimè tunc devitatur, ſi amplius pro dictis actibus exigatur, quàm ſit ſtatutum: ſi promotus pauper paupertatem ſuam allegans, cogatur ad ſolvendum; & generaliter, ſi pro iiſdem actibus non aliter mercentur, quàm ſi Oves, & Boves venderentur in foro. Vide Binsfeldium iterum ibid. *q. dictâ concluſ.* 4. Idem hîc dicendum quoad ſimiles actus, de redemptione vexæ: ſi enim, quis juſtè confirmationem, inſtitutionem, aut inveſtituram neget, non poterit pro ea removenda dari pretium aliquod ſine ſimoniâ, uti ex dictis abundè patet. Si autem pro confirmatione electi data fuerit pecunia electo id ignorante, prohibente, ac contradicente; non committit ſimoniam, qui ità confirmatur, niſi fortè id reſciens conſentiat ſolvendo pecuniam datam, aut ſolvendo promiſſam: vide ante dicta de electione. Reprobat etiam ſacra Tridentina Synodus *Seſ.* 24. *cap.* 14. omnes illas conſuetudines, quâ novi Canonici pro admiſſione aliquid largiuntur: adeo ut etiam, teſte Fagnano in Cap. *Tua nos, de ſimonia, num.* 38. etiam reprobata ſit conſuetudo, cujus vigore novus Canonicus ſingulis Canonicis chirothecas diſtribuit, & donat poſt adeptam poſſeſſionem. Ita in hac materia ab omni ſimoniæ ſpecie eſt abſtinendum.

Simonia in confirmatione, inſtitutione, &c.

In permutationibus quoque beneficiorum ſæpiſſimè ſimoniam committi poſſe, eſt manifeſtum. Quicumque enim pretio procurat permutationem benefi-

Simonia in permutationibus.

cii

cii pro ſe, aut pro alio, ſimoniam committit. Ratio eſt manifeſta, dum nomine venditionis in definitione ſimoniæ intelligatur omnis contractus onerofus. Similiter omnes permutationes privatæ ſine reſpectu ad approbationem ſuperioris, nullæ quoque ſunt, & ſimoniacæ. Non tamen conveniunt Authores, ſitne ſimonia illa juris divini, an poſitivi: alii volunt eſſe juris divini, eò quòd homo non ſit Dominus rei ſpiritualis, quam proindè commutando, committit ſimoniam: tum, quod ſuppoſitâ inſtitutione beneficiorum, ſit contrà jus divinum propriâ authoritate eadem immutare. Adde, quod beneficium in permutatione non detur gratis juxtà legem Evangelii, dum datur pro alio beneficio. Verius tamen conſequenter ad prædicta, dicitur id eſſe ſimoniam juris poſitivi, ſive eſſe ſimoniam, quia prohibitam, juxtà dicta Sect. 1. nec enim ideo quidquam eſt ſimonia præcisè, quod homo non ſit rei Dominus, ſed quod res ſpiritualis pretio æſtimetur. Deindè, etſi homo non ſit ejus Dominus, eſt tamen adminiſtrator, quam ſubindè etiam conſequenter poterit permutare. Prætereà, verum quidem eſt, quod privatâ authoritate beneficium commutans, peccet contrà jus divinum, ac etiam Religionem, res ſacras indignè contrà voluntatem ſuperiorum tractando; imò & contrà juſtitiam, Eccleſiæ poteſtatem ſibi uſurpando, non tamen peccat ideo peccato ſimoniæ contrà jus divinum, quod conſiſtit in æſtimatione rei ſpiritualis pro temporali. Denique, in permutatione datur beneficium gratis, dum gratia datur utrimque pro gratiâ.

Poſſunt tamen prævię partes pertractare de permutatione beneficii; ita tamen, ut antequam reſolvant, velint requirere ſuperioris conſenſum. Jura etenim ſolummodo damnant permutationem, quæ eſt abſoluta tranſlatio juris de uno ad alium; ſive quando inter partes abſolutè concluditur, non itidem, ſi ſolummodo fiat de permutando conferentia, & tractatio: aliàs enim in omni permutatione interveniret ſimonia, dum nulla ſolet permutatio fieri, ſine prævià tractatione. Denique, non eſt eo caſu abſoluta permutatio, ſed conditionalis, & ſuſpenſa, uſque ad conſenſum ſuperioris, à quo robur ſuum accipiat permutatio, non à conſenſu permutantium.

Simonia tamen committitur, ſi beneficium pingue permutatur cum tenuiori, & in compenſationem à tenuiori datur aliquod temporale. Sicuti enim pro beneficio non poteſt dari temporale, ita neque temporale dari poteſt in compenſationem pro reditibus, qui ſunt annexi beneficio. Aliàs enim omnia beneficia vendi poſſent, dicendo id ſolùm fieri pro reditibus, non pro re ſpirituali. Aliud eſt, ſi à ſuperiori poteſtate ſtatuatur dari penſio ad æqualitatem fructuum beneficii, de quo poſtea. Si tamen ſit magna fructuum inæqualitas, ſolet ſimonia, & fraus meritò præſumi; cùm nulla ratio hoc reddat veroſimile, quod quis beneficium, quod multis ſæpè laboribus, & expenſis quæſitum eſt, imo, quo ſubindè debet ſuſtentari, facilè ſine aliquâ causâ, & ſuâ ſponte permutet cum tenuiori. Multò magis fraudulenta hîc cenſetur permutatio ficta, dum quis ſe fingit habere titulum, quem non habet: fit enim ſæpè, quod dum vident aliqui, quod Ordinarius nolit admittere reſignationes conditionatas, fingant ſe facere

ſacere permutationes, & permutare beneficium, quod non habent; quam permutationem vocant alii *de pertica*. Et vere, qui enim ita permutat ſuum beneficium, vel putat bonâ fide alium habere vere aliquod beneficium, ſicque invalida eſt renuntiatio beneficii, dum eſt involuntaria ratione gravis deceptionis: vel facit illud malâ fide, ſciendo quod alius beneficium non habeat; & eo caſu, etſi neuter patiatur propriè injuriam à ſe mutuo: Eccleſia tamen eam patitur ab utroque, & Ordinarius graviter decipitur, & omninò involuntariè eam admittit, adeoque erit permutatio planè invalida. Unde rectè notat Binsfeldius *q.5. cap.12. in tit. de ſimonia*, quod id malè ab Ordinariis permittatur, dicens: *Et tamen aliquando inveniuntur Prelati tam cœci, & indocti, in Eccleſia, qui ſuum conſenſum, & authoritatem audent interponere, cùm tamen fraudis, & ſimoniæ præſumptio ſit.* Ubi agit de permutationibus multum inæqualibus: adeoque magis arguendi, authoriſantes permutationes fictas, de quibus mox egimus.

Cæterum, cauſas legitimæ permutationis, ejuſque modum antea deſcripſimus Cap. 2. Sect. 7. Quæ cauſæ, cùm rariſſimè ſincerè ſubſint; hinc priſcis Eccleſiæ temporibus permutatio beneficiorum non niſi rariſſimè admittebatur, uti patet ex variis Eccleſiæ Decretis, ſtatuentibus, ut Presbyteri in titulum ordinati, facerent primo promiſſionem ſtabilitatis in illo loco. Et rationem reddit Concil. Sardicenſe Can. 1. dicens: *Manifeſta eſt enim cauſa, quâ hoc facere tentant, cùm nullus in hâc re inventus ſit Epiſcopus, qui de majore civitate tranſiret ad minorem: unde apparet avaritia eos ardore inflammari, & ambitioni ſervire, & ut dominationem exerceant.* Hinc toties ab Eccleſiâ reprobatæ ſunt Epiſcoporum tranſlationes, niſi juſtiſſimâ de cauſâ, quod olim Cardinalis Bellarminus inſinuabat Clementi VIII. ut habet ejus vita, lib. 3. pag. 257. edit. Antverp. ubi ita ſcribit: *Res eſt facilis tranſlatio Epiſcoporum, de unâ Eccleſia in aliam. Tranſlatio enim Epiſcoporum, ſecundum Canones, & uſum veteris Eccleſiæ non debet fieri, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel majorem utilitatem. Neque enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidie tranſlationes fieri videmus, eâ ſolùm de cauſâ, ut Epiſcopi, vel honore, vel opibus augeantur. Præterea notum eſt ex* Cap. INTER CORPORAL. DE TRANSLATIONE EPISC. *vinculum Matrimonii ſpiritualis eſſe aliquomodo, majuſque vinculo Matrimonii corporalis, & ideo non poſſe ſolvi niſi à Deo, ſive à Vicario Dei declarante voluntatem Domini ſui: quis autem credat velle Deum, ut ob ſolum temporale lucrum, vel honorem, vinculum ſancti hujus conjugii diſſolvatur, præſertim cum id ſine detrimento animarum fieri nequeat, ut experimentum ipſum docet? neque enim Epiſcopi Eccleſias diligunt, quas brevi ſe deſerturos ſperant, ut ad alias commodiores tranſeant.* Ita Cardinalis ille, qui & fecit, quod docuit, dum à conſanguineis urgeretur, ut Archiepiſcopatum ſuum commutaret cum Epiſcopatu loci ſuæ nativitatis, reſpondit Bellarminus Petro Quindotto: *Petre, caro, & ſanguis revelavit tibi: hæc argumenta ſuggerunt af-*

Tranſlationes Epiſcoporum, & aliorum.

fines mei; ſed nihil fiet. Nam Eccleſias per mercaturam diſtrahere, non eſt via qua itur ad cœlum. Ita habet vita lib. 6. cap. 5. Hæc de permutatione Beneficiorum ſimoniaca, & tranſlatione Epiſcoporum; quæ reſpectivè ad tranſlationes Parochorum, & aliorum accommoda.

Simonia in reſignationibus. De reſignatione, ejuſque formâ, & rationibus dictum eſt Cap. 2. Sect. 7. ubi reſervavimus de ſimonia eam vitiante differere in hunc locum. Et generaliter eſt ſimonia reſignare pro re temporali, aut etiam cum pacto aliquo, quod de ſe, aut de jure illi non ineſt; dum omnis ejuſmodi pactio in ſpiritualibus cenſetur eſſe ſimoniaca, uti aliquoties eſt dictum: unde ſimoniacus eſt, qui reſignat ſuum beneficium eâ conditione, ut conferatur Petro, & non aliter, aut aliàs, de quo mox plura. Neque ſolùm ſimoniaca erit reſignatio, quando hîc intercedit aliquod pactum; ſed etiam, dum ſine tali pacto reſignatio illa recipitur, & ſub eâ promiſſione. Ratio eſt, quod etſi non ſit aliquod pactum explicitum, cenſeatur tamen adeſſe implicitum, quod ipſa reſignandi forma ſatis manifeſtat. De eo etiam mox plura. Simonia itidem hîc eſt, ſi reſignatio fiat cum illâ conditione, quod reſignatarius ſolvet expenſas factas in conſecutione Beneficii à reſignante, dum datur temporale pro ſpirituali, & aliàs eo pacto facilis erit via omni ſimoniacæ pravitati. Neque hîc dici poteſt, id reſignanti eſſe licitum, ut ſe ſervet indemnem, quod cuique licet: id enim ſolùm verum eſt, ſi expenſæ forent legitimè factæ in gratiam reſignatarii, quod hîc neutiquam factum eſt; adeoque nullo titulo in earum recompenſationem poterit aliquid exigere, aut recipere. Simoniacæ etiam ſunt reſignationes *triangulares*, ut vocant, ſeu *reciprocæ*, v.g. reſigno ego tuo Nepoti, reſigna tu meo, quod eſt reciprocum. *Triangulare* autem eſt, ſi fiat inter 3. perſonas: ut ſi Petrus habeat Canonicatum, Paulus habeat beneficium curatum, Joannes habeat ſimplex: ſi Petrus reſignet Paulo ſuum Canonicatum, & Paulus ſuum Joanni, denique Joannes ſuum ſimplex in favorem Petri, cùm omnis hîc pactio ſit vetita tamquàm ſimoniaca.

Reſignatio in confidentiam. Quæſtio eſt jam gravior de reſignationibus *in confidentiam*, ut vocant, ſimilibuſque proviſionibus, dum quis alterum ad beneficium promovet eligendo, præſentando, confirmando, &c. eum obligando, ut illud beneficium poſtea reſignet ſibi, aut alteri ab eo deſignato. Dicitur *in confidentiam*, eò quòd ſub tali reſignationis ſpe, aut dandæ ſaltem penſionis, ad beneficium ille promoveatur: unde etiam vocatur *confidentia beneficialis*, *& confidentia penſionalis*, prouti dicit ordinem ad Beneficium aut penſionem. Antiquitus nulla de hâc ſimonia habetur mentio, ut notant varii: quam graviſſimè condemnarunt Pius IV. in Bullâ *Romanum Pontificem in excelsâ militantis Eccleſiæ ſpeculâ, &c.* edita anno 1564. & Pius V. in Bulla anni 1568. 5. Januarii: & aliâ anno 1569. Kal. Junii, quæ incipit, *Intolerabilis*, de cujus intelligentia agit Navarrus *Manualis Cap.* 23. *num.* 109. Varios ibidem abuſus ſimilis confidentiæ refert Pontifex dicens, quod *multi ipſa beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad ſacros Ordines, & ad reſidentiam*,

ad

ad incedendum in habitu Clericali , ut ad bellum proficiſcantur , ut inimicos occidant ; alii , ut alieno nomine lites tegant , aut defendant : quidam , ut purgato delicto , vel abſolutione conſecuta , illa repetant , eadem in alios deponunt , & in pleriſque fructus ipſorum , aut eis miniſtrantur , aut quibus ipſi ſtatuunt , ſæpe laicis , & inhabilibus : plerique , vel ſenes , vel infirmi , ut beneficia in ſuis domibus perpetuent , illa renuntiarunt , & renuntiant in alios , qui vel prophanam familiam cedentium de fructibus Eccleſiaſticis alunt. Vel illa etiamnum infantibus , aut naſcituris aſſervent , facto interdum circuitu retroceſſionis cum reſervatione fructuum , & aliarum rerum , aut acceſſu , præſertim ab illis , qui præſtandorum jurium Cameræ Apoſtolicæ ſunt immunes. Alii , aut incapaces , aut onuſti Beneficiis Eccleſiaſticis , aut Eccleſiaſtico Ordini mancipare refugientes , aut merè laici beneficia Eccleſiaſtica aliis conferenda procurant , ut de illis poſtmodum ad libitum ſuum diſponatur , fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique Ordinarii , & alii Collatores , ac etiam Patroni laici curant deponenda beneficia , ut fructus , ſeu penſiones capiant eorumdem , aliiſque faciant miniſtrari. Aliaque item per multa ejuſmodi admittuntur , quibus immaculata rerum divinarum puritas impiè violatur. Hactenus Bulla. Simoniæ huic confidentiali infligit ibidem Pontifex has pœnas , 1. Ut nihil juris accipiat in beneficio per eam obtento. 2. Ipſo jure excommunicatur. 3. Perdit alia beneficia legitimè acquiſita. 4. Fit inhabilis ad omnia alia. Et quamquam hæc Bulla in Galliis aliquando non obſervaretur, uti & alia Pii IV. poſteà tamen id inibi obſervandum ſtatuit Sixtus V. imo ex variis Galliæ Areſtis , ejuſmodi ſimoniam confidentialem damnatam eſſe , tradit Gibalinus *de ſimonia , mihi fol.* 418. Et Navarrus ibi ſuprà , num. 108. & 109. cenſet , quod à dictis Pontificibus hîc nihil damnatum ſit , quod antea non erat damnatum ; adeoque non eſſe illicitam confidentiam , quâ quis ſine ullo pacto confidit reſignandum eſſe Beneficium. Si tamen adſit pactum aliquod implicitum , quale cenſetur eſſe , ſi in ſimili confidentia deſit pactum , ſed adſit promiſſio , de qua paulò ante hâc Sectione , cenſenda erit ſimonia ; dum omne pactum à jure hîc prohibetur , & Pius V. vetet , ullo modo in reſignationibus deſignari perſonam ; adeo ut , etſi fortè jure antiquo non fuiſſet id ſimonia ; eſſet tamen illa de jure novo. Unde , ut notat Wiggers , uſus Eccleſiæ habet , quod Pontifex hujuſmodi reſignationes ſoleat ſibi reſervare ob ſimoniæ periculum , dum nemo præſumitur ſuâ ſponte alteri renuntiare. His Conſtitutionibus Pontificiis accedit altera Pii V. Conſtitutio , *Quanta Eccleſiæ Dei incommoda* , edita Kalend. Aprilis anno 1568. quâ interdicitur Epiſcopis , ne beneficia in eorum manibus reſignata , eorum , aut dimittentium conſanguineis , affinibus , aut familiaribus conferant ; aliàs Collatio illa ſit irrita , de qua , & ejus robore videri poterit latius differens Fagnanus in Cap. *Non ſine , de Arbitris num.* 34. & ſeq.

Pœnæ ſimoniæ confidentialis.

Et Concilium Rothom. de Epiſcoporum officiis num. 18. ita decernit : *Reſignationes factæ prius incognitis , aut his , quos nulla virtus , aut ſingula-*

ris eruditio , aut alia honeſta cauſa commendat , ſuſpecta de ſimonia redduntur, præſertim ſi quid illicitè actum fama proclamet. Hinc & illa Concilii Oxonienſis conſtitutio , quâ ſtatuit , ut Epiſcopus ab eo , qui ſibi præſentatus fuerit , recipiat juramentum , quod propter præſentationem illam , nec promiſerit , nec dederit aliquid præſentanti , nec aliquod propter hoc pactum injecerit. Ex quo ſufficienter colligitur, quod olim Eccleſia maximè providerit, ne ullæ ſimoniacæ præſentationes, aut ullæ aliæ beneficiorum conſecutiones ſimoniacæ Eccleſiam commacularent.

SECTIO XIII.

De Penſionibus ſimoniacis , & de Annatis.

DE Penſionibus latè egimus Cap.3. Sect.10. modò hîc agendum eſt de ſimoniacis. Et quamvis Penſio non ſit propriè Beneficium , niſi illa, quæ authoritate Epiſcopi in titulum eſt erecta , uti alibi fieri , eſt in comperto : tamen ſupponendum eſt , penſionem eſſe partem fructuum Beneficii , adeoque ut ipſos fructus eſſe bona Dei , patrimonium Chriſti , &c. Denique notandum , etiam Penſiones exigere Clericatum ex conſtitutione Pii V. & annexum habere officium recitandi Officium B. Virginis , de quo ante Cap.3. Sect.2.

Simoniacæ penſiones. His poſitis , generaliter eſt ſimoniacum emere , aut vendere penſionem Clericalem abſque Pontificis authoritate. Et ratio eſt, tum quod omnis conventio circà ſpiritualia , aut ſpiritualibus annexa , ſit ſimoniaca ex jure poſitivo , uti aliquoties eſt dictum : tum , quod , ſicuti Beneficium vendi non poteſt , ita neque vendi poſſit ſimilis penſio , quæ à beneficio ſolummodo differt , quod non ſit perpetua. Idem eſt de redemptione earumdem. Major tamen eſt quæſtio de penſionibus , quæ dantur aliquibus ad ſuſtentationem, quas volunt aliqui poſſe propriâ authoritate redimi ſine ſimoniâ , cùm hoc nihil aliud ſit , quàm extinguere onus beneficio annexum , & congruat beneficia eſſe libera ab omni onere. Et quamquam modò ex Curiæ praxi hoc caſu ſoleat peti facultas redimendi , id fit ad majorem ſecuritatem , ait Toletus *lib.* 5. *cap.* 92. ne alius negare poſſit redemptionem. Conſentit etiam Wiggers, & alii. Contrarium tamen tenet Proſper Fagnanus in Cap. *Ad audientiam* 13. *de reſcriptis* , & Bonacina *diſp.* 1. *q.* 4. §. 13. *num.* 7. Tum , quod hîc obſtet ſtylus Curiæ : tum , quia videtur vendere titulum ſpiritualem , cui annexi ſunt fructus : tum , quod ille vendat jus ſuum ob ſolutiones anticipatas , quod fit redimendo : tum denique , quod penſio privatâ authoritate conſtitui non poſſit , adeoque nec ita redimi : dum res , per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvatur. Hinc etiam ipſe Toletus notat , quod vendere , aut emere quaſcumque penſiones Clericales , conſuetudine ſit prohibitum , & Romæ tamquam ſimoniacum puniretur. Addunt alii prudentiſſimè id eſſe prohibitum à Pontifice , ne aliqui plures penſiones cumularent

per

per fraudes, & dolos, quas cuperent ab aliis ſtatim redimi, & alios ad redimendum ſollicitarent, ut ſtimulante avaritiâ ſtatim implerent marſupia, & tandem penſiones, quæ proveniunt ex bonis Eccleſiaſticis, fierent cambia ad ditandum multos, & non ad ſubveniendum inopiæ aliquorum, ait Binsfeld. *Cap.* 9. *de ſimoniâ q.* 2. *concluſ.* 3. Ubi & notat, Pontificem requiſitum facillimè hîc concedere facultatem, & penſionum extinctionem; eò quòd ſic onera Beneficiorum tollantur, & libertas à talibus oneribus ſit maximè favorabilis. Verum eâ de re ſtatim latius. Imo non deſunt aliqui, qui cenſeant, quod ſuppoſitâ illâ Bullâ Pii V. quæ omni penſioni Clericali affingit obligationem recitandi parvum Officium, adeoque ſicuti Beneficium datur propter officium, & conſequenter titulo ſpirituali; eſſe modò ſimoniam juris divini vendere talem penſionem, uti tenet Bonacina, & Valentia, cui tamen rectius contradicit Leſſius Dub. 22. maximè, quoad illa loca, ubi dicta Bulla non eſt recepta, uti non eſt recepta hîc in Belgio: aut ſi recepta, numquam ſit in praxim deducta: etſi interim fateatur, quod ſine authoritate S. Sedis vendi non poſſit.

Aliud eſt de penſione merè laicali, quæ cùm ſit merè temporalis, nec titulo ſpirituali conſtituta ſit, poteſt ſine ſimonia redimi. Etſi enim & illæ penſiones ſint partes fructuum beneficii, ſunt tamen à titulo beneficii ſeparatæ, neque ullo titulo ſpirituali conferuntur: prout idem eſt in decimis, alicui laico ob defenſionem Eccleſiæ, v. g. à Papa conceſſis. Hinc etiam Pius V. in Bullâ, *Ex proximo*, (unde mox probavimus penſionem Clericalem fundari modò in titulo ſpirituali) expreſsè habetur, *quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas*, UT CLERICUS *percipit, eum modo prædicto ad dicendum parvum Officium B. Mariæ V. decernimus obligatum.*

Neque etiam dari poteſt penſio Clericalis eo cum pacto, ut penſio illa ſtatim redimatur datâ aliquâ ſummâ ſemel pro ſemper: eo enim caſu cenſeretur implicitè vendi ipſa penſio. Imo illud eſt merum pallium venditionis apertæ, dum Beneficium vendere erubeſcunt apertè, hâc viâ utuntur, ad palliandam ſimoniam. Hinc Concilium Rothomag. de Epiſcoporum Officiis art. 17. ita ſtatuit: *Reſignationes quorumcumque Beneficiorum cum retentione fructuum, vel penſione, quæ poſtea ab his, qui reſignationes illas acceptaverint, præſertim pretio, ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate redimitur, pro ſimoniacis habendas judicamus. Præterquam enim quod mentalem ſaltem ſimoniam, aut etiam pactum illicitum anteceſſiſſe frequentius deprehenditur, experientia docet, hoc unum eſſe velamen ad contegendam ſimoniæ turpitudinem, & maliciam.* Et Toletus *lib.* 5. *Cap.* 92. *num.* 2. conſtanter affirmat cum Caietano *opuſculo* 16. *q.* 10. eum eſſe ſimoniacum, qui cedit alteri Beneficium cum penſionis onere, addito pacto, ut ſtatim penſio redimatur. Qui & addit, quod quidem poſtea poſſit penſio redimi, etiam ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, idque fieri ſolere quinque Annatis. Et quamquam ſimilis authoritas requiri ſoleat, id fieri aſſerit ad mojorem ſecuritatem, ne alter negare poſſit

An penſio ſtatim redimi poſſit datâ pecuniæ ſummâ.

poſſit factam redemptionem ut ante notavimus: in his tamen Toletus minimè eſt audiendus, etſi dicat id modò eſſe uſu communiſſimum. Et Theophylus Raynandus *Miſcel. Sac. de malis è bonis Eccl. in fine cap.* 1. Quamquam doceat, quod ex authoritate Superioris factæ ejuſmodi redemptiones careant labe ſimoniæ, tamen aſſerit negari non poſſe, quin ſint partus immoderatæ cupiditatis, & ſordibus avaritiæ inquinentur, nec deeſſe periculum Simoniæ mentalis, ſi hæ penſionum conſtitutiones, & redemptiones curentur, & quærantur per modum mercimonii, & negotiationis ut ſæpè fit: ad hæc, adeſſe plerumque ſcandalum; quia, ut ait, quantumcumque Penſionarius dextrè ſe gerat, & mentem induat à pretio, & venditione abhorrentem; tamen plebs; quæ non ſecus ex hujuſmodi redemptione colligi pecunias videt, quàm ſi penſio venderetur ut merx temporalis, ſiniſtram de Eccleſiaſticis opinionem concipit, à quâ ſpecie mali ei præbendâ abſtinendum eſt ex monito Apoſtoli. Ex quibus omnibus apertè colligitur, etiam ſepoſitâ ſimoniæ malitiâ, ab ejuſmodi redemtionibus eſſe abſtinendum.

Quid Annatæ, earum origo, an licitæ, &c.

Graviſſima reſtat quæſtio de *Annatis*, ſeu ut alii, *Annalibus*, *Vacantiis*, & *taxis Bullarum*; an ſint à ſimonia immunes. Vocari ſolent *Annatæ*, eò quòd debeantur ex fructibus primi anni Beneficiorum vacantium, quæ generaliter ſumpta ſub ſe continent ſervitia, minuta, & quindennium, de quibus alii. Annatarum originem eſſe perobſcuram, patet ex ſententiarum diverſitate. Polydorus Virgilius *de invent. rer. lib.* 8. *cap.* 2. ex Blondo refert, ea à Bonifacio IX. eſſe primitus introducta; etſi veroſimilius id attribuat Joanni XXII. Idem facit & Platina, uti & alii plurimi. Spondanus tamen ad *annum* 1399. *num.* 2. refert Annatarum inventum, etiam dudum ante Joannem XXII. extitiſſe, dum Hoſtienſis, qui 60. circiter annis vixit ante Joannem, in Cap. *Inter cætera*, *de officio Ordin.* earumdem meminit. Quinimò, quod alii Annatas defendentes (ut præ cæteris acerrimè facit Proſper Fagnanus in Cap. *Præterea*, *ne Prælati vices*, *num.* 14.) earumdem originem referant ad tempora naſcentis Eccleſiæ, quando erant illis omnia communia, & fideles ſua bona ferrent ad pedes Apoſtolorum, *Actorum* 4. Et non leve earumdem teſtimonium reliquiſſe Damaſum in Chronico Pontificum, qui ſedit anno 367. aſſerit idem *num. ſeq.* & Caietanus de authoritate Papæ ad 14. eas cenſet inſtitutas tempore Apoſtolorum, dum Hieroſolimitanæ Eccleſiæ ſolverentur Collectæ. De juſtitiâ earumdem non omninò convenit inter Authores. Eas Acatholici paſſim turpiter proſcindunt; nec deſunt Catholici, qui eos imitentur, eaſdem tamquam ſimoniacas condemnantes, quibus plurimum authoritatis (ut ipſi quidem arbitrantur) dedit Baſileënſis Conſtitutio, quæ *Seſ.* 21. *tit. de Annatis*, eaſdem penitus proſcribit, ſub pœnis, ſimoniacis conſtitutis. Occaſionem ejuſdem, illis etiam præbuit Pragmatica ſanctio Gallicana, quam dicto Baſileënſi Concilio cenſent fuiſſe innixam. Hinc etiam plurima contradicentium pars, Scriptores Gallos enumerat, ut inter alios Joannem Gerſonem *tract. de ſimoniâ.* Franciſcum Duarenum

num J. C. & noviſſimè Joannem Launoium *de tradit. Rom. Eccleſiæ circà ſimoniam obſerv.* 12. *&c.* Juſtitiam tamen earumdem defendunt plerique, tum Theologi, tum Canoniſtæ, quibus vel eo ſolo titulo condeſcendendum videtur, quod prorſus impium apparet, adeoque & incredibile, quod tot ſummi Eccleſiæ Præſules, qui Annatarum uſui inſtiterunt, tam atroci ſimoniæ ſcelere ſe contaminaſſent. Huc faciunt variæ rationes à Fagnano ibid. pro earum juſtitiâ allatæ; 1. Quod ſi Pontifici V. L. ex præcepto divino *Num.* 18. deberent attribui à Sacerdotibus decimæ decimarum : potiori jure Pontifici L. N. debeant contribui dictæ Annatæ. Cùm enim omnibus curam animarum habentibus ſint præſtandæ decimæ ex jure divino; majori jure Pontifici, cui omnium Eccleſiarum cura incumbit, nec decimæ Papales imponuntur; niſi ingruente Eccleſiæ neceſſitate, debebuntur ſimiles Annatæ. Si enim Imperatoribus, Regibus, ac Principibus debeatur à populo debita ſuſtentatio : quare illa deneganda eſt ex Annatis ſummo Pontifici? adde, omnium Beneficiorum, & dignitatum titulos ab Eccleſiâ Romanâ deſcendiſſe, & illi omnes Eccleſias ſubeſſe, &c. Adeoque ſicuti tenentur Diœceſani ſuo Epiſcopo indigenti charitativum ſubſidium : ita omnes fideles ad hoc ſubſidium Pontifici obligantur.

Annatæ non ſunt ſimoniacæ.

Vana tamen ſunt, & infundata Adverſariorum argumenta, quæ in unam ſimoniæ pravitatem omnia conſpirant. Pro quo notari poteſt, tripliciter poſſe conſiderari impoſitionem Annatarum : primò, quaſi imponantur Collationi beneficii : ſecundò, ut imponantur beneficii fructibus : tertiò, ut imponuntur ipſi beneficio. Hinc, pro collatione, aut proviſione beneficio, vel etiam pro ipſo beneficio nihil hîc ſolvitur, quæ gratis Pontifex confert juxta Evangelicam legem : ſed imponuntur ipſis fructibus beneficii. Et quamquam juxta antedicta fructus beneficii vendi non poſſint, niſi ſimul vendi cenſeatur & Præbenda : tamen hoc non habet locum in fructibus Beneficiorum vacantium, quos Papa ratione juris ſuæ reſervationis poteſt vendere, dum vendit, quod ſuum eſt, & Epiſcopus eo caſu emit, quod ſuum non eſt. Sicuti Epiſcopus, cui fructus vacantium Beneficiorum ex conſuetudine, aut privilegio ſunt reſervati; poteſt eoſdem vendere, & alter poſtea de eo beneficio proviſus poteſt eoſdem redimere. Imo & ipſe Rex Galliæ jure Regaliæ vacantium Beneficiorum fructus reſervando id idem poteſt : quid ni & ipſe Pontifex? Idem expreſsè docent Authores Galli, & ſignanter Spondanus loco ſupra citato num. 1. ità ſcribens : *Annatas immitatione inſtitutionis V. T. quâ primitiæ, & decimæ fructuum agnoſcendo ſupremo Dei Conditoris, Collatoriſque in omnes res humanas dominio, atque arbitrio, ſacro Ordini debebantur, & decima illius decimæ ſummo Sacerdoti, in uſus, ac neceſſitates ſummi Chriſtianorum Pontificis, & ſupremæ poteſtatis agnitionem conſtitutas volunt. Non tamen, ut* QUOD OBJICIUNT MALIGNI, *ſolvantur tamquam acceptorum Beneficiorum pretium, ſed tamquam penſio in ſuſtentationem Pontificis, & Cardinalium, aliorumque Miniſtrorum pro utilitate Eccleſiæ univerſalis*

lis laborantium : quâ conſideratione omnes pedetentim Nationes hoc oneris ſubietunt. Hæc ille. Plures alios adferre hîc poſſem idipſum uno ore confirmantes, quos prætereo, ne eadem aliis verbis adferre cogar. Vide latiſſime de illâ re agentem Proſperum Fagnanum loco ſupra citato.

His dictis addi poteſt, quod ſecundùm jura poſſit conſuetudine, ſtatuto, aut privilegio introduci, ut fructus primi aliquot annorum reſerventur alicui Epiſcopo, Eccleſiæ fabricæ, aut alicui alteri, ſive pro ſolvendis Epiſcopi debitis, aut aliâ rationabili de causâ, ut habetur Cap. *Præſenti*, *de officio Ordinand.* Cap. *Tua nobis*, *de verb. ſignif.* & alibi. Imo Extrav. Joan. XXII. *Suſcepti*, ſimilia vocantur etiam *Annalia.* Deindè, quæ culpa, ſi Papa conferendo alteri Beneficium, partem fructuum alicui alteri Clerico indigenti reſervet conferendam; idque per ſingulos annos? Imo, quæ culpa, ſi Pontifex partem fructuum aſſignaret Regibus, & Principibus ob Eccleſiæ defenſionem? ad hæc, ſi liceat fructus cujuſlibet præſtimonii dimidii anni poſtquam vacaverit, convertere in utilitatem menſæ Capitularis, uti cenſuere Interpretes Concilii Trid. neque hæc praxis ſublata ſit per Goncilium Trid. *Seſ.* 24. *cap.* 14. Quare id denegandum erit Pontifici? inſuper, fructus primi anni alibi cedunt domui mortuariæ prædeceſſoris, ut æri alieno fiat ſatis: & Epiſcopi poſſunt de reditibus Beneficiorum de jure exigere ad inſtruenda Seminaria Clericorum, prout etiam illis permittit Synodus Tridentina. Quibus omnibus perpenſis, ſatis liquet animo non præoccupato, quomodo Pontifex licitè Annatas exigat, id eſt, dimidiam partem fructuum primi anni, idque in finem maximè neceſſarium, & ſublimem. Si enim nullus contradicere audeat, quin Regibus debeantur à ſubditis ſtipendia, & ſubſidia, ad temporalem Regni ſtatum intertinendum : quo jure id denegandum erit Eccleſiæ Annatarum ſubſidia exigenti ad finem longè ſublimiorem? Reddite ergo, ait Apoſtolus, omnibus debita : & ipſe Chriſtus Matth. 22. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.*

SECTIO XIV.

De pœnis Simoniacorum.

QUamvis ſimoniaca pravitas graviſſimis ab Eccleſiâ pœnis ſemper fuerit interdicta : necdum tamen adeo efficaces adinvenit, quin more zizaniæ etiam occultiſſimè proſerpat. Et inprimis Authores notant, nullam ſimoniam ipſo facto inducere pœnas à jure conſtitutas, niſi ſimoniam in Ordine, Beneficio, & Religionis ingreſſu : adeo, ut ſi quis ſimoniam committat in diſpenſando, benedicendo, res alias ſacras adminiſtrando; non incurrat tamen pœnas ipſo facto, etſi graviſſimè peccet. Rationem illius dat Sylvius q. 3. art. 6. *Quia Eccleſia ſolùm hos ſuis legibus punire intendit, ut à quibus plus periculi; idque ſæpius eſſe conſuevit.* Imo, neque etiam dictas ſimoniæ pænas incurri, niſi quando ſimonia ex parte utriuſque ſaltem pro parte eſt completa, docent pleri-

que;

que : adeo ut debeat eſſe ſimonia realis, & conſequenter ab utraque parte aliquid ſpirituale datum eſſe pro temporali, & acceptum. Hinc Navarrus in *Manuali cap.* 23. *num.* 104. docet hanc eſſe praxim Curiæ Romanæ, & Rotæ, ut beneficium ſimoniacè acceptum ipſo jure non vacet, nec ita proviſus ſit excommunicatus, neque ſi in ſacris ita celebraverit, ſit irregularis; niſi pretium ſaltem pro parte ſit ſolutum. Et Filliucius, qui dudum Romæ docuit, teſtatur hanc eſſe praxim Pœnitentiariæ Romanæ. De quâ re mox latius.

Ut ergo ordine procedamus, 1. Qui ſimoniacè confert Ordinem ſacrum, eſt ipſo facto excommunicatus. Probatur illud ex *Extravagante Pauli II. de ſimonia*, uti etiam ex alia Eugenii IV. *Extravag. Cùm deteſtabile, de ſimonia*, & renovata per Concilium Trid. *Seſ.* 21. *cap.* 1. *Reform.* 2. Eſt ſuſpenſus à collatione Ordinis cujuſcumque, etiam primæ tonſuræ. 3. Interdicitur illi uſus Pontificalium. 4. Etiam ingreſſus Eccleſiæ. 5. Si contra egerit, interdicitur illi adminiſtratio ſuæ Eccleſiæ, & perceptio fructuum. 6. Nullus eum abſolvere poteſt, etſi crimen etiam ſit occultum, excepto Romano Pontifice, non obſtantibus privilegiis Mendicantium, aut Epiſcoporum quoad alias abſolutiones, cùm Pontifex illis expreſsè hîc deroget: prout clare patet ex Bulla Sixti V. *Sanctum, & ſalutare .... cæterum, ſi quis Antiſtes.* Circà quas conſtitutiones aliqua ſunt advertenda. Primò, quod dicta Pauli Extrav. eidem excommunicationi ſubjaceant, mediatores, & promotores ſimoniacæ Ordinationis. Secundò, quod præcipiat in virtute S. Obedientiæ, ut ſi quis ſimilis ſimoniæ ſit conſcius, eam Pontifici revelet; quod ſi omiſerit, abſolvi non poſſit, donec eamdem revelet. Hæc tamen hujus conſtitutionis pars, juxta Sylveſtrum V. *Excommunicatio excommun.* 43. Navarrum *Manuali. cap.* 27. *num.* 106. & alios non ligat, niſi fortè quoad degentes in Curiâ Romanâ, cùm irrationabilis eſſet conſtitutio, ait prior, quod vellet pauperes ab extremis terræ adire Curiam pro defendenda ſimonia. Imo, juxta S. Antoninum 3. *p. tit.* 24. *cap.* 66. nec in ipsâ Curiâ id locum tenet. Tertiò, advertit Leſſius circa hanc Sixtinam ſcribens in hunc modum : *Puto tamen hanc Sixtinam pleriſque locis ignorari, ac proinde non eſſe uſu receptam.* Quartò, quod juxta eumdem Authorem malè quidam has pœnas extendant ad omnem ſimoniam in Ordine admiſſam; etiam, quæ committitur in dando ſigillo, dimiſſorialibus, &c.

Pœnæ ordinationis ſimoniacæ

Secundò, qui ſimoniacè Ordinem ſuſcepit, eſt ipſo facto excommunicatus. Patet ex dictis, dum omnis ſimonia in Ordine, & beneficio hanc pœnam habet conſtitutam. Deinde, eſt ſuſpenſus, non tantùm ab Ordine, quem ſimoniacè accepit (quod Leſſius credit non improbabile, uti & Malderus) ſed ab omni prorſus Ordine, etiam aliàs legitimè ſuſcepto, prout disertè dicit Bulla, *Cùm deteſtabilis*, quod ab omnium Ordinum executione ſit ſuſpenſus, ut notat Wiggers. Inſuper, ſi eo non obſtante præſumpſerit celebrare, ſit irregularis. Ad hæc, nemo eum poteſt præter Papam abſolvere. Idem habet iterum Bulla Sixti V. Denique jura docent, quod ille, qui ſimoniacè Ordinatus eſt, habeat characterem vitioſum, uti etiam notat Fagnanus in Cap. *Accuſatum, de ſimonia num.* 2.

Digitized by Google

Pœnæ beneficii proviſionis ſimoniacæ.

Tertiò, qui ſimoniacè alteri confert beneficium, præſentando, eligendo, poſtulando, conferendo, &c. eſt ipſo facto excommunicatus, ut patet ex dict. *Extrav.* cum autem jura loquantur ſolummodo de beneficiis; comprehenduntur ſolùm beneficia propriè dicta, ſive ea ſint Regularia, ſive Sæcularia; & excluduntur penſiones, dignitates, &c. ſimoniacè accepta. Qui verò ſimoniacè ſuſcipit aliquod beneficium; 1. Ipſo facto eſt excommunicatus. 2. Hujuſmodi proviſio eſt irrita. 3. Fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum. 4. Regula de triennali poſſeſſione nihil illi prodeſt, ſed poteſt etiam eo elapſo illi lis intentari, uti intruſo, cui illa regula nil etiam prodeſt: aliud eſſet, ſi triennio illo bona fide pacificè poſſediſſet, quo caſu in conſcientiâ uti poſſet dictâ Regulâ. Si verò intrà illud tempus ſimoniam reſciverit, tenetur beneficium reſignare: niſi fortè inimicus pecuniam malitiosè dediſſet, ut collationem impediret reddendo eam ſimoniacam: aut niſi alter expresſè contradixiſſet. De quibus dictum eſt Sect. 11. ubi recolligendum eſt, quod initio hîc diximus, quod ad dimiſſionem beneficii, excommunicationem, cæteraſque pœnas neceſſarium ſit, ut fuerit ſimonia realis, ſive ex utraque parte completa. Hinc ultra dictos Doctores, alios adferens Binsfeldius in rubricam de ſimonia, *notab.* 15. *num.* 3. uti & interpretationem Curiæ Romanæ, ac Prætorii Rotæ, ad conſolationem aliquorum Deum adhuc timentium, & ex fragilitate hîc lapſorum, ita addit ex Navarro in Cap. *Si quando, de reſcript. except.* 4. *Omnes* CHRISTI *Fideles etiam atque etiam dehortor, primum ab omni ſimonia circa Ordines, & beneficia præſertim committenda, tamquam ab horrendo quodam monſtro, ſive illa ſit mentalis tantùm, ſive mentalis, & conventionalis, ſive etiam realis, propter ea, quæ dicenda ſunt poſtea. Eos autem, quibus vel per ignorantiam non probabilem, ſive vincibilem, ut Theologi loquentur, cupiditatem, ambitionem, vel aliam humanam fragilitatem, vel etiam malitiam eâ inquinari, polluive contigit, circa Ordines, vel beneficia, hortor, ut circumſpiciant, num ad dationem, vel receptionem rerum promiſſarum fuerit proceſſum. Quo caſu ſciant ſe ſententiam excommunicationis incurriſſe, etſi ante abſolutionem celebraverint, irregularitatem contraxiſſe à Summo Pontifice delebilem, & nihil juris in beneficiis, quæ per eam adepti ſunt, quæſiiſſe, & ad fructus reſtituendos obligatos eſſe. Si autem ad promiſſorum dationem, & receptionem non ſit proceſſum, ſed ſola mente conceptum eſt propoſitum de committendâ ſimoniâ, vel etiam ad verba, pacta, & conventionem deventum, pœniteat quidem eos, ex animo, quod Deum mortiferè offenderint, at non angantur ſcrupulis excommunicationis, irregularitatis, tituli nullitatis, non reſtituendorum fructuum perceptorum neceſſitatis.*

Quartò, quando in Religionis ingreſſu ſimonia committitur, tam dantes, quàm accipientes ipſo facto ſunt excommunicati, & ipſe Conventus, ſi conſenſerit, eſt ſuſpenſus. *Extrav. ſanè, de ſimonia.* Quæ etiam ſuſpenſio eſt ab Officio Capitulari quoad juriſdictionem, vel adminiſtrationem Eccleſiaſticam pertinente. Alii tamen, cum Navarro *Manualis cap.* 23. cenſent excommunica-

nicationem ipſo facto incurrendam tantummodo ſtatutam eſſe ſimoniæ in Ordine, & beneficio: quod tamen non ſubſiſtere patet ex dicta Extrav. niſi vellet eam non eſſe uſu receptam, quod Leſſius verum eſſe cenſet; addens, quod Martinus V. & Clemens VII. declaraverint, id non habere locum in dote Monialium. Et idem de Martino cenſêre Antoninum, ſed ſolùm ex auditu, docet Sylvius; prudenter tamen addens: *Quia tamen eam Bullam, ſeu declarationem Martini non reperimus, neque ullus eſt, quantum quidem ſcire potuimus, qui aſſerat ſe eam legiſſe, vel vidiſſe. Ideo ſi Moniales veram ſimoniam committerent, in alicujus ad ſuam congregationem admiſſione, non credimus, quod excommunicationem evaderent, niſi fortè per ignorantiam, aut bonam fidem excuſarentur.* Qui autem ita Profeſſi ſunt, aut admiſſi, non poſſunt ſine diſpenſatione in eo Monaſterio permanere, ſed debent tranſire ad aliud. Et quamquam fiant veri Religioſi quoad profeſſionem, non tamen acquirunt jus portionis ordinariæ, vocis activæ, aut paſſivæ ſine diſpenſatione. Interim, quamdiu per ſuperiorem non compelluntur egredi, poſſunt liberè perfrui bonis communitatis, dum dignus eſt operarius cibo ſuo.

Ultrà dictas pœnas, aliæ ſunt ab Eccleſia aliis ſimoniacis conſtitutæ. Quibus & accedit obligatio reſtituendi res ſimoniacè acceptas, de quo mox latius in ſequenti Sect. 15. graviſſima tamen pœna ſimoniæ conſtituta eſt perditio æterna, quam S. Petrus primitus inflixit primo ſimoniæ promotori dicens Act. 8. *Pecunia tua ſit tecum in perditionem.* Hinc rectè Petrus Bleſenſis Epiſtolâ 120. adverſus Nepotem Decani Turonenſis ſimoniacum: *O negotiatio deteſtanda pro honore tranſitorio animam perdere, tantumque pecuniæ numerare pro reditu, quantum de obventionibus ejus non poſſit per quinquennium obvenire. De animæ perditione, aut ſalute taceo: nam de anima ultima quæſtio eſt apud eum. Non attendit miſerrimus, quid ſuper eum cogitet terribilis in conſilio ſuper filios hominum Deus. Quis ſcit, ſi hodie, vel cras ſubitatio mortis eum rapiat, & non ſit, qui eripiat? ...... infelix ob inanis gloriæ ventum ſuam animam jugulat!* Hiſce addo, quod ſcribit idem Author Epiſtolâ 129. ſimoniacis conſiderandum proponens: *Achan de anathemate Jericho tulit, & lapidatus eſt. Chore ſpirituale officium uſurpavit, & igne cælitus miſſo conſumptus eſt. Jaſon ab Antiocho Sacerdotium emit, & extinctus eſt ignis, quem accenderat Hieremias. Saül munera detulit ad Prophetam, & in ira Dei conſtitutus eſt. Jeroboam omnibus, qui manus ei implebant, Sacerdotium conferebat, & domus ejus ſubverſa eſt. Balthaſar, quia vaſis Tabernaculi abutebatur, captus, & occiſus eſt. Dathan & Abiron à terrâ abſorpti ſunt, quia ſpirituali officio ſunt abuſi. Deterreat eos lapidatio Achan, incendium Chore, lepra Gieſi, pecunia Simonis, reprobatio Saülis, ſubverſio domûs Jeroboam, ruina Dathan & Abiron, extinctio ignis à Jaſone.* Graviſſimæ pœnæ quidem, ſed nedum ſat efficaces ad ſubtile ſimoniæ malum penitus abolendum.

Digitized by Google

SECTIO XV.

De reſtitutione rerum ſimoniacè acceptarum.

UNam ex difficillimis ſimoniæ pœnis meritò cenſent aliqui eſſe reſtitutionem rerum per ſimoniam acquiſitarum. Rem illam paucis expediemus. In primis, qui rem ſpiritualem confert pro pretio, quam tenetur ex Officio conferre gratis, ſimoniacus eſt, & tenetur ad reſtitutionem ex jure naturali divino, dum peccat contrà Religionem, & juſtitiam, accipiendo aliquid temporale pro ſpirituali, quod debet conferre ex officio. Deinde, quiſquis rem ſpiritualem, ſive illi annexam alteri confert pro re temporali, tenetur eam rem temporalem reſtituere. Et ratio eſt, quod ſolus Deus ſit rerum ſpiritualium Dominus, & alii ſint ſolummodo earum diſpenſatores, qui proindè dando res illas contrà ſui Domini voluntatem, nil juris in alium accipientem transferunt, qui proinde rem ſpiritualem tenentur dimittere, & illi rem temporalem reſtituere. Unde S. Thomas ait, quod qui interventu muneris, ſpiritualia quæcumque aſſequitur, ea licitè retinere non poſſit. Ad hæc omnis ille contractus eſt injuſtus, in quo venditur res aliqua, cujus venditor non eſt Dominus, aut quæ de ſe eſt invendibilis, aut non habet Domini conſenſum ad vendendum: cùm ergo illa contingant in collatione rerum ſpiritualium pro pretio, & conquiſita ex contractu injuſto ſint reſtituenda, ſequitur, ſimoniacè accepta eſſe dimittenda, & reſtituenda.

Imò, beneficium etiam eo caſu dimittendum eſſe, etſi promotus de ſimonia nihil reſciverit, docet S. Thomas 2. 2. q.100. art.6. in corp. dicens: *Reſpondeo dicendum, quod nullus poteſt licitè retinere id, quod contra voluntatem Domini acquiſivit: puta, ſi aliquis Diſpenſator de rebus Domini ſui daret aliquid contrà voluntatem, & ordinationem Domini ſui, ille qui acciperet, licitè retinere non poſſet: Dominus autem, cujus Eccleſiæ Prælati ſunt Diſpenſatores, & Miniſtri, ordinavit, ut ſpiritualia gratis darentur, ſecundùm illud Matthæi* 10. *Gratis accepiſtis, gratis date: & ideo qui muneris interventu ſpiritualia quæcumque aſſequitur, ea licitè retinere non poteſt.* Et reſponſ. ad 3. *Ad hoc, ut aliquis privetur eo, quod accepit, non ſolùm eſt pœna peccati, ſed etiam quandoque eſt effectus acquiſitionis injuſtæ; puta, cùm aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non poteſt: & ideo, ſi eo neſciente, nec volente per alios alicujus promotio ſimoniacè procuretur, tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſecutus cum fructibus extantibus: non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bonâ fide poſſedit.*

An pretium ſimoniacum ſit reſtituendum jure naturali. Gravis hîc eſt quæſtio, an pretium illud jure poſitivo reſtituendum ſit, an jure naturali, aut divino. Alii id generaliter negant cum Toleto: alii diſtinguunt cum Bonacina, qui *Diſput.* 1. *q.* 7. *puncto.* 3. *diſt.* 1. *propoſ.* 2. docet, quod pretium ſimoniacè quidem acceptum, ſed non injuſtè, non ſit reſtituendum: acceptum verò ſimoniacè, & injuſtè ſimul, ſit reſtituendum. Et ratio

Digitized by Google

tio prioris opinionis eſt illa, quod ſimonia de ſe ſit tantummodo contra Religionem, non verò contrà juſtitiam; adeoque non inducat obligationem reſtitutionis. Deindè, etſi res ſpiritualis dicatur eſſe ſuprà omne pretium, non ita id intelligendum eſt, quaſi ejuſmodi res ſit infrà omne pretium; ſed quia eſt valoris ſublimioris, adeoque propter ſuam eminentiam, ſit ſuprà omne pretium. Unde, ſicuti fama eſt ſuprà omne pretium; ita tamen, ut pro eâdem accepta non ſint reſtituenda, ita & in hoc caſu. Hinc etiam inferunt, quod reſignans beneficium pro pretio, non debeat pretium illud reſtituere; tum, quod beneficium ſit tantummodo ſuprà omne pretium, prouti mox dictum eſt: tum, quod eo non obſtante fructus beneficii ſint pretio æſtimabiles: tum denique, quod reſignans ſe privet reſignando emolumentis, pro quorum compenſatione poterit ſibi pretium datum retinere. Et idem docent de Abbate, & Conventu quoad illa, quæ ſimoniacè acceperunt pro ingreſſu Religionis; eò quòd ingreſſo dederint jus ad commune bonum, cujus illi habent dominium, & cujus alterum faciunt eſſe participem. Addunt tamen, quod collatores beneficii debeant pretium illud reſtituere, eò quòd illi vendant rem non ſuam. Ita ferè Wiggers. Alii tamen rectius docent, quod pretium ſimoniacè acceptum, etiam jure naturali divino ſit reſtituendum. Et ratio eſt, quod ille, qui hoc pretium recipit, nullum habeat juſtum titulum ad illud retinendum ſtando in natura contractûs. Cùm enim dici ſolummodo poſſit, quod id fieret titulo venditionis, quæ eſt planè nulla. Sequitur, quod nec eo titulo pretium queat retineri, niſi fortè accederet titulus donationis gratuitæ, qui ſeponitur. Materia enim ſpiritualis eſt omninò invendibilis, uti aliquoties eſt dictum. Enimverò, ſi ratione fructuum liceret beneficia pro pretio vendere, aut reſignare; nulla foret ſimonia contrà juſtitiam in beneficiis. Quod verò opponitur de fama, pro cujus compenſatione aliquid dari poteſt, nihil prorſus obſtat; cùm fama ſit bonum temporale, cujus homo eſt Dominus; quam proinde etiam poterit æſtimare, ſi velit; quod deficit in rebus ſpiritualibus. Huic opinioni favet S. Thomas, *qui* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. ait, quod in ſimonia, tam dans, quàm accipiens peccet contra juſtitiam legis divinæ: ideoque pretium per eam acceptum retinere non poſſit ille, qui accepit. Idem tenet Adrianus *quodlib.* 9. *in tertia Concl.* Molanus *Theol. pract. tract.* 2. *cap.* 43. Sylvius *q.* 100. *art.* 6. & Eſtius *in* 4. *diſt* 26. §. 18. ità more ſuo clariſſimè rem exponens: *Jus divinum fundatur in hac Domini ſententia, gratis accepiſtis, gratis date. Ratio autem hæc eſt, quia qui rem tali modo accipit, non eſt factus ejus rei Dominus. Neque enim ibi transfertur rei dominium, eo modo, quo tranferri poteſt, & debet. Nam cùm Eccleſiaſticum beneficium vendibile non ſit, fieri non poteſt, ut per venditionem in poteſtatem alterius tranſeat, ſed tantùm per gratuitam donationem, vel collationem. Inde conſequens eſt, ut ne pueri quidem ſimoniacè ſibi à parentibus acquiſita beneficia licitè retineant, etiamſi ipſi in acquirendo beneficio fuerint extra omnem culpam. Siquidem reſtitutio non tam pœna eſt peccati (ut ſit, dum alienum ignoranter detinetur) aut peccato perfectè remiſſo·*
Digitized by Google

miſſo etiam quoad pœnas temporales, nihilominus neceſſarius permanet, ad hoc, ut quiſque, quod ſuum eſt, habeat, & inæqualitas iniquæ poſſeſſionis tollatur.

An beneficium ſimoniacè acceptum ſit dimittendum.

Quæret aliquis, an ergo etiam conſequenter res ſpiritualis pro temporali accepta, ſit de jure naturæ dimittenda, & reſtituenda. Reſp. Beneficium ſimoniacè acceptum, niſi adſit diſpenſatio, relinquendnm eſt, in manibus Collatoris, ut communiter DD. in Cap. *Dilectus, de ſimonia*, & *Extrav. Cum deteſtabile, eod. tit.* Dimittendum autem videtur ipſo quoque jure naturæ cùm collationes ſimoniacæ ſint invalidæ ex ſua natura, eò quòd ſit venditio, & emptio rei invendibilis contra voluntatem Domini. Deindè, neque hîc ſuffragari poteſt, quod poſtea Beneficium eo modo acceptum rectè adminiſtretur, quaſi ex eo jam cum Domini voluntate poſſideatur: quia, cùm detentio rei injuſtè acquiſitæ ſit ejuſdem rationis cum injuſtâ acceptione: ſequitur, quod ſicuti Beneficium ſimoniacè acquiri non poteſt: ita neque poſſit Beneficium ſimoniacè jam acceptum retineri. Sic etiam fur continuò peccat, donec reſtituat. Aliud tamen dicendum eſt de Ordine ſimoniacè accepto, cujus collatio tenet non obſtante ſimonia, idque propter efficaciam Sacramenti ex CHRISTI inſtitutione imprimentis characterem; modò nec ab ordinante, nec ab ordinato opponatur obex Sacramento, qui per ſimoniam illi non opponitur. Quia interim talis, quaſi furtivè characterem ſuſcipit contra voluntatem Domini principalis vetantis ità Sacramentum conferri; ideo nec Sacramenti gratiam accipit, neque ejus executionem. An autem, idem dicendum ſit de electionibus ſimoniacis, an jure naturæ ſint nullæ, antea attigimus Sect. 11. ubi Fagnanus contrarium defendit, allatis ibidem ejus rationibus. Imo addit ibidem num. 62. ſeſe verius exiſtimare, neque per ſimoniacam hæreſim impediri neſcientibus, acquiſitionem ſpiritualem; quod probat in puero ſimoniacè baptiſato, Sacerdote ſimoniacè ordinato, &c. Verum enim verò, ibi eſſe rationem ſingularem modò commonſtravimus. Unde rectius apparet id, quod alii hîc docent, etiam rectè excipi electionem ſimoniacam, quaſi ob eam ab ignorante debeat dimitti Beneficium, cùm ab eligentibus Beneficium proprie non conferatur, & ſæpè à majori eligentium parte electio ſit legitima, etſi unus fortè per ſimoniam ſit corruptus. Quod ſi omnes, aut major eligentium pars pecunia ſit corrupta; videtur eo caſu, etiam dimittendum eſſe Beneficium, & electionem de jure naturæ eſſe nullam, dum Beneficium datur pro pretio, ſi non immediate, ſaltem mediatè, & electio illa fuit via proxima, & neceſſaria ad conſequendum Beneficium, quod ipſo jure eſt nullum juxta ante dicta. Quod ergo antea non teneatur Beneficium ita obtentum dimittere, eſt ideo, quod ſit ille in bona fide; qua ceſſante, dum ſimoniacam electionem reſcit, tenetur Beneficium dimittere, juxta ante dicta, dum reſtitutio non ſit tantùm pœna, ſed etiam actus juſtitiæ. Et hinc alii cum Binsfeldio generaliter docent, in Cap. 10. *de ſimonia*, quod omnis

omnis electio ſimoniacè procurata, aut facta, ſit nulla, per eamque nullum jus acquiratur electo, quam opinionem aſſerit eſſe communem DD. tam Theologorum, quàm Summiſtarum, & Canoniſtarum; excipiens tamen caſum, quo quis in fraudem ad impediendam electionem, pecuniam obtuliſſet: addunt alii, ſi equidem electores eum elegiſſent. Hic tamen ſimoniacè electus, non incurret pœnas à jure conſtitutas electioni ſimoniacæ; quia ubi nulla eſt culpa, aut pertinacia; nulla poterit eſſe excommunicationis pœna. Denique hoc præterire non poſſum, quod non ideo præcisè electio non ſit ſimoniaca, quia pecunia non datur tamquam pretium Beneficii, ſed ſolummodo illa datur ad inducendos electores ad ſuffragium ferendum, ut ibidem docet Fagnanus, & ſufficienter contrarium colligi poteſt ex iis, quæ diximus Sectione 3. hujus Cap.

Quæres, cui, & quando debeant reſtitui illa, quæ ſimoniacè accepta poſſidentur. Reſp. Spectando jus naturæ, reſtituenda forent illi, à quo ſunt accepta; eò quòd deſit titulus ea poſſidendi. Sic Judas natura, & pœnitentia ductus retulit 30. argenteos Principibus Sacerdotum. Spectando tamen jus Eccleſiaſticum, ſic rectè conſtitutum eſt, ut nec dans ſimoniacè quidquam recipiat, quod ante ſuum erat; ſed dari debeat Eccleſiæ, cui per ſimoniam, gravem intulerunt injuriam. Per Eccleſiam autem etiam hîc intellige pauperes, quibus olim pars bonorum Eccleſiaſticorum debebatur. Idem dic de fructibus Beneficii ſimoniacè accepti. Si interim ipſa Eccleſia, aut totum Collegium in ſimoniam conſenſerit, tunc pretium ſimoniacum non debet reſtitui eidem Eccleſiæ, quæ ſe eo per ſimoniam fecit indignam: ſed à ſuperiore pauperibus eſt erogandum, prouti pecunia à Juda Judæis relata, nec ceſſit Judæis, nec Judæ; ſed data eſt in corbonam ad ſepulturam peregrinorum. Excipiuntur tamen aliqui caſus, quibus ipſi ſimoniaco reddi debeat ex miſericordia: 1. Si Religionem debeat ingredi: ſic illud injungitur in Cap. *Veniens*, ut reddatur Monacho, qui bona fide pecuniam dederat, nec habebat, unde in alio Monaſterio aleretur, quò debebat migrare. 2. Cùm quis erravit in jure, aut in facto, putans aliquid non eſſe ſimoniam. Vide Fagnanum in Cap. *Tua nos, de ſimonia, num.* 13.

Cui, & quando debeant reſtitui ſimoniacè accepta.

Debet autem reſtitutio illa fieri ſtatim ac commodè fieri poterit, etiam ante omnem ſententiam Judicis: tum, quod ille peccaverit contrà juſtitiam, adeoque retineat id, quod alteri eſt debitum: tum, quod hoc ita cenſeat Eccleſia, quæ Cap. *De hac, de ſimon.* & Cap. *Audivimus*, etiam dictam reſtitutionem imponit Regibus, & Epiſcopis, quos nemo ad illud ſolet compellere. Neque hîc objici poteſt, quod pœna non debeatur ante ſententiam; dum, ut ante dictum eſt, reſtitutio non eſt pœna, ſed actus juſtitiæ, etiam de jure naturæ præcepta. Hinc idem planè dicendum eſt, de fructibus Beneficii ſimoniacè accepti, utpotè quorum proviſio fuit prorſus nulla. Reſtitutio autem illa poterit fieri, vel Ærario Apoſtolico, unde ſuper iiſdem obtineri poterit compoſitio: vel in uſus pauperum, vel ſucceſſori

ceſſori legitimo, ubi talis eſt conſuetudo, ut fructus vacantis Beneficii dentur ſucceſſori. Qui verò per ſimoniam ignoranter poſſidet Beneficium, debet reſtituere fructus adhuc extantes, non verò eos, quos durante bonâ fide conſumpſit; cùm antea erat poſſeſſor bonæ fidei, & conſequenter eâ fide rectè conſumpſerit, adeoque nulla fuit in eo culpa. Quàm citò tamen id ſciverit, debet & Beneficium reddere, neque deinceps facit fructus ſuos, dum non habet juſtum titulum eos acquirendi, aut obtinendi.

An mentalis ſimonia obliget ad reſtitutionem,

Quæſtio ulterior eſt, an etiam mentalis ſimonia obliget ad reſtitutionem: & diſcrepant hìc Authorum opiniones: alii enim id negant cum Petro Navarro *lib.* 2. *reſtitut. cap.* 2. Alii cum Bonacina ibi ſuprà, id negant de ſimonia, quæ non eſt ſimul injuſta: affirmant autem de ſimonia, quæ unà eſt injuſta. Alii denique abſolutè verius docent cum Sylvio, & aliis, etiam illam ſimoniam obligare ad reſtitutionem: tum, quod contractus ſimoniaci ipſo jure ſint nulli, juxtà jam dicta: tum, quod mentalis uſurarius teneatur ad reſtitutionem, ergo & ſimoniacus mentalis, dum uterque accipit pretium pro re, cujus nec eſt Dominus, neque quam poteſt vendere, nec alio juſto titulo. Ità etiam Eſtius, *reclamantibus*, ait, *plerumque Canonum Doctoribus*. Notandum tamen, hìc intelligi ſimoniam mentalem illam, in qua aliquid datum eſt pro re ſpirituali, nullo adjecto pacto implicito, aut expreſſo. Neque hìc obſtat Cap. *Mandato*, *de ſimonia*, ubi Gregorius IX. ait, quod quando aliquid nullo pacto, ſed ſolo affectu animi acquiritur ſimoniacè, ſatis ſit, per ſolam pœnitentiam ſatisfacere Creatori: quia, ut rectè reſpondet Sylvius, non eſt veroſimile, quod Gregorius IX. aliud dixerit à Gregorio I. & Eſtius notat, quod Gregorius I. apud Gratianum 1. q. 1. Cap. *Si quis*, apertè dicat, quod, qui fraudulento munuſculo dignitatem Eccleſiaſticam acceperit, eumque inſperata mors non pœnitentem invenerit, proculdubio in æternum peribit. Ubi per *fraudulentum munuſculum* Authores intelligunt illud, quod ſine pacto datum eſt, adeoque per ſimoniam mentalem. Quod ergo ait Gregorius IX. dicto Cap. nihil aliud eſt, quàm quod ſimilis ſimoniacus non incurrat pœnas à jure ſtatutas, puta excommunicationem, &c. Ad quas incurrendas requiritur ſimonia realis, uti ante dictum eſt. Tò *ſolam* ergo, non excludit obligationem reſtitutionis faciendæ, ſed excludit incurſum pœnarum à jure poſitarum. Patet id etiam ex ipſo Capitulo, dum Pontifex diſpenſat ibidem cum Abbate, & Monacho per ſimoniam admiſſo, ne reſtituere tenerentur; adeoque ſignum eſt, eos ante deliquiſſe: ad quid enim aliàs opus reſtitutionis diſpenſatione?

Objiciunt tamen alii D. Thomam ad 6. hìc ſcribentem, quod quoad Deum ſola voluntas faciat ſimoniacum; ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non puniatur ut ſimoniacus, ut debeat abrenuntiare. Deindè, conſequenter tenebitur ad reſtitutionem is, qui ſimoniam committit in admini-

miniſtrandis Sacramentis, ubi tamen ſolummodo decernitur in jure, obligatum eſſe ſimoniacum in Ordine, Beneficio, & Religione. Reſp. D.Thomas vult ibidem, quod qui ſolâ mente commiſit ſimoniam, non debeat ex vi Eccleſiaſticæ legis reſtituere, quamquam id debeat ex lege naturæ. Deindè, Eccleſia hoc de illis tribus declaravit; eò quòd tales ſint magis nocivi regimini Eccleſiaſtico, adeoque etiam reſtituere tenentur ex jure Eccleſiæ. Quamquam etiam in Cap. *Audimus*, *de ſimonia*, etiam injungatur Epiſcopo reſtitutio illorum, quæ pro ſepultura ſimoniacè acceperat. Quibus omnibus ritè perpenſis, rectè Bonacina ait *diſp.* 1. *q.* 7. *puncto* 2. *prop.* 1. in fine, etſi contrarium teneat: *Exiſtimo valdè probabile, & in praxi tutum, nonnullorum Doctorum ſententiam, aſſerentium quamlibet acquiſitionem rei Eccleſiaſticæ, modò ſpiritualis ſit, irritam eſſe, ſi fiat datâ, aut promiſſâ pecuniâ. Ratio eſt, quia in* Cap. Ea quæ, *generaliter irritatur ſimoniacè acquiſitum.*

F I N I S.

Nomini tuo Domine da gloriam.

INDEX RERUM OMNIUM, ET VERBORUM.

A

ABBAS *Religioſus non eſt dominus bonorum Monaſterii, eſtque paupertatis voto obſtrictus, ut alii Religioſi.* Folio 20. *Quidquid acquirit, acquirit Monaſterio.* ibid. *Etſi aliqua parcè vivendo ſubſtrahat; non ſit ſubſtractorum dominus.* fol. 21. *Eorum reſidentia, quàm graviter illis præcepta.* 645.

Abortus, quàm graviter ſit prohibitus. fol. 83. *Ejus pœna.* 84.

Acceptatio perſonarum quid ſit, & quale peccatum. 514. *Verè eſt peſtis communitatum.* 515. *In quibus illa reperiatur.* ibid. *Quomodo ſit in diſtributione officiorum ſæcularium, & aliis.* 516.

Actio quid ſit in jure. 192.

Accuſatio quid ſit, & an licita. 475. *Qui poſſint accuſare.* ibid. *Qui accuſare non poſſint.* 476. *Subinde eſt præcepta accuſatio.* ibidem. *Quomodo debeat accuſator aliquando deſiſtere ab accuſando.* 477.

Advocati, qui poſſint eſſe, qui non. 498. *An officio Advocati arcendi ſint indocti.* ibid. *Debent pauperibus gratis patrocinari.* ibid. *Poſſunt exigere ſtipendium, ſed juſtum, quid illud ſit.* 499. *Advocatorum abuſus, & peccata.* ibid. *In qua cauſa poſſint patrocinari.* 500. *An in cauſa injuſta, an in dubia, an in probabili.* ibid. & ſeq. *Advocatorum fraudes.* 502.

Adulterii injuria gravior eſt, quàm ſit ſtupri. 113. *Quid ratione adulterii ſit reſtituendum.* ibid. *Ad quid teneatur adultera.* 115. *Adulterii pœna.* 117.

Amortiſatio quid importet. 247.

Antichreſis quid ſit, & an liceat. 341.

Aſſecuratio quid ſit, & ad eam requiſita. 424.

Auctio publica quid ſit, & quod pretium in ea ſit juſtum. 275. *Quænam fraudes in ea ſoleant comitari.* 276.

Aureus quid importet in donatione. 300. *Aureorum.* 237.

Azylum, & jus azyli, quid importent. 542. *Quinam illo gaudeant.* 543.

B

BAnckarii *qui ſint.* 268. *Beneficium Eccleſiaſticum quid ſit.* 550. *Ejus origo.* 549. *Beneficii variæ diviſiones.* 551. *Beneficium regulare quid ſit, & quibus conferatur.* 552. *An dari poſſit Novitio.* ibid. *Beneficium regulare quomodo dividatur.* 553. *Beneficiati regulares à quo ſint corrigendi.* ibid.

Beneficiorum variæ ſpecies in particulari, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Metropolitanatus, Epiſcopatus, Suffraganei, Coadjutoris, Præpoſiti, Abbatum, Decani, Archidiaconi, Archipreſbyteri, Pœnitentiarii, Scholaſtici, Cantoris, Theſaurarii à 554. *uſque ad* 562. *De Paſtoribus, & Canonicis.* ibid. *De Capellanis, Vicariis, Præſtimoniis, Commendariis uſque* 566.

Beneficia quot modis conferantur. 569. *Electione, poſtulatione, collatione liberâ, nominatione, &c. Quid illa importent, uſque ad* 572.

Beneficiorum Dominus non eſt Papa. 583. *Quod modis ille Beneficia conferat.* ibid. *An præventioni ejus ſit locus in Galliis, & in Belgio.* 584.

Beneficium non poteſt dari indignis, eſtque illud abſurdum. 585. *Omnia Beneficia debent dari dignioribus.* 586. *An ſemper dignior ſit præferendus.* 588. *Quis hic cenſendus ſit dignior.* 589. *An indigno conferens, aut minus digno, omiſſo digniori, debeat reſtituere, & quibus.* 590.

Bene-

Digitized by Google

Beneficium quid prærequirat. Primò Clericatum, & quomodo illum requirat. 593. & ſeq. 2. *Ætatem legitimam, & quæ illa ſit.* 596. 3. *Cœlibatum.* 597. 4. *Morum probitatem.* 598. 5. *Competentem ſcientiam.* ibid. 6. *Habilitatem ex parte corporis.* 599.

Beneficiis excluduntur illegitimi, ſpurii, &c. 600. *Alibi etiam extranei.* 601.

Beneficiorum pluralitas quàm ſit odioſa, & eſt contra jus naturæ. 601. *Graviſſima mala adfert Eccleſiæ.* 602. *Eſt monſtroſa.* ibid. *Eſt contra jus divinum.* 603. *Et contra jus poſitivum.* ibid. *Quâ ratione ſit licitum obtinere plura Beneficia.* ibid. & ſeq. *Quando hic valeat diſpenſatio.* 609. *Qui ſine juſtâ causâ obtinet plura Beneficia, non poteſt abſolvi.* 610. *An etiam non liceat habere plura præſtimonia.* ibid.

Beneficiorum unio quid ſit, & quotuplex. 611. *Quis poſſit unire Beneficia.* 612. *Quæ Beneficia poſſint uniri.* ibid. *Quid ad unienda Beneficia requiratur.* 613. *Quando Beneficia unita ſint diſſolvenda.* ibid.

Beneficiorum reſignatio quid ſit, & quotuplex. 614. *Quid ad eam requiratur.* 615. *Qui poſſint reſignare.* 616. *Cui debeat fieri reſignatio.* ibid. *Forma reſignandi.* ibid. *Regula reſignandi ab infirmis, & quomodo intelligenda.* 617. & ſeq. *Reſignationis effectus qui ſint.* 618.

Beneficiorum permutatio quid ſit, & ad eam requiſita. 619. *Quæ reſignatio cenſeatur eſſe fraudulenta.* 620.

Beneficii poſſeſſio quomodo ſit probanda. ibid.

Beneficia quæ requirant reſidentiam. 637. *Omnia Beneficia curata requirunt reſidentiam.* 638. *An in reſidentia poſſit diſpenſari.* 640. *An ſit fidei, quod reſidentia ſit de jure divino.* 641. *Quænam à reſidendo excuſent.* 642. *Chriſtiana charitas, & quæ illa ſit.* ibid. *Urgens neceſſitas, quæ illa ſit.* ibid. *Debita obedientia.* 643. *Eccleſiæ aut Reipublicæ utilitas.* 644. *Non reſidentium pœnæ.* 650. *Beneficia ſimplicia an requirant reſidentiam.* 662.

Beneficiati quinam obligentur ad Horas Canonicas. 623. *An etiam præſtimonia.* ibid. *An etiam teneatur ille, qui habet Beneficium tenue.* 625. *An & ille, qui nullos fructus percipit.* 626.

Beneficiati in quem finem habeant ſui Beneficii fructus. 681. *Origo fructuum illorum.* ibid. *Dantur primò ad ſuſtentationem Clerici competentem: ad hoſpitalitatem.* 682. *Ad eleëmoſynas erogandas.* 683. *Ad facienda opera pia.* 684. *Quid de illis dare poſſint.* 685. *An de illis liceat ditare conſanguineos.* ibid.

Beneficiatus habens ſufficiens patrimonium, an poſſit eo reſervato vivere de reditibus ſui Beneficii. 688. & ſeq.

Beneficium Inventarii quid ſit, & quos habeat effectus. 255.

Beneficium reſtitutionis in integrum quid ſit. 218. *Quid ad eam requiratur, & quis ea uti poſſit.* ibid. *Quid per eam debeat reſtitui.* ibid. *Intra quod tempus ſit illo utendum.* 219. *An obtineat in contractu nullo.* ibid. *Contra quos contractus detur illa reſtitutio.* 220. *Quomodo ſit illud Beneficium impetrandum.* 221.

Bona Eccleſiaſtica in quem finem expendenda. 681. & ſeq. *Debent ſollicitè aſſervari.* 690. *Quæ requirantur ad debitam eorumdem aſſervationem.* ibid.

Bonorum Eccleſiaſticorum alienatio, quomodo prohibita. 692. *Quomodo ea permiſſa.* ibid. & ſeq. *Pœnæ ea indebitè alienandi.* 694.

Breviarii uſus. Vide Horæ Canonicæ.

C

Cambium quid ſit. 398. *An ſit licitum.* 399. *Quâ ratione liceat aliquid lucrari in cambio.* ibid. *Cambii diviſio.* 401. *Quid ſit cambium ſiccum.* 402. *Cambium locale quid ſit.* ibid. *Quo titulo liceat aliquid accipi in illo cambio.* ibid. & ſeq. *Cambia ad certas nundinas quæ ſint, & an liceant.* 405. *Cambia de nundinis ad nundinas an ſint licita.* 406. *Cambium byſantinum, vel Placentinum an liceat.* 407. *An Cambium cum recambio.* 408. *Campſores an licitè recipiant ſuas proviſiones.* ibid.

Canonici qui ſint, eorumque origo. 563. *Alii ſunt ſæculares, alii regulares.* 564. *Canoniſſæ quæ ſint.* ibid. *Canonici debent per ſe pſallere in Choro, quod eſt illorum proprium officium.* 627. & ſeq. *Canonicorum reſidentia, quàm ſtrictè illis ſit injuncta.* 654. *Pœna Canonicis debitè non reſidentibus impoſita.* 657.

Caſtratio, quàm graviter ſit interdicta. 92.

Cenſus quid ſit. 367. *Ejus antiquitas.* 366. *Ejus diviſio.* 367. *In realem, perſonalem & mixtum.* ibid. *In reſervativum, & conſignativum.* ibid. *In pecuniarium & fructuarium.* 368. *In perpetuum, & temporalem.* ibid. *In redimibilem, & irredimibilem.* ibid.

Digitized by Google

Cenſus reales an ſint liciti. 368. *Aliquibus non multùm probantur, & quarè.* ibid. *Probatur tamen eſſe licitos.* 369.

Cenſus quomodo conſtituantur. 371. *Quæ requirantur ad cenſum de jure poſitivo.* ibid. *Cenſus perſonales an ſint liciti.* 373. *Probatur eos eſſe licitos, & ſimul reſpondetur argumentis contrariis.* 374.

Cenſus temporalis an ſit licitus. 376. *Cenſus vitalitii an liciti.* 377. *Quid ſit in illis juſtum pretium.* ibid.

Cenſus utrimque redimibiles an ſint liciti. 379. *Cenſus irredimibilis jure naturæ eſt licitus.* 378. *Unde dignoſcatur cenſum eſſe redimibilem.* 397.

Cenſus, an debeat fieri pecuniâ numeratâ. 381.

Cenſus ſuper quas res ſtatui poſſint. 382. *An res illa debeat eſſe fructifera, & quomodo.* 383. *An poſſit imponi cenſus ſuper furna, molendina, fodinas, littora, lacus, columbaria, vectigalia.* 385. *An ſuper res mobiles.* ibid. *An ſuper fructus beneficii.* ibid. *An ſuper res uſu conſumptibiles.* 386. *An ſuper alium Cenſum.* ibid.

Cenſuum pretium quod cenſeatur eſſe juſtum. 387.

Cenſuum penſiones à quo ſint ſolvendæ. 388. *Quando ſolvi debeant, & quo loco.* 389. *Quot annorum penſiones poſſint exigi.* 390.

Cenſuum pretium an poſſit eſſe oleum, vinum, frumentum, &c. 391.

Cenſus, quæ pacta poſſit habere adjecta. 392. *An liceat paciſci de omni eventu futuro.* ibid. *An poſſit cenſui apponi pœna omiſſi.* ibid. *An, ſi pecunia debito tempore non ſolvatur, mittetur nuntius expenſis debitoris.* 393. *An cenſuarius obligari poſſit ad ſolutionem anticipatam.* ibid. *An liceat pactum, quod res cenſui ſubjecta alienari non poſſit.* 394. *An in cenſu conſtituendo liceat exigere aſſecurationem, fidejuſſorem, &c.* ibid.

Cenſus an augeri poſſint ex penſionibus debitis. ibid.

Cenſus quomodo debeat redimi. ibid. *An poſſit redimi per partes.* 395. *An redimi debeat pecuniâ numeratâ.* 396. *An debeat in Belgio redimi eo valore, quo ſunt conſtituti.* ibid.

Ceſſio bonorum, an & quatenus à ſolvendo excuſet. 186. & ſeq.

Clericorum vita, & honeſtas quæ requirat. 665. *Debent aliis eſſe exemplo bonorum operum.* 666. *Eorum modeſtia, habitus, tonſura, inceſſus, ſermo, frugalitas, &c.* 667. & ſeq. *Varia illis interdicta, ut luxus, alea, choreæ, ebrietas, tabernarum frequentatio, &c.* 668. & ſeq. *Eorum continentia.* 671. *Eorum avaritia taxatur.* 687.

Codicillus quid ſit. 239.

Columbaria, an, & quouſque ſint licita. 40.

Commodatum quid ſit. 421. *Quomodo differat à precario.* ibid. *Commodatarii obligatio.* ibid.

Commendæ quæ ſint, & an licitæ. 567. *Sunt in Belgio proſcriptæ.* 568.

Compenſatio occulta an ſit licita. 130. *Conditiones requiſitæ, ut liceat.* 131. *An habeat illa locum in caſu dubii.* 132. *An famulis liceat.* ibid. *Plerumque eſt illicita.* 133.

Conditio quotuplex ſit. 214. *Conditio neceſſaria non ſuſpendit contractum.* ibid. *Impoſſibilis ordinariè eum irritat.* 215. *Aliud tamen eſt in contractu Matrimonii, & ultimis voluntatibus, & quâ de causâ.* ibid.

Conditio turpis contractum vitiat. 216. *Quid efficiat in contractibus conditio contingens.* 217.

Confeſſarius, quomodo cum Reis agere oportet. 509.

Confeſſarius quid agere debeat cum moribundo, quem invenit reſtitutioni obnoxium. 57.

Confeſſarius omittens admonere pœnitentem reſtitutionis, an teneatur ipſe ad reſtitutionem, 62.

Confeſſarius non debet eſſe facilis in abſolvendo illos, qui ſine vi, vel fraude, pauperiores cognoverunt, niſi impoſita reſtitutione aliquâ illis faciendâ. 109.

Confeſſarius non debet negare abſolutionem adulteræ nolenti cum diſpendio vitæ aperire ſuum adulterium. 116.

Confeſſarius debet rogare fures de intentione furandi plura, ſi ea furari potuiſſent, quam ſolent plerumque habere. 121.

Confeſſarius debet eſſe circumſpectus in conſulendo uxoribus quidquam inconſulto marito alienandi, donandi, &c. 126. & 232.

Confeſſarius nec in minimis furtis poteſt diſſimulare, ſed ſemper injungenda eſt reſtitutio. 128.

Confeſſarius rarò poteſt permittere famulis ac famulabus occultam compenſationem. 132.

Confeſſarius tenetur ſuis pœnitentibus inculcare, ut bona inventa pauperibus erogent, aut illud per modum pœnitentiæ injungat. 152.

Confeſſarii debent in omni turpi ſtipulatione in-

Digitized by Google

jungere reſtitutionem, & quare. 156.
Confeſſarius non poteſt pœnitenti indulgere, ut ſolutionem, quam commodè facere poteſt, differat. 159.
Confeſſarius pro alio reſtituens quid debeat obſervare. 186.
Confeſſarius debet eſſe verſatus in materia contractuum. 191.
Confeſſarius in materia promiſſionis factæ Deo, vel homini, debet perpendere, an ſit vera promiſſio, an ſolùm propoſitum. 223.
Confeſſarii debent Clericis pauperum negligentibus imponere eleemoſynas per modum ſatisfactionis. 234.
Confeſſarii debent habere notitiam teſtamentorum. 239. & 251.
Confeſſarii debent bene indagare an mutuatores verè habeant titulum lucri ceſſantis, & damni emergentis. 323.
Confeſſarii quomodo debeant procedere cum uſurariis. 348.
Confeſſarius non debet abſolvere detractorem, niſi famam reſtituat. 446.
Confeſſarius quomodo in dubio debeat cognoſcere de judicio temerario. 459.
Conſentiens damno quomodo teneatur ad reſtitutionem. 179.
Conſulens damnum, quomodo teneatur ad reſtitutionem. 179.
Conſulens damnum, quomodo teneatur ad reſtitutionem. 176. *Quomodo cenſeatur eſſe cauſa damni.* ibid. *An teneatur ad reſtitutionem, ſi conſilium revocet.* 177. *An ad hoc etiam teneatur ille, qui bonâ fide dat conſilium malum.* ibid.
Contractus quid ſit. 191. *Quid ſit quaſi contractus.* 194. *Quot modis perficiatur contractus.* ibid. *Contractûs diviſio.* 195. *Veſtitus, & nudus: bonæ fidei, & ſtricti juris.* ibid. *Onerofus & lucrativus, implicitus, & explicitus.* 196.
Contrahere quinam poſſint. 196. *An pupilli, & quomodo.* ibid. *An prodigi.* 199. *An filii familias.* 200. *An uxores.* 202. *An amentes.* 204. *Quinam poſſint contrahere ex parte tantùm.* ibid.
Contractus, quomodo per errorem vitietur. 205.
Contractus quomodo juramento firmetur. 213. & ſeq. *Juramentum non poteſt firmare contractum jure naturæ nullum.* 215.
Contractus triplex Societatis, aſſecurationis, & venditionis lucri incerti majoris pro certo minore cum eodem initus, an valeat. 355. uſque ad 360.
Contumelia quid ſit. 439. *An contumeliæ ſint patienter tolerandæ, & quandonam.* 452.
Coöperatio ad damnum, quot modis poſſit fieri. 173.
Culpa Theologica, & Juridica quid ſit. 58. *Culpa Juridica quotuplex ſit.* ibid.
Cuſtodes ſylvarum non obſtantes damnis, quomodo ad reſtitutionem teneantur. 181.

D

D*Amnum emergens quid ſit.* 316. *An ratione ejus poſſit in mutuo aliquid accipi ultra ſortem.* ibid.
Damna alia ſunt realia, alia perſonalia. 101.
Debita certa prius ſunt ſolvenda, quàm incerta. 162. *Debita ex delicto non debent prius ſolvi, quàm ex contractu.* 163. *Debitum ex gratitudine poſt alia debita eſt ſolvendum.* ibid.
Decimæ quid ſint, earumque uſus eſt vetuſtiſſimus. 695. *Earum diviſio.* 696. *Quo jure decimæ debeantur.* 697. *Non ſunt puræ eleëmoſynæ.* 698. *Debentur Clericis ex juſtitia.* 699.
Omnes tenentur ad Decimas. 700. *An pauperes, an Monachi.* ibid. *An Clerici.* 701. *An Judæi, Infideles, &c.* 702. *Quomodo eximantur aliqui à dandis decimis.* 703. *Quomodo vi privilegii: Conſuetudine.* ibid. *Quomodo viâ præſcriptionis, tranſactione, & remiſſione.* 704.
Jus decimarum propriè ſpectat ad Parochum, deinde & aliis. 705. *Debentur etiam Clericis ditioribus.* 706. *Etiam aliquando laicis, & quomodo.* 707.
De quibus dandæ ſint decimæ in Belgio. 708. *Et in Galliis.* 709.
Decimæ quando ſolvendæ, & ubi. 710.
Decimæ ad quæ onera teneantur. ibid. *Quomodo elocandæ in Belgio.* 711.
Decimalis Campana. ibid.
Decimas defraudantium pœna. ibid.
Defectus rei quotuplex ſit. 284. *Debet venditor eum aperire.* 285.
Depoſitum quid ſit, & quid importet. 420. *Quæ res deponi poſſit.* ibid. *Qui poſſint eſſe depoſitarii.* ibid. *Ex qua culpa teneatur depoſitarius.* ibid. *Ejus obligatio quæ ſit.* 421.
Deriſio quid ſit, ejuſque gravitas. 455.
Detractio quid ſit. 433. *Quot modis illa fiat.* ibid. *Unde oriatur gravitas detractionis.* 434. *An ad eam requiratur formalis intentio injuriandi.* ibid. *Quibus perſonis poſſit detrahi.*

Digitized by Google

bi. ibid. *Varia detrahendi ſpecies.* ibid.
Mortale eſt revelare crimen occultum grave etiam vel uni viro probo. 435. *Quandonam liceat occultum alterius crimen revelare.* 436. *An in loco, ubi occultum eſt crimen, liceat revelare illud, ſi alibi ſit publicum.* 437.
Detractio etiam ſit defunctis. ibid.
Detractionis varia pallia. 438.
Detractio quàm grave ſit crimen, & quàm frequens. 440.
Detrahentem audiens an peccet, & quomodo. 441.
Diſtractus quid ſit. 102.
Diſtributiones quid ſint, & quotuplices. 657. *Quinam ad illas jus habeant.* 658. *Quibus horis ſint aſſignandæ.* ibid. & ſeq. *Quinam in abſentia illis gaudeant.* 659. *Quando illis gaudeant infirmi.* 660. *Quibus accreſcant diſtributiones abſentium.* 663.
Dolus quid ſit. 205. *Quomodo vitiet contractum.* 206. & ſeq.
Dominium quid ſit. 11. *Dominium juriſdictionis & proprietatis.* 12. *Utile & directum.* ibid. *Dominii fundamentum, & ejus objectum.* ibid.
Dominium Dei eſt perfectiſſimum. 15. *Eſt ſolus Dominus, & quomodo.* ibid.
Dominium Angelorum, Dæmonum, &c. 16.
Dominium Religionum, & Religioſorum. 19.
Dominium hominis, quouſque ſe extendat. 35. *An etiam uſque ad vitam, membra, &c.* 36. *Eſt Dominus ſuæ famæ, &c.* 37.
Dominium quot modis acquiratur. 38. & ſeq.
Dominium quomodo acquiratur per venationem, piſcationem, aucupium, &c. 39. *Quomodo per accretionem & commixtionem.* 51.
Donatio quid ſit. 229. *Donatio inter vivos, & mortis cauſa.* 230. *Donatio antidoralis an ſit vera donatio.* ibid. *Quinam donare poſſint.* 232. *An uxores, & quouſque.* ibid. *An filii familias.* 233.
Donatio Clericorum. ibid. *Religioſorum.* 234. *Novitiorum.* 235.
Quibus donari poſſit. ibid. *An Pater filio.* ibid. *An Conjuges ſibi mutuo.* 236. *An minor ſuo tutori.* ibid. *Quantum donari poſſit.* 237.
Donatio excedens 300. *aureos, requirit inſinuationem.* ibid.
Donatio quomodo revocari poſſit. 238.
Dubitare de probitate alterius quale peccatum ſit. 458.
Dubia an ſemper in meliorem partem ſint interpretanda, & quomodo. ibid. *Dubium facti, & juris quid ſit.* 469. *In dubio quomodo judex debeat precedere.* ibid.
Duellum quid ſit. 94. *Quàm graviter ſit interdictum.* ibid. *An in nullo caſu ſit licitum.* ibid. *Duellorum pœna varia.* 97.

E

Ebrietas an excuſet homicidium à pœnis illi conſtitutis. 100.
Eccleſia juriſdictio eſt duplex. 511. *Ejus forum quotuplex ſit.* 513. *Eccleſiaſticus Judex cavere debet ab effuſione ſanguinis, ab acceptione munerum, &c.* ibid.
Eccleſiaſtica immunitas eſt hodie lapis offenſionis, & petra ſcandali. 528. *Quid dicta immunitas importet, & quotuplex illa ſit.* ibid. *An, & in quibus ſit de jure divino, aut humano.* 529. *An exemptio Eccleſiaſtica ſit juris poſitivi Pontificii, an Imperatorii.* 530.
Eccleſiaſtica immunitas à tributis quid importet. 531. *Qui Clerici hic eximantur.* 532. *Quomodo illa hîc in Belgio obſervetur.* 533. & ſeq. *Quomodo in Galliis.* 534. & ſeq.
Eccleſiaſtica immunitas à foro ſæculari, quid importet. 536. *Quæ cauſa ſint Eccleſiaſticæ in Belgio.* 539. *Quæ ſint ibidem ſæculares, quæ mixtæ.* ibid.
Eccleſiarum immunitas quid importet. 541. *Quid intelligatur nomine Eccleſiæ.* 542. *Quinam eâ gaudeant.* 543. *Quomodo obtineat illa in Belgio.* 544. *Effectus dictæ immunitatis.* 545. *An loca Eccleſiaſticorum ſint libera ab hoſpitando milite.* 546.
Emptio quid ſit. 260. *An in emptione transferatur dominium ante traditionem.* ibid. *Cui res pereat ante, vel poſt traditionem rei.* 261. *Res empta cui fructificet.* 262.
Emere an liceat infra infimum pretium. 272. *Varia ad legitimam emptionem pertinentia.* 291.
Emptor rei uſurariæ an debeat rem illam reſtituere. 338.
Emphyteuſis quid ſit. 417. *Ejus diviſio.* ibid. *Quomodo conveniat cum feudo, & quomodo ab eo differat.* ibid.
Error quid ſit, & quotuplex. 205. *Quis error vitiet contractum.* ibid.
Error juris, & facti quid ſit. 48.
Executor teſtamenti quis ſit. 256. *Alius eſt univerſalis, alius particularis.* 257. *Poſſunt Religioſi eſſe executores teſtamentorum.* ibid.

Exhe-

Digitized by Google

Exhæredatio liberorum quomodo fieri debeat. 250.

F

Factores qui dicantur. 268.
Falcidia quæ ſit. 250.
Feudum quid ſit. 417. Feudalitas unde probetur. 418. An manus mortua poſſint ſuccedere in feudum. 419.
Fideicommiſſum quid ſit. 239.
Fidejuſſio quæ ſit. 523. Quinam poſſint fidejubere. ibid.
Fructus rei quotuplices ſint. 145. An rei alienæ fructus debeant reddi. ibid. Quinam fructus debeant reddi. 146.
Fructus percepti ex pignore debent in mutuo computari in diminutionem ſortis, & quomodo. 326. Quid hic dicendum ſit de pignore feudali fructifero. ibid.
Furtum quid ſit. 118. Furti diviſio. 119. Furti gravitas, & pœna. ibid. Quæ ſit materia gravis in furto. 121. Unde augeatur furtum. ibid. Quomodo peccetur per furta minuta. 122. De furtis filiorum familias. 123. De furtis uxorum. 125. Religioſorum. ibid. Sartorum. 127. Variarum ſpecierum furti pœna varia. 120. An aliena rapere in neceſſitate ſit furari. 128.
Fur continuò peccat, donec reſtituat, & quomodo. 135.
Res furtiva juxta quam æſtimationem debeat reddi. 144.

H

Haſtiludia quomodo ſint interdicta. 88.
Hæres quis poſſit inſtitui: an illegitimi. 246. An Concubinæ, Peregrini, Religioſi. 247.
De ſucceſſione Religionum & Religioſorum ab inteſtato in Belgio, & amortiſatione. ibid. & ſeq.
Quomodo ſuccedatur ab inteſtato. 249.
Hæreditas quando adeunda. 255.
Hæredes uſurarii, an & quomodo teneantur ad reſtitutionem. 335. & ſeq.
Hæredipetæ à variis taxantur. 253.
Hypotheca quid ſit; & quomodo differat à pignore. 422.
Homicidium quomodo ſit interdictum. 64. An ſit homicida, qui alium caſualiter occidit. 88. An talis ſit irregularis. 89. Coöperatores homicidii an ſint irregulares. 90.
Homicidii pœna, item ſuccidii, & parricidii. 98. & 99. Pœna Sacramentalis ejuſdem. ibid.
Homicidii conatus, an & quomodo ſit puniendus. 100.
Homicida an excuſetur ob ebrietatem. ibid.
Homicidii pœnas quis poſſit condonare. 101.
Homicida veniam roganti an condonari debeat ab hæredibus occiſi. 105. Corollaria quædam ad homicidium ſpectantia. ibid.
Honor quid ſit, & quomodo violetur per contumeliam. 440.
Hora Canonica quomodo, ubi, & quo ordine ſint à Beneficiatis perſolvendæ. 630. Quando ſint perſolvendæ. 631. Horæ de Domina quomodo obligent. ibid. Quomodo obligent 7. Pſalmi, Officium defunctorum, &c. 632. Quo Breviario ſit utendum. ibid. Quæ & qualis attentio ad Horas ſit requiſita. 633. & ſeq. Virtualis hic ſufficit. 635. Quæ à recitandis Horis excuſent. 636. Methodus recitandi ritè Horas in Choro. 664. & ſeq.

I

Illegitimi quomodo à Beneficiis excludendi. 599. & ſeq.
Immunitas Eccleſiaſtica. Vide Eccleſiaſtica immunitas.
Injuria quid ſit. 52. An ea fieri poſſit per ſolam agentis intentionem. 53.
Inquiſitio generalis, ſpecialis, & mixta. 477. Ad qualem inquiſitionem debeat præcedere infamia. 478.
Inveſtitura quid importet. 572.
Judæi an ſint inter Chriſtianos permittendi. 305.
Judex quis ſit, & qui legitimus. 461. & ſeq.
Judex an in peccato mortali judicans, peccet mortaliter. 463.
Judex an poſſit munus accipere. 464. Pœna accipientium munera. 465. An ea poſſit accipere à Conſanguineis, & aliis. ibid. An accepta munera debeat Judex reſtituere. 466. Quænam tamen poſſit Judex à partibus accipere. 465.
Judex quomodo debeat ſequi leges. 467. An poſſit eas interpretari. ibid. An quilibet Judex poſſit eas interpretari. 468. An, & quatenus poſſit adhibere legem abrogatam. ibid.
Judex quomodo procedere debeat in caſu dubii. 469. An in judicando poſſit ſequi ſententiam probabi-

Digitized by Google

probabilem. ibid. *Quæ cauſa dicenda ſit illi eſſe probabilior.* 471.
Judex quomodo debeat judicare ſecundùm propriam ſcientiam, & conſcientiam: ſecundùm allegata, & probata. 472. & ſeq.
Judex an poſſit condemnare eum, quem privatâ ſcientiâ novit eſſe nocentem. 474.
Judex quot modis procedat contra crimina. ibid. *De viâ accuſationis, denuntiationis, & inquiſitionis.* 477. *Ad quam inquiſitionem debeat præcedere infamia.* 478.
Judex quomodo reum adjudicare poſſit torturæ. 489. *Qui poſſint torturæ ſubjici.* ibid. *Quis modus adhibendi torturam in Belgio.* ibid.
Judex an poſſit reum inebriare ad habendam veritatem. 491.
Judex de quibus poſſit reum interrogare. ibid.
Judicis ſententia injuſta, an, & quatenus obliget. 493. *Quomodo dicatur apud Theologos ea eſſe injuſta, & quomodo apud Juriſtas.* ibid. *Quando Judex ex eâ parte teneatur ad reſtitutionem.* 492.
Judex Synodalis quis ſit. 512.
Judicium temerarium quid ſit. 456. *Quæ ad illud ſint requiſita.* ibid. *Quæ indicia hic ſint ſufficientia, quæ inſufficientia ad judicandum.* 457.
Judicium temerarium quando poſſit eſſe veniale. ibid.
Juramentum calumniæ ubi obſervetur. 475.
Jurandi variæ formulæ. 481. *Jurandum eſt à teſte ante depoſitionem teſtimonii.* ibid.
Juriſdictio duplex eſt, Eccleſiaſtica & Civilis, earumque differentia. 510. *Quotuplex ſit Eccleſiaſtica.* 506.
Jus quid ſit, jus in re, jus ad rem. 10. *Titulus juris quid ſit.* ibid.
Juſtitia quid ſignificet. 1.
Juſtitiæ definitio, & diviſio. 3.
Juſtitia quomodo differat à pietate & obedientia. ibid.
Juſtitia vindicativa quid ſit, & an ejus violatio inducat obligationem reſtituendi. 7.
Juſtitia œconomica quid ſit. ibid.
Juſtitia legalis quid ſit. 3. *An ſit virtus ſpecialis, & vera juſtitia.* 4. *An in ſubdito, & Principe ſit ejuſdem ſpeciei.* 5.
Juſtitia commutativa quid ſit. ibid. *Ejus violatio inducit obligationem reſtituendi.* 6.
Juſtitia diſtributiva quid ſit. 5. *Maximè illa invenitur, & deſideratur in ſuperioribus.* 7.
Juſtitia inter quas perſonas poſſit conſiſtere, an inter Patrem & filium, Deum & hominem, virum & uxorem, dominum & ſervum. 8.
Juſtitiæ objectum eſt jus. 9.

L

Legatum quid ſit. 239. *Legata pia an & quomodo poſſint invariari.* 258.
Legitima quæ ſit, & quomodo liberis debeatur. 249.
Lex amortiſationis in Belgio quæ ſit. 247.
Libellus famoſus quid ſit. 439. *Pœna libelli famoſi.* 453.
Litteræ moratoriæ quam vim habeant in Belgio. 188.
Litteræ conformitatis quid important. ibid.
Locatio quid ſit. 409. *Quinam poſſint elocare.* 410. *Quid poſſit elocari.* ibid. *An elocator poſſit rem uni locatam elocare alteri.* 411. *Elocatoris obligatio quæ ſit.* ibid. *Elocationes famulorum & famularum.* 415. & ſeq.
Lombardi qui ſint, & an poſſint permitti. 347.
Ludus quid ſit, & quomodo differat à joco. 424. *Ludi diviſio.* 425. *Ex quo capite ſoleat ludus vitiari.* ibid. *Ludere propter lucrum an ſit peccatum.* ibid.
Ludus aleæ quis ſit. 426. *Ludus alea prohibitus eſt, & maximè Clericis.* ibid.
Ludus vulgò ticktack, & verkeeren, an liceant. 427. & ſeq.
Ludi liciti ac honeſti Clericis etiam licent. 428.
Ludo vetito acquiſita an ſint reſtituenda. 429.
Ludus ollæ, ſive Lotteria an, & quatenus liceat. 431. & ſeq.

M

Macedonianum S.C. quid ſit, & quomodo obtineat in Belgio. 295.
Metus gravis & levis, quis ſit. 207. & 208. *Quomodo vitient contractus.* ibid. & ſeq.
Mohatra contractus quid ſit, & an liceat. 341.
Monopolia quid ſint, & quotuplicia. 288. *An omnes ſpecies monopolii ſint contra juſtitiam.* 289. & ſeq. *Alia inſuper monopoliorum genera.* 291.
Mons pietatis quid ſit, ejus origo, & an liceat. 343. & ſeq.
Monachus an poſſit eſſe teſtis in teſtamentis. 241.
Monaſteria quid poſſint exigere ab ingredientibus, ſive opulenta ſint, ſive egena. 757. & ſeq. *Multa Monaſteria mentiuntur ſeſe eſſe egena*

Digitized by Google

egena in receptione Religioſorum. 769. *Cætera vide V. Simonia.*
Mulier an poſſit eſſe teſtis in teſtamento. 241.
Mutilatio quomodo ſit prohibita. 91.
Mutuum quid ſit, & quænam ad illud ſint requiſita. 295. *Quinam poſſint mutuo dare & accipere: an filii famil. &c.* ibid.
An liceat in mutuo intendere ſecundariò lucrum ex mutuo. 298.
Mutuare an liceat ob aſſequendam alterius amicitiam. 307.
Mutuare an liceat cum pacto remutuandi. 309.
In mutuo ex quo titulo liceat aliquid exigere ultra ſortem. 311. *An ratione periculi amittendi ſortem: an ratione expenſarum.* ibid. *An ratione carentiæ pecuniæ.* 312. *An ob præſumptam mutuatarii donationem.* 314. *An ratione moræ longioris.* ibid. *An ratione damni emergentis.* 316. *An ratione lucri ceſſantis.* 317. & ſeq.
Mutuanti an ſemper liceat paciſci, ut ſibi reddatur mutuum in eodem pondere, numero, & menſurâ quibus mutuavit. 331.

N

Negotiatio quid ſit, & quotuplex. 263. *An ſit licita.* ibid. *Quomodo Clericis ſit interdicta.* 264. *Nobiles, Judices, &c. an poſſint negotiari.* 267.
Negotiorum geſtores qui ſint. 268.
Novale quid in jure ſignificet. 712. *Cui novalia de jure competant.* 713.

O

Oblationes quæ ſint, & quæ ad eas ſint requiſita. 714. *Unde oriatur earumdem obligatio, & qui offerre non poſſint.* ibid. *Ad quem pertineant oblationes.* 715.
Obligatio quæ ſit. 191. *Quotuplex ſit, & an ad eam inducendam requiratur intentio ſeſe obligandi.* 193.
Occidere alterum quomodo interdictum in Decalogo. 64. & ſeq.
Occidere an liceat injuſtum invaſorem vitæ. 67. & ſeq. *Requiſita ut id liceat.* 72.
Occidere an liceat injuſtum aggreſſorem rerum temporalium. 75.
Occidere an liceat injuſtum aggreſſorem famæ, vel honoris. 77.
Occidere an liceat injuſtum aggreſſorem pudicitiæ. 79.
Occidere an liceat aliquem pro defenſione alterius. 80.
Occidere an liceat Tyrannum. 81.
Occidere an liceat Adulteram in adulterio deprehenſam. 82.
Occiſio ſui ipſius quàm grave crimen. 85. *Non licet ea, etiam ad evadenda graviſſima tormenta.* ibid. *Nulla humana poteſtas poteſt alteri injungere ſui occiſionem.* 86. *Quinam cenſeatur ſeſe occidere.* 87.
Officia ſæcularia danda ſunt dignioribus. 516. *An poſſint vendi à Principibus, & aliis.* 517. & ſeq.
Officia ſæcularia vendere, etſi non ſit per ſe malum, eſt tamen occaſio plurimorum malorum. 518.
Officia ſæcularia ſi vendantur, quid tamen ad illud requiratur. 519. *An vendi ea poſſint à privatis perſonis.* 520.
Opinio temeraria quæ ſit. 456.

P

Pactum quid ſit. 191. *Pactum de re turpi eſt nullum.* 155.
Parochorum reſidentia quàm ſit arcta. 646. & ſeq. *Quænam cauſæ illos à reſidendo excuſent.* 648. & ſeq.
Patria poteſtas quæ ſit, & quomodo ſolvatur. 201.
Patronatûs jus quid ſit. 576. *Quot modis acquiratur.* ibid. *Ejus diviſio.* 577. *Differentia Patronatûs laïci ab Eccleſiaſtico.* 578. *Qualem debeat Patronus præſentare.* 579. *Quidnam Patrono debeatur.* ibid. *Qui poſſint eſſe Patroni.* 580. *An hæretici, &c.* 581. *Undenam jus Patronatûs poſſit probari.* ibid. *Quomodo illud transferatur.* 582. *Quomodo illi derogetur.* ibid.
Peculium Caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, profectitium, & adventitium. 200.
Penſiones ſuper Beneficia olim erant incognitæ. 673. *Quid ſint, & quotuplices.* ibid. *Quis poſſit eas imponere.* 674. *Ad eas imponendas requiritur juſta cauſa, & quæ illa ſit.* 675.
Penſio debet eſſe moderata. 676. *Quis poſſit penſiones obtinere.* 677.
Penſiones ſuper quæ Beneficia imponi poſſint. 678.
Penſionarii, & titularis quæ ſit obligatio. 679.
Penſiones quomodo ceſſent. 680.
Penſiones ſemper abhorruit S. Carolus, & meritò. 681.
Permutatio Beneficiorum. V. Beneficiorum permutatio.

Digitized by Google

Pignus quid ſit. 422.

Pontifex non eſt dominus, ſed diſpenſator Beneficiorum Eccleſiaſticorum. 583. *Quot modis poſſit conferre Beneficia.* ibid. & ſeq.

Pontifex an poſſit eſſe Simoniacus. 734.

Portio Canonica quæ ſit, & quomodo Clericis ſit debita. 717. *Quænam cenſeatur illa eſſe in Belgio, & in Galliis.* 718.

Poſſeſſio quæ ſit. 44. *Ejus diviſio.* 45. *Ejus continuatio quid importet in præſcriptione.* ibid.

Poſſeſſor bonæ fidei quis ſit. 47. & 136. *Malæ, & dubiæ fidei.* ibid.

Poſſeſſor bonæ fidei quomodo reſtituere debeat rem alienam. 136. *Quomodo poſſeſſor dubiæ fidei.* 140. *Malæ fidei quomodo.* 142.

Precarium quid ſit. 421.

Præſcriptio quid ſit, & quæ ad eam requiſita. 44. *Quæ res poſſint præſcribi.* 46. *Titulus in præſcriptione requiſitus quis ſit.* 48. *Præſcriptio an valeat in foro conſcientiæ.* 49.

Pretium rerum venalium aliud legitimum, aliud naturale, aliud infimum, medium, & ſupremum. 271.

Pretium naturale undenam poſſit augeri. 273.

Pretium quale juſtum ſit in auctione publica. 275.

Pretia rerum an à Republicâ expediat taxari. 277.

Procurator quis ſit. 502. *Quid ad illum ſpectet obſervari.* 503. *Quid in ejus ſcientia, diligentia, veritate & juſtitia requiratur.* ibid. & ſeq.

Promiſſio quid ſit. 222. *An promiſſio interna obliget.* 224. *An promiſſio ante acceptationem obliget.* 225. *Varia de promiſſione quæſtiones.* 226. *Sub quali obligatione promiſſio obliget.* 227. *Quæ materia in promiſſione ſit gravis.* ibid. *Quandonam promiſſio deſinat obligare.* 228. *Cui res promiſſa pereat.* 229.

Proxeneta quis ſit. 268.

Publicum jure, & publicum facto quid ſit. 437.

R

Regaliæ quid ſint, & quid importent. 572. & ſeq.

Religioſus eſt incapax dominii rerum temporalium. 19. *Origo talis incapacitatis.* ibid.

Religioſus factus Epiſcopus quomodo fiat dominus ſuorum fructuum. ibid.

Religioſus beneficiatus quomodo ſit dominus ſuorum fructuum. 21.

Religioſorum donationes. 234.

Reſignatio beneficiorum. V. Beneficiorum reſignatio.

Reſidentia beneficiatorum. V. Beneficiatorum reſignatio.

Reſtitutio quid importet. 53. *Quæ & qualiter fieri oporteat, & unde oriatur obligatio reſtitutionis.* 54. *Quomodo ſit neceſſaria.* ibid. *Quomodo ſit præcepta.* 55.

Reſtituendi obligatio ex qua culpa oriatur. 60.

Reſtituendi obligatio ex parte officii. 61.

Reſtitutio ob homicidium, & mutilationem. 101. *An illa obliget, quando condonat injuriam occiſus.* 104.

Reſtitutio ob ſtuprum quomodo facienda. 109. *Quid pro eo caſu, quo promiſiſſet ſtuprator matrimonium.* 110. *Quid ſi poſt emiſſum votum Religionis illud promiſiſſet.* 111. *Quid ſi ſecuta ſit proles.* 112.

Reſtitutio facienda ratione adulterii. 113. *Quid ſi ſecuta ſit proles.* ibid. *Quid ſi dubium ſit, an proles ex adulterio ſit nata.* 114. *Ad quid hic obligetur adultera.* 115.

Reſtitutio bonorum incertorum, & inventorum, an & quomodo obliget. 150. *Cui illa reddi debeant.* 153. *An de conſilio Epiſcopi reddi debeant pauperibus.* ibid.

Reſtitutio bonorum naufragorum quomodo fieri debeat. 154.

Reſtitutio lucri turpis. 155.

Reſtitutio ubi fieri debeat, & cujus expenſis. 157.

Reſtitutio ſtatim ac fieri poteſt, eſt facienda. 158. *Poteſt ea fieri etiam per internuntium.* 159. *Debet etiam fieri ſubinde publicè.* 160. *Poteſt quoque anticipari.* ibid.

Reſtitutio quo ordine facienda. 161. *Debent prius ſolvi debita certa, quàm incerta.* 162. *Solvendum eſt prius creditori hypothecario, & quis ordo ſervandus inter tales.* 163. *An prius petenti debeat prius ſolvi.* 165. *An prius ſolvi debeat creditori pauperi.* 166.

Reſtitutio facienda ab eo, qui alium impedivit à conſecutione boni. ibid.

Reſtitutio facienda ab eo, qui alterum læſit in bonis ſpiritualibus. 158.

Reſtitutio facienda ab eo, qui alterum abduxit à ſtatu Religionis. 170.

A reſtitutione quæ excuſent. 184. *An excuſet diminutio ſtatûs.* 185. *An remiſſio debiti.* 186. *An ceſſio bonorum, & quomodo.* ibid. *An compenſatio, & compoſitio.* 188. *An ingreſſus Religionis.* 189.

Reſtitutio in integrum quid ſit. 218. *Quid ad eam*

Digitized by Google

eam requiratur, qui eâ uti poſſint, & quid per eam reddi debeat. ibid. *Intra quod tempus quis illâ debeat uti.* 219. *An obtineat in contractu nullo.* ibid. *Contra quos contractus obtineat.* 220. *Quomodo ea ſit impetranda.* 284.

Reſtitutio famæ per detractionem ablatæ, quàm ſit neceſſaria. 441. & ſeq. *An reſtitui debeat ab eo, qui eam ignoranter abſtulit.* 441. *Debet detractor reſtituere omnia damna ex detractione ſecuta.* 443. *An ad illud teneantur etiam hæredes detractoris: an ejus ſuperior.* 444.

Reſtitutio famæ quando facienda. 446.

Reſtitutio famæ debet eſſe efficax, & quomodo. ibid. *Quomodo revocari debeat injuria verbalis.* ibid. *Coram quibus perſonis debeat fieri illa reſtitutio.* 447. *Quænam ab illâ reſtitutione excuſent.* 448. *An impotentia.* ibid. *An compenſatio.* 450. *An ex eo, quod fama aliunde ſit recuperata.* 449. *Quomodo in caſu oblivionis.* ibid. *Quid faciendum, ſi fama ſecundùm ſe reſtitui nequeat.* 450.

Reſtitutio honoris quomodo facienda. 451.

Reſtringere mentaliter eſt mentiri. 484.

Retractus quid ſit, & quomodo fieri debeat. 284.

Reus an poſſit uti reſtrictione mentali, æquivocatione, &c. 483. *Reus legitimè rogatus an debeat fateri crimen cum periculo vitæ.* 486. & ſeq. *Reus peccat, & quomodo non edicens veritatem.* 488. *Quando dicatur reus legitimè interrogari.* ibid. *De quibus poſſit reus legitimè interrogari à Judice.* 491. *Quæ crimina poſſit patefacere.* 492. *Quomodo debeat obedire ſententiæ.* 485. *An poſſit fugere è carcere.* ibid. & ſeq. *An poſſit carcerem effringere.* 496. & ſeq.

S

Simonia quid ſit, ejuſque origo. 720. & ſeq. *Ejus gravitas, dicitur ſimoniaca peſtis, hæreſis, &c.* 721. *Eſt contra jus divinum naturale.* 722. *Eſt contra Religionem.* ibid. *Non poteſt in ea dari parvitas materiæ.* 723. *Simoniæ diviſio.* ibid. *An detur ſimonia juris poſitivi humani.* ibid. & ſeq.

Simoniacum munus eſt triplex, à manu, linguâ, & obſequio. 725.

Simonia an ſit conferre ſpirituale ex metu alicujus. 727.

Simonia an ſit conferre beneficium Eccleſiaſticum ob conſanguinitatem. 728.

Simoniacum pretium an debeat dari tamquam pretium, an ſatis ſit quod detur tamquam motivum. 729. *An debeat illud principaliter intendi, ut ſit ſimonia.* 731. & ſeq.

Simoniacum an ſit conferre temporale pro ſpirituali ex gratitudine. 733. *Simonia an cadere poſſit in Pontificem.* 734.

Simonia quomodo fiat in adminiſtratione Sacramentorum. 737. *Eſt ſimonia vendere materias Sacramentorum.* 738. *Simonia an ſit aliquid exigere pro adhibendo labore in Sacramentis.* ibid. & ſeq.

Simonia an ſit, ſi Clericus de ſuo ſtipendio paciſcatur. 740.

Simonia non eſt aliquid exigere pro obligatione adminiſtrandi res ſacras. 741.

Simonia non eſt dare, aut exigere in adminiſtrandis Sacramentis, quod de laudabili conſuetudine dari ſolet. ibid.

Simonia an ſit aliquid dare ex neceſſitate pro adminiſtrandis Sacramentis. 742. & ſeq. *Simonia omnis in Ordine admiſſa eſt graviter prohibita.* 744. *Quid hic ſine ſimonia accipere poſſint Notarii.* ibid.

Simonia in Matrimonio. 746.

Simonia in Sacramentalibus, & quæ illa ſint. 747. *Simonia in venditione Reliquiarum, Imaginum, &c.* 748.

Simonia in diſpenſando, & aliis actibus juriſdictionis. ibid. & ſeq.

Simonia an ſit aliquid accipere pro cantu Eccleſiaſtico. 750.

Simonia an ſit aliquid accipere pro omiſſione rei ſacræ. 751.

Simonia an ſit aliquid accipere pro tradenda ſcientia Theologica. 752.

Simonia an ſit aliquid accipere pro ſepultura. 753. & ſeq.

Simonia circà ingreſſum Religionis. 757. *An aliquid liceat accipere à Monaſterio inope.* 760. *Quantum ab illo recipi queat.* 768. *An aliquid recipi poſſit à Monaſterio opulento.* ibid. & ſeq. *An poſſit hic aliquid recipi ex eo, quod Monaſterium cedat juri ſuccedendi ab inteſtato in bona Religioſorum.* 765. *An aliquid recipi poſſit pro victu & veſtitu Novitiorum.* 766. & ſeq. *Quandonam Monaſterium dicatur hic eſſe inſufficiens.* 768. & ſeq. *Varia mala ex reſpectu pecuniæ obveniunt hic Religioni.* 769. & ſeq.

Simonia in Beneficiis Eccleſiaſticis. 773. *An etiam ſit ſimonia aliquid recipi pro beneficiis ſimplicibus.* ibid. & ſeq.

Simonia in collatione. 780. *Nominatione.* 781. *Confir-*

Confirmatione, & inſtitutione. 783. *In permutationibus*. ibid. *In reſignationibus*. 786. *Ubi de confidentiali, ejuſque pœnis*. 787.
Simonia in penſionibus qua ſoleat evenire. 788. & ſeq.
Simonia an ſit in recipiendis Annatis. 790. & ſeq.
Simoniacorum pœna. 792. & ſeq.
Simoniacè accepta an & quomodo ſint reſtituenda, & quo jure. 796. *Cui, & quando debeant reſtitui*. 799. *Simonia mentalis an obliget ad reſtitutionem*. 800.
Societatis contractus quid ſit, & quotuplex. 351. *Ejus effectus*. 360. *Ejus diſſolutio*. 361. *Societate finitâ quomodo facienda ſit diviſio*. 363. *Regulæ in ea obſervandæ*. ibid. *Societas officiorum*. 368.
Sodomiæ pœna. 118.
Sors quid ſit in mutuo. 298.
Sponſio quid ſit. 430. *An ſit licita, & quid in ea obſervandum*. 431. *Spondere pro Miſſis, &c. eſt illicitum, & eſt miſcere ſacra prophanis*. ibid.
Stipulatio quid ſit. 195.
Stuprum quid ſit. 107. *Stuprata non conſentienti quid debeat reſtitui*. 109. *Quid ſi ſtuprator promiſiſſet matrimonium*. 110. *Quid ſi id feciſſet poſt votum* Religionis. 111. *Quid ſi ſecuta ſit proles*. 112. *Stupri pœna*. 116.
Suſurratio quid ſit, & quàm grave crimen. 453. *Quandonam poſſit eſſe venialis*. 454.

T

Talliæ quid ſint. 520.
Teſtamentum quid ſit. 239. *Ejus diviſio*. ibid. *Ejus cognitio ad quem ſpectet*. 240. *Teſtes ad illud requiſiti*. ibid. *An teſtis poſſit ibi eſſe mulier, an Monachi*. 241. *Anteſtamentarii, & legatarii*. ibid.
Teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum an valeat in foro conſcientiæ. 242. *Qui poſſint, & non poſſint teſtari*. 243. *An prodigi, uſurarii, filii fam. damnati ad mortem, cœci, Religioſi*. 244. *An Clerici, & quomodo*. 245. *An Novitii, & illegitimi*. 246.
Teſtandi libertas quàm ſit ampla. 251.
Teſtamentum quomodo debeat diſponi. ibid. *Liberi præferendi ſunt cauſis piis*. ibid. *Templa vita hic etiam præferenda mortuis*. 252. *Teſtandum in vita eſt, maturè, & in gratia*. ibid.
Teſtamentorum interverſio. 254.
Teſtamentorum apertio, & revocatio. ibid.
Teſtamentorum executores. 256. *Alii ſunt univerſales, alii particulares*. 257. *Poſſunt ii eſſe & Religioſi*. ibid.
Teſtis, quis, & qualis eſſe poſſit in judiciis. 479. *An mulier, & quando quis teſtari teneatur*. ibid. *An teſtari debeat teſtis unicus*. 480. *An etiam debeat, quando quis habet aliquid ſub ſecreto commiſſum*. ibid. *Quis teſtari poſſit, & non poſſit*. ibid. *Teſtes an cogendi*. 481. *Teſtis debet jurare ante teſtimonium*. ibid. *Teſtis quo caſu teneatur ad reſtitutionem*. 482. *An poſſit uti reſtrictione mentali, æquivocatione, &c.* 483. *Debet teſtis rogatus reſpondere ad mentem interrogantis*. 485.
Theſaurus quid ſit, & cui cedat. 39.
Tortura. V. Judex, &c.
Tranſlatio Epiſcoporum, &c. eſt odioſa. 785.
Tribellianica quid ſit. 250.
Tributum quid ſit, & quotuplex. 520. *Requiſita ad juſtam ejus impoſitionem*. 521. *Quis poſſit illud imponere, & quæ juſta imponendi cauſa*. ibid. *Quæ proportio in imponendo ſit obſervanda*. 522. *An poſſit imponi rebus ad victum neceſſariis*. ibid. & ſeq.
Tributa juſta defraudantes, an teneantur ad reſtitutionem. 324. & ſeq. *An debeant ſolvi in conſcientia, & quid in caſu dubii de juſtitia eorumdem*. 525. & ſeq. *Quando tributum ſit ſolvendum*. 527.

V

Venatione acquiritur dominium, & quouſque ea poſſit prohiberi. 41. *Quouſque Clericis ſit interdicta*. 42.
Venditio quid ſit. 260. *Ejus materia*. 269. *An vendi poſſit homo liber, opera aliàs debita, res litigioſa, res necdum exiſtens*. ibid. *An res ſacræ*. 270.
Venditionis pretium legitimum, & naturale, infimum, medium, & ſupremum. 271.
Vendere an liceat ultra ſupremum, aut emere infra infimum. 272. *An res caræ tanti vendi liceat, quanti poſſit*. 273.
Vendere an liceat carius ob dilatam ſolutionem. 279. *An ob damnum emergens, aut lucrum ceſſans*. ibid. *An ratione periculi amittendi ſortem*. 280. *An quia res poſtea plus eſt valitura*. 281. *An poſſint minoris vendi librantiæ militares, & aliæ obligationes*. ibid.
Venditio cum pacto revendendi an ſit licita, & quid ad eam requiratur. 283.

Vendi-

Venditor quomodo debeat aperire defectus rei venalis, & quando. 285.

Venditum duobus; cujus ſit. 292.

Vir quomodo poſſit conveniri pro Uxore, & quæ poſſit alienare. 203.

Ultima voluntas quid ſit, & quotuplex. 239.

Unio Beneficiorum. V. Beneficiorum unio.

Uſura eſt mixti fori, & quid ſit. 297. *Ejus diviſio, & eſt intrinſecè mala.* 299. & ſeq. *Prohibetur etiam lege divinâ.* 303. *Lege Canonicâ, & Civili.* 304. *Uſura damnatio.* 305.

Uſura moderata an liceant. 305.

Uſurarum lucrum an debeat eſſe pretio æſtimabile. 308.

Uſura an ſit à mutuatario exigere aliquid ex gratitudine. ibid.

Uſurarum ſpecies variæ. 309. & ſeq.

Uſura an ſit dare pecuniam pupillorum, viduarum, &c. ad intereſſe Mercatori. 323. & ſeq.

Uſurarius an fiat dominus uſurarum. 332.

Uſurarum reſtitutio. ibid. *An mentalis uſurarius teneatur ad reſtitutionem.* 333. *Uſurarii hæredes an teneantur ad reſtitutionem.* 335. *Uſurariæ rei emptor, an teneatur ad reſtitutionem.* 338.

Uſura an ſit deponere pecuniam apud uſurarium. ibid. *An liceat accipere ad uſuram.* 339.

Uſura quomodo fiat in depoſito, commodato, &c. 342.

Uſurarum pœna. 349.

Uſurarii quomodo à Confeſſariis ſint tractandi. 348.

Uxor quomodo poſſit contrahere. 202.

Uxor quomodo poſſit conveniri pro viro, & è contra. 203.

FINIS.

PER-

Digitized by Google

PERMISSIO SUPERIORUM.

UT Tractatus *De Jure & Juſtitia, &c.* Auctore Reverendo Domino Florentio de Cocq, Abbatiæ S. Michaëlis Antverpiæ Canonico Præmonſtratenſi, & S. T. Profeſſore typis evulgentur, permittimus. Actum Bruxellis 20. Octobris 1686.

F. Jacobus Rosnata, *Abbas Tongerloënſis, & Vicarius Generalis.*

APPROBATIO.

NOs infraſcripti Librorum Cenſores Antverpienſes, examinavimus Tractatum *De Jure & Juſtitia*, Auctore Reverendo Domino Florentio de Cocq, Abbatiæ S. Michaëlis Antverpiæ Canonico Præmonſtratenſi, & S. Theologiæ Profeſſore; eumque deprehendimus nihil continere, quod aut Fidei, aut bonis moribus adverſetur. Cenſemus propterea, eundem Librum Belgii praxi accomodatum, Paſtoribus, Confeſſariis, aliiſque S. Theologiæ ſtudioſis, utilem fore, ſi prælo divulgetur. Actum Antverpiæ hâc 12. Junii 1686.

P. V. Halmale, *Canonicus Grad. Eccleſiæ Cathed.*

A. Hoefslach, *Ejuſdem Eccleſiæ Canonicus Graduatus.*

A. Eyben, *ejuſdem Eccleſiæ Canonicus Theologalis.*

SUMMA PRIVILEGII.

CArolus *Dei gratiâ Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis Librum, cui Titulus eſt :* De Jure & Juſtitia Tractatus quatuor, &c. Auctore Florentio de Cocq, Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ordinis Præmonſtratenſis Canonico, Sacræ Theologiæ Lectore, *præter voluntatem* Eugenii Henrici Fricx, *ullo modo excudat, aut alibi terrarum excuſos in haſce ditiones noſtras importet, venaleſvè habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ gravi pœna mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellis* 5. *Decembris* 1686.

Signat,

Loyens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google